Ee
7, 1

Biblj. nauczyc.
Syg.:
Gimn. państw. w Wejherowie

Biblj. nauczyc.
Syg.:
Gimn. państw. w Wejherowie

M. TULLII CICERONIS

OPERA

QUAE SUPERSUNT OMNIA

AC

DEPERDITORUM FRAGMENTA.

M. TULLII CICERONIS

OPERA

QUAE SUPERSUNT OMNIA

AC

DEPERDITORUM FRAGMENTA

RECOGNOVIT

ET SINGULIS LIBRIS

AD OPTIMAM QUAMQUE RECENSIONEM

CASTIGATIS

CUM VARIETATE LAMBINIANA MDLXVI, GRAEVIO-GARATONIANA, ERNESTIANA, BECKIANA, SCHUETZIANA, AC PRAESTANTISSIMARUM CUIUSQUE LIBRI EDITIONUM INTEGRA, RELIQUAE VERO ACCURATO DELECTU BREVIQUE ADNOTATIONE CRITICA

EDIDIT

IO. CASP. ORELLIUS.

Lit. E. b. 4.
Fol. 38 A. 2 n. 7.

Biblj. nauczyc.
Syg.:
Gimn. państw. w Wejherowie

VOLUMEN I.

KÖNIGL. GYMNASIUM ZU KREUTZBURG

TURICI

TYPIS ORELLII, FUESSLINI ET SOCIORUM.

MDCCCXXVI.

D 68/2024
POMORSKA BIBLIOTEKA PEDAGOGICZNA w Gdańsku
Czyt 218612

PRAEFATIO.

Saepenumero equidem desiderabam Tullianorum librorum omnium editionem non inelegantem, ab erroribus typographicis, quam maxime fieri posset, perpurgatam, paucis voluminibus absolutam, modico denique pretio parabilem, quae complecteretur, vel significaret certe omnia ea, quae critici quum suopte ingenio usi, tum a libris manu scriptis adiuti post Ernestium hoc in genere praestitissent. Magna quidem immortalis huiusce viri merita fuisse nemo sanus negat; quanta et qualia fuerint, post Wyttenbachium, iustam censuram praeeuntem, nunc omnes fere norunt. Quamquam hodie quoque sunt inter Italos praesertim, qui Olivetum Ernestio praeponant, verbi causa Peyronius(*): alii rursus vel quid effecerit, ignorare se simulant, vel dedita opera laudibus eius obtrectant; et singulis quidem in libris tractandis, quomodo tam ingratum aliquis sese praebere possit, ex parte intelligo; in toto vero Tulliano corpore aestimando, nisi iniusti esse velimus, longe aliter iudicemus necesse est.

Successit Ernestio Schuetzius, cuius perspicaciam, sagacitatem et doctrinam ego quoque magni facio. Minore utinam eundem iudicii volubilitate et audacia praeditum creasset rerum domina, natura; maiore aliquanto donasset diligen-

(*) „Ciceronis editionem in usum Delphini excusam Patavii typis Seminarii, anno MDCCLIII in 4to, utpote pervagatam, nec temerariis Neotericorum emendationibus perturbatam, sequendam esse duxi." *Fragmm. Cic.* p. 183. — Sed ista ipsa Oliveti recensio, praeter ceteras, quae nomen aliquod nactae sunt, est arbitraria, negligens, omnis generis erroribus referta, exiguo denique cum iudicio suscepta.

tia, atque laboris tolerantia! Bene tamen sic quoque de Cicerone meritum esse virum clarissimum omnes ultro fatentur, facilique opera posteri necessarias eius emendationes a temerariis nimisque tumultuariis, ingeniosas ab inutilibus distincturi, conservabunt illas, debitis laudibus extollent, recipient ac retinebunt, has sine ulla Schuetziani nominis ignominia perpetuae tradent oblivioni. Nobis interea, ne quidquam desideraretur, omnes omnino, etsi subinde cum pudore aliquo, erant commemorandae. Sed mediam viam inter utrumque, ac veram fortasse, ante Schuetzium ingressus erat Beckius V. CL., dummodo molestum utique curriculum absolvere occupatissimo homini placuisset; cuius quidem accuratione, iudicioque sano et circumspecto magno opere me adiutum esse in prioribus Orationibus, grato animo profiteor. — Multis igitur in rebus praeclarum Beckii exemplum secutus, brevior tantummodo esse studui, sine ullo intelligentium iudicum damno vel incommodo; ab interpretatione vero quamvis brevissima, (cui aliam viri alicuius docti curam unice destinatam vellem) nisi ubi criticae rationes iuberent, prorsus abstinui: utrumque enim consilium una in huiusce moduli editione vix licet coniungere.

Id tamen in primis moleste ferebam, quod Lambini copiis, nuper quidem a Garatonio quoque et Niebuhrio summo opere commendatis, sed exiguo criticorum numero adhuc probe cognitis, nullum Triumvirorum illorum Tullianorum, quemadmodum par erat, usum esse cernebam; si quidem Ernestius tam oscitanter eas inspexit, ut haud raro tamquam proprias coniecturas proferret lectiones iamdudum a Lambino receptas, quam plurimas vero silentio praetermitteret; Beckius Oliveti dumtaxat et aliorum excerpta ante oculos habuit, Schuetzius denique, qui pro sua securitate in Orationibus a Beckio nunquam editis ne Garatonium quidem in consilium vocavit, summum illum criticum prorsus neglexit, ea si excipias, quae variorum e commentariis, nec sine multis erroribus, tamquam Lambiniana subinde arripuit.

Ex antiquioribus, Iuntinâ nominatim et Cratandrinâ, idem pleraque reliquit intacta; plures praeterea post Schuetzianam aliquot librorum vel plane egregiae, vel haud con-

temnendae prodierant editiones. Haec ubi saepius mecum reputassem, editionem illam, cuius imago ante oculos versabatur, adornare tandem sum conatus, his legibus totam per curam aequabili cum diligentia servatis:

I. Singulis in libris Tullianis recudendis tamquam fundamenti loco ponitor optima quaeque editio. — Eae quae sint, in hac literarum luce fugere vix quemquam potest.

II. Attamen nullius in verba magistri iurato; verum ubi severioribus artis criticae legibus illa quoque optima editio non satisfaciat, certam Mss. et Edd. vett. auctoritatem, raro aliorum coniecturam, rarissime tuam praeferto. — Libentissime equidem retinuissem ullius sine literae mutatione, in hoc ipso volumine v. c. Muellerianam librorum de Oratore, Bruti Eilendtianam recensionem. At nisi omnium exspectationem fallere insuper habuissem, nullo pacto committere poteram, ut errores manifesti propagarentur, reiicerenturque multo meliores lectiones; libenter quoque reliquos per libros in Schuetziana recognitione acquievissem; sed propter incredibilia, quibus deturpata est, vitia non potui: nova igitur recognitione ubique opus erat, ac tali subinde, quam recensionem alius nuncupasset; verum ego recensionem dare optime huiusce vocabuli sensu perspecto nunquam suscepi.

III. Id autem ante omnia spectato, ut haec tua editio ad fidem Mss. veterumque editionum e Mss. ductarum quam proxime accedat. — Quamvis enim ex superstitiosorum illorum numero minime sim, qui coniecturas omnes in se spectatas aspernentur ac reformident, quamvis ego quoque agnoscam necessarias quasdam, nec sine stultitiae crimine repudiandas, huiuscemodi tamen editio, quae diligentiae et accurationis laudem maxime aucupatur, in rebus non omnem extra dubitationem positis, libros potius quam coniectores et hariolos ut sequatur, consentaneum est. Quid? quod duplex, ni fallor, editionum genus nostri iam et anquirent et accipient nepotes: unum, inquam, nullis omnino coniecturis permixtum, sed ad optimos quosque libros severe exactum, iisque unice nixum, plane ut inscriptiones, ut diplomata cum vitiis quoque probe perspectis consulto edere solemus; alterum e criticorum ingenio, e grammaticorum

legibus ac decretis, correctum ubique et perpolitum. Fortasse tamen utrumque genus ita aliquando coniungere licebit, ut verba scriptoris ex antiquis dumtaxat auctoritatibus constituantur, interiori vero in margine exhibeantur probabiles emendationes, suis quaeque signis a reliqua varietatis turba distinctae. Huiusmodi aliquando editionem poëtae cuiusdam Latini, quem cum codicibus nunquam excussis benignos per amicos conferendum curavi, tentare animus est.

IV. Omnem ubique lectionem tum Lambinianam, Graevio-Garatonianam, Ernestianam, Beckianam et Schuetzianam, tum ipsius illius editionis, quam maxime eris secutus, et ubi duae, tresve erunt unius libri laudabiliores, harum etiam varietatem accurate enotatam imae paginae subiicito. — Locum hic esse video fusius explicandi rationes, quibus inductus Lambino tantum tribuerim, ut magnum huius operae meritum in integra eius lectione excerpta etiam nunc reponam. Etenim de summo illo viro per biennium circiter sexque menses versato in recensendo Cicerone, diuturno usu edoctus, hoc tandem ex animi mei sententia iudicium ferre possum, aequum ut opinor, et in plerisque cum Ernestiano conspirans: praeclarum videlicet in eo ingenium, mentisque summum acumen fuisse coniunctum laudabilissima cum diligentia atque industria. Codices enim is, uti nunc extra controversiam positum est, veteresque editiones studiose examinavit; horum igitur adminiculorum et sagacissimae coniecturae ope, vitia permulta, prioribus vel non animadversa, vel ab iisdem, Puccio maxime, Iuntinis editoribus, Naugerio aliisque ultro illata sustulit; Victorii, Manutii, Caroli Stephani bonis sapienter usus, haud paucos eorum errores devitavit; magnam in primis curam impendit in verborum collocationem et ordinem, ab editoribus fere insuper habitum, ad libros Mss. et ad sermonis numerorumque oratoriorum leges rectius constituendum: neque haec erat ultima causa, propter quam omnis eius varietas esset recensenda, quum hoc praesertim eius meritum nondum agnovisset posteritas.

At idem Lambinus saepe nimis indulsit ingenio, suspiciones et suas, et amicorum, Hotomani, Ranconeti, Mem-

mii, Aurati, codicum lectionibus audacter substituendo, ubi vel sensa scriptoris ipsius, atque unius alteriusve vocabuli significatum parum percepisset, vel ubi regulis quibusdam grammaticis, ipse quas sibi finxerat, repugnarent verba Tulliana; qua quidem in re saepenumero similem in modum peccavit quum Ernestius, tum quis non recentiorum? Denique, id quod humanae est imbecillitatis, in locis corruptis, ubi praestabat fortasse iudicium, vel mutandi saltem libidinem continere, minus feliciter Lambino quoque cesserunt emendandi conatus. Quin etiam illud magno opere dolendum est, quod quae leviora ipsi viderentur, aut cuilibet perspicua, in adnotationibus haud tetigerit, ita ut permultis in lectionibus, quas exhibet solus, prorsus nescias, utrum e coniectura sint profectae, an librorum auctoritate nitantur. Nihilominus quicunque diutius fuerit versatus in Lambini recensione accuratius expendenda, eo tandem perveniat necesse est, ut magna cum probabilitate ipse per se plerumque distinguat a meris hariolationibus ea, quae codicibus Mss. debentur.

Posteaquam vero prodiit praeclara illa et rarissima editio Parisiensis anni MDLXVI, ipse quidem nunquam destitit in Cicerone suo perpoliendo elaborare; itaque, ut fit, multis de locis mutaverat sententiam, in alias subinde inciderat emendationes, nova adiumenta in usum vocarat; in eo tandem erat, ut alteram editionem pararet, sed praematuram propter mortem, quam anno MDLXXII obiit, ad hominem nescio quem, (Lambini filium fuisse quidam arbitrantur) nimis illum superstitiosum atque criticae artis prorsus ignarum, a librariis Parisiensibus inde ab anno MDLXXIII delatum est istud negotium. Multorum scilicet in reprehensionem quum incurrisset Dionysius ob novandi corrigendique temeritatem, factum esse videtur, ut melius commodis suis se prospecturos censerent redemptores, si pervagatam ante lectionem recudendam curassent; itaque Boulierii, (ut ex complurium locorum comparatione intellexisse mihi videor) vel similem aliquam editionem de trivio arreptam, v. c. Gryphianam, fundamenti quasi loco mercenarius iste posuit; in marginem reiecit plerasque (non enim puto omnes omnino) Lambini lectiones, usus etiam adversariis eius po-

stumis. Homines igitur quum in his repetitionibus luculentis sane atque elegantibus gratularentur sibi vulgatam recensionem, etsi, (quod aut nesciebant, aut parum curabant) omni auctoritate destitutam coniunctim exhiberi cum Lambini emendationibus, evenit, ut ingenti cum plausu exciperentur, certatimque repeterentur etiam a Iacobo Gothofredo, cuius editiones tenuiorum fere manibus videntur esse tritae inde ab anno MDLXXXVIII. At permagna iam confusio obtinet in repetitionibus istis Lambinianis; permixtae sunt enim cum prioribus curis posteriores; multis, quae Lambini sunt, praefigitur incertum *Aliorum* vocabulum; omittuntur, ut fit in opere taedii pleno, haud paucae lectiones editionis anni MDLXVI, parum fideliter aliae referuntur. Id quoque saepenumero suspicatus sum, infelicem illum repetitorem Lambino haud raro tribuisse, et tamquam ab eo probatas attulisse lectiones, quas is primae suae editioni, nullo iudicio addito, adscripsisset eo duntaxat consilio, ut alteram ubi ipse pararet editionem, eas aut reciperet, aut repudiaret. Attamen iniquiores ne videamur in has quoque operas, id nunquam obliti sumus, exhiberi in iis adnotationes Dionysii auctiores et subinde correctas, multarumque lectionum hodie quoque in editionibus obviarum originem earum ope posse investigari; quamquam, si cui aliquando vacabit, longius etiam per turbidos Boulierii, ac Gryphiorum rivulos sint persequendae, usque dum ad ipsos earundem fontes, Hervagium, Victorium, huiusque correctores repetitoresque primarios, laboriosus iste sit perventurus. Sed insignis calamitas inde exorta est, quod Gruterus ridicule semper infestus Lambino harum repetitionum aliquam, vel adeo Gothofredum secutus, quam plurima vitia Cratandri, Victorii, Manutii, Lambini ipsius auxilio facile tollenda sua in editione reliquit; quae nec omnia a magno Ernestio animadversa hereditario quasi iure in recentissimas quasque transierunt. Adeo vero, ut supra significavimus, neglecta quum iacuisset vera Lambiniana, praeclare de Tullio ipso meriturum esse eum videbam, qui omnes omnino, veras falsas, graviores leviores illius lectiones enotaret; in quo haud exiguo labore maxima cum diligentia me versatum esse

spondeo; accurate segregatis suspicionibus Lambini probabilioribus a lectionibus, quas ipse recepit, (nam in hoc quoque saepe peccatum est, quod quae ille dubitanter et modeste proposuisset, pro certo eius iudicio nunc soleant afferri;) sedulo praeterea notavi, quae lectiones Lambino a posterioribus editoribus falso tribuantur, quaeque a codicibus recens collatis, Oxoniensibus praesertim, sint confirmatae; ita ut nostram qui editionem habeat, aequo iam animo Lambiniana MDLXVI carere possit. Adnotationes autem eius in repetitionibus sunt consulendae, quarum ego possideo Sanct-Andreanam anni MDLXXXIV. Sed etiam atque etiam moneo criticos, nemini omnino priorum fidem ut tribuant in Lambinianis, neve me ex his complura vel omisisse, vel perperam tradidisse immerito insimulent. Nempe ei soli, qui editionem anni MDLXVI contulerit, de mea iudicium ferre concessum erit. — Nonnulla debeo Carolo quoque Stephano, cuius operam nimio supercilio adhuc contemptam non sine fructu meae adhibui; etenim is in permultis viam praeivit Lambino, huiusque lectionum auctoritates interdum affert. Oxoniensem editionem ipsam ad partes vocavi; nam admodum vereor, ne Halensis nupera repetitio permultos apud nostrates sit paritura errores. Quae tametsi laudabili sane instituta est consilio, tamen is, qui ei praefuit, verae utilitati popularium suorum si prospexisset, ita fere rem administrare debebat, ut toto illius contextu, id est Olivetano, cum Ernestiano accurate collato, tertia demum in columna Codicum istorum lectiones exhibendas curaret. Gruteriana usus sum a Gronovio emendata MDCXCII; Ernestiana Halensi novissima. Sed ad leges, quas mihi dixi, iam revertar.

V. Reliquis e lectionibus coniecturisque eas selegito, quae vel probabilitate sua, vel specie quadam veri, vel controversiis, quas excitavere, memoratu dignae videantur, vel quae etsi corruptae, probabilium emendationum causae et origines exstiterint, vel tandem quae, tibi improbatae, illustrioris alicuius critici plausum meruerint. Leviores vero *διττογραφίαι* ac manifesti errores oscitantium librariorum, futilesque coniecturae satis a novissimis editoribus refutatae in

censum ne veniunto. — Duabus his postremis legibus coniunctim servatis vix arbitror, multas lectiones, quas nosse et diiudicare criticorum intersit, sese mihi subtraxisse; quamquam praevideo fore, ut censorum plerique unam alteramve lectionem sibi commemorabilem visam sint desideraturi. Quî tamen omnes recensere potuissem? Itaque delectus omnino erat instituendus, qui quidem, tota res ubi ex uno homine pendet, arbitrarii aliquid semper prae se ferat necesse est. Summa ubique brevitatis ratio erat habenda; ideoque factum est, ut si Codex aliquis, vel Codicum familia, Germanica praesertim, vel vetus editio a me consulta, spectata sua bonitate sese commendasset, tales quidem nominatim saepe excitarentur; verum toto in corpore editionis, eo contentus esse debebam, ut testes laudarem simpliciter Cdd. aliquot, multos, paucos, meliores, vel numerarem etiam codices mihi notos, etsi necesse minime habeo, ut sero me condocefaciat aliquis, ponderandos esse codices, non numerandos. Signa vero et compendia scripturae, quibus in distinguenda varietate usus sum, haec fere sunt:

* Coniectura, recentioris plerumque alicuius critici inde ab Ernestio.

† Locus corruptus.

— Lectio receptae haud aequiparanda, consulto a me repudiata.

∞ Lectio admodum memorabilis; receptae fortasse anteferenda; probata a magni nominis criticis; ulterior utique examine digna.

= Lectio receptae ideo fere par, quod ad scripturae tantummodo rationem vel verborum collocationem spectat.

€ Coniectura ab editore aliquo recepta, vel alius critici praeter editores suspicio. V. c. ubi simpliciter memoratur *Purgoldi* €, facile intelligitur, eam receptam non esse; *Schuetzii* € contra semper significat receptam.

Suspic. vel *Susp.* Suspicio editoris alicuius non recepta. Probe igitur distinguendum erit inter *Lambini* € et *Lambini susp.*

Suspect. Suspectum.

[ ] Uncis inclusi; inclusit; incluserunt.

del. delevi; delevit.
om. omittit; omittunt.
add. addit; addunt.
pr. sive *prob.* probante; probantibus.
C3d. Codices tres mihi noti.
O2x. Oxonienses duo.
Naug. et *Ald.* eadem est editio Aldina a Naugerio curata. In libris rhetoricis minoribus, a Schuetzio misere deceptus laudavi aliquoties Omnibonum; sed postea vidi Norimbergensem editionem anni MCDXCVII, quae mihi quoque praesto erat, a Schuetzio tribui Omnibono Leoniceno, qui tamen solos libros de Oratore edidit.
Ceterum codicum et editionum notitia petenda est maioribus ex editionibus, et scriptoribus historiae literariae. Codicem Turicensem membranaceum seculi, ut puto, XII vel XIII, optimis sane accensendum consului in libris ad Herennium et de Inventione.
Id quoque facile per se intelliget lector, iis in locis, ubi unus dumtaxat eorum, quorum integram lectionem exhibeo, memoratur, Lambinus praesertim, duos vel tres reliquos praebere lectionem a me servatam; v. c. pag. 256: (2) = *Scaevolam a se* L. ibi igitur Ern. Sch. Muell. habent: *a se Scaevolam;* de ceteris, quorum selectas tantummodo do lectiones, in talibus nihil affirmatur.

Haec ubi constanter observata fuerint, id ante omnia assequemur, ut fundamentum tandem certum iactum sit criticae Tullianae literariae, qua caruimus adhuc, quamque alii posthac ut latius persequantur, emendent, ad finem tandem perducant, maximo opere opto. Formam quidem eius et speciem mentis oculis cernens ita adumbrare conabor: Denuo excutiantur scriptores Latini, quotquot Ciceronis locos in libros suos transtulerunt, codices eorundem optimaeque editiones; examinentur tum Codices Tullii ipsius, vel nondum vel negligentius collati, tum editiones veteres, principes maxime cuiusque scripti, tum seculi praesertim XVI; familiae et quasi propagationes quaedam et codicum

et editionum constituantur: investigentur praeterea, quas recentiores nondum afferunt editiones, e versionibus, libris philologicis et diariis criticis virorum doctorum suspiciones et coniecturae. His omnibus recte digestis, critica Tullii literaria erit absoluta, amplissimaque materies ei parata, qui suo ingenio fretus, novam prorsus recensionem instituere sustinebit. Ego interim quid praestitisse mihi videar, nihil attinet dicere. Totius rei apud aequos ac benevolos censores iudicium esto. Id certe nemini dicere licebit, recognitionem hanc omni carere auctoritate, quum cuiusque lectionis testes atque auctores locupletes adducantur, paucissimae vero illae meae coniecturae, quibus receptionem negare non potui, suis quaeque argumentis sint confirmatae.

Quod ad scribendi rationem spectat, vulgarem sum secutus, eam in plerisque, qua usus est Schuetzius: tametsi enim in quibusdam praestare mihi quoque videatur Lambiniana, Wolfiana, Niebuhriana, Beieriana, tamen ubi consistas in antiquiore *ὀρθογραφία* reducenda, vix licebit definire; cuius generis memorabile habemus exemplum tum in Eichstaedtii Lucretio, (cfr. magni huiusce critici *Praefationem* p. XXIII.) tum in fragmentis Tullianis nuper e codicibus rescriptis in lucem prolatis.

Argumentis destitutam esse hanc editionem, ut Lambinianam et plerasque antiquiores, aegre laturos iudices publicos praevideo: critici quidem facile iis carebunt; nimis autem brevia sunt Ernestiana, quam ut ex iis quidquam proficias; nimis contra verbosa Schuetziana; nova componendi et voluntas et otium deerat; itaque omittendis eiusmodi *παρέργοις* spatio parcendum duxi.

Maxima cum cura versatus sum in corrigendis typothetarum speciminibus, strenue adiuvante operam haud levem optimo meo et carissimo fratre, Io. Conrado Orellio. Singulae igitur plagulae quater a nobis, ac si opus erat, quinquies sunt perlustratae; sed quotquot errores in relegendo toto opere animadverti, sincere, ut par erat, indicavi; quorum aliquot debentur typothetis folia probe correcta imperite prelo subiicientibus, literasque, quae in versuum fine turbatae erant, me inconsulto reponentibus. Vel sic tamen omnium emendatissima est haec Tullianorum librorum editio.

Fragmenta iamdudum a Sigonio et Patricio collecta ad optimas scriptorum, e quibus desumpta sunt, editiones denuo exigam, novisque suo tempore augebo. Elaborabo praeterea, si redemptoris rationes id concedent, post Ernestium et Schuetzium indicem historicum et geographicum, e Ciceronis scriptis integris, fragmentisque et veteribus et nuper repertis a capite ad calcem perlustratis insigniter auctum, et, quod optabilius etiam est, singulis fere in vocibus correctum. Incredibile est enim, quot loci omissi sint, quotque errores delitescant in iis, quos nunc habemus. Huic indici comitem dabo Asconium Pedianum ad librorum fidem emendatum, ac lectionis varietate instructum; adiungam fortasse adnotationes e ceteris Scholiastis antiquis excerptas, omissis nugatoriis et prorsus falsis, quibus illi referti sunt. Ab initio, verum ut dicam, longe minorem variarum lectionum numerum subiungendum existimaveram; unde redemptores quoque ducentis circiter senum denum paginarum plagulis quatuor ista volumina absolutum iri sperabant. Sed mox tum Lambiniana varietas vel sola longe maius, quam opinatus eram, spatium occupabat, tum totius incepti utilitatem egregie augeri posse videbamus, largiorem aliquanto si me praeberem: itaque fortasse quadraginta plus plagulas habiturum est corpus hoc Tullianum, quam animo ante destinaramus. Nihilominus sedulo curabimus, sequentia ut volumina intra biennii spatium sese excipiant, fidesque publice data religiose servetur. Voluminis igitur secundi, orationes complexuri, pars prior, nisi mihi aliquid acciderit, prostabit Kalendis Augustis, altera Kalendis Decembribus huius ipsius anni; volumen tertium, epistolarum, Kalendis Maiis, voluminis quarti, librorum philosophicorum ac fragmentorum pars prior Kalendis Octobribus anni proxime sequentis, altera denique Kalendis Februariis anni MDCCCXXVIII. De indicibus vero atque appendice critica, separatim utique vendendis, nihil nunc spondeo, quum in operis suscepti exitu fortunaque omni positum sit, utrum haec quoque elaborari queant, an sint relinquenda.

Id tandem lectores monitos velim, libros aliquot in Germania diutius iam prostantes, serius Turicum esse perlatos,

quam ut iis uti potuerim. Sunt autem fere hi: Passowii Museum criticum Vratislaviense; libri de Oratore editi ab Olshausenio; Angeli Maii C. Iulius Victor, quem semel in Oratore laudare concessum erat; Fragmenta orationum pro Tullio cet. illustrata a doctissimo Carolo Beiero, quae tum demum nactus sum, quum oratio de Haruspicum responsis operis traderetur. Magna sane et egregia a critico Lipsiensi, in bonum Tullianorum scriptorum nato, laeto animo exspecto; magna itidem, copiosam in primis collectionem novarum lectionum e Mss. Ambrosianis depromptam ab amico meo, optimo et eruditissimo viro, Francisco Bentivolio. Ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσιν. Trium enim harum editionum diverso admodum consilio institutarum suum unaquaeque tuebitur locum: si quidem Beierus pro eo, quo pollet, mentis acumine, complura feliciter atque ingeniose corriget, e lectionibus tum antea notis, tum a codicibus nunc primum consultis sibi subministratis, optimas quasque recipiet; novos fontes aperiet Bentivolius, caute et circumspecte librorum testimoniis ponderatis a multis ipse quoque inveteratis erroribus Tullii scripta emaculaturus; ego denique utile, ni fallor, compendium praebeo non Lambinianae solum curae, sed plerorumque eorum, quae usque ad absolutam meam editionem ad Tullium contulerint critici. Id vero mihi pro meo iure sumam, ut si vita viresque non deficiant, aliquot post annos elaborem Appendicem criticam, in qua tamquam in horreo aliquo condantur ac reponantur, quae tunc temporis vel nova prodierint, vel iamdudum publici iuris facta, sero mihi innotuerint.

Ita fiet, ut vel ipsa haec editio, vel alia similis huic veluti superstructa, sed locupletior etiam et magis emendata, digna tandem evadat, quae philologorum manibus continuo versetur, integramque exhibeat historiam criticam lectionis Tullianae.

Scribebam Turici, ipsis Kalendis Februariis

MDCCCXXVI.

INCERTI SCRIPTORIS

RHETORICORUM

AD

C. HERENNIUM

LIBRI QUATUOR.

Ex recensione Ernestiana passim correcta cum integra varietate Lambiniana (L.), Ernestiana (1.), Schuetziana (2.) et Graevio-Burmanniana (3.), selecta vero Codicis Turicensis nunc primum collati (T.) et reliquae accuratissimo delectu; habita praeterea ratione Lallemandi (Lall.) et Wetzelii. (W.).

LIBER PRIMUS.

I. 1. Etsi negotiis familiaribus impediti, vix satis [otium] [1] studio [2] suppeditare possumus, et id ipsum, quod datur otii, libentius in philosophia consumere consuevimus, tamen tua nos, C. Herenni, voluntas commovit, ut de ratione dicendi conscriberemus, ne aut tua causa noluisse, aut fugisse nos [3] laborem putares. Et eo studiosius hoc negotium suscepimus, quod te non sine causa velle cognoscere rhetoricam [4] intelligebamus. Non enim parum in se fructus habet [5] copia dicendi, et commoditas orationis, si recta intelligentia et definita [6] animi moderatione [7] gubernetur. Quas ob res illa, quae Graeci scriptores inanis [8] arrogantiae causa sibi assumpserunt, reliquimus. Nam illi [9], ne parum multa scisse viderentur, ea conquisierunt, quae nihil attinebant [10], ut

(1) Sic Cdd. omnes. L. 1. 3. ∞ *otium* Sch. 2. del. de Lamb. C. Defendit W. sed ipsam propter constructionem v. *satis*, est suspectum; quocirca nos [ ]. (2) — om. Cdd. aliq. propter v. *otium* male intrusum. (3) Sic Cdd. omnes Oud., etiam T. ∞ *noluisse aut fug. lab. nos putares.* Erfurt. — *noluisse nos, aut fugisse.* L. 1. 2. 3. — *noluisse, aut f. nostra lab.* Verburg. suspic. prob. Oud. (4) Sic Cdd. pleriq. T. 1. 2. 3. — *artem rhetoricam* L. Vide tamen Burmanni Praefat. p. VI. Ed. Neap. et Cens. Ien. 1805. p. 366. (5) Sic Edd. vett. 1. 2. = *habet in se fr.* L. 3. ∞ *in se habet fructus* T. (6) — om. Cdd. aliq. (7) E Cdd. Ern. 1. 2. = *moderatione animi* T. L. 3. (8) Sic. Cdd. 1. 2. 3. — Sustulit h. l. *inanis* L. et transposuit ante v. *gloriae.* (9) Sic. T. Ern. 1. 2. 3. — *nam illi quidem* L. e C ut videtur, nisi quod Vetus exemplar Steph. mox habet *ea quidem conquisierunt.* (10) Sic Cdd. pleriq. T. L. 1. 2. 3. — *nihil ad rem a.* Ed. 1471. *nihil ad propositum a.* Olx. Ed. Med. e glossa.

ars difficilior cognitu putaretur: nos autem [1] ea, quae videbantur ad rationem dicendi pertinere, sumpsimus [2]; non enim spe quaestus, aut gloria [3] commoti venimus ad scribendum, quemadmodum ceteri; sed ut industria nostra tuae morem geramus voluntati. Nunc, ne nimium longa sumatur oratio, de re [4] dicere incipiemus; si te [5] unum illud [6] monuerimus, artem sine assiduitate dicendi non multum iuvare [7], ut intelligas, hanc rationem praeceptionis ad exercitationem accommodari [8] oportere.

II. 2. Oratoris officium est, de iis [9] rebus posse dicere, quae res ad usum civilem moribus ac legibus constitutae sunt, cum assensione auditorum, quoad eius fieri poterit. Tria sunt genera causarum, quae recipere debet orator; demonstrativum, deliberativum, iudiciale. Demonstrativum est, quod tribuitur in alicuius certae personae laudem, vel vituperationem: deliberativum est, quod in consultatione positum, habet in se [10] suasionem et [11] dissuasionem: iudiciale est, quod positum in controversia, habet accusationem [12], aut petitionem cum defensione. Nunc, quas res oratorem habere oporteat, docebimus: deinde, quo modo has causas tractari conveniat, ostendemus. 3. Oportet igitur esse in oratore [13] inventionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, pronuntiationem [14]. Inventio est excogitatio rerum verarum aut veri similium, quae causam probabilem reddant. Dispositio est ordo et distributio rerum, quae demonstrat, quid quibus locis [15] sit collocandum. Elocutio est idoneorum verborum et sententiarum ad inventionem accommodatio. Memoria est firma animi [16] rerum et verborum et [17] dispositionis perceptio. Pronuntiatio est vocis, vultus, gestus moderatio cum venustate. Haec omnia tribus rebus assequi poterimus, arte, imitatione, exercitatione. Ars est praeceptio, quae dat certam viam rationemque dicendi. Imitatio est, qua impellimur cum diligenti [18] ratione, ut aliquorum similes in dicendo velimus [19] esse. Exercitatio est assiduus usus consuetudoque dicendi.

Quoniam igitur demonstratum est, quas causas oratorem recipere, quasque res habere conveniat [20], nunc, quemadmodum ad orationem possint oratoris officia accommodari [21], dicendum videtur. III. 4. In-

---

([1]) ∞ om. T. ([2]) ∞ *assumpsimus* L. solus c €, ut videtur. ([3]) Sic F. 1. 3. ∞ *gloriae* Cdd. aliq. prob. Oud. Sch. 2. Attamen *gloria* h. l. est *gloriae studium, gloriola*. — *inanis gloriae* L. e Codice, ut ait. ([4]) Sic Cdd. T. L. 1. 3. — *de re ipsa* Ed. 1474. Sch. 2. ([5]) Sic Grut. 1. 2. 3. — *sed si te* Cdd. pleriq. T. L. ∞ *sed te* Duisb. ([6]) = *illud unum* T. ([7]) — *adiuvare* Lambini suspic. ([8]) Sic Grut. 1. 2. 3. (— *ad ex. commodari* T.) = *accommodari ad ex.* L. ([9]) Sic L. — *his* 1. 2. 3. ([10]) Sic L. 1. 2. 3. ∞ *est in consultatione, quod habet in se* Erfurt. T. al. ([11]) Sic T. 1. 2. ∞ *vel* L. 3. ([12]) ∞ add. *in se* Cdd. aliq. ut *de Inv.* 1. 5. prob. Purgoldo et Cens. Ien. ([13]) Sic F. 1. 2. 3. = *in oratore esse* L. ([14]) Sic Cdd. pleriq. T. L. Sch. 2. — *memoriam et pron.* 1. 3. ([15]) E Cdd. prob. Oud. Sch. 2. — *quid quibus in locis* L. 1. 3. — *quo quidque loco* T. ([16]) — *animi* suspectum Ern. ([17]) Sic L. 1. 2. 3. — om *et* T. Edd. vett. ([18]) Sic Cdd. T. L. 1. 3. ∞ *diligendi* Sch. 2. de Gruteri € admodum probabili. ([19]) Sic Cdd. pauciores. v. c. Ox. L. 1. 2. 3. ∞ *velleamus* Plerique Cdd. T. pr. Oud. ([20]) Sic Erf. et alii boni Cdd. Edd. vett. ante C. Steph. 2. 3. — *conveniret* Cdd. pleriq. T. L. 1. ([21]) Sic Cdd. aliq. T. 1. 3. Turbant Cdd. sed aliq. non male: ∞ *possit oratio ad rationem oratoris officii acc.* ita ut duplex genitivus, quemadmodum saepe, corruptelae causa exstiterit. Auctoritate destitutae sunt L. €. ∞ *possint ad inventionis rationem or. officia acc.* et Sch. 2. *possint ad inventionem or. officia acc.*

ventio in sex partes orationis [1] consumitur, in [2] exordium, narrationem, divisionem, confirmationem, confutationem, conclusionem. Exordium est principium orationis [3], per quod animus auditoris constituitur [4] ad audiendum. Narratio est rerum gestarum, aut perinde [5] ut gestarum, expositio. Divisio est, per quam aperimus, quid conveniat [6], quid in controversia sit; et per quam [7] exponimus, quibus de rebus simus dicturi [8]. Confirmatio est nostrorum argumentorum expositio cum asseveratione [9]. Confutatio est contrariorum locorum [10] dissolutio. Conclusio est artificiosus terminus orationis [11]. Nunc, quoniam una cum oratoris officiis, quo res cognitu facilior esset, producti sumus, ut de orationis partibus loqueremur, et eas ad inventionis rationem accommodaremus, de exordio primum dicendum videtur.

5. Causa posita, quo commodius exordiri possimus, genus causae considerandum est [12]. Genera causarum sunt quatuor: honestum, turpe, dubium, humile. Honestum causae genus putatur, quum aut id defendimus, quod [13] ab omnibus defendendum videtur; aut id oppugnamus, quod ab omnibus videtur oppugnari debere [14]: ut pro viro forti: contra parricidam [15]. Turpe genus intelligitur, quum aut honesta res oppugnatur, aut defenditur turpis. Dubium genus est, quum habet in se causa et [16] honestatis et turpitudinis partem [17]. Humile genus est, quum contempta res affertur. IV. 6. Quum haec ita sint, conveniet exordiorum rationem ad genus causae [18] accommodari. Exordiorum duo sunt genera, principium, quod Graece *προοίμιον* appellatur; et insinuatio, quae *ἔφοδος* nominatur.

Principium est, quum statim auditoris animum nobis idoneum reddimus ad audiendum. Id ita sumitur, ut attentos, ut dociles, ut benevolos auditores habere possimus. Si genus causae dubium habebimus, a benevolentia principium constituemus, ne quid illa turpitudinis pars nobis obesse possit. Sin humile erit genus [19] causae, faciemus attentos. Sin turpe [causae genus erit] [20], insinuatione utendum est [21], de qua posterius dicemus, nisi quid nacti erimus [22], quare adversarios criminando, benevolentiam capere [23] possimus. Sin honestum causae genus

---

([1]) ∞ om. Erf. ([2]) Sic T. 1. 2. 3. ∞ om. L. ([3]) Sic Cdd. T. L. 1. 3. — del. Sch. C. 2. ([4]) Sic e Cdd. paucis Graev. 3. Ern. 1. 2. — *auditoris aut iudicis constituitur vel apparatur ad aud.* T. L. Grut. ([5]) = *proinde* T. al. ([6]) Sic Cdd. plerique T. 1. 2. 3. — *quid nobis cum adversario conveniat.* L. C. e vestigiis Mss. ([7]) ∞ om. Cdd. aliq. pr. Graev. ([8]) Sic Cdd. aliq. Grut. Ern. 1. 2. ∞ *sumus dicturi* L. ∞ *sumus acturi* Cdd. aliq. boni (T. O2x.) Graev. 3. sed cfr. mox §. 6. ([9]) — *assertione* C2d. pr. Oud. Utrumque *cum-assev.* et *cum assert.* suspectum erat Sch. ([10]) Sic Cdd. Ern. 1. 2. 3. — *argumentorum* L. e C. ut videtur. ([11]) Sic T. 1. 2. 3. = *orationis terminus* Cdd. pauci. L. ([12]) = *est consid.* T. Ald. ([13]) Sic T. L. 1. 3. — *defendimus id, quod* e C2d. Sch. 2. ordine minime concinniore, quum mox sequatur *id oppugnamus, quod* — ([14]) Sic Cdd. pleriq. T. L. 1. 3. = *oppugnari vid. debere.* e C2d. Sch. ([15]) Sic rectissime distinxit L. — *pro viro forti contra p.* 1. 2. 3. ([16]) Sic T. 1. 2. 3. — om. L. ([17]) Sic plerique. T. L. 1. 3. ∞ *partis.* e C2d. Sch. 2. ([18]) Sic T. 1. 2. 3. = *ad causae genus* L. (non *ad omne genus causae*, ut habet Ed. 1476 et 1584). ([19]) Sic T. 1. 2. 3. = *genus erit.* T. L. ([20]) Habent Cdd. pleriq. T. 1. 3. ∞ om. Voss. tert. L. Sch. 2. ([21]) Sic T. 1. 2. 3. ∞ *erit* L. ([22]) Sic Cdd. pleriq. T. Edd. vett. 1. 2. ∞ *fuerimus* Cdd. aliq. L. Grut. 3. ([23]) Sic Cdd. pleriq. T. 1. 2. ∞ *capture* Cdd. aliq. L. 3.

erit, licebit recte vel uti, vel non uti principio. Si uti volemus [1], aut id [2] oportebit ostendere, quare causa sit honesta, aut breviter, quibus de rebus simus dicturi, exponere. Sin principio uti [3] nolemus, a lege, a scriptura, aut ab aliquo [4] firmissimo nostrae causae adiumento principium [5] capere oportebit. 7. Quoniam igitur docilem, benevolum, attentum habere auditorem volumus, quomodo quidque confici [6] possit, aperiemus. Dociles auditores habere poterimus, si summam causae breviter exponemus, et si attentos eos faciemus: nam docilis est [is] qui attente vult audire. Attentos [7] habebimus, si pollicebimur, nos de rebus magnis, novis, inusitatis verba facturos, aut de iis, quae [8] ad [9] rem publicam pertineant [10], aut ad eos ipsos, qui audient [11], aut ad Deorum immortalium religionem [12]: et si rogabimus, ut attente audiant: et si numero exponemus res, quibus de rebus [13] dicturi sumus. 8. Benevolos auditores facere quatuor modis possumus [14]: a nostra, ab adversariorum [15], ab auditorum persona, et a rebus ipsis. V. A nostra persona benevolentiam contrahemus, si nostrum officium sine arrogantia laudabimus, aut [16] in rem publicam quales fuerimus, aut in parentes, aut in amicos, aut in eos ipsos, qui audiunt, referemus [17], dum [18] haec omnia ad eam ipsam [19] rem, de qua agitur [20], sint accommodata. Item si nostra incommoda proferemus, inopiam, solitudinem, calamitatem: et si orabimus, ut nobis sint auxilio, et simul [21] ostendemus, nos in aliis spem noluisse habere. Ab adversariorum persona benevolentia captabitur, si eos in odium, in invidiam, in contemptionem adducemus. In odium rapiemus, si quod eorum spurce, superbe, perfidiose, crudeliter, confidenter, malitiose, flagitiose factum proferemus. In invidiam trahemus, si vim, si potentiam, factionem, divitias, incontinentiam, nobilitatem, clientelas [22], hospitium, sodalitatem [23], affinitates adversariorum proferemus, et his adiumentis magis, quam veritate [24] eos confidere aperiemus. In contemptionem adducemus, si inertiam, ignaviam,

([1]) Sic Cdd. T. 1. 2. 3. — *si uti principio volemus* Steph. L. ([2]) Sic T. L. 1. 3. — *id* delevit Sch. 2. de Ern. sententia. Sed dictum est, ut antea, *nisi quid nacti erimus*, *quare* v. W. ([3]) *Sin* dedi e T. L. — *Si* 1. 2. 3. — *Sin uti nolemus*, *aut a narratione* (sic Ed. Mediol.) *aut a lege*, *aut a script.* L. ([4]) — *alio* Cd. Graevii. ([5]) Sic omnes. L. 1. 3. — *initium* Sch. €. 2. ([6]) Sic T. 1. 2. 3. — *quidque eorum* (hoc ex Ed. 1476) *effici possit* L. ([7]) — *nam docilis* — *audire* excidit errore typograph. in Ed. Ernestiana 1820. ∞ *is* omittunt C?d. ap. Sch. Sch. 2. nos [ ]. ([8]) Sic Cdd. complures. T. Sch. 2. — *aut de iis rebus*, *quae* L. 1. 3. ([9]) Sic 1. 2. 3. — *aut ad.* L. ([10]) Sic T. L. 1. 2. — *pertinent* (non *pertinerent*) Grut. 3. ([11]) — *audiunt* Erf. al. ([12]) Sic T. 1. 2. 3. — *religionem aut ad pietatem* Cdd. aliq. L. ([13]) Sic 1. Cdd. alii. 1. 2. — *res*, *de quibus d. s.* Grut. 3. — *exponemus*, *quibus de rebus* L. ([14]) Sic Cdd. pleriq. T. L. 1. 3. ∞ *poterimus* e C1d. Sch. 2. W. ([15]) — *nostrorum* add. Cdd. multi, etiam T. ([16]) Sic T. 1. 3. — *si aut in remp.* L. ∞ *atque in remp.* e Cd. Gryph. Sch. 2. prob. Cens. Ien. ([17]) Sic Ern. de €. 1. 2. Cdd. (etiam 1.) habent: *in eos ipsos*, *qui audiunt*, *aliquid referemus* quod recepit Graev. 3. — *in eos ipsos*, *qui audiunt*, *vel omnes*, *vel aliquos ref.* L. e Cdd. ut ait: (∞ *audient* h. l. pauci Cdd.). ([18]) Sic Cdd. T. 1. 2. — *dummodo* L. 3. Est ab Omnibono. ([19]) Sic Cdd. L. 1. 3. — del. Sch. €. 2. ([20]) f. *qua de agitur*. ([21]) Sic multi Cdd. T. 1. — *simul* omisso *et*. 1. 2. 3. ([22]) Sic T. 1. 2. 3. — *clientelam* O1x. L. ([23]) Sic Cdd. omnes. L. 1. 3. ∞ *hospitia*, *sodalitates* de Guilielmii €. Lall. Sch. 2. ([24]) Sic Duisb. 1. 2. 3. = *veritati* Cdd. pleriq. T. L. Sch. in Ed. mai.

desidiam, luxuriam [adversariorum] [1] proferemus. Ab auditorum persona benevolentia colligetur, si res eorum fortiter, sapienter, mansuete, magnifice iudicatas proferemus: et si, quae de iis [2] existimatio, quae iudicii exspectatio sit, aperiemus. Ab [3] rebus ipsis benevolum efficiemus auditorem, si nostram causam laudando extollemus [4], adversariorum per contemptionem deprimemus.

VI. 9. Deinceps de insinuatione aperiendum [5] est. Tria sunt tempora, quibus [6] principio uti non possumus, quae diligenter sunt considerandа: aut quum turpem causam habemus, hoc est, quum ipsa res animum auditoris a nobis alienat; aut quum animus auditoris persuasus videtur esse ab iis, qui ante [7] contra dixerunt; aut quum defessus est eos audiendo, qui ante dixerunt. Si causa turpitudinem habebit, exordiri poterimus his rationibus: rem, non hominem; aut hominem, non rem spectari oportere: non placere nobis ipsis, quae facta dicantur ab adversariis, et esse indigna, aut [8] nefaria. Deinde quum diu rem auxerimus, nihil simile a nobis factum ostendemus; aut aliquorum iudicium de simili causa, aut de eadem, aut [9] de minore, aut de maiore proferemus. Deinde ad nostram causam pedetentim accedemus, et similitudinem conferemus. Item si [10] negabimus, nos de adversariis, aut de aliqua re dicturos [11], et tamen occulte dicemus, interiectione verborum. 10. Si persuasus auditor fuerit, id est, si oratio adversariorum auditoribus fidem fecerit [12] (neque enim non facile scire poterimus, quoniam non sumus nescii, quibus rebus fides fieri soleat): ergo si fidem factam putabimus, his nos rebus [13] insinuabimus ad causam: de eo [14], quod adversarii firmissimum sibi adiumentum [15] putaverint [16], primum nos dicturos pollicebimur; aut ab adversarii dicto exordiemur, et ab eo maxime, quod ille nuperrime dixerit; aut dubitatione utemur, quid potissimum dicamus, aut cui loco primum respondeamus, cum admiratione. Si defessi erunt audiendo; ab aliqua re, quae risum movere [17] possit, [exordiemur [18]], ab apologo, fabula [19] verisimili, imitatione depravata [20], inversione, ambiguo, suspicione, irrisione stulti-

---

([1]) Sic T. et Cdd. pleriq. Ern. 1. = *eorum* Cdd. aliq. L. 2. 3. = *ipsorum* Ofx. quae omnia ex gloss. fluxerunt, quo circa nos [ ]. ([2]) — *his* T. L. ([3]) Sic Ern. e Cdd. quod saepius e bonis Cdd. reponi poterat. 1. 2. = *a* L. 3. ([4]) — *tollemus* Cdd. pauci. ([5]) Sic L. 1. 2. — *aperiundum* Grut. 3. quam formam alicubi observavi in Cod. T. v. c. *gerunda, faciundum.* — *dicendum* T. a pr. m. Al. — *tractandum* Vet. Stephani. quae varietates illud quoque suspectum reddunt. ([6]) ∞ *in quibus* Erf. T. ([7]) Sic Cdd. omnes. L. 1. 3. — del. *ante* Sch. C. 2. ([8]) Sic T. 1. 2. 3. — *et* L. ([9]) Sic T. L. 1. 2. — *de eadem re, aut.* Graev. 3. e Cdd. aliq. ([10]) Sic Cdd. T. L. 1. 3. ∞ del. Sch. C. 2. ([11]) Sic Cdd. pleriq. T. Grut. 1. 2. 3. — *de aliqua re eorum dicturos* L. Sch. in Ed. mai. W. ([12]) ∞ *si persuasus auditor, si oratio* — cet. Erf. al ∞ *si persuasus* — *id est* suspecta iam Gron. del. Sch. C. 2. Graevio suspecta erant seqq. *id est* — *fecerit.* ([13]) Sic T. 1. 2. 3. = *rebus nos.* L. ([14]) Sic T. L. 1. 2. 3. e Cdd. — *si de eo* Edd. ante Lamb. ([15]) Sic T. L. 1. 3. — del. Sch. 2. W. auctoritate Cd. Voss. 2. ([16]) Sic Cdd. (= *putarint* aliquot.) L. 1. 2. — *putaverunt.* Grut. 3. ([17]) Sic omnes praeter Ern. qui habet *movere vere*, ex errore typogr. ([18]) Sic L. 1. 3. ∞ om. *exordiemur* Erf. al. — *exordiri poterimus.* Iunt. — *incipiemus* Ofx. alii ap. Ern. Sch. 2. ex Cic. *de Inv.* 1, 17. Nos [ ]. ([19]) Sic Erf. Sch. 2. — *a fabula* L. 1. 3. ([20]) Sic Cod. Altorf. Sch. 2. cfr. *de Orat.* 2, 59. — *imitatione, depravatione* Cdd. fere omnes. T. L. 1. 3.

tiae [1], exsuperatione, collatione [2], literarum mutatione [3]; praeterea exspectatione [4], similitudine, novitate, historia, versu, aut [5] ab alicuius interpellatione, aut arrisione [6]; et si promiserimus, aliter, ac parati fuerimus, nos esse dicturos: nos non eodem modo, ut ceteri soleant, verba facturos: quid alii soleant, quid nos facturi [7] simus, breviter exponemus. VII. 11. Inter insinuationem et principium hoc interest. Principium [8] eiusmodi [9] debet esse, ut statim apertis his rationibus [10], quibus [11] praescripsimus, aut benevolum, aut attentum, aut docilem faciamus auditorem: at insinuatio eiusmodi debet esse, ut occulte per dissimulationem eadem illa omnia conficiamus, ut ad eandem commoditatem in dicendi opere pervenire possimus [12]. Verum hae tres utilitates tametsi in tota oratione sunt comparandae, hoc est, ut auditores sese perpetuo nobis attentos, dociles, benevolos praebeant; tamen id per exordium causae maxime comparandum est. Nunc, ne quando vitioso exordio utamur, quae vitia vitanda sint [13], docebo [14]. In exordienda causa servandum est, ut lenis sit sermo, et [15] usitata verborum consuetudo, ut non apparata oratio esse videatur [16]. Vitiosum exordium est, quod in plures causas potest accommodari, quod vulgare dicitur. Item vitiosum est, quo nihilo minus adversarius potest uti, quod commune appellatur. Item illud, quo leviter commutato [17] adversarius poterit [18] uti ex contrario. Item vitiosum est, quod nimium apparate [19] compositum est, aut nimis longum est, et quod non ex ipsa causa natum videtur [20], [quod separatum vocatur; in quo etiam translatum includitur] [21], ut proprie [22] cohaereat cum narratione: et quod neque benevolum, neque docilem, neque attentum facit auditorem. VIII. De exordio satis dictum est [23]: deinceps ad narrationem transeamus.

12. Narrationum tria sunt genera. Unum est, quum [24] exponimus rem gestam, et unumquidque [25] trahimus ad utilitatem nostram, vincendi

---

(1) Sic Sch. €. 2. W. — *irrisione*, *stultitia* Cdd. T. L. 1. 3. (2) — *collectione* Erf. T. (3) Sic meliores. T. Ern. 1. 2. — *abiectione*, *adiectione*, *lit. mutatione*. Grut. 3. — *adiectione*, *aut abiectione literarum*, *aut commutatione* L. (4) Sic Cdd. omnes. L. 1. 3. W. ∞ *dicto praeter expectationem* Sch. €. ingeniosa. 2. (5) ∞ om. T. ut mox *et*. (6) Id est, quum orator fingit, sibi arrisisse auditorum aliquem. Sic Cdd. pleriq. 1. 2. 3. — *derisione* T. — *irrisione* L. (7) — *dicturi* T. Totum locum Cens. Ien. ita constituit: *et simul promiserimus, aliter ac parati fuerimus nos esse dicturos, non eodem modo ut ceteri*, omissis reliquis. (8) Sic T, 1. 2. 3. — *interest*, *quod principium* L. Grut. (9) Sic Erf. T. al. — *huiusmodi* L. 1. 2. 3. (10) Sic Duisb. al. Graev. 3. — *statim apertis ratt.* Cdd. pleriq. T. L. 1. ∞ *statim et aperte his ratt.* Sch. €. 2. (11) Sic Cdd. T. 1. 2. 3. — *quas* L. (12) Sic Cdd. nisi quod pleriq. habent *venire*: — *in dicendo* L. €. Grut. Cdd. lect. restituit Graev. 3. Ern. 1. — Omnia haec: *ut* — — *possimus* del. Sch. €. (13) Sic T. L. 1. 2. — *sunt* Grut. 3. (14) Haec *Nunc* — *docebo* Sch. €. 2. transposuit post v. *comparandum est*. (15) ∞ *ut* T. al. prob. Oud. (16) = *videatur esse* T. Ald. L. (17) — omitt. plures. pr. Oud. Habet T. (18) — *potest* Cdd. aliq. L. (19) Sic T. aliiq. meliores. Sch. 2. — *nimium apparatis verbis* L. 1. 3. (20) — *videatur* T. al. pr. Ern. (21) ∞ *quod* — *includitur* omittunt T. al. Ald. Victor. Brut. Sch. 2. Nos [ ]. (22) Sic Cdd. 1. 2. 3. — *ut non proprie* L. e €. Habet tamen O1x: *ut proprie non cohaereat*. (23) ∞ *satis erit dictum* T. (24) Sic T. Ern. 1. 2. — *unum*, *quo* L. 3. (25) Sic L. — *unumquodque* 1. 2. 3.

causa: quod pertinet [1] ad eas causas, de quibus iudicium futurum est. Alterum genus est narrationis [2], quod intercurrit nonnunquam fidei [3], aut criminationis, aut transitionis, aut alicuius apparationis, vel [4] laudationis causa. Tertium genus est id, quod a causa civili remotum est: in quo tamen exerceri convenit, quo commodius illas superiores narrationes in causis tractare possimus. 13. Eius narrationis duo sunt genera: unum, quod in negotiis; alterum, quod in personis positum est. Id, quod in negotiorum expositione positum est, tres habet partes: fabulam, historiam, argumentum. Fabula est, quae neque veras, neque veri similes continet res, ut hae, quae [in] tragoediis [5] traditae sunt. Historia est res gesta, sed ab aetatis nostrae memoria remota. Argumentum est ficta res, quae tamen fieri potuit; velut argumenta comoediarum. Illud genus narrationis, quod in personis positum est, debet habere sermonis festivitatem, animorum dissimilitudinem, gravitatem, lenitatem [6], spem, metum, suspicionem, desiderium, dissimulationem, misericordiam [7], rerum varietates, fortunae commutationem [8], inspératum incommodum, subitam laetitiam, iucundum exitum rerum. Verum haec in exercendo transigentur. Illud, quod ad veritatem pertinet, quomodo tractari conveniat, aperiemus.

IX. 14. Tres res convenit [9] habere narrationem, ut brevis, ut dilucida, ut veri similis sit: quae quoniam fieri oportere scimus, quemadmodum faciamus, cognoscendum est. Rem breviter narrare poterimus, si inde incipiemus narrare [10], unde necesse erit: et si non ab ultimo initio repetere volemus: et si summatim, non particulatim narrabimus: et si non ad extremum, sed usque eo, quo opus erit, persequemur [11]: et si transitionibus nullis utemur: et si non deerrabimus ab eo, quod coeperimus exponere; et si exitus rerum ita ponemus [12], ut ante quoque [13], quae facta sunt, sciri possint, tametsi nos [14] reticuerimus: quod genus [15], si dicam, me ex provincia redisse, profectum quoque in provinciam intelligatur. Et omnino non modo id, quod obest, sed etiam id, quod neque obest, neque adiuvat, satius est praeterire. Et ne bis aut saepius idem dicamus, cavendum est: etiam ne id, quod semel [16] supra [17] diximus, deinceps [18] dicamus [19], hoc modo:

([1]) Sic T. Cdd. pleriq. L. 1. 3. ∞ *quod genus pertinet* e C1d. Sch. 2. ([2]) Sic Erfurt. T. L. = *narrationis est.* 1. 3. — *narrationis* del. Sch. E. 2. ([3]) Sic T. Cdd. multi. Ern. 1. 2. 3. — *nonnunquam, aut fidei.* L. ([4]) ∞ *aut* T. ([5]) Sic Otx. = *ut quae in tragoediis.* L. unde *in* saltem sub [ ] recepi. ∞ *ut hae, quae tragoediis* Sch. 2. — *ut hae, quae tragoedis.* 3. — *ut hae, quae a tragoedis* Ern. 1. Sed noster *tragoedos* pro *tragicis* vix dixerit. (— *ut hae sunt, quae traged'.* T.). ([6]) Sic T. L. Grut. ∞ *levitatem* e Cdd. 1. 2. 3. cfr. *de Invent.* I. 19. ubi praeter unum, omnes habent *lenitate.* ([7]) Sic Cdd. T. Grut. 1. 2. 3. — *diss. errorem, mis.* L. ([8]) Sic 1. 2. 3. ∞ *commutationes* Duisb. L. ([9]) Sic Cdd. T. 1. = *convenit res.* Ald. L. Sch. 2. 3. ([10]) Sic T. L. 1. 3. — om. Sch. 2. cum C1d. ([11]) Sic T. L. 1. 2. — *prosequemur* Grut. 3. ([12]) Sic T. 1. 2. — *exitus rerum* (= *rerum exitus* L.) *ita exponemus* L. 3. ([13]) Sic T. L. 1. 3. — om. Sch. 2. cum C1d. ([14]) Sic T. Grut. 1. 2. ∞ *ea* L. e Cdd. 3. ([15]) Sic T. L. Sch. 2. — *quod genus est* e Cdd. Ern. 1. 3. vide Schütz. in Ed. mai. ([16]) — om. Cd. Lips. al. ([17]) — om Erfurt. pr. Oud. ([18]) — *saepius deinceps.* Duisb. al. pr. Graev. et Oud. v. Ern. ([19]) Totum locum ita exhibet T.: *ne semel id, quod supra diximus, deinceps dicamus* — *ne quid, simul diximus, deinceps dicamus* Sch. E. 2. prob. W.

Athenis Megaram [1] *vesperi advenit Simo:*
Ubi venit [2] *Megaram, insidias fecit* [3] *virgini:*
Insidias postquam fecit, vim in loco [4] *attulit.*

15. Rem dilucide narrabimus, si, ut quidque primum gestum erit, ita primum exponemus, et rerum ac temporum ordinem conservabimus, ut gestae [5] res erunt, aut ut potuisse geri videbuntur. Hic erit considerandum, ne quid perturbate, ne quid contorte, ne quid ambigue, ne quid nove [6] dicamus, ne quam in aliam rem transeamus, ne ab ultimo repetamus, ne longe persequamur, ne quid, quod ad rem pertineat, praetereamus, etsi sequamur [7] ea, quae de brevitate praecepta sunt. Nam quo brevior [8], eo dilucidior et cognitu facilior narratio fiet. 16. Verisimilis narratio erit, si, ut mos, ut opinio, ut natura postulat, dicemus: si spatia temporum, personarum dignitates, consiliorum rationes, locorum opportunitates constabunt. Ne refelli [9] possit, aut temporis parum fuisse, aut causam nullam, aut locum idoneum non fuisse, aut homines ipsos facere, aut pati non potuisse. Si vera res erit, nihilo minus [10] haec omnia narrando conservanda sunt: nam saepe veritas, nisi haec servata sint, fidem facere non potest [11]: sin [erit] [12] ficta, eo magis erunt conservanda [13]. De iis [14] rebus caute confingendum [15] est, quibus in rebus tabulae [16], aut alicuius firma auctoritas videbitur interfuisse. Adhuc quae dicta sunt, arbitror mihi constare cum ceteris artis scriptoribus, nisi quae de insinuationibus nova excogitavimus [17], quod eas [soli nos] praeter ceteros [18] in tria tempora divisimus, ut plane certam viam et perspicuam rationem exordiorum haberemus. X. Nunc, quod reliquum est, quoniam de rerum inventione disputandum est, in qua singulare consumitur oratoris officium [19], dabimus operam, ut nihilo minus industrie [20], quam rei utilitas postulabit, quaesisse [21] videamur, si prius pauca de causarum divisione dixerimus.

([1]) ∞ *Megara* bis Otx. ([2]) Sic Sch. C. 2. confirmata ab Otx. — *ubi advenit M.* L. 1. 3. ([3]) — *insidiatur* L. C. quae locum non habet propter seq. repetitionem. ([4]) — *illico* L. suspic. non recepta. ([5]) — *et si ita narrabimus, ut gestae* Sch. C. 2. ex *Invent.* 1. 20. ([6]) ∞ suspecta haec Oud. et Ern. om. T. ([7]) Sic T. optimo sensu: si, quamvis brevitatem adhibentes, necessarii nihil praetereamus. — *et si sequemur* Cdd. pleriq. 1. 2. 3. Sed hoc iam inest in supp. *ne longe persequamur.* — *et sic sequemur* L. cum Cdd. paucis. ([8]) — *brevior est* Otx. Ed. 1471. pr. Ern. v. Sch. ([9]) Sic Cdd. omnes. 1. 3. ∞ *referri* L. C. Sch. 2. ([10]) Sic T. Grut. 1. 2. 3. — *tum nihilominus* L. ([11]) Sic 1. 2. 3. = *fid. non potest fac.* T. = *fidem non poterit fac.* L. ([12]) Sic L. 1. 3. ∞ *erit* om. Erfurt. Sch. 2. nos [ ] al. *erunt.* — *sin vero erit ficta* T. ([13]) Sic T. L. 1. 3. — *observanda* Sch. 2. e Ctd. ([14]) — *his* L. ([15]) Sic boni Cdd. etiam T. Sch. 2. etsi renitente Lamb. — *confligendum* Cdd. multi. L. 1. 3. ([16]) ∞ *tabulae ab adversario* T. ([17]) Sic e Duisb. rectissime Graev. 3. Vulgata (T. Grut. Ern. 1. 2) *nisi quia de insinuationibus nova (quaedam* e Ctd. add. Sch. 2.) *excog.* mera est barbaries medii aevi; — *nisi quod de insinuatione nova quaedam excog.* L. ([18]) Turbant Cdd. inter *eas, eam, ea*, inter *soli, soli nos, nos soli, solum nos*, id quod certissimo indicio est, haec e gloss. esse, non vero *praeter ceteros*, quod omnes Cdd. tuentur. Ut nos, sed sine [ ] Ern. 1. — *quod eas soli, praeter cet.* Grut. 3. — *quod eas soli nos in tria* electis v. *praeter ceteros* Sch. C. 2. — *qui eam soli pr. cet.* L. ([19]) ∞ *artificium* boni Cdd. etiam T. pr. Oud. ([20]) Sic Ald. L. Ern. 1. 2. — *industriae* T. Steph. Grut. 3. ([21]) = *quaesivisse* L.

17. Causarum divisio in duas partes distributa est. Primum [enim] [1] perorata narratione debemus aperire, quid nobis conveniat cum adversariis, et [2] si ea, quae nobis utilia erunt, convenient, quid in controversia relinquatur, hoc modo: Interfectam esse matrem ab Oreste [3], convenit mihi cum adversariis: iurene [4] fecerit, et licueritne facere, id est in controversia. Item e contrario, Agamemnonem esse a Clytaemnestra occisum confitentur: quum id ita sit, me [5] ulcisci parentem negant oportuisse. Deinde quum hoc fecerimus, distributione uti debemus. Ea dividitur in duas partes, enumerationem et expositionem. Enumeratione utemur, quum dicemus numero, quot de rebus dicturi simus [6]. Eam plus [7] quam trium partium numero [8] esse non oportet. Nam et periculosum est [9], ne quando plus minusve dicamus, et suspicionem affert [10] auditori meditationis [11] et artificii; quae res fidem abrogat orationi [12]. Expositio est, quum res, quibus de rebus [13] dicturi sumus, exponimus breviter et absolute.

18. Nunc ad confirmationem et confutationem [14] transeamus. Tota spes vincendi, ratioque persuadendi posita est in confirmatione et confutatione. Nam quum adiumenta [15] nostra exposuerimus, contrariaque dissolverimus, absolute nimirum munus oratorium confecerimus. XI. Utrumque igitur facere poterimus, si constitutionem causae cognoverimus. Causarum constitutiones alii quatuor fecerunt: noster doctor Hermes [16] tres putavit esse; non ut de illorum quicquam detraheret inventione [17], sed ut ostenderet, id, quod oportuisset simpliciter ac [18] singulari modo docere [19], illos distribuisse dupliciter et bipertito. Constitutio est prima deprecatio defensoris cum accusatoris insimulatione coniuncta. Constitutiones itaque, ut ante [20] diximus, tres sunt: coniecturalis, legitima, iuridicialis. Coniecturalis est, quum de facto controversia est, hoc modo: Aiax in silva, postquam rescivit, quae fecisset per insaniam, gladio incubuit. Ulixes [21] intervenit: occisum conspicatur: e corpore telum cruentum educit. Teucer intervenit; fratrem [22] occi-

---

([1]) *enim* ex Edd. vett. L. adscivit Ern. 1. ∞ melius om. T. Grut. Sch. 2. 3. ([2]) Hoc ordine servato necessarium est hoc *et*, quod ascivit ex Ed. 1474. Ern. 1. 2. (om. L. 3.) At praestare videtur ordo Cod. Tur. *quid nobis conveniat cum adversariis, quid in controversiis* (f. *controversis*) *sit. Si ea, quae utilia nobis erunt, convenient: hoc modo.* ([3]) = *ab Oreste matrem* L. ([4]) e Cdd. Ern. 1. 2. — *iure* L. 3. ([5]) — *tamen me* L. solus. ([6]) ex Ern. C. 1. 2. — *sumus* T. L. 3. ([7]) — *Eam minus vel plus* L. solus. ([8]) Sic T. L. 1. 3. — del. Sch. C. 2. Sed est ex antiquiore Latinitate, ex qua post numeros saepe superadditur *numero*. ([9]) Sic Cdd. omnes. L. 1. 3. Neque in hoc certe scriptore obliteranda erat formula rarior. — *periculum* de Ern. suspic. Sch. 2. deleto praeterea C *est*. ([10]) Ita T. 1. 2. 3. — *afferret* L. (f. *afferet*). ([11]) Sic Cdd. 1. 2. 3. — *praemeditationis* L. ([12]) e Cdd. 1. 2. — *oratori* T. L. 3. ([13]) Sic Cdd. aliq. Edd. vett. ex nostri scriptoris usu v. supra. C. 4. — *quum, quibus de rebus d. s.* L. ∞ *quum res, de quibus l. s* T. multi Cdd. 1. 2. 3. ([14]) e Cdd. L. 1. 2. — om. T. alii multi. 3. ([15]) Sic Cdd. aliq. L. 1. 3. ∞ *argumenta* T. alii. Sch. 2. Est tamen e gloss. cfr. Cap. 4. §. 6. ([16]) Sic Cdd. aliq. 1. 2. 3. — *Hermetes* alii. Grut. ∞ *Hermagoras* L. e Cdd. ut ait. v. W. — om. Lall. ([17]) Sic Cdd. 1. 2. 3. — *enumeratione* L. solus. ([18]) e Cdd. 1. 2. 3. — *et* L. ([19]) Sic Cdd. omnes, etiam T. L. 1. 3. Vide W. ∞ *docere* de Ern. C. Sch. 2. ([20]) Sic Cdd. pleriq. T. L. 1. 3. — om. Sch. 2. cum Cld. ([21]) Sic T. = *Ulysses* L. 1. 2. 3 ([22]) e Cdd. Ern. 1. 2. — *quum fr.* — *videt* L. 3. *quum* — *videat* T. *ubi fr.* Iunt.

sum, inimicum [1] fratris cum gladio cruento [2] videt; capitis arcessit. Hic, quoniam coniectura verum quaeritur, de facto erit controversia, et ex eo constitutio causae coniecturalis nominatur. 19. Legitima constitutio est; quum in scripto [3] aliquid controversiae nascitur. Ea dividitur in partes sex, scriptum [4] et sententiam, contrarias leges, ambiguum, definitionem, translationem, ratiocinationem. Ex scripto et sententia nascitur controversia, quum videtur scriptoris voluntas cum scripto ipso dissentire, hoc modo: Sit lex [5], quae iubeat, eos, qui propter tempestatem navim reliquerint, omnia perdere; eorum navim, ceteraque esse, si navis conservata sit, qui remanserint in navi. Magnitudine tempestatis omnes perterriti navim [6] reliquerunt, et in scapham conscenderunt [7], praeter unum aegrotum. Is propter morbum exire et fugere non potuit. Casu et fortuitu navis in portum incolumis delata est: illam aegrotus possidet: navim petit ille [8], cuius fuerat. Haec constitutio legitima est ex scripto et sententia. 20. Ex contrariis legibus controversia constat, quum alia lex iubet aut permittit, alia vetat quippiam fieri, hoc modo: Lex vetat eum, qui de pecuniis repetundis damnatus sit, in concione orationem habere. Altera lex iubet augurem, in demortui locum qui petat, in concione nominare. Augur quidam damnatus de pecuniis repetundis, in demortui locum nominavit [9]: petitur ab eo multa. XII. Constitutio haec legitima est ex contrariis legibus. Ex ambiguo controversia nascitur, quum res in unam sententiam scripta, duas aut plures sententias significat [10], hoc modo: Paterfamilias quum filium heredem faceret, testamento vasa argentea uxori legavit. † TULLIUS, HERES [11] MEUS, † TERENTIAE [12], UXORI MEAE, XXX PONDO VASORUM ARGENTEORUM DATO, QUAE VOLET. Post mortem eius vasa pretiosa, et caelata magnifice, petit mulier [13]. † Tullius [14] se, quae ipse velit, in XXX pondo [15] ei debere dicit. Constitutio est legitima ex ambiguo. 21. Ex definitione constat causa [16], quum in [17] controversia est, quo nomine factum appelletur. Ea est huiusmodi: Quum L. Saturninus legem frumentariam de semissibus et trientibus

---

([1]) Sic T. al. Sch. 2. — *et inimicum* L. 1. 3. ([2]) ∞ *cruentato* hic dumtaxat T. Ed. Med. ([3]) Sic Duisb. pr. Graev. 1. 2. — *in scripto aut ex scripto* Grut. 3. — *scripto aut e scripto* T. — *ex scripto aut ex scriptis* L. ([4]) ∞ *in scriptum* Graev. 3. e Duisb. ([5]) Sic pauciores Cdd. L. 2. — *Si sit lex* Cdd. aliq. ∞ *Si lex sit* T. Pleriq. Ern. 1. 3. ([6]) Sic T. L. 1. 3. Pro *omnes* Cld. *quidam* unde Sch. €. 2. — *quidam perterriti omnes navim.* ([7]) Sic 1. 2. — *et in scapham descenderunt* L. e Cld. — (*et* om. T.) *scapham conscenderunt.* Grut. 3. ([8]) *navim* [ ] Sch. 2. ∞ *ille* om. T. ([9]) Sic. Cdd. aliq. Grut. 1. 2. 3. ∞ *in demortui locum qui petat, nom.* Cdd. pleriq. T. a m. 2. L. (— *qui petebat* exhibent alii). ([10]) Vehementer hic turbant Cdd. Nostra lectio est e Cd. Graevii. al. Ern. 1. — *quum scriptum duas aut plures sententias significat* T. L. 3. ∞ *quum re in unam sententiam scripta, scriptum d. a. pl. s. sig.* Sch. €. 2. haud improbabili. ([11]) Sic T. L. 1. — *legavit hoc modo: Tullius, heres meus.* Grut. 3. — *legavit. Heres m.* Sch. €. 2. *Tullius* omnino interpolatori debetur, et verum videtur *Titius*, ut sexcenties ap. Gaium. ([12]) Sic Cdd. L. 1. 3. — del. Sch. €. 2. lege *Titiae.* ([13]) Sic T. 1. 2. 3. — *illa* L. ([14]) lege vel *Titius*, vel *Filius* cum Sch. €. 2. et Orx. ([15]) Sic Cdd. T. (nisi quod om. *in*) 1. 2. (*volet* Grut. 3.) ∞ *se xxx pondo, quae velit ipse* L. (*velit* T. L.). ([16]) Sic. Erf. T. L. = *constat causa* 1. 2. 3. ([17]) Sic T. L. 1. 2. — *inde* e Cdd. (Duisb.) Grut. 3. *quum controv. est* Lambini suspicio.

laturus esset, Q.[1] Caepio, qui id temporis[2] quaestor urbanus erat, docuit senatum, aerarium pati non posse largitionem tantam. Senatus decrevit, si eam legem ad populum ferat, adversus rem publicam videri eum facere. Saturninus ferre coepit. Collegae intercedere. Ille nihilominus cistellam[3] detulit. Caepio, ut illum contra S. C. intercedentibus collegis, [adversus rem publicam][4] vidit ferre, cum viris bonis impetum facit, pontes disturbat, cistas deiicit, impedimento est, quo secius feratur lex[5]: arcessitur Caepio maiestatis. Constitutio est legitima ex definitione. Vocabulum enim definitur ipsum, quum quaeritur, quid sit minuere maiestatem. 22. Ex translatione controversia nascitur, quum aut tempus differendum, aut accusatorem mutandum, aut iudices mutandos[6] reus dicit. Hac parte constitutionis, Graeci in iudiciis, nos in iure civili[7] plerumque utimur. In hac parte nos iuris civilis scientia iuvabit[8]: in iudiciis tamen nonnihil [ea][9] utimur, hoc modo[10]: Si quis peculatus accusetur[11], quod vasa argentea publica de loco privato dicatur sustulisse, possit dicere, quum definitione sit usus, quid sit furtum, quid peculatus; secum furti agi, non peculatus oportere. Haec partitio legitimae constitutionis his de causis raro venit in iudicium, quod in[12] privata actione praetoriae exceptiones sunt, et causa cadit is, qui non, quemadmodum oportet, egerit; et in publicis quaestionibus cavetur legibus, ut ante, si reo commodum sit, iudicium de accusatore fiat, utrum illi liceat accusare, necne. XIII. 23. Ex ratiocinatione controversia constat, quum res sine propria lege venit in iudicium, quae tamen ab aliis legibus similitudinem quandam aucupatur. Ea est huiusmodi. Lex est: Si furiosus exsistet, agnatorum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto[13]. Et lex: Qui parentem necasse iudicatus erit, ut is obvolutus et obligatus corio, devehatur in profluentem[14]. Et lex: Paterfamilias uti super familia pecuniave sua legaverit[15], ita ius esto. Et lex: Si paterfamilias intestatus moritur, familia pecuniaque eius agnatorum[16] gentiliumque esto. Malleolus iudicatus est matrem necasse. Ei damnato statim folliculo lupino os obvolutum est, et soleae ligneae pedi-

---

(1) omit. *Q.* Grut. 3. Habet L. 1. 2. (2) Sic T. a. m. pr. cui a gloss. libero fuit obsequendum. — *qui per id temp.* L. 1. 2. 3. (3) Sic L. in textu 1. 2. 3. ∞ *sitellam* Cdd. aliq. pr. Lamb. qui in seqq. quoque malebat *sitellas*. Illud recepit Gothofr. v. *de N. D.* 1, 38. *Fragm. L. Servil.* p. 63. (4) Sic Cdd. omnes L. 3. Ern. [ ] del. Sch. 2. ∞ Contra Turic. omittit: *contra S. C.* (5) ∞ om. T. (6) — *commutandos* L. solus. (7) — om. L. solus. (8) Haec [ ] Sch. 2. ∞ *scientia maxime adiuvabit.* Cdd. pauci. L. — *scientia adiuv.* 3. (9) ∞ om. Cdd. permulti pr. Oud. Nos [ ]. (10) Sic 1. 2. 3. — *ut h. m.* T. L. (11) Ern. C. 1. 2. — *accusatur* Cdd. L. 3. (12) Sic T. L. 1. 2. — *quod et in* Grut. 3. (13) *exsistet* Ern. e Cdd. — *existit* T. 3. ∞ *escit* Sch. de Ern. suspic. 2. ∞ *agnatûm* Cdd. aliq. Grut. 3. — *Si fur. esse incipit* (e *Tuscul.* 3, 5.) *agnatorum gentiliumque in eo, et in familia pecuniaque* — L. (— *pecuniave* placebat ICtis quibusd.) Vide omnino Dirksen XII. *Tafeln* p. 372. seqq. (14) — *Qui — profluentem* expunxit Sch. C. 2. pr. W. *erit, ut is* e paucis Ern. 1. ∞ *erit, is* T. L. 3. *devehatur* T. cum plerisque. 1. 3. ∞ *deiicitor* Put. L. (15) ∞ *legassit* L. solus. De controversia ad v. *Paterfamilias* pertinente consule Dirksen XII *Tafeln* p. 324. (16) ∞ *agnatûm* Grut. 3.

bus indutae [1] sunt, et in carcerem ductus est. Qui defendebant [2] eum, tabulas in carcerem afferunt; testamentum ipso praesente conscribunt [3]; testes rite [4] affuerunt: de illo supplicium paullo post [5] sumitur. Ii, qui heredes erant testamento, hereditatem adeunt. Frater minor Malleoli, qui eum oppugnaverat in eius periculo, suam vocat hereditatem lege agnationis. Hic certa lex in rem nulla affertur, et tamen multae afferuntur, e quibus ratiocinatio nascitur, quare potuerit, aut non potuerit iure testamentum facere. Constitutio legitima est ex ratiocinatione. Cuiusmodi partes essent legitimae constitutionis, ostendimus: nunc de iuridiciali constitutione dicamus.

XIV. 24. Iuridicialis constitutio est, quum factum convenit, sed iure, an iniuria factum sit, quaeritur. Eius constitutionis partes sunt duae, quarum una absoluta, altera assumptiva nominatur. Absoluta est, quum id ipsum, quod factum est, ut aliud nihil foris assumatur, recte factum esse dicemus. Ea est huiusmodi: Mimus quidam nominatim Accium [6] poëtam compellavit in scena [7]. Cum eo Accius iniuriarum agit. Hic nihil aliud defendit, nisi licere nominari [8] eum, cuius nomine scripta dentur agenda. Assumptiva pars est, quum per se defensio infirma est, sed assumpta extraria [9] re comprobatur. Assumptivae partes sunt quatuor: concessio, remotio criminis, translatio criminis, comparatio [10]. Concessio est, quum reus postulat sibi ignosci. Ea dividitur in purgationem, et deprecationem. Purgatio est, quum consulto se negat reus fecisse. Ea dividitur in fortunam, imprudentiam, necessitudinem [11]: fortunam, ut Caepio ad tribunos [12] plebis de amissione exercitus: imprudentiam, ut ille, qui de eo servo, qui dominum occiderat, supplicium sumpsit, cui frater esset [13], antequam tabulas testamenti aperuisset [14], quum is servus manumissus testamento esset: necessitudinem, ut ille, qui ad diem commeatus non venit, quod eum aquae interclusissent. Deprecatio est, quum et peccasse se, et consulto fecisse reus [15] confitetur, et tamen postulat, ut sui misereantur. Hoc in iudicio fere non [16] potest usu venire: nisi, quando pro eo dicimus, cuius multa recte facta constant [17], hoc modo in loco communi

---

(1) Sic prob. W. dedi e Cod. Lips. — *inductae* pleriq. T. L. 1. 2. 3. — *inditae* Cld. quod placebat Ern. cfr. *de Inv.* 2, 50. Sed *induere* verbum proprium est de calceamentis, soleis, baxeis. (2) — *defenderant* Sch. €. 2. (3) ∞ His addit Ed. Mediol. ut est *de Inv.* 2, 50. *heredes*, *quos iubet*, *scribunt.* quae recepit Sch. 2. deletis illis: *testamento — conscribunt.* Videtur tamen correctio e libris *de Inv.* desumpta. (4) Sic T. L. 1. 2. 3. ∞ *recte* Cdd. aliq. prob. Ern. et sic Gaius saepius, nunquam *rite.* (5) ∞ om. Cdd. multi, etiam T. a m. prima. (6) Sic L. 1. 3. et ita Codd. quodque maius est, indubitati lapides Pisaurenses apud Oliverium. (— *Actium* T. al.) ∞ *Attium* Sch. 2. (7) — *coenaculo* T. al. (8) — *nominare* Cdd. aliq. (9) Sic T. 1. 2. 3. pro *extraria* al *extranea.* — *assumpta ex extranea re* L. (10) Sic Cdd. T. 1. 3.— *concessio criminis*, *remotio*, *transl. comp.* L. ∞ *concessio*, *transl. criminis*, *rem. crim. comp.* Sch. €. 2. (11) Sic Steph. L. Sch. 2. — *necessitatem* Cdd. T. 1. 3. (12) — *tribunum* Cdd. aliq. (13) Sic Cdd. omnes. 1. 3. ∞ *occiderat*, *cui frater esset*, *supplicium sumpsit* L. Sch. 2. (14) Sic Cld. Gryphii et Gothanus. Sch. €. 2. — *aperuit* Cdd. fere omnes. T. 1. 3. — *aperuerit* L. (15) e Cdd. Grut. 1. 2. 3. — om. T. L. (16) Sic 1. 2. 3. ∞ *non fere* T. L. (— *usu evenire* T. al.). (17) Sic Cdd. multi. 1. 2. 3. — *facta esse constant* L. ∞ *facta exstant* T. alii Cdd.

ner amplificationem iniiciemus: Quod si hoc[1] fecisset, tamen ei pro ristinis beneficiis ignosci conveniret: verum nihil postulat ignosci. Ergo in iudicium non venit; at in senatum, aut ante imperatorem[2] t in consilium talis causa potest venire. XV. 25. Ex translatione cri- inis causa constat, quum fecisse nos non negamus, sed aliorum pec- catis coactos fecisse dicimus: ut Orestes quum se defendit, in matrem onfert[3] crimen. Ex remotione criminis causa constat, quum a nobis on crimen, sed culpam ipsam[4] amovemus, et vel in hominem trans- rimus, vel in rem quampiam conferimus. In hominem transfertur[5]: si accusetur is, qui P. Sulpicium se fateatur occidisse, et id iussu nsulum defendat[6]: et eos dicat non modo imperasse, sed rationem oque ostendisse, quare id facere liceret. In rem confertur, ut, si is, ex testamento quod facere iussus sit, ex plebiscito petatur. Ex mparatione causa[7] constat, quum dicimus necesse fuisse alterutrum ere, et id, quod fecerimus, satius fuisse facere. Ea causa huius- odi est: C. Popillius[8], quum a Gallis obsideretur, neque effugere ullo odo posset, venit cum hostium ducibus in colloeutionem; ita[9] dis- sit, ut, si impedimenta[10] relinqueret, exercitum[11] educeret. Sa- s esse duxit, amittere impedimenta, quam exercitum: exercitum edu- , impedimenta reliquit; arcessitur maiestatis. XVI. Quae constitu- nes, et quae constitutionum partes sint, videor[12] ostendisse. Nunc o modo eas, et qua via tractari conveniat, demonstrandum est: si us aperuerimus, quid oporteat ab ambobus in causa destinari, quo io omnis[13] totius orationis conferatur.

26. Constitutione igitur reperta[14], statim quaerenda est ratio. tio est, quae causam facit, et continet defensionem, hoc modo, ut endi causa in hac potissimum causa consistamus[15]: Orestes, quum ifiteatur se occidisse matrem, nisi attulerit facti rationem, pervertet[16] ensionem. Ergo affert eam: quae nisi intercederet, ne causa qui- n esset. Illa enim, inquit, patrem meum occiderat. Ergo (ut endi) ratio ea est[17], quae continet defensionem, sine qua ne[18] parva dem dubitatio potest remorari damnationem. Inventa ratione, fir- mentum quaerendum est: id est, quod continet accusationem[19], d affertur contra rationem defensionis, de qua ante dictum est. Id stituetur hoc modo: Quum usus fuerit Orestes ratione, hoc pacto, occidi, illa enim patrem meum occiderat; utetur accusator firma-

---

(1) — om. *hoc* Ed. Med. L. (2) Haec *aut ante imperatorem* [ ] Sch. C. 2. (3) ∞ *conferens* T. et alii Cdd. (4) Sic Cdd. T. L. 1. 3. ∞ *non crimen ipsum, sed culpam* de Ern. C. Sch. 2. (5) — *transferimus* L. (6) Sic T. 1. 2. 3. — *consulum se fecisse ostendat* L. (7) Sic T. 1. 2. 3. — *ex comparatione criminis causa* L. Grut. (8) Sic T. 1. 2. 3. — *Pompilius* Cdd. aliq. L. (9) Sic T. 1. 2. 3. — *et ita* L. (10) e Cdd. 1. 2. — *ut imped.* T. L. (11) Sic T. 1. 2. 3. — *et exerc.* L. (12) Sic T. 1. 2. 3. — *satis videor* L. (13) = *omnis ratio* L. (14) Sic T. 1. 2. 3. — *igitur causae reperta* L. (15) *causa* ante *consistamus* inseruit Ern. e Cdd. multis (etiam T.) — om. L. 3. — *ut docendi causa in hoc potissimum consist.* Sch. C. 2. (16) Sic L. — *pervertit* Cdd. pleriq. T. — *perverterit.* e Cdd. Grut. 1. 2. 3 quod tamen ortum est ex — *perverteret* Olx. (17) = *est ea* L. (18) Sic correxit L. 1. 2. 3. — Cdd. etiam T. *nec.* (19) = *accusationem continet* Cdd. aliq. L.

mento, hoc pacto[1]: Sed non abs te occidi[2], neque indemnatam poenas pendere oportuit. Ex ratione defensionis, et ex firmamento accusationis, iudicii quaestio nascatur oportet; quam nos iudicationem, Graeci κρινόμενον appellant. Ea constituetur[3] ex coniunctione firmamenti et rationis defensione[4], hoc modo: Quum dicat Orestes, se patris ulciscendi causa matrem occidisse, rectumne fuerit, a filio, sine iudicio[5], Clytaemnestram occidi. Ergo hac ratione iudicationem reperire[6] convenit. Reperta[7] iudicatione, omnem rationem totius orationis eo conferri oportebit. XVII. 27. In omnibus constitutionibus et partibus constitutionum hac via iudicationes reperientur, praeterquam in coniecturali constitutione. Nam in ea nec[8] ratio, quare fecerit, quaeritur[9]; fecisse enim negatur: nec firmamentum exquiritur; quoniam non subest ratio. Quare ex intentione et infitiatione iudicatio constituitur, hoc modo: Intentio[10], Occidisti Aiacem. Infitiatio, Non occidi. Iudicatio, Occideritne. Ratio omnis utriusque orationis, ut ante dictum est, ad hanc iudicationem conferenda est. Si plures erunt constitutiones, aut partes constitutionum, iudicationes quoque plures erunt in una causa; sed omnes[11] simili ratione reperientur. Sedulo dedimus operam, ut breviter et dilucide, quibus de rebus adhuc dicendum fuit, diceremus. Nunc quoniam satis[12] huius voluminis magnitudo crevit, commodius est in altero libro de ceteris rebus deinceps exponere; ne qua, propter multitudinem literarum[13], possit animum tuum defatigatio retardare. Sed si quo tardius haec, quam studes[14], absolventur, quum rerum magnitudini, tum nostris quoque occupationibus assignare debebis. Verumtamen maturabimus, et quod negotio deminutum[15] fuerit, exaequabimus industria: ut pro tuo in nos officio et nostro in te studio munus hoc accumulatissime tuae largiamur voluntati.

([1]) e Cdd. Graev. 3. 1. 2. — *modo* T. L. ([2]) Sic Cdd. T. 1. 2. 3. — *abs te tamen occidi* L. Grut. al. *At non.* ([3]) e Cdd. (T.) 1. 2. — *constituitur* L. 3. ([4]) — del. *def.* Sch. C. 2. ([5]) = *sine iudicio, a filio* T. Erf. ([6]) Sic T. 1. 2. 3. ⊂ *invenire* L. ([7]) Sic T. 1. 2. 3. = *inventa* L. ([8]) Sic T. L. 1. 2. — *In ea nec* 3. *In ea enim nec* Ald. — *Ea nec* Grut. ([9]) Sic T. L. 1. 3. = *quaeritur, quare fecerit* Sch. 2. ex Ald. ([10]) Sic T. 1. 2. — *intentio est* L. 3. ([11]) Sic L. 1. 2. 3. — *sed et omnes* Cdd. pleriq. Edd. vett. ([12]) *satis* L. transponit ante *crevit.* ([13]) Haec *pr. mult. lit.* [ ] Sch. C. 2. ([14]) Sic Cdd. pleriq. T. L. 1. (— *Sic quo haec tardius* Grut. 3.) — *Si tardius haec* ex Ed. Med. Sch. 2. — *si quidem tardius haec* Ald. *quo* nescio, quam bene locum suum teneat. Lego: *si quâ.* Pro *quam studes* Erf. *quae studes* pr. Graev. ([15]) ∞ *de negotio dem.* Cd. Graevii. — *nostro negotio dem.* L. (*deminutum* Cdd. pauci L. 2. — *diminutum* 1. 3.).

RHETORICORUM
AD
C. HERENNIUM
LIBER SECUNDUS.

I. 1. In primo libro, Herenni, breviter exposuimus, quas causas recipere oratorem oporteret, et in quibus officiis [artis] elaborare [1] conveniret, et ea officia qua ratione facillime consequi posset. Verum, quia [2] neque de omnibus [rebus] [3] simul dici poterat, et de maximis primum scribendum fuit, quo cetera tibi faciliora cognitu viderentur; ita [4] nobis placitum est, ut ea, quae difficillima essent, potissimum conscriberemus [5].

Causarum tria [6] sunt genera: demonstrativum, deliberativum, iudiciale. Multo difficillimum est iudiciale [7]; ergo id primum absolvemus. Hoc [8] et priore libro egimus, quum de quinque oratoris officiis tractaremus, quorum inventio et prima, et difficillima est; eaque [9] nobis erit hoc libro [10] propemodum absoluta, sed [11] parvam partem eius in tertium volumen transferemus. 2. De sex partibus orationis primum scribere incepimus: in primo libro loquuti sumus [12] de exordio, narratione, divisione, nec pluribus verbis, quam necesse fuit, nec minus dilucide, quam te velle existimabamus. Deinde coniunctim [13] de confirmatione et confutatione dicendum fuit. Quare genera constitutionum et earum partes [14] aperuimus: ex quo simul ostendebatur, quomodo constitutionem et partes constitutionis, causa posita, reperiri oporteret. Deinde docuimus, iudicationem quemadmodum quaeri conveniret: qua inventa, curandum [15], ut omnis ratio totius orationis ad eam confera-

---

([1]) Sic Cdd. aliq. 1. 3. — *artis* recte del. L. Sch. 2. Ex T. lectione: *in quibus partibus officiis artis elab.* manifestum fit, *partibus artis* glossematis loco superscriptum esse voc. *officiis*. ([2]) Sic L. 1. 2. 3. — *quod* T. Gothofr. ([3]) — om. Cdd. pauci. Sch. 2. *rebus* post *maximis* iterum exhibent T. al. ([4]) — *itaque* Cdd. aliq. T. a m. 2. ([5]) Sic L. Ern. e Cdd. 1. 2. — *scriberemus* T. Grut. 3. ([6]) Sic T. 1. 2. 3. ∞ *causarum igitur tria* L. — *caus. itaque tria* Cod. Aug. ([7]) Sic T. L. 1. 3. — *quod multo diffic. est.* Sch. 2. ex Ed. 1474. ([8]) Sic T. 1. 2. 3. — *De hoc* L. ([9]) Sic e Cdd. Lallemandus. De Lamb. suspic. Sch. 2. — *ea quoque* T. Lambinus 1. 3. ([10]) Sic T. L. 2. — *hoc in libro* 1. 3. ([11]) Sic T. al. L. 2. — *et* 1. 3. ([12]) Locus corruptus, e vestigiis T. sic restituendus: *Ubi de sex partibus orationis primum scribere incepimus*, (s. *instituimus*) *locuti sumus* electo scil. gloss. *in primo libro*, quod habent Cdd. omnes. — *De sex* — — *instituimus* C2d. L. — *De sex p. orationis quum scribere instituimus, in primo l. l. s.* Sch. E. 2. ([13]) Sic Ed. s. l. et a. 1. 2. 3. — *coniuncte* T. L. ([14]) Sic T. 1. 2. 3. — *partem* Cdd. aliq. L. ([15]) Sic T. 1. 2. 3. — *curandum est* Cdd. aliq. L.

tur. Postea admonuimus esse causas complures, quibus plures constitutiones aut partes constitutionum accommodarentur [1]. II. Reliquum videbatur esse, ut ostenderemus, quae ratio posset inventiones ad unamquamque constitutionem aut [2] partem constitutionis accommodare. Et item quas [3] argumentationes, quas [4] Graeci ἐπιχειρήματα appellant, sequi, et [5] quas [6] vitare [7] oporteret: quorum utrumque pertinet ad confirmationem et confutationem. Deinde ad extremum docebimus, cuiusmodi conclusionibus orationum uti oporteat: qui locus erat extremus [8] de sex partibus orationis.

Primum ergo quaeremus, quemadmodum quamque causam tractari conveniat. Et nimirum coniecturalem, quae prima et [9] difficillima est, potissimum consideremus. 3. In causa coniecturali, narratio accusatoris suspiciones interiectas et dispersas habere debet, ut nihil actum, nihil dictum, nusquam ventum, aut abitum, nihil denique factum sine causa putetur. Defensoris narratio simplicem et dilucidam expositionem debet habere, cum attenuatione suspicionis. Huius constitutionis ratio in sex partes est distributa: probabile, collationem, signum, argumentum, consecutionem, approbationem. Horum unumquidque [10] quid valeat, aperiemus. Probabile est, per quod probatur, expedisse reo [11] peccare, et ab simili turpitudine hominem nunquam abfuisse. Id dividitur in causam et in vitam. Causa est ea, quae induxit [12] ad maleficium, commodorum spe [13], aut incommodorum vitatione: ut quum quaeritur, num quod commodum maleficio appetierit [14], num honorem, num pecuniam, num dominationem; num aliquam cupiditatem amoris, aut eiusmodi libidinis [15] voluerit explere: aut num quod incommodum vitarit, inimicitias, infamiam, dolorem, supplicium. III. 4. Hic accusator in spe commodi cupiditatem ostendet [16] adversarii, in vitatione incommodi formidinem augebit: defensor autem negabit fuisse causam, si poterit, aut eam vehementer extenuabit; deinde iniquum esse dicet, omnes, ad quos aliquid emolumenti ex aliqua re pervenerit, in suspicionem maleficii devocari: deinde vita hominis ex ante factis spectabitur. 5. [In quo] Primum [17] considerabit accusator, num quando simile quid fecerit. Si id non reperiet, quaeret, num quando venerit in similem suspicionem: et in eo debebit esse occupatus, ut ad eam [18] causam peccati, quam paullo ante exposuerit, vita hominis possit accommodari, hoc modo: Si dicet pecuniae causa fecisse, ostendet eum

---

([1]) Haec *Postea — accommod.* del. Sch. C. 2. Defendit W. ([2]) Sic T. 1. 2. 3. — *et ad* L. ([3]) Sic T. 1. 2. — *quales* L. 3. ([4]) Sic T. L. 1. 3. ∞ *quae* Sch. 2. de Ern. C. ([5]) ∞ *et* om. T. ([6]) Sic T. 1. 2. — *quales* L. 3. ([7]) Sic Sch. C. 2. confirmata ab O3x. — *vitari* T. L. 1. 3. ([8]) Sic Cdd. aliq. L. 1. — *proximus* Cdd. multi, etiam T. ∞ *postremus* C1d. Graev. 3. 2. ([9]) Sic L. 1. 2. 3. ∞ *quaeque* Cdd. aliq. T. Ed. s. l. et a. — *coniecturalem* (*eaque diff. est.*) Iac. Gronov. C. ([10]) Sic L. 1. 2. 3. — *unumquodque* Cdd. aliq. T. Ed. s. l. et a. ([11]) — om. *reo* T. alii. Mox *ab* pro *a* Erf. T. ([12]) — add. *reum* Cd. Pith. ([13]) — *appetitione* C2d. pr. W. ([14]) Sic T. L. 1. 2. 3. — *acquisierit* Ald. Gothofr. al. ([15]) Sic T. et meliores; sicque editurus erat Graev. — *huiusmodi libidinis* L. 1. 2. 3. (— *libidinem* Sch. suspic.). ([16]) Habent Cdd. omnes: — del. Sch. 2. de Grut. C. ([17]) Cdd. plerique *Primum* omisso *In quo*, quod T. habet a m. 2. — *In quo primum* L. Sch. 2. — *In quo primo* 1. 3. ([18]) — *eandem* L.

semper avarum fuisse: si honoris, ambitiosum: ita poterit animi vitium cum causa peccati conglutinare. Si non poterit par animi [1] vitium cum causa reperire, reperiat dispar. Si non poterit avarum demonstrare, demonstret [2] corruptorem vel perfidiosum, si quo modo poterit: denique aliquo aut quam plurimis vitiis contaminabit [3] personam: deinde qui [4] illud fecerit tam nequiter, eundem hoc [5] tam perperam fecisse non esse mirandum. Si vehementer castus et integer existimabitur adversarius, dicet facta, non famam spectari oportere; illum ante occultasse sua flagitia; se planum facturum, ab eo maleficium non abesse. Defensor primum demonstrabit vitam integram, si poterit: id si non poterit [6], confugiet ad imprudentiam, stultitiam, adolescentiam, vim, persuasionem: quibus [de] rebus vituperatio eorum, quae extra id crimen erunt, [non] [7] debeat assignari. Sin vehementer hominis [8] turpitudine impedietur et infamia, prius dabit operam, ut falsos rumores dissipatos esse dicat de innocente; et utetur loco communi, rumoribus credi non oportere. Sin nihil horum [9] fieri poterit, utatur extrema defensione, et dicat, non se de moribus eius apud censores, sed de criminibus adversariorum apud iudices dicere. IV. 6. Collatio est, quum accusator id, quod adversarium fecisse criminatur, alii nemini, nisi reo, bono [10] fuisse demonstrat: aut alium neminem potuisse perficere, nisi adversarium: aut eum ipsum aliis rationibus aut [11] non potuisse, aut non aeque commode potuisse, aut eum fugisse [12] alias [13] rationes commodiores propter cupiditatem. Hoc loco defensor demonstret oportet, aut aliis quoque bono fuisse, aut alios quoque id, quod ipse insimuletur, facere potuisse. Signum est, per quod ostenditur idonea perficiendi facultas esse quaesita. Id dividitur in partes sex: locum, tempus, spatium, occasionem, spem perficiendi, spem celandi. 7. Locus quaeritur, celebris, an desertus; semper desertus [14], an tum, quum id factum sit, fuerit in eo loco solitudo; sacer, an profanus; publicus, an privatus fuerit; cuiusmodi loci attingant; num, qui est passus [15], perspectus aut exauditus esse possit. Horum quid reo, quid accusatori conveniat, perscribere non gravaremur, nisi facile quivis, causa posita, posset iudicare. Initia enim inventionis ab arte debent proficisci; cetera facile comparabit exercitatio. Tempus ita quae-

---

([1]) Sic T. L. 1. 3. ∞ om. *animi* Cdd. aliq. del. Sch. 2. Sed veluti uno dumtaxat vocabulo noster scriptor eo videtur usus esse. ([2]) — *demonstrare, quem pecuniae causa dicat maleficium fecisse, demonstret.* L. e Codice, ut ait. ([3]) ∞ *contaminet* O1x. L. (— *contaminare* Erf.) ([4]) Sic T. 1. 2. 3. — *deinde dicat, qui* L. ([5]) Sic T. al. Ern. 1. 2. — *hunc* Cdd. multi. L. 3. ([6]) Sic Cdd. pleriq. T. L. 1. 3. ∞ *sin autem* Sch. 2. e C1d. ([7]) Sic Cdd. L. 1. 3. assentior Sch. 2. C. *de* et *non* delenti, quae [ ]. ([8]) Sic T. 1. 3. ∞ *vehementer vita hominis* Cod. ap. Lamb. non male prob. Gulielmio, ut *impedietur* sit: *tenebitur*, obstricta et illigata erit. Hinc — *veh. vitae hominis* L. Sch. 2. C. ([9]) — *Si nihil eorum* L. ([10]) Sic Cdd. aliq. L. 3. 2. — *bonum* Grut. Ern. 1. ([11]) — *rationibus facere aut* L. ([12]) Sic Cdd. pleriq. T. L. 1. 2. 3. — *effugisse* Grut. ([13]) Sic Cdd. pleriq. Lamb. (non: *eas*) 1. 2. ∞ *illas* T. al. 3. ([14]) Sic T. 1. 2. 3. — om. L. ([15]) Sic L. 1. 3. — *num quid qui est passus* T. alii Cdd. unde Sch. C. 2. ∞ *num qui quid est passus.* De Latinitate v. *passus* hoc sensu dubitabat Graevius. Videtur e Graeco ὁ παθών translatum.

ritur: † qua parte anni; qua hora[1]; noctu, an interdiu; qua diei, qua noctis hora factum esse dicatur, et cur eiusmodi[2] temporibus. Spatium ita consideratur, satisne longum fuerit ad eam rem transigendam, et potueritne scire[3], satis ad id perficiendum spatii futurum. Nam parvi refert satis spatii fuisse [ad id perficiendum][4], si id ante sciri et ratione provideri non potuit. Occasio quaeritur, idoneane fuerit[5] ad rem adoriendam[6], an alia melior, quae aut praeterita sit, aut non exspectata. Spes perficiendi quae fuerit, spectabitur hoc modo: si, quae supra dicta sunt signa, concurrerint: si praeterea ex altera parte vires, pecunia, consilium, scientia, apparatio videbitur fuisse[7]; ex altera parte imbecillitas, inopia, stultitia, imprudentia, inapparatio demonstrabitur[8] fuisse: quare[9] scire potuerit, utrum diffidendum, an confidendum fuerit. Spes celandi quae fuerit, quaeritur ex conscIis, arbitris, adiutoribus, liberis aut servis, aut utrisque. V. 8. Argumentum est, per quod reus[10] coarguitur certioribus argumentis[11], et magis firma suspicione. Id dividitur in tempora tria, praeteritum, instans, consequens. In praeterito tempore oportet considerare, ubi fuerit; ubi visus sit, quicum[12] visus sit; num quid apparârit, num quem convenerit, num quid dixerit, num quem habuerit de conscIis, de adiutoribus, de adiumentis[13]; num quid in loco praeter consuetudinem fecerit[14], aut alieno tempore. In instanti tempore quaeritur, num visus sit, quum faciebat, num qui[15] strepitus, clamor, crepitus exauditus sit[16], aut denique, num quid aliquo sensu perceptum sit, aspectu, auditu[17], tactu, odoratu, gustatu[18]: nam quivis horum sensus[19] potest conflare suspicionem. In consequenti tempore spectabitur: num quid re transacta relictum sit, quod indicet aut factum esse maleficium, aut a quo sit factum[20]. Factum esse, hoc modo: si tumore et livore decoloratum est corpus mortui, significat eum veneno necatum[21]. A quo factum sit, hoc modo: si telum, si vestimentum, si quid eiusmodi relictum[22], aut vestigium rei repertum[23] fuerit, si[24]

([1]) Sic 1. 3. Locus corruptus: turbant Cdd. v. c. Tur. *qua parte anni: qua hora: noctu an interdiu: et qua die: quota hora* (a. m. 2. ad marg. add. *et quantis horis*) *factum.* Lamb. del. *qua hora.* Sch. €. 2: *qua parte anni: qua die; noctu an interdiu; qua diei, qua noctis hora factum* — Mihi *parte* gloss. videtur rarioris sed latinae formulae: *anni hora*, legendumque: *quaeritur, qua anni hora; noctu an interdiu; qua die: quota hora factum* —. ([2]) Sic T. 1. 2. 3. — *cuiusmodi* Cdd. aliq. L. ([3]) Sic L. 1. 3. ∞ *potueritne sciri* Sch. €. 2. Sed cfr. mox §. 7. — *scieritne* T. al. ([4]) Sic T. L. 1. 3. — om. Cdd. aliq. Sch 2. Nos [ ]. ([5]) Sic T. 1. 2. 3 — *idoneane satis f.* L. ([6]) — *aggrediendam* L. solus. ([7]) Sic T. 1. 3. — om. Ald. L. Sch. 2. ([8]) Sic T. L. 1. 3. — *videbitur* Sch. €. 2. ([9]) *propter quas res* L. solus. ([10]) Ex Ern. €. Sch. 2. — *res* Cdd. L. 1. 3. ([11]) Sic Cdd. L. 1. 3. — *inventis* Gron. €. — *indiciis* Sch. €. 2. ([12]) Sic T. L. — *quocum* 1. 2. 3. ([13]) Sic Cdd. 1. 3. — *de adiut. num quid de adiumentis* Sch. €. 2. — *de adi. de administris* L. ([14]) Sic Cdd. meliores. T. L. (qui habet *in eo loco*) — *num quid* — *fuerit* Ern. 1. — *num quo* — *fuerit* Grut. 3. Sch. 2. sed hoc iam inest in superioribus: *ubi fuerit.* ([15]) — *quis* L. ([16]) — del. *sit* Sch. €. 2. ([17]) Haec *asp. aud.* Sch. €. 2. delevit. ([18]) Sic 1. 2. 3. ∞ *gustu* T. L. ([19]) Sic Cdd. T. L. 1. 3. — *sensuum* de L. suspic. Sch. 2. ([20]) = *factum sit* L. ([21]) = *veneno esse necatum* L. ([22]) Sic e Cdd. Ern. 1. 2 = *relict m sit* L. 3. ([23]) Sic Graev. 3. Sch. 2. — *aut si vest. rei rep.* Olx. Crat. Victor. L. — *aut vestigium repertum.* Grut. Ern. 1. ([24]) — *ut* L.

eruor in vestimentis, si [1] in eo loco comprehensus, aut visus transacto negotio [2], quo in loco res gesta dicitur [3]. Consecutio est, quum quaeritur, quae signa nocentis et innocentis consequi soleant. Accusator dicet, si poterit, adversarium, quum ad eum ventum sit, erubuisse, expalluisse, titubasse, inconstanter locutum esse, concidisse, pollicitum esse aliquid: quae signa conscientiae sunt [4]. Si reus horum nihil [5] fecerit, accusator dicet, eum usque adeo praemeditatum fuisse, quid sibi esset usu venturum, ut confidentissime resistens [6] responderet: quae signa confidentiae, non innocentiae sunt [7]. Defensor, si pertimuerit, magnitudine periculi, non conscientia peccati [se] [8] commotum esse dicet. Si non pertimuerit, fretum innocentia negabit esse commotum. VI. 9. Approbatio est, qua utimur ad extremum, confirmata suspicione. Ea habet locos proprios atque communes. Proprii sunt, quibus, nisi accusator, et, quibus [9] nisi defensor, nemo potest uti. Communes sunt, qui alia in causa ab reo, alia ab accusatore tractantur. In causa coniecturali proprius locus accusatoris est, quum dicit malorum misereri non oportere, et quum auget peccati [10] atrocitatem. Defensoris proprius locus est, quum misericordiam captat, et quum accusatorem calumniari criminatur. Communes loci sunt quum accusatoris, tum defensoris, a testibus contra testes, a quaestionibus contra quaestiones, ab argumentis contra argumenta, a rumoribus contra rumores. A testibus dicemus secundum auctoritatem et vitam testium, et constantiam testimoniorum. Contra testes, vitae [11] turpitudinem, testimoniorum inconstantiam: si aut fieri non potuisse dicemus, aut non factum esse quod dicant, aut scire illos non potuisse, aut cupide dicere, et argumentari *. Haec et ad improbationem et approbationem [12] testium pertinebunt. VII. 10. A quaestionibus dicemus, quum demonstrabimus, maiores [13] veri inveniendi causa tormentis et cruciatibus [14] voluisse quaeri, et summo dolore homines cogi, ut quicquid sciant, dicant. Et praeterea confirmatior haec erit disputatio, si quae dicta erunt argumentando, iisdem viis, quibus omnis coniectura tractatur, trahemus ad veri similem suspicionem; idemque hoc in testimoniis facere oportebit. Contra quaestiones hoc modo dicemus: primum maiores [15] voluisse certis in rebus interponi quaestiones, quum, quae vere dicerentur, sciri [16]: quae falso in quaestione pronuntiarentur, refelli possent, hoc modo:

([1]) — *aut si* L. ([2]) — *negotio fuerit* L. ([3]) ∞ *dicatur* L. ([4]) ∞ *sint* T. alii Cdd. ([5]) = *nihil horum* L. ([6]) Sic T. L. 1. 3. ∞ pro *resistens* Cd. Lambini *consistens*. Hinc Sch. C. 2. *constantissime consistens* „ingrato sono." W. ([7]) ∞ *sint* T. alii Cdd. ([8]) Habent hoc Cdd. T. L. 1. 2. 3. sed Sch. in Ed. mai. tacite delevit. Rectissime. ([9]) Sic 1. 2. Turbant Cdd. — *Proprii sunt ii, quib. n. a. et ii quib.* L. — *Proprii sunt quib. n. a. et ii q.* Graev. 3. (— *nemo* del. censebat Oud.) ([10]) Sic T. Cdd. fere omnes L. 1. 3. ∞ *facti* Cld. Sch. 2. sed vide C. 15. §. 22. ([11]) Sic Cdd. T. L. 1. 3. ∞ *secundum vitae* Sch. C. 2. ∞ * an *arguitari*? ([12]) Sic Cdd. aliq. L. (priori *et* om.) 1. 3 ∞ *et ad probationem et ad improbationem* T. Cdd. alii. Sch. 2. ∞ *ad improb. et ad interrogationem.* Erf. al. ([13]) e Cdd. (T.). Lrn. 1. 2. — *maiores nostros* L. 3. quod tamen non minus frequens est ap. Cic. v. c. *pro Rosc. Amer.* C. 18. ([14]) Sic 1. 2. ∞ *cruciatu* T. et alii boni Cdd. L. ([15]) Sic T. al. 1. 2. — *mai. nostros.* L. 3. ([16]) — *servari* T. Ald.

Quo in loco quid positum sit [1], et si quid esset simile, quod [2] videri, aut aliquo simili signo [3] percipi posset: deinde, dolori credi non oportere, quod alius alio recentior [4] sit in dolore, quod ingeniosior ad comminiscendum, quod denique saepe scire, aut suspicari possit, quid quaesitor velit audire; quod quum dixerit, intelligat sibi finem doloris futurum. Haec disputatio comprobabitur, si refellemus, quae in quaestionibus erunt dicta probabili argumentatione; idque partibus coniecturae, quas ante exposuimus, facere oportebit. 11. Ab argumentis, et signis, et ceteris locis, quibus augetur suspicio, dicere hoc modo convenit [5]: quum multa concurrant argumenta et signa, quae inter se consentiant, rem perspicuam, non suspiciosam videri oportere [6]. Item: plus oportere signis et argumentis credi, quam testibus: haec enim eo modo exponi, quo modo re vera [7] sint gesta; testes corrumpi posse vel pretio, vel gratia, vel metu, vel simultate. Contra argumenta et signa et ceteras suspiciones dicemus hoc modo: si demonstrabimus, nullam rem esse, quam non suspicionibus quivis possit criminari; deinde, unamquamque suspicionem extenuabimus, et dabimus operam, ut ostendamus, nihilo magis in nos eam, quam in alium quempiam convenire; indignum esse facinus [8], sine testibus coniecturam et suspicionem firmamenti satis habere. VIII. 12. A rumoribus dicemus, si negabimus temere [9] famam nasci solere, quin subsit aliquid; et si dicemus, causam non fuisse, quare quispiam confingeret et comminisceretur; et praeterea, si ceteri falsi soleant esse, argumentabimur hunc esse verum. Contra rumores dicemus primum, si docebimus multos esse falsos rumores, et exemplis utemur, de quibus falsa fama fuerit: et aut inimicos nostros, aut homines natura malevolos et maledicos confinxisse dicemus: et aut aliquam fictam [10] fabulam in adversarios afferemus, quam dicamus [11] omnibus in ore esse; aut verum rumorem proferemus, qui illis aliquid turpitudinis afferat, neque tamen ei rumori nos fidem habere dicemus; ideo quod quivis homo [12] possit quemvis turpem de quolibet rumorem proferre, et confictam fabulam dissipare. Veruntamen si rumor vehementer probabilis esse videbitur, argumentando famae fidem poterimus abrogare. Quod et difficillima tractatu est constitutio coniecturalis, et in veris causis saepissime tractanda est [13], eo diligentius omnes eius partes perscrutati [14] sumus; ut ne parvula quidem titubatione aut offensione impediremur, si ad hanc rationem praeceptionis, assiduitatem exercitationis accommodassemus [15]. IX. 13. Nunc ad legitimae constitutionis partes transeamus. Quum

---

([1]) Sic Cdd. L. 1. 3. ∞ *esset* de Ern. € Sch. 2. ([2]) ∞ *simile ei, quod* L. ([3]) Sic T. L. 1. 3. — *simili* del. Sch. €. 2. (— *simili sensu* Lamb. suspic.). ([4]) Sic T. Cdd. pleriq. L. 1. 2. 3. ∞ *reticentior* Cdd. aliq. Lallemand. — *tenerior*, — *debilior*, al. e Gloss. ([5]) Sic T. 1. 2. 3. *conveniet* Cdd. aliq. L. ([6]) Sic T. 1. 2. 3. ∞ *debere* Cdd. aliq. L. ([7]) Sic T. Cdd. pleriq. L. 3. Sch. in Ed. mai. — *quo revera* 1. 2. ([8]) Suspecta haec vox Lambino. ([9]) ∞ *negabimus ita temere* Cdd. aliq. L. ([10]) Sic T. 1. 2. 3. ∞ *confictam*, ut mox, Cdd. aliq. L. ([11]) Sic T. L. 1. 2. 3. ∞ *dicemus* C1d. et ita edere volebat Graev. ([12]) — *quivis unus homo* C2d. apud Graev. ([13]) Sic T. 1. 3. — om. cum C1d. Sch. 2. ([14]) Sic Cdd. L. 1. 3. — *persecuti* de Lamb. € Sch. 2. ([15]) Sic T. 1. 2. — *accommodaremus* Cdd. alii. L. 3.

voluntas scriptoris cum scripto dissidere videbitur, si a scripto dicemus. his locis utemur, [secundum narrationem] [1]: primum scriptoris collaudatione: deinde scripti recitatione: deinde percontatione, scirentne [1a] adversarii id scriptum fuisse in lege, aut in [2] testamento, aut in stipulatione, aut in quolibet scripto, quod ad [eam] rem [3] pertineat: deinde collatione, quid scriptum sit, quid adversarii se fecisse dicant, quid iudicem sequi conveniat, utrum id, quod diligenter perscriptum [4] sit, an id, quod acute sit excogitatum: deinde ea sententia, quae ab adversariis sit excogitata, et scripto [5] attributa, contemnetur [6] et infirmabitur. Deinde quaeretur, quid ei obfuerit [7], si id voluisset adscribere [8], † num non potuerit perscribi [9]. Deinde a nobis sententia reperietur, et causa proferetur, quare id scriptor senserit, quod perscripsit [10]: et demonstrabitur scriptum illud esse [11] dilucide, breviter, commode, perfecte, certa cum ratione. Deinde exempla proferentur, quae res, quum ab adversariis sententia et voluntas afferretur [12], a scripto potius iudicatae sunt [13]. Deinde ostendetur, quam periculosum sit a scripto recedere. Locus communis est contra eum, qui, quum fateatur, se contra id, quod legibus [14] sancitum, aut testamento perscriptum sit, fecisse, tamen facti quaerat defensionem. X. 14. A sententia sic dicemus: primum laudabimus scriptoris commoditatem atque brevitatem, quod tantum scripserit [15], quod necesse fuerit: illud, quod sine scripto intelligi potuerit, non necessario scribendum putarit. Deinde dicemus calumniatoris esse officium [16], verba et literas sequi, negligere voluntatem. Deinde id, quod scriptum sit, aut non posse fieri; aut non lege, non more, non natura, non aequo et bono [17] posse fieri; quae omnia scriptorem noluisse quam rectissime fieri, nemo dicet [18]: at ea, quae a nobis facta sint, iustissime facta. Deinde contrariam sententiam aut nullam esse, aut stultam, aut iniustam, aut non posse fieri, aut non constare cum superioribus et inferioribus sententiis, aut cum iure communi, aut cum aliis legibus communibus, aut cum rebus iudicatis dissentire. Deinde exemplorum a voluntate, [et] [19] contra scriptum iudicatorum enumeratio; deinde [20] legum et [21] stipulationum breviter excerptarum [22], in quibus intelligatur scriptorum voluntas, expositio [23]. Locus communis

---

([1]) Om. Cdd. aliq. (T. a. m. 2.) del. Sch. 2. ([1a]) f. *scierintne* ([2]) *in* ter om. T. al. L. ([3]) *eam* 1. 2. recte om. Cdd. aliq. — *eandem* T. L. 3. ([4]) Sic T. 1. 2. 3. — *scriptum* Crat. L. ([5]) Sic Cdd. L. 1. 3. — *scriptori* Sch. C. 2. pr. W. ([6]) Sic Cdd. pleriq. T. L. 1. 3. Recte v. Cap. XI. in fine. — *conteretur* Sch. 2. e C1d. ([7]) — *obstiterit*. L. ([8]) Sic T. 1. 3. — *scribere* L. Sch. 2. ([9]) Sic 1. 3. Sed pleriq. Cdd. T. ∞ *aut num non p. perscribi* ∞ *cur n. p. perscribere* L. ∞ *ut n. p. perscribi* Sch. C. 2. ([10]) — *scripserit* T. al. ([11]) = *esse illud*. L. ([12]) Sic T. L. 1. 2. — *sententia redderetur, et vol.* Cdd. aliq. Grut. 3. ([13]) ∞ *sint* L. ([14]) ∞ *contra quam leg.* C2d. ([15]) Sic T. 1. 2. ∞ *quod t. scr. id, quod*. Sch. 2. e C1d. — *qui illud tantum scr.* L. ([16]) Suspect. Oud. ([17]) Sic T. Ern. 1. ∞ *voluisse — dubitet* Cdd. aliq. L. Grut. 3. Sch. 2. ([18]) ∞ *bono et aequo* Steph. v. infra §. 16. ([19]) Recte *et* omitt. Cdd. aliq. L. ([20]) Sic Cdd. aliq. L. — *deinde enumeratio fiat*. e C1d. Sch. 2. (sed O1x. *est habenda enumeratio;* al. *enumerationem faciemus:* — *enumeratione utemur*. Grut. 1. 3. quae omnia e gloss. orta sunt.). ([21]) ∞ *ac* T. ([22]) Sic T. 1. 2. 3. — *exceptarum* al. — *exscriptarum* L. ([23]) Sic T. L. Sch. 2. — *voluntas et expositio* Grut. 1. 3.

contra eum, qui scriptum recitet, et scriptoris voluntatem [1] non interpretetur. 15. Quum duae leges inter se discrepant [2], videndum est primum, num qua obrogatio [3] aut derogatio sit. Deinde, utrum leges ita dissentiant, ut altera iubeat, altera vetet: an ita, ut altera cogat, altera permittat. Infirma enim erit eius defensio, qui negabit, se fecisse, quod cogeretur [4], quum altera lex permitteret. Plus enim valet sanctio permissione. Item illa defensio tenuis est, quum ostenditur id factum esse, quod ea lex sanciat, cui legi obrogatum, vel derogatum sit: id, quod posteriori lege sancitum sit, esse neglectum. Quum haec erunt considerata, statim nostrae legis expositione, recitatione, collaudatione utemur. Deinde contrariae legis enodabimus voluntatem, et eam trahemus ad nostrae causae commodum. Deinde de iuridiciali [5] absoluta sumemus rationem iuris [6], et quaeremus partem iuris, utrum cum ea faciat [7]: de qua parte posterius disseremus. XI. 16. Si ambiguum est scriptum, ut puta quod [8] in duas aut plures sententias trahi possit, hoc modo tractandum est. Primum, sitne ambiguum, quaerendum est. Deinde, quomodo scriptum esset, si id, quod adversarii interpretantur [9], scriptor fieri voluisset, ostendendum est. Deinde id, quod nos interpretemur, et fieri posse, et honeste, recte, lege, more, natura, bono et aequo [10] fieri posse; quod adversarii interpretentur [11], e contrario: nec esse ambigue scriptum, quum intelligatur, utrum sententia vera sit. Sunt, qui arbitrentur [12], ad hanc causam tractandam vehementer pertinere cognitionem amphiboliarum eam, quae a dialecticis profertur [13]. Nos vero arbitramur, non modo nullo [14] adiumento esse, sed potius maximo impedimento. Omnes enim illi amphibolias aucupantur, eas etiam, quae ex altera parte sententiam [15] nullam possunt interpretari. Itaque et alieni sermoni$_s$

([1]) = *voluntatem scriptoris* L. ([2]) — *discrepent* T. al. ([3]) Sic L. €. 1. 2. — *abrogatio* Cdd. etiam T. 3. sic et mox *abrogatum* plerique. ([4]) Sic L. 1. 2. 3. ∞ *cogeretur ab altera* T. al. Sch. in Ed. mai. W. Est tamen e gloss. nam deberet esse: *quod cogeretur ab altera lege, quum altera permitteret.* ([5]) Sic T. 1. 2. 3. — *iudiciali* Cdd. aliq. L. sed infra constanter *iuridiciali.* ([6]) Sic Cdd. T. L. 1. 3. ∞ del. *iuris* Sch. €. 2. ([7]) Sic L. 1. 3. Sed. T. ∞ *partes iuris, utrum cum ea faciant*, qua cum lectione non nimis bene coit *de qua parte* ut nunc legitur — *partes iuris, utrum cum causa faciant* Sch. €. 2. sed *ea* manifesto refertur ad v. *iuridicali absoluta.* Vitium inest in v. *de qua parte* Delendum scil. *parte*, ut *de qua* referatur ad: *iuridiciali absoluta*, ut mox §. 17. *de qua iam loquemur*, et §. 21 in fine, ubi vide. Legerim igitur: — *sumemus rationem iuris, et quaeremus partes iuris, utrum cum ea faciant: de qua posterius diss.* ([8]) Sic Cdd. aliq. 1. 3. — *si ambiguum esse scriptum putabitur, ut puta, quod* T. al. — *si ambiguum esse ser. putabitur, quod* Ed. princeps. L. Lallemand. Sch. 2. sed error ortus est ex ignoratione formulae *ut puta*, quae ap. Celsum quoque reperitur (Wetz. *puta* [ ]). ([9]) Sic Cdd. T. L. 3. — *interpretentur* Ern. €. 1. 2. Otx. Adversarii re vera *interpretantur;* nos, quomodo *interpretemur*, a nostra pendet cogitatione. Quo circa in illo praestat indicativus, in hoc coniunctivus. ([10]) Sic Cdd. T. 1. 2. 3. — *aequo et bono* L. ut infra aliquoties in hac formula. Sed Gaius semper: *bono et aequo.* ([11]) — *interpretantur* L. Sed h. l. est oratio obliqua. ([12]) Sic Cdd. aliq. T. 1. 2. — *arbitrantur* Cdd. alii L. 3. ([13]) ∞ *proferatur* T. al. ([14]) Sic T. Cdd. plerique. L. 1. 2. 3. — *ullo* Cdd. aliq. Sch. in Ed. mai. ([15]) Sic Cdd. T. Lambini editio. 1. 3. Recte: sensus est: quae, si contrariam iis significationem tribuas, sensum omnino nullum praebent. — *in sententiam — interpretari* passive. De L. suspic. Sch. 2.

molesti interpellatores, et scripti tum odiosi, tum obscuri interpretes sunt; et dum caute et expedite [1] loqui volunt, infantissimi reperiuntur. Ita dum metuunt in dicendo, ne quid ambiguum dicant, nomen suum pronuntiare non possunt. Verum horum pueriles opiniones rectissimis [2] rationibus, quum voles, refellemus. In praesenti hoc interdicere [3] non alienum fuit, ut huius infantiae garrulam disciplinam contemneremus. XII. 17. Quum definitione utemur, primum afferemus brevem vocabuli definitionem, hoc modo: Maiestatem is minuit, qui ea tollit, ex quibus [4] civitatis amplitudo constat: [quae sunt ea? quae capiunt] [5] suffragia populi, et magistratus consilium. Nempe igitur tu et populum suffragio et magistratum consilio privasti, quum pontes disturbasti. Item ex contrario: Maiestatem is minuit, qui amplitudinem civitatis detrimento afficit. Ego non affeci, sed prohibui detrimento [6]; aerarium enim conservavi, libidini malorum restiti, maiestatem omnem interire non passus sum. Primum igitur vocabuli sententia breviter, et ad utilitatem causae accommodate describetur: deinde factum nostrum cum verbi descriptione coniungetur: deinde contrariae descriptionis ratio refelletur, si aut falsa erit, aut inutilis, aut turpis, aut iniuriosa. Id quoque [7] ex iuris partibus sumetur de iuridiciali [8] absoluta, de qua iam loquemur. 18. Quaeritur in translationibus [9] primum, num aliquis [10] eius rei actionem, petitionem [11] aut persecutionem habeat, [quem non oporteat] [12]; num alio modo, tempore, loco; num alia lege, num alio quaerente, aut agente [13]. Haec legibus, moribus, aequo et bono reperientur; de quibus dicetur in iuridiciali absoluta. In causa rationali [14] primum quaeretur, ecquid in rebus maioribus, aut minoribus, aut similibus [15], similiter scriptum aut iudicatum sit: deinde, utrum ea res similis sit ei rei, qua de agitur, an dissimilis: deinde, utrum consulto de ea re scriptum non sit, quod noluerit cavere, quod [16] satis cautum putarit, propter ceterorum scriptorum similitudinem [17]. De partibus legitimae constitutionis satis dictum est, nunc ad iuridicialem revertamur.

XIII. 19. Absoluta iuridiciali constitutione utemur, quum ipsam rem, quam nos fecisse confitemur, iure factam dicemus, sine ulla

---

(1) ∞ *expediteque* L. solus. (2) Sic Cdd. 1. 2. 3. — *certissimis* L. E. (3) *In praesentiarum* 1. 3. et Cdd. omnes praeter unum Pithoei et Ed. Med. qui habent *in praesenti*: et sic L. Sch. 2. addentes *autem*, quod inutile mihi fulcrum visum est. ∞ *In praesentia* Iunt. Crat. Utrumque vero videtur fluxisse ex correctione codicum, ipsam tamen scriptoris manum restituente v. Graev. Pro *interdicere* Cdd. multi. T. *intercedere*. — *interserere* L. E. ∞ *interim dicere* Crat. (4) Sic Cdd. aliq. Sch. 2. — add. *rebus* T. L. 1. 3. (5) Haec Ern. [ ]. del. Sch. 2. Interrogatio certe locum non habet. (6) — *detrimentum* L. solus. (7) ∞ *idque* T. (8) ∞ *sumetur ac de iurid.* L. (9) Sic Cdd. L. 1. 3. — *In translationibus quaeretur* Sch. E. 2. (10) — *alius* Ern. susp. (11) Sic Cdd. T. 1. 2. — *aut petitionem* Steph. L. — *possessionem aut persecutionem* Ranconeti E. prob. Lamb. — *executionem* T. al. — *per petitionem* Grut. 3. (12) Habet T. Omitt. boni Cdd. del. Sch. 2. Nos [ ]. (13) Sic T. 1. 3. ∞ omitt. Cdd. aliquot. — *sit agendum* Sch. E. 2. — *aut indicante* de Ranconeti E. L. (14) — *ratiocinali* Cdd. aliq. (15) — add. *aut dissimilibus* Duisb. pr. Graevio. Sed tum *aut* ante *similibus* delendum erit. (16) Sic Cdd. aliq. Ern. 1. — *quod noluerit cavere, an quod* Cdd. aliq. Grut. 3. Sch. 2. ∞ *sit, quod satis cautum*, omissis v. *quod noluerit cavere* T. L. (17) — add. *an inconsulto* L. E.

assumptione extrariae [1] defensionis. In ea quaeri convenit [2] iurene [3] factum sit. De eo causa posita dicere poterimus, si, ex quibus partibus ius constet, cognoverimus. Constat igitur ex his partibus: natura, lege, consuetudine, iudicato, aequo et bono, pacto. Natura ius est, quod cognationis aut pietatis causa observatur; quo iure parentes a liberis, et a parentibus liberi coluntur. Lege ius est id, quod populi iussu sancitum est: quod genus [4], ut in ius eas [5], quum voceris. Consuetudine ius est id, quod sine lege, aeque ac si legitimum sit, usitatum est; quod genus, id [6] quod argentario tuleris [7] expensum, ab socio eius recte repetere possis. Iudicatum est id, de quo sententia lata est, aut decretum interpositum. Ea saepe diversa sunt, ut aliud alii iudici, aut praetori, aut consuli, aut tribuno plebis placitum sit; et fit, ut de eadem re saepe alius aliud decreverit, aut iudicarit [8]: quod genus: M. Drusus, praetor urbanus, quod cum herede mandati ageretur, iudicium reddidit; Sex. Iulius non reddidit. Item: C. Caelius iudex [9] absolvit iniuriarum eum, qui Lucilium poëtam in scena nominatim laeserat [10]: P. Mucius eum, qui L. Accium poëtam nominaverat, condemnavit. 20. Ergo, quia possunt res simili de causa dissimiliter iudicatae proferri, quum id usu venerit, iudicem cum iudice, tempus cum tempore, numerum cum numero iudiciorum conferemus [11]. Ex aequo et bono ius constat, quod ad veritatem et ad utilitatem [12] communem videtur pertinere; quod genus, ut [13] *maior annis LX, et cui morbus causa est, cognitorem det.* Ex eo [vel] [14] novum ius constitui convenit ex tempore et ex hominis [15] dignitate. Ex pacto ius est: *si qui quid inter se* [16] *pepigerunt, si quid inter quos convenit.* Pacta sunt [17], quae legibus observanda sunt, hoc modo: *Rem ubi pagunt, orato; ni pagunt, in comitio, aut in foro ante meridiem causam conicito.* [18]. Sunt item pacta, quae sine legibus observantur ex conventu, quae iure [19] praestare dicuntur. His igitur partibus [20] iniuriam demonstrari, ius confirmari convenit, idque in absoluta iuridiciali faciendum videtur. XIV. 21. Quum [21] ex comparatione quaeretur, utrum satius fuerit agere [22] id, quod reus dicat se fecisse, an id, quod accusator dicat oportuisse fieri: primum quaeri conveniet [23], utrum fuerit utilius ex contentione, hoc est, utrum

---

([1]) Sic Cdd. pleriq. — *extraneae* O1x. al. L. ([2]) = *convenit quaeri* T. L. ([3]) — *iurene an iniuria* L. E. ([4]) — *quod genus est* L. ([5]) — *in ius ut eas* L. ([6]) — *quod genus est, quod* L. ([7]) Sic T. L. 1. 2. 3. — *obtuleris* Grut. 1618. ([8]) Sic T. alii meliores = *iudicaverit* L. 1. 2. 3. ([9]) ∞ om. T. ([10]) ∞ *laserat* T. ([11]) Sic O2x. L. E. nunc a Cdd. confirmata Sch. 2. — *proferemus* Cdd. pleriq. T. 1. 3. ([12]) Sic L. — *et utilitatem* T. 1. 2. 3. ([13]) — om. *ut* L. solus. ([14]) Sic 1. 2. 3. ∞ om. T. et alii multi. L. Nos [ ]. ([15]) Sic T. L. — *et hominis* 1. 2. 3. ([16]) Sic Cld. pr. Oud. Sch. 2. — *si quid inter se* T. Cdd. haud pauci. — *si qui inter se* L. 1. 3. ([17]) Sic Cdd. omnes. L. 1. 3. ∞ *sunt pacta* Sch. E. 2. ([18]) Sic leg. e E. Bosii ap. L. Cdd. omnes corrupti. *conicito* e T. et multis Cdd. dedi pro *conficito*. Ceterum in ed. L. prima: *oratione pagunt — condicunto* (*condicito* volebat). Vide omnino Dirksen XII *Tafeln*. p. 170 seqq. ([19]) Sic T. Cdd. multi 1. 2. — *iuri* Cdd. alii L. ∞ *praestari* W. ([20]) ∞ *His igitur e partibus* L. ([21]) Sic Cdd. L. 1. 3. — *In assumptiva, quum* Sch. E. 2. ([22]) Sic T. 1. 2. 3. ∞ *facere* O2x. L. ([23]) Sic T. et alii. L. — *conveniat* 1. 2. 3.

† venustius [1], facilius, conducibilius. Deinde oportebit quaeri, ipsumne oportuerit iudicare, utrum fuerit utilius, an aliorum fuerit statuendi potestas. Deinde interponetur ab accusatore suspicio ex constitutione coniecturali, quare [2] putetur non ea ratione factum esse, quo melius deteriori anteponeretur, sed dolo malo negotium gestum. Deinde quaeretur, potueritne vitari, ne in eum locum veniretur. Ab defensore contra refelletur argumentatio coniecturalis aliqua probabili causa: de qua ante dictum est [3]. 22. His ita tractatis [4], accusator utetur loco communi in eum, qui inutile utili praeposuerit, quum statuendi non haberet [5] potestatem. Defensor contra eos, qui aequum censeant [6], rem perniciosam utili praeponi, utetur loco communi per conquestionem, et simul quaeret ab accusatoribus, et ab iudicibus ipsis, quid facturi essent, si in eo loco fuissent; et tempus, locum, rem, deliberationem suam ponet ante oculos. XV. Translatio criminis est, quum ab reo facti causa in aliorum peccatum transfertur. In qua primum quaerendum est, iurene [7] in alium crimen transferatur: deinde spectandum est, an [8] aeque magnum sit illud peccatum, quod in alium transferatur, atque illud, quod reus suscepisse se fateatur [9]: deinde, oportueritne in ea re peccare, in qua alius ante peccarit: deinde, oportueritne iudicium ante fieri: deinde, quum factum iudicium non sit de illo crimine, quod in alium transferatur, oporteatne de ea re iudicium fieri, quae res in iudicium nondum [10] venerit. Locus communis accusatoris, contra eum, qui plus censeat vim, quam iudicia valere oportere: et ab adversariis percontabitur accusator, quid futurum sit, si idem ceteri faciant, ut de indemnatis supplicia [11] sumant, quod eos idem fecisse dicat [12]. Quid si ipse accusator idem facere voluisset? Defensor eorum peccati atrocitatem proferet, in quos crimen transferetur; rem, locum, tempus ante oculos ponet, ut ii, qui audient [13], existiment, aut non potuisse, aut non fuisse utile, rem in iudicium venire. XVI. 23. Concessio est, per quam nobis ignosci postulamus. Ea dividitur in purgationem, et deprecationem. Purgatio est, quum consulto a nobis factum negamus. Ea dividitur in necessitudinem, fortunam, imprudentiam. De his primum partibus ostendendum est; deinde ad deprecationem revertendum

---

(1) Sic Cdd. omnes 1. 3. Corrupte omnino — *honestius* L. E. Sch. 2. parum probabiliter. Fuitne *verius*, i. e. iustius? quod quum glossemate hoc ipso explicaretur *verius iustius*, facile illud *venustius* parere poterat. (2) Sic Cdd. aliq. L. (nisi quod habet: *coniecturali constitutione*) 1. 2. 3. ∞ *accusare coniecturae*, *quare* T. et alii meliores. (3) Cdd. aliq. v. c. Turic: ∞ *Aliqua* (Sic T. non, ut al. *De aliqua) probabili causa ab defensore contra refelletur* (*contra* om. Tur. et hab. *refellatur) argumentatio coniecturalis*, *de qua est*. His Erf. et Cauch. (non vero T.) subiiciunt superiora: *Deinde quaeretur — veniretur* pr. Graev. Oud. Sed prior illa transpositio facta est ab iis, qui offenderentur v. *de qua e. dictum est* nimis longe a v. *argumentatio coniecturalis*, quo pertinet, separatis. Cfr. supra §. 15. (4) Sic T. 1. 2. — *His locis ita tr.* L. 3. (5) Sic Cdd. aliq. 1. 2. — *habuerit* T. L. 3. (6) = *aequum esse censeant* Otx. L. (7) Sic pauci Cdd. L. 1. 2. 3. ∞ *verene* T. Cdd. pleriq. pr. Oud. non sine causa. (8) Cdd. omittunt *an*: unus et alter *si*, quod recepit Sch. 2. *an* L. 1. 3. (9) ∞ *dicatur* T. al. (10) Sic Otx. Omnib. 1. 2. ∞ *non* Cdd. pleriq. L. 3. (11) ∞ *supplicium* L. (12) Sic T. meliores Cdd. L. — *dicant* 1. 3. *Quod — dicat* del. Sch. E. 2. Mirum maxime h. l. *idem*. (13) = *audiunt* T. al.

videtur [1]. Primum considerandum est, num culpa ventum sit in necessitudinem, num culpam veniendi necessitudo fecerit [2]. Deinde quaerendum est [3], ecquo modo vis illa vitari potuerit, ac levari. Deinde is, qui in necessitudinem causam conferet, expertusne sit, quid [4] contra facere, aut excogitare posset. Deinde, num quae suspiciones ex coniecturali constitutione trahi possint, quae significent, id consulto factum esse, quod necessario accidisse dicitur [5]. Deinde, si maxime necessitudo quaepiam fuerit, conveniatne eam satis idoneam causam putari. 24. Sin [6] autem imprudentia reus se peccasse dicet, primum quaeretur, utrum potuerit scire, an non potuerit. Utrum data sit opera, ut sciretur, an non [7]. Deinde utrum casu nescierit, an culpa. Nam qui se propter vinum, aut amorem, aut iracundiam, fugisse rationem dicet, is animi vitio videbitur nescisse, non imprudentia: quare non imprudentia se defendet, sed culpa contaminabit [8]. Deinde coniecturali constitutione quaeretur, utrum scierit, an ignoraverit, et considerabitur, satisne imprudentia praesidii debeat esse, quum factum esse constet [9]. Quum in fortunam causa conferetur, et ea re defensor ignosci reo dicet oportere, eadem omnia videntur consideranda, quae de necessitudine praescripta sunt. Etenim omnes hae tres partes purgationis inter se finitimae sunt, ut in omnes eadem fere possint accommodari. Loci communes in his causis: accusatoris contra eum, qui, quum se peccasse confiteatur [10], tamen oratione iudices demoretur [11]: defensoris, de humanitate, misericordia [12]: voluntatem in omnibus rebus spectari convenire, et [13] quae consulto facta non sint, in iis fraudem esse [14] non oportere. XVII. 25. Deprecatione utemur, quum fatebimur nos peccasse, neque id imprudenter, aut fortuitu [15], aut necessario fecisse dicemus, et tamen ignosci nobis postulabimus. Hic ignoscendi ratio quaeritur ex iis locis, si plura aut maiora officia, quam maleficia, videbuntur constare; si qua virtus aut nobilitas erit in eo, qui supplicabit; si qua spes erit, usui futurum, si sine supplicio discesserit, si ipse ille [16] supplex, mansuetus et misericors in potestatibus ostendetur fuisse; si ea, quae peccavit, non odio, neque crudelitate, sed officio et recto studio commotus fecit; si tali de causa aliis quoque ignotum est; si nihil ab eo periculi nobis futurum videbitur, si eum missum fecerimus; si nulla aut a nostris civibus, aut ab aliqua civitate [17] vituperatio ex ea re suscipietur. 26. Loci communes: de humanitate, fortuna, misericordia, rerum commutatione. His locis omnibus ex

---

([1]) *De his — videtur* del. Sch. €. 2. sed v. Grut. ([2]) Variant Cdd. inter: *num culpa* 1. ∞ *num per culpam* T. ∞ *utrum per culpam* L. 3. (— *num culpa veniendi necessitudinem fecerit* Erf.) — *an culpam v. necessitudo f.* L. Sch. €. 2. ita: *In prima parte cons. est, utrum praeter culpam ventum sit in nec. an culpa venienti necessitudinem fecerit.* ([3]) Sic T. L. 1. 3. — om. *est* Cdd. aliq. Sch. 2. ([4]) ∞ *ecquid* L. ([5]) ∞ *dicatur* T. al. ([6]) e Cdd. Sch. 2. — *si* L. 1. 3. ([7]) Haec *Utrum — non* inErn. Ed. exciderunt, typothetarum culpa. ([8]) — *contaminabitur* Cdd. aliq. ([9]) Sic T. L. 1. ∞ *factum constet* Cdd. aliq. pr. Oud. Sch. 2. — *factum esse constet imprudenter* Grut. 3. ([10]) — *fateatur* L. ([11]) Sic etiam Lamb. non *moretur.* ([12]) ∞ *de miseric.* Otx. L. ([13]) ∞ om. T. ([14]) Sic T. Cdd. pleriq. 1. 2. — *ea fraudi esse* Crat. L. 3. ([15]) = *fortuito* Cdd. aliq. L. ([16]) — *ille ipse* L. ([17]) Sic T. Cdd. pleriq. 1. 2. — *ab aliqua alia civitate* L. 3.

contrario utetur is, qui contra dicet, cum amplificatione, et enumeratione peccatorum [1]. Haec causa, iudicialis fieri non potest, ut in primo libro ostendimus: sed quod potest vel ad senatum vel ad consilium venire [2], non visa est supersedenda. Quum a nobis crimen removere volemus, aut in rem, aut in hominem nostri peccati causam conferemus. Si causa in hominem conferetur, quaerendum erit primum, potueritne tantum, quantum reus demonstrabit, is, in quem causa conferetur, et quonam modo [3] aut honeste, aut sine periculo potuerit obsistere [4]: si maxime ita sit, num ea re concedi reo conveniat, quod alieno inductu fecerit. Deinde in coniecturalem trahetur controversiam, et edisseretur [5], num consulto factum sit. Si causa in rem quandam conferetur, et haec eadem fere, et omnia, quae de necessitudine praecepimus, considerauda erunt.

XVIII. 27. Quoniam satis ostendisse [6] videmur, quibus argumentationibus in unoquoque genere causae iudicialis uti conveniret, consequi [7] videtur, ut doceamus, quemadmodum ipsas argumentationes ornate et absolute tractare possimus. Nam fere non difficile est invenire, quid sit causae adiumento: difficillimum vero est, inventum expolire, et expedite pronuntiare. Haec enim res facit, ut neque diutius, quam satis sit, in eisdem locis commoremur, neque eodem identidem revolvamur, neque inchoatam argumentationem relinquamus, neque incommode ad aliam deinceps transeamus. Itaque hac ratione et ipsi meminisse poterimus, quid quoquo [8] loco dixerimus, et auditor quum totius causae, tum uniuscuiusque argumentationis distributionem percipere et meminisse poterit. 28. Ergo absolutissima et perfectissima argumentatio est ea, quae in quinque partes est distributa: propositionem, rationem, rationis confirmationem, exornationem, complexionem. Propositio est, per quam ostendimus summatim, quid sit, quod probare volumus. Ratio est causa, quae demonstrat, verum esse id [9], quod intendimus, brevi subiectione. Rationis confirmatio est ea, quae pluribus argumentis corroborat breviter expositam rationem. Exornatio est, qua utimur rei honestandae et collocupletandae [10] causa, confirmata argumentatione. Complexio est, quae concludit breviter, colligens partes argumentationis. Hisce igitur quinque partibus ut absolutissime utamur, hoc modo tractabimus argumentationem. XIX. Causam ostendemus Ulixi fuisse, quare interfecerit Aiacem; inimicum enim acerrimum de medio [11] tollere volebat; a quo sibi non iniuria summum periculum metuebat. Videbat illo incolumi, se incolumem non futurum: sperabat illius morte se salutem sibi comparare; consueverat [12], si iure non poterat, quavis iniuria inimico exitium machinari, cui rei mors indigna Palamedis testimonium

---

([1]) Sic T. Cdd. pleriq. 1. 2. — *en. omnium pecc.* L. 3. ([2]) — *pervenire* L. ([3]) Sic Cdd. T. 1. 2. — *et ecquonam modo* Steph. L. ([4]) Sic Cdd. aliq. 1. 2. — *obsisti.* T. Cdd. aliq. L. 3. ([5]) Sic Cdd. aliq. 1. 2. 3. — *disseretur* T. al. — *quaeretur* Cdd. aliq. L. ([6]) Sic T. cum melioribus L. 1. 2. — *ostendere* Cdd. aliq. 3. ([7]) — *consequens* Cdd. aliq. ([8]) Sic Cdd. aliq. 1. 3. ∞ *quoque* T. al. Sch. 2. ∞ *in unoquoque* Cdd. aliq. L. ([9]) = *id verum esse* L. ([10]) — *atque locupletandae* Cdd. aliq. Ald. ([11]) — *non iniuriam, sed summum* T. alii pauci. ([12]) — *consueverat enim* L. solus.

dat[1]. Ergo et metus periculi hortabatur eum interimere, a quo supplicium verebatur; et consuetudo peccandi, maleficii suscipiendi removebat dubitationem. 29. Omnes enim quum minima peccata cum causa suscipiunt[2], tum vero illa, quae multo maxima sunt maleficia, aliquo certo emolumento inducti[3] suscipere conantur. Si multos induxit in peccatum pecuniae spes, si complures scelere se contaminaverunt imperii cupiditate, si multi leve compendium fraude maxima commutarunt[4]; cui mirum videbitur, istum a maleficio propter acerrimam formidinem non temperasse[5]? Virum fortissimum, integerrimum, inimicitiarum persequentissimum, iniuria lacessitum, ira exsuscitatum[6], homo timidus, nocens, conscius sui peccati, insidiosus, † inimicum[7] incolumem esse noluit: cui tandem hoc mirum videbitur? Nam quum feras bestias videamus alacres et erectas vadere, ut alteri bestiae noceant; non est incredibile putandum, istius quoque animum ferum, crudelem, atque inhumanum, cupide ad inimici perniciem profectum[8]; praesertim quum in bestiis nullam neque bonam neque malam rationem videamus[9], in isto plurimas et pessimas rationes semper fuisse intelligamus. 30. Si ergo pollicitus sum, me daturum[10] causam, qua inductus Ulixes accesserit ad maleficium, et[11], si inimicitiarum acerrimam rationem, et periculi metum intercessisse demonstravi: non est dubium, quin confiteatur causam maleficii fuisse. Ergo absolutissima est argumentatio ea, quae ex quinque partibus constat; sed ea non semper necesse est uti. Tum enim complexione supersedendum est[12], si res brevis est, ut facile memoria comprehendatur: tum exornatio praetermittenda est[13], si parum locuples ad amplificandum et exornandum res videtur esse. Sin et brevis erit argumentatio, et res tenuis, aut humilis; tum et[14] exornatione et complexione supersedendum est. In omni argumentatione[15] de duabus partibus postremis, haec, quam exposui[16], ratio est habenda[17]. Ergo amplissima est argumentatio quinquepartita; brevissima est[18] tripartita; mediocris, sublata aut exornatione aut complexione, quadripartita.

XX. 31. Duo genera sunt[19] vitiosarum argumentationum: unum, quod ab adversario reprehendi potest; idque pertinet ad causam: alterum, quod tametsi nugatorium est, tamen non indiget reprehensionis[20]. Quae sint, quae reprehensione confutari conveniat, quae tacite contemni atque vitari sine reprehensione, nisi exempla subiecero, intelli-

---

(1) — *praebet* C1d. (2) — *suscipiant* T. alii. (3) Sic Cdd. pleriq. T. L. cfr. infra §. 34. et 39. — *ducti* 1. 2. 3. (4) Sic e Cdd. 1. 2. = *commutaverunt* L. 3. (5) — *sibi non temp.* de Lamb. €. Sch. 2. (6) Sic Cdd. multi T. a m. pr. 1. 2. — *excitatum* Cdd. alii. T. a m. 2. L. 3. (7) Sic Cdd. omnes: corrupte: vel *inimicum* del. prob. Graev. vel cum Gronov. Sch. 2. leg. *inimicus*. (8) — *perniciem esse profectum* L. (— *provectum* Grut. suspic.). (9) Sic T. L. 1. 2. — *rationem esse vid.* Grut. 3. (10) — *dicturum* C1d. (11) ∞ om. Cdd. aliq. pr. Oud. (12) — del. *est* Sch. €. 2. (13) — del. *est* Sch. €. 2. (14) — om. T. L. (15) ∞ *In omni autem arg.* L. (16) Sic T. 1. 2. 3. — *exposuimus* L. (17) ∞ *adhibenda* C1d. Haec omnia *In omni — habenda* del. Sch. € 2. (18) — om. Sch. €. 2. (19) = *sunt genera* L. (20) e C1d. Gronov. 1. 2. ∞ *reprehensione* Cdd. fere omnes. T. L. 3.

gere dilucide non poteris [1]. Haec cognitio vitiosarum argumentationum duplicem utilitatem afferet. Nam et vitare in argumentatione vitium admonebit, et ab aliis non vitatum commode reprehendere docebit [2]. Quoniam igitur ostendimus, perfectam et plenam [3] argumentationem ex quinque partibus constare, in unaquaque parte argumentationis quae vitia vitanda sint [4], consideremus: ut et ipsi ab his vitiis recedere, et adversariorum argumentationes hac praeceptione in omnibus partibus tentare, et ab aliqua parte labefactare possimus. 32. Expositio vitiosa est, quum ab aliqua aut a maiore parte ad omnes confertur id, quod non necessario est omnibus attributum; ut si quis hoc modo exponat: Omnes, qui in paupertate sunt, malunt maleficio parare divitias [5], quam officio paupertatem tueri. Si quis hoc modo exposuerit argumentationem, ut non curet quaerere, qualis ratio aut rationis confirmatio sit, ipsam facile reprehendemus expositionem, quum ostendemus, id [6], quod in aliquo paupere improbo sit, in omnes pauperes falso et iniuria conferri. 33. Item vitiosa expositio est, quum id, quod raro fit, fieri omnino negatur, hoc modo: Nemo potest uno aspectu, neque praetereiens, in amorem incidere. Nam quum nonnemo devenerit in amorem uno aspectu, et quum ille neminem dixerit omnino [7], nihil refert [8] raro id fieri, dummodo aliquando fieri aut posse fieri intelligatur. XXI. Item vitiosa expositio est, quum omnes res ostendimus [9] nos collegisse, et aliquam rem idoneam praeterimus, hoc modo: Quoniam igitur hominem occisum constat esse, necesse est aut a praedonibus, aut ab inimicis occisum esse, aut abs te, quem ille heredem testamento ex parte fecerat [10]. Praedones illo loco [11] nunquam sunt [12] visi: inimicum nullum habebat. Relinquitur, si neque a praedonibus, neque ab inimicis occisus est, quoniam [13] alteri non erant, alteros non habebat, ut abs te sit interemptus. Nam in huiusce modi [14] expositione, reprehensione utemur, si quos, praeterea quam ille [15] dixerit, potuisse suscipere [16] maleficium ostenderimus [17]: velut in hoc exemplo, quum dixerit necesse esse aut a praedonibus, aut ab inimicis, aut a nobis occisum esse; dicemus potuisse vel a familia, vel a coheredibus nostris. Quum hoc modo illorum collectionem disturbaverimus, nobis latiorem locum defendendi relinquemus. [Ergo hoc quoque vitandum est in expositione, ne quando, quum omnia collegisse videamur, aliquam idoneam partem reliquerimus] [18]. 34. Item vitiosa expositio est, quae constat ex falsa enumeratione: ut si, quum plura sunt [19], pauciora dicamus, hoc modo:

([1]) Sic T. et alii meliores. 1. 2. — *si ex. subiecero, dilucide intell.* (*intell. dilue.* 3.) *poteris.* L. Grut. ([2]) Haec verba *Haec — docebit* del. Sch. € 2. ([3]) = *plenam et perfectam* L. ([4]) Sic Cdd. aliq. L. 1. 2. — *sunt* T. Grut. 3. ([5]) = *divitias parare* L. ([6]) ∞ *id* cum Cdd. aliq. L. transposuit ante v. *in omnes.* ([7]) = *omnino dixerit* L. ([8]) e Cld. L. Sch. 2. — *differt* Cdd. pleriq. T. 1. 3. ([9]) ∞ *ostendemus* Cdd. complures. ([10]) Sic Pith. Ern. 1. 2. — *faciebat* Cdd. fere omnes (— *fecerit* Olx.) T. L. 3. ([11]) Sic L. 1. 2. 3. ∞ *in illo loco* Cdd. multi. Crat. ([12]) — om. Cld. pr. Oud. ([13]) ∞ *quod* Cdd. aliq. L. ([14]) Sic T. 1. 2. 3. — *huiusmodi* L. ([15]) Sic e Cdd. aliq. pr. Graev. Sch. 2. — *si quos praeter eos, quos ille* T. L. 1. 3. ([16]) = *suscip. potuisse* L. ([17]) Sic T. 1. 2. 3. ∞ *ostendemus* Cdd. aliq. L. ([18]) Haec absunt a Cd. Cortii; del. Sch. 2. ([19]) Sic 1. 2. 3. ∞ *sint* T. L.

Duae res sunt, iudices, quae homines [1] ad maleficium impellunt, luxuries et avaritia. Quid amor? inquiet quispiam: quid ambitio? quid religio [2]? quid metus mortis? quid imperii cupiditas? quid denique alia permulta? Item falsa enumeratio est, quum pauciora sunt, et plura dicimus [3], hoc modo: Tres res [4] sunt, quae homines [5] sollicitant, metus, cupiditas, aegritudo. Satis enim fuerat dixisse metum et cupiditatem; quoniam aegritudinem cum utraque re coniunctam esse necesse est. XXII. Item vitiosa expositio est, quae nimium longe repetitur, hoc modo: Omnium malorum stultitia est mater, quae prae ceteris parit [6] immensas cupiditates. Immensae porro cupiditates infinitae et [7] immoderatae sunt. Hae pariunt avaritiam. Avaritia porro hominem ad quodvis maleficium impellit. Ergo avaritia inducti [8] adversarii nostri hoc in se [9] facinus admiserunt. Hic id, quod extremum dictum est, satis fuit exponere, ne Ennium et ceteros poëtas imitemur, quibus hoc modo loqui concessum est:

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Caesa accidisset [10] *abiegna ad terram trabes:*
Neve inde navis inchoandae exordium
Coepisset, quae nunc nominatur nomine
Argo, qua vecti Argivi delecti viri,
Petebant illam pellem inauratam [11] *arietis,*
Colchis, imperio regis Peliae, per dolum:
Nam nunquam [12] *hera errans mea domo efferret pedem,*
Medea, animo aegra, amore saevo saucia [13].

Nam hic satis erat dicere (si id modo, quod esset satis, curasset poëta) [14]

Utinam ne hera errans mea domo efferret pedem,
Medea — [15].

[Ergo hac quoque ab ultimo repetitione in expositionibus magnopere supersedendum est. Non enim reprehensione, sicut aliae complures,

---

([1]) Sic Cdd. aliq. L. Sch. 2. — *omnes* T. Cdd. pleriq. 1. 3. ([2]) Sic pauci Cdd. Grut. 3. Sch. 2. — *irreligio* Cdd. pleriq. T. L. 1. Est hoc voc. Appuleianum; v. van Vaassen *Fasti* p. 231. ([3]) ∞ *dicemus* T. al. ([4]) ∞ *pestes* C1d. Pith. ([5]) Sic. T. al. Sch. 2. — *omnes homines* L. 1. 3. ([6]) Sic Cdd. pleriq. T. L. 3. — *quae parit* 1. 2. ([7]) ∞ om. Cdd. aliq. etiam T. *infinitae et immoderatae sunt: hae* del. Sch. €. 2. minime animadvertens, scriptorem vitiosum h. l. exemplum proposuisse. ([8]) Sic Cdd. pleriq. T. Sch. in Ed. mai. = *Igitur av. ind.* L. 1. 2. 3. ([9]) Sic Cdd. L. 1. 2. 3. — *in me* volebat Rhuncken. ad Rutil. p. 83. Perperam omnino. ([10]) Sic de Oud. sententia Sch. 2. Osann *Anal. crit.* p. 106. Bothe *Poëtae scen.* p. 52. — *cecidisset* L. 1. 3. cfr. et Planckii *Medeam* p. 74. ([11]) Versus, ut hic habentur, conservarunt Planckius, Osann, Bothe l. l. — Sch. 2. de Graevii ex parte €: *Argo, qua Argivi mille delecti viri Vecti petebant:* — L. de Ranconeti €. *villo pell. inaurato.* ([12]) ∞ *nusquam* O1x. Grut. €. ([13]) Sic Cdd. aliq. L. 1. 2. 3. Sed Cdd. pleriq. ut T. *Medea aegro amore saucia.* ([14]) — *curarent poëtae* C1d. prob. Graev. ([15]) Sic 1. 2. Hic plerique Cdd. etiam T. addunt: *aegro amore saucia.* ∞ *Medea, amore saucia* Graev. 3. ∞ *Medea, animo aegra, amore saevo saucia* L.

sed sua sponte vitiosa est][1]. XXIII. 35. Vitiosa ratio est[2], quae ad expositionem non est accommodata, vel propter infirmitatem, vel propter vanitatem. Infirma ratio est, quae non necessario ostendit ita esse, quemadmodum expositum est: velut apud Plautum,

Amicum castigare ob meritam noxiam,
Immune[3] *est facinus; verum in aetate utile*
Et conducibile.

Haec expositio est. Videamus, quae ratio afferatur:

— nam ego amicum hodie meum
Concastigabo pro commerita noxia[4].

Ex eo, quod ipse facturus est[5], non ex eo, quod fieri convenit, utile quid sit, ratiocinatur. Vana ratio est, quae ex falsa causa constat, hoc modo: Amor fugiendus non est: nam ex eo verissima nascitur amicitia. Aut hoc modo: Philosophia vitanda est: affert enim secordiam atque desidiam. Nam hae rationes nisi falsae essent, expositiones quoque earum veras esse confiteremur[6]. 36. Item[7] infirma ratio est, quae non necessariam causam affert expositionis: velut Pacuvius,

† *Fortunam*[8] *insanam esse et caecam et brutam perhibent Philosophi.*

---

(1) Haec omnia del. Sch. C. 2. Nos [ ]. — *eget reprehensione.* Olx. = *reprehensione eget* L. Turic. *Non enim reprehensione indiget: sed, sicut aliae complures, sua sponte v. e.* Posteriora sic alii quoque exhibent. (2) Sic Cdd. T. L. 1. 3. — *Ratio vitiosa est.* Sch. C. 2. (3) Sic Plautus Trinumm. 1, 1, 2. L. Sch. 2. 3. — *Immane* Cdd. fere omnes. Ern. 1. Sic et in seqq. *Non castigabo* corrupte Cdd. plerique. *Hodie castigabo* T. et *commissa* plerique. (4) e Plauto addidit L. *Invitus, ni id me invitet, ut faciam, fides.* (5) — *es* L. errore typogr. (6) ∞ *Vana ratio — confiteremur*, quae h. l. exhibent Cdd. omnes, Sch. C. 2. transposuit ante illa: *Infirma ratio est, quae non necessario.* (7) ∞ *Itemque* T. alii Cdd. (8) In hoc Pacuvii loco passim corrupto, et lectionis quoque varietate nimium quantum conspicuo exhibemus Graevianam et Ernestianam lectionem: (illa quidem ab hac in his duobus discrepat: v. 7. *negent* Ern. *negant* cum Cdd. plerisq. T. Graev. v. 11. *contigit. Nempe ergo* Ern. *contigit nempe: ergo* — Graev. Damus variet. Lambini, Schuetzii, et Cod. Turic. v. 2. *saxique instar globosi esse dicunt volubilem* T. — *saxoque instare eam gl.* L. — *volubili* Cd. Erf. Sch. v. 3. *Quia — eo cadere* T. — *cadere fortunam* L. Sch. 2. v. 4. — *ob eam rem memorant* L. — *se* Sch. 2. v. 5. — *autem illam aiunt* L. v. 6. — *Brutam autem quia* L. v. 7. — *autem* om. T. — *Fortunâ* Sch. 2. — *negant* T. Sch. — *negent* L. v. 8. *Ullam esse* (om. *Miseriam*) T. — *omnia autument regi* L. v. 9. *Verisimile esse aiunt* L. — *re ipsa* T. v. 10. *Velut hic Orestes* L. Corruptus h. l. T. — v. 11. *res haec contigit. Nempe* L. Apud Bothe *Poëtae scenici* p. 125. passim, ut solet ille, emendatius, sed et arbitraria ratione constituti sic leguntur versus isti: *Fortunam insanam esse et coecam et brutam perhibent philosophi, Saxique esse instar globosi praedicant volubilem, Quia quo, ut saxum, impulerit fors, eo cadere Fortunam autumant; Coecam ob eam rem esse iterant, quia nil cernat, quo sese applicet. Insanam illam aiunt, quia atrox, incerta instabilisque sit: Brutam, quia dignum atque indignum nequeat internoscere. Sunt autem alii philosophi, qui contra fortunâ* (quod dedit etiam W.) *negant, Miserum esse ullum, sed temeritate omnia regi autumant. Mage verisimile aiunt, quod usus reapse experiundo edocet. Velut hic Orestes modo fuit rex, modo mendicus factus est. Naufragio res haec contigit nempe: ergo haud fortuna obtigit.*

Saxoque illam instare globoso praedicant volubilem:
Ideo, quo saxum impulerit fors, cadere eo fortunam autumant.
Caecam ob eam rem esse iterant, quia nihil cernat, quo sese applicet.
Insanam autem aiunt, quia atrox, incerta, instabilisque sit.
Brutam, quia dignum atque indignum nequeat internoscere.
Sunt autem alii Philosophi, qui contra † fortunam negent
Miseriam esse ullam, sed temeritate omnia regi. Id magis
Veri simile aiunt; quod usus reapse experiundo edocet.
Velut Orestes modo fuit rex, modo mendicus factus est:
Naufragio res contigit. Nempe ergo haud fortuna obtigit.

Nam hic Pacuvius infirma ratione utitur, quum ait, verius [1] esse temeritate, quam fortuna res regi [2]: nam utraque opinione philosophorum fieri potuit, ut is, qui rex fuisset, mendicus fieret [3]. XXIV. 37. Item infirma ratio est, quae videtur pro ratione afferri, sed idem dicit, quod in expositione dictum est [4], hoc modo: Magno malo est hominibus avaritia; ideirco quod homines magnis et multis incommodis conflictantur propter immensam pecuniae cupiditatem. Nam hic aliis verbis idem per rationem dicitur, quod dictum est per expositionem. Item infirma ratio est, quae minus idoneam, quam res postulat, causam subiicit expositionis, hoc modo: Utilis [5] est sapientia, propterea quod qui sapientes sunt, pietatem colere consuerunt [6]. Item: Utile est amicos veros habere: habeas enim quibuscum iocari possis. Nam huiusmodi in [7] rationibus non universa [8], neque absoluta, sed extenuata ratione expositio confirmatur. Item infirma [9] ratio est, quae vel [10] alii expositioni potest accommodari, ut facit Pacuvius, qui eandem affert rationem, quare caeca, eandem, quare bruta fortuna dicatur. 38. In confirmatione rationis, multa et vitanda in nostra, et observanda in adversariorum ratione sunt vitia; propterea que diligentius considerandа [11], quod accurata confirmatio rationis totam vehementissime comprobat argumentationem. Utuntur igitur studiosi [12] in confirmanda ratione duplici conclusione, hoc modo:

Iniuria abs te afficior indigna, pater:
Nam, si improbum Cresphontem existimaveras [13],
Cur me huic locabas [14] *nuptiis? sin est probus,*
Cur talem invitam invitum cogis linquere?

Quae hoc modo concludentur, aut ex contrario convertentur, aut ex simplici parte reprehendentur. Ex contrario hoc modo:

([1]) — *verisimilius* L. solus. ([2]) — *geri* T. alii Cdd. ([3]) e paucis Cdd. sic Ern. 1. 2. — *factus esset* T. Cdd. plerique L. 3. ([4]) ∞ *quum videtur pro ratione afferri, quod in exp. d. est.* T. ([5]) ∞ *Utile* T. al. ([6]) Sic T. 1. 3. = *consueverunt* L. Sch. 2. ([7]) = *in huiusmodi* Steph. L. ([8]) — *universali* O1x. L. ([9]) — *vitiosa* T. al. ([10]) — om. T. ([11]) Sic T. al. 1. 2. — *consideranda sunt* Cdd. aliq. L. 3. ([12]) Sic Cdd. aliq. 1. 2. — *studiose* T. Cdd. pleriq. L. 3. ([13]) Sic Cdd. pleriq. L. 1. 3. Bothe *Poetae scenici* p. 39. — *Nam si improbum esse Cresphontem existimabas* T. — *Nam si Cr. existimabas improbum* Sch. C. 2. ([14]) — *locasti* T. sed mox idem *locabas.*

Nulla te indigna, o nata [1], *afficio iniuria,*
Si probus est, [2] *te locavi* [2]*: sin est* [3] *improbus,*
Divortio te liberabo incommodis.

Ex simplici parte reprehendentur, si ex duplici conclusione alterutra pars diluetur [4], hoc modo:

Nam si improbum Cresphontem existimaveras [5]*,*
Cur me huic locabas nuptiis? Duxi probum.
Erravi: post cognovi, et fugio [6] *cognitum.*

XXV. 39. Ergo reprehensio huiusmodi [7] conclusionis duplex est: acutior illa superior, facilior haec posterior ad excogitandum. Item vitiosa est confirmatio rationis, quum ea re, quae plures res [8] significat, abutimur pro certo unius rei signo, hoc modo: Necesse est, quoniam pallet, aegrotasse: aut, necesse est peperisse, quoniam sustinet puerum infantem. Nam haec sua sponte certa signa non habent, si non cetera quoque similia concurrant. Quod si concurrerint, nonnihil illiusmodi [9] signa adaugent suspicionem. Item vitiosum est, quum vel in alium, vel in eum ipsum, qui dicit, id, quod in adversarium dicitur, potest convenire, hoc modo:

Miseri sunt, qui uxores ducunt. — At tu duxisti alteram [10].

Item vitiosum est id, quod vulgarem habet defensionem, hoc modo: Iracundia inductus [11] peccavit, aut adolescentia, aut amore. Huiuscemodi [12] enim deprecationes si probabuntur, impune maxima peccata dilabentur [13]. Item vitiosum est, quum id pro certo sumitur, quasi inter omnes constet, quod [14] etiam nunc in controversia est, hoc modo:

Eho tu, Di, quibus est potestas motus superûm atque inferûm!
Pacem enim inter sese [15] *conciliant, conferunt* [16] *concordiam.*

Nam ita pro suo iure hoc exemplo usum Cresphontem Ennius induxit, quasi iam satis certis rationibus, ita esse, demonstrasset. 40. Item vitiosum est, quod [17] iam quasi sero, atque acto [18] negotio dici videtur, hoc modo: In mentem mihi si venisset, Quirites, non commisissem,

---

(1) Sic T. L. Bothe — *nata* 1. 2. 3. (2) ex Oud. €. Sch. 2. — *te collocavi* C1d. ∞ *collocavi* T. alii Cdd. 1. — *bene locavi* Ald. L. (3) Sic Cdd. aliq. L. — *sin autem est improbus* T. — *sin autem improbus* Grut. 1. 2. 3. (4) Sic pauci Cdd. 1. 2. 3. — *diluitur* T. L. (5) Ut supra. (6) ∞ *effugio* O1x. al. ∞ *effuge nunc cognitum* Oud. €. e vestigiis Mss. (7) Sic T. alii boni C1d. L. — *huius* 1. 2. 3. (8) Sic T. alii meliores. L. prob. Oud. — *plura* 1. 2. 3. (9) e Cdd. Ern. 1. 2. — *huiusmodi* L. 3. (10) Sic distinguunt L. Sch. 2. (11) Sic L. 1. 2. 3. ∞ *Iracundia ductus* T. al. — *Ab iracundia deductus* C2d. Sch. in Ed. mai. (12) Sic 1. 2. 3. — *huiusmodi* T. al. L. (13) Duplex huius loci lectio in Tur. est coniuncta ita: *impune maxima peccata diluentur (diluent* O1x.) *in contentione in maxima peccata dilabentur.* ∞ *in maxima pecc. dilabentur* Cdd. aliq. Sch. in Ed. mai. (14) Sic dedi ex Oud. €. e vestigiis Cdd. ducta. v. c. Turic.: *quod quasi inter omnes constat, quod. non* ante *constat* omitt. Cdd. fere omnes. — *quod inter omnes non constat, quia* L. 1. 2. 3. (15) Sic dedi e bonis Cdd. quorum scriptores de metro sane ita solliciti non erant, ut interpolatione id restituerent. — *Pacem inter se* Graev. 3. — *Pacem inter sese* T. L. 1. 2. (16) Sic T. 3. Sch. 2. Bothe in *Poëtis scen.* p. 40. — *et conferunt* Cdd. aliq. L. 1. (17) ∞ *est id, quod* L. (18) — *et peracto* L. — *exacto n.* Vet. Steph.

ut hunc in locum res veniret; nam aut [1] hoc, aut hoc fecissem; sed me tum haec [2] ratio fugit. Item vitiosum est, quum id, quod in aperto delicto positum est, tamen aliqua levi tegitur defensione, hoc modo:

Quum te expetebant omnes, florentissimo
Regno reliqui: nunc desertum ab omnibus,
Summo periclo [3] *sola ut restituam paro.*

XXVI. Item vitiosum est, quod aliam in [4] partem, ac dictum sit [5], potest accipi. Id est huiusmodi, ut, si quis potens ac factiosus in concione dixerit: *Satius est uti regibus* [6], *quam malis legibus.* Nam et hoc tametsi rei augendae [7] causa potest sine malitia dici, tamen propter potentiam eius, qui dicit, non dicitur sine atroci suspicione. 41. Item vitiosum est, falsis, aut vulgaribus definitionibus uti. Falsae sunt huiusmodi, ut [8] si quis dicat, iniuriam esse nullam, nisi quae ex pulsatione, aut convicio constet. Vulgares sunt, quae nihilo minus in aliam rem transferri possunt: ut si quis dicat: quadruplator, ut breviter describam, capitalis est; est enim improbus, et pestifer civis. Nam nihilo magis quadruplatoris, quam furis, quam sicarii, aut proditoris attulerit [9] definitionem. Item vitiosum est, pro argumento sumere, quod in disquisitione positum est: ut si quis quem furti arguat, et [10] dicat, eum esse hominem improbum, avarum, fraudulentum; ei rei testimonium [11] esse, quod sibi furtum fecerit. Item vitiosum est, controversiam controversia dissolvere, hoc modo: Non convenit, censores, istum vobis [12] satisfacere ex eo, quod ait, se non potuisse adesse ita, ut iuratus fuerat. Quid? si [13] ad exercitum non venisset, idne tribuno militum diceret? — Hoc ideo vitiosum est, quia non expedita, aut iudicata res, sed impedita, et in simili controversia posita, exempli loco profertur [14]. 42. Item vitiosum est, quum id, de quo summa controversia est, parum expeditur, et quasi transactum sit, relinquitur, hoc modo:

Aperte [15] *fatur dictio, si intelligas.*
Tali dari arma, qualis, qui gessit, fuit,
Iubet, potiri si studeamus Pergamo [16]*:*
Quem ego profiteor esse me: me aequum est frui [17]
Fraternis armis, mihique adiudicarier,
Vel quod propinquus, vel quod virtutum [18] *aemulus.*

([1]) e Cdd. Ern. 1. 2. ∞ om. *aut* T. L. 3. ([2]) ∞ om. *haec* Cld. prob. Ern. ([3]) Sic L. 2. 3. Bothe *Poetae scen.* p. 279. — *periculo* T. 1. ([4]) Sic T. L. = *in aliam.* 1 2. 3. ([5]) ∞ *est* T. ([6]) Sic Cdd. 1. 2. 3. — *uti bonis regibus* L. ([7]) Sic Cdd. aliq. Lamb. Ed. prima. 1. 2. — *arguendae* Lamb. Ed. altera. 3. ([8]) e Cdd. Ern. 1. 2. — om. *ut* L. 3. ([9]) Ern. €. confirmata a Turic. — *attulit* L. 1. 2. 3. ([10]) e Cdd. Ern. 1. 2. — om. *et* T L. 3. ([11]) ∞ *testimonio* L. solus. ([12]) ∞ *nobis* T. ([13]) e Cdd. L. Sch. 2. — *quod si* T. 1. 3. ([14]) Sic T. al. L. 1. 2. — *perfertur.* 3. ([15]) Sic Cdd. L. 1. 3. — *Apertae* i. e. Apollinis: Memmii € prob. L. recepit Sch. 2. Sed est magis ingeniosa quam vera. In L. priore, invito Lambino, typothetae dederunt *Pythius* pro *dictio.* ([16]) ∞ *Pergama* Ed. Med. ([17]) Sic Graev. partim, Oud. Ern. 1. 2. e vestigiis Mss. (Oud. tamen disinguebat: *Quem ego profiteor esse. Me, me,*) — *Quae — mea: nam me aequum* L. (om. *nam* Grut. 3.). ([18]) Sic T. al. prob. Oud. et Ern. — *virtute* L. Sch. 2. — *virtutis* 1. 3.

Item vitiosum est, ipsum sibi in sua oratione dissentire, et contra ea, quae ante dixerit [1], dicere, hoc modo:

Quare accusem [2] *hunc, nequeo* [3] *exputando evolvere.*
Nam si veretur, quid eum accusem, qui est probus?
Sin inverecundum animi ingenium possidet,
Quid eum accusem, qui id parvi auditu existimet [4]*?*

XXVII. Non incommoda ratione videtur sibi ostendisse, quare non accusaret. Quid? postea quid ait [5]? — —

Nunc ego te ab summo iam detexam exordio.

43. Item vitiosum est, quod dicitur contra iudicis voluntatem, aut eorum, qui audiunt, si aut partes, quibus illi studeant, aut homines, quos illi caros habent, laedantur, aut aliquo huiusmodi vitio laedatur auditoris voluntas. Item vitiosum est, non omnes res [6] confirmare, quas pollicitus sis in expositione. Item verendum est, ne de alia re dicatur, quum alia de re controversia sit; inque huiusmodi vitio considerandum est, ne aut ad rem addatur quid, aut quidpiam de re detrahatur, aut tota causa mutata in aliam causam derivetur: uti apud Pacuvium Zethus cum Amphione, quorum controversia quum de musica inducta sit [7], disputatio in sapientiae rationem et virtutis utilitatem consummatur [8]. Item considerandum est, ne aliud accusatoris criminatio contineat, aliud defensoris ratio [9] purget: quod saepe consulto multi ab reo faciunt, angustiis causae coacti: uti, si quis, quum accusetur, ambitu magistratum petisse, ab imperatoribus saepenumero se apud exercitum donatum esse dicat. Hoc si diligenter in adversariorum oratione observaverimus, saepe deprehendemus, [et in huiusmodi deprehensione ostendemus] [10], eos, de [ea] [11] re quid dicant, non habere. 44. Item vitiosum est, artem aut scientiam aut studium quodpiam vituperare propter eorum vitia, qui in eo studio sunt: veluti, qui rhetoricam vituperant, propter alicuius oratoris vituperandam vitam. Item vitiosum est, ex eo, quod perperam factum esse constet [12], putare ostendi, a quo homine factum sit [13], hoc modo: Mortuum deformatum, tumore praeditum, decoloratum [14] fuisse constat: ergo veneno necatus est. Deinde, si sit usque in eo [15] occupatus (ut [16] multi faciunt), venenum datum [17], vitio non mediocri conflictetur. Non enim factumne sit, quaeritur, sed a quo factum sit. XXVIII. 45. Item vi-

---

([1]) ∞ *contra atque ante* T. al. ([2]) Sic L. 1. 2. 3. ∞ Sed Cdd. Edd. vett. *Qua causa.* ([3]) *nequeo* habent Crat. L. 1. 2. 3. Sed Cdd. *tum id*, unde Gronov. C. *timeo* prob. Oud. ([4]) Sic Cdd. L. 1. 3. et Bothe *Poetae scen.* p. 179. nisi quod C. transponit: *id qui.* ∞ *qui parvi id auditum aestimet.* Sch. 2. *parvi id* e C. *auditum* e Cld. (etiam T. *aestimet* ex Ed. Med.). ([5]) Sic e Cdd. Ern. 1. 2. — *quid quod postea ait* L. 3. ([6]) ∞ *partes* margo Crat. ([7]) Sic L. 1. 2. 3. ∞ *est* T. alii multi. ([8]) Est L. C. confirmata nunc a Turic. Sch. 2. — *consumitur* L. 1. 3. ([9]) ∞ *purgatio* T. alii multi. ([10]) Haec om. T. alii duo. Sch. 2. Ern. [ ] = *eiusmodi* L. ([11]) Ern. [ ]. del. Sch. 2. ([12]) e Cdd. Ern. 1. — *constat* L. 2. 3. ([13]) e Cdd. L. Ern. 1. 2. — *est* T. 3. ([14]) Sic T. 1. 2. — *corpore decoloratum* L. — *livore decoloratum* W. e gloss. — *coloratum* Crut. 3. ([15]) Sic T. (*in* tamen a m. 2.) al. 1. 2. 3. — *usque adeo in eo* L. ([16]) = *quod* e Cld. L. ([17]) — *ut venenum datum esse contendat* L.

tiosum est, in comparandis rebus alteram rem efferre [1], de altera mentionem non facere, aut negligentius disputare: ut si, quum comparetur [2], utrum satius sit populum frumentum accipere, an non [3]? quae commoda sint in altera re, curet enumerare [4]: quae in altera [5] incommoda sint, velut [6] depressa praetereat [7]: aut ea, quae minima sint, dicat [8]. Item vitiosum est, in rebus comparandis necesse putare alteram rem vituperari, quum alteram laudes: quod genus, si quaeratur, utris maior honor habendus sit, Albensibus, an Vestinis Pinnensibus [9], quod rei publicae populi Romani [10] profuerint [11], et [12] is, qui dicat ab alteris [13], alteros laedat. Non enim necesse est, si alteros praeponas, alteros vituperare [14]. Fieri enim potest, ut, quum alteros magis laudaris, aliquam alteris laudis partem attribuas, ne cupidius [15] pugnasse contra veritatem puteris. Item vitiosum est, de nomine et de vocabulo [16] eius rei controversiam struere, quam rem consuetudo potest optime iudicare: velut Sulpicius, qui intercesserat, ne exules, quibus causam dicere non licuisset, reducerentur, idem posterius, immutata voluntate, quum eandem legem ferret, aliam sese ferre dicebat, propter nominum commutationem: nam non exules, sed vi eiectos se reducere aiebat: perinde [17] quasi id fuisset in controversia, quo illi nomine appellarentur a populo Romano, aut perinde quasi non omnes, quibus aqua et igni interdictum est, exules appellentur. Verum illi fortasse ignoscimus, si eum causa fecit: nos tamen intelligamus, vitiosum esse intendere controversiam propter nominum commutationem [18].

XXIX. 46. Quoniam exornatio constat ex similibus, et exemplis, [et amplificationibus] [19], et rebus iudicatis [20], et ceteris rebus [21], quae pertinent ad exaggerandam et collocupletandam [22] argumentationem, quae sint his generibus [23] vitia, consideremus. Simile vitiosum est, quod ex aliqua parte dissimile est, nec habet parem rationem comparationis, aut ipsi [24] obest, qui affert. Exemplum vitiosum est, si aut falsum est, ut reprehendatur: aut si [25] improbum, ut non sit imitandum, aut maius [26], aut minus, quam res postulabit [27]. Res iudicata

---

([1]) Sic T. 1. 2. 3. — *afferre* Cdd. aliq. L. ([2]) Sic T. alii duo. Sch. 2. — *ut si comparetur* L. 1. 3. ([3]) ∞ *an non accipere?* Cdd. aliq. L. ([4]) Sic Cdd. L. 2. 3. — *cures eam* Ern. €. 1. — *curet et enumeret* Graevii susp. ([5]) — *in alia* lectore non monito del. Sch. 2. ([6]) — *et quae velint* Graevii susp. recepta a Sch. 2. ([7]) — *praetereas* Ern. €. 1. ([8]) *sint* Ern. €. 1. (Cdd. L. 2. 3. *sunt*) — *dicas* Ern. €. 1. ([9]) Sic Cdd. pauci. Sch. 2. (— *an Venusinis an Pennensibus* T.) — *an Venusinis*. 1. 3. — *an Veientanis* L. ([10]) Sic Cdd. T. Graev. 3. 1. 2. — *reip. et populo Romano* L. Grut. ([11]) e Cdd. 1. 2. — *profuerunt* T. L. 3. ([12]) ∞ om. *et* Graev. 3. ([13]) Ita ex Ursini Cd. Lallem. Sch. 2. — *dicat alteris* Ern. 1. — *dicat alteris habendum* e marg. Cld. L. — *dicat* omisso *alteris* T. Grut. 3. ([14]) ∞ *vituperes* T. al. ([15]) e Cdd. 1. 2. — *cupide* T. L. 3. ([16]) Sic T. al. Sch. 2. = *et vocabulo* L. 1. 3. ([17]) Sic Steph. 1. 2. 3. = *proinde quasi* L. utrobique. ([18]) Sic Cdd. aliq. L. — *mutationem* 1. 2. 3. ([19]) Suspecta haec Ern. quorum ordo variat in Mss. del. Sch. 2. Nos [ ]. ([20]) Sic T. al. et semper dicit *rem iudicatam* noster, non *iudicatum*. L. W. — *et iudicatis* 1. 2. — *ex iudicatis* 3. ([21]) Sic T. 1. 2. 3. ∞ *et rebus iudicatis, et ceteris, quae* L. ([22]) Sic T. 1. 2. 3. — *locupletandam* Cdd. aliq. L. ([23]) Sic Cdd. aliq. L. — *iis rebus* 1. 2. 3. = *his rebus* T. ([24]) Sic L. 1. 2. — *sibi ipsi* Cdd. 3. ([25]) ∞ om. *si* T. L. ([26]) = *aut si maius* Sch. €. 2. ([27]) ∞ *postulat* T. al. prob. Oud.

vitiose profertur[1], si aut dissimili de re proferatur; aut de ea re, qua de[2] controversia non est; aut si improba; aut eiusmodi[3], ut aut plures, aut magis idoneae res iudicatae ab adversariis proferri possint. Item vitiosum est, quod[4] adversarii factum esse confiteantur, de eo argumentari, et planum facere factum esse; nam id tantum augeri oportet[5]. Item vitiosum est, id augere, quod convenit doceri, hoc modo: ut si quis quem arguat, hominem occidisse, et antequam satis idoneas argumentationes attulerit, augeat peccatum, et dicat, nihil indignius esse, quam hominem occidere. Non enim, utrum indignum sit, an non, sed factumne sit, quaeritur.

Complexio vitiosa est, quae non, ut quodque[6] primum dictum est, primum[7] complectitur, et quae non breviter concludit, et quae non ex enumeratione certum et constans aliquid relinquit, ut intelligatur, quid propositum[8] in argumentatione sit, quid deinde ratione[9], quid confirmatione, quid tota argumentatione demonstratum.

XXX. 47. Conclusiones, quae apud Graecos ἐπίλογοι nominantur, tripartitae sunt. Nam constant ex enumeratione, amplificatione, et commiseratione. [In quatuor locis uti possumus conclusionibus; in principio, secundum narrationem, secundum firmissimam argumentationem, in conclusione.][10] Enumeratio est, per quam colligimus et commonemus, quibus de rebus verba fecerimus, breviter; ut renovetur, non redintegretur oratio: et ordine, quidquid[11] erit dictum, referimus[12], ut auditor, si memoriae mandaverit, ad id, quod ipse meminerit, reducatur. In qua[13] curandum est, ne aut ab exordio, aut a narratione repetatur orationis[14] enumeratio. Facta[15] enim, et dedita opera comparata oratio videbitur esse, aut[16] artificii significandi, aut ingenii venditandi, aut[17] memoriae ostentandae causa. Quapropter initium enumerationis sumendum est a divisione[18]. Deinde ordine breviter exponendae sunt res, quae tractatae erunt in confirmatione, et confutatione. Amplificatio est, quae[19] per locum communem instigationis auditorum causa sumitur. Loci communes ex decem praeceptis commodissime sumuntur[20] adaugendi criminis causa. 48. Primus locus sumitur ab auctoritate, quum commemoramus, quantae curae ea res fuerit diis immortalibus, aut maioribus nostris, regibus, civitatibus, nationibus, hominibus sapientissimis, senatui. Item maxime, quo modo de his rebus legibus sancitum sit. Secundus locus est, quum consideramus, illae res, de quibus criminamur, ad quos pertineant: utrum ad omnes,

(1) ∞ *proferetur* Cdd. aliq. L. (2) e Cdd. Ern. 1. 2. = *de qua* L. 3. (3) ∞ *aut si eiusmodi* L. (4) Sic T. a m. pr. L. Sch. 2. — *id quod* i. 3. (5) = *augeri oportet tantum* L. (6) e Cdd. Ern. 1. 2. = *quidque* L. 3. (7) ∞ om. *prim.* Cdd. aliq. L. (8) ∞ *positum* margo Crat. prob. Lamb. (9) ∞ *deinde in ratione* T. L. *in* etiam ante *confirmatione* et *tota* habet L. (10) Recte haec omittunt T. et aliquot alii Cdd. Sch. 2. (= *quatuor in locis* L.). (11) ∞ *ut quidquid* T. al. (12) Sic Cdd. aliq. L. Sch. 2. = *referemus* e Cdd. Graev. 3. — *referamus* T. 1. (13) Sic T. alii boni Cdd. L. ex more nostri scriptoris, pron. relat. ad remotiora referendi. — *Item* Cdd. alii 1. 2. 3. (14) — *orationis* del. Sch. E. 2. Fuitne *oratio* pro *orationis enumeratio*? (15) e Cdd. Graev. 3. 1. 2. — *facta* T. L. Grut. (16) ∞ omittebatur *aut* ante L. Non habet T. (17) — *vel* L. — *et* T. (18) = *est sumendum a divisione* L. (19) Sic T. L. 1. 3. — *est res, quae* Crat. 3. (20) ∞ *sumuntur* T. al.

quod atrocissimum est, an ad superiores, (quod genus ii sunt, a quibus auctoritatis locus communis sumitur,) an ad pares, hoc est, in eisdem partibus animi, corporis, fortunarum positos; an ad inferiores, qui omnibus his rebus antecelluntur. Tertius locus est, quo percontamur, quid sit eventurum, si omnibus idem concedatur: et ea re neglecta, ostendimus [1], quid periculorum atque [2] incommodorum consequatur. Quartus locus est, quo demonstratur, si huic sit remissum, multos alacriores ad maleficia futuros, quos adhuc exspectatio iudicii remoretur. Quintus locus est, per quem ostendimus, si semel aliter iudicatum sit, nullam rem fore, quae huic incommodo [3] mederi, aut erratum iudicium [4] corrigere possit. Quo in loco non incommodum erit uti ceterarum rerum comparatione, ut ostendamus, alias res posse aut vetustate sedari, aut consilio corrigi; huius rei aut leniendae, aut corrigendae nullam rem [adiumento] [5] futuram. 49. Sextus locus est, quum ostendimus ex consulto [6] factum, et dicimus, voluntario facinori nullam excusationem, imprudentiae [7] iustam deprecationem paratam. Septimus locus est, quo ostendimus taetrum facinus, crudele, nefarium, tyrannicum esse: quod genus, iniuria [8] mulierum, aut earum rerum aliquid, quarum rerum causa bella suscipiuntur, et cum hostibus de vita dimicatur. Octavus locus est, quo ostendimus, non vulgare, sed singulare esse maleficium, spurcum, nefarium, inusitatum, quo maturius et atrocius vindicandum sit. Nonus locus est ex [9] peccatorum comparatione, quasi [10] quum dicimus, maius esse maleficium, stuprare ingenuam, quam sacrum legere [11]; quod propter egestatem alterum, alterum propter intemperantem [12] superbiam fiat. Decimus locus est, per quem omnia, quae in negotio gerundo acta sunt, quaeque rem consequi solent, exponemus acriter, et criminose, et diligenter, ut agi res, et geri negotium videatur, rerum consequentium enumeratione. XXXI. 50. Misericordia commovebitur auditoribus [13], si variam fortunarum commutationem dicemus; si ostendemus, in quibus

---

([1]) Sic T. L. 1. 2. — *ostendemus* 3. ([2]) Sic T. al. 1. 2. — *aut* L. 3. ([3]) e paucis Cdd. Sch. 2. — *quae incommodo* L. 1. 3. — *quae ab aliquo modo* T. al. ([4]) ∞ *mederi*, *aut perperam factum*, *aut erratum iudicium* Steph. L. cuius lect. vestigia etiam in T. supersunt, qui habet: *aut pperum* (sic) *iudicium corrigere p.* Fuitne: *aut perperam iudicatum corr. possit*, cuius glossa fuerit: *erratum iudicium?* ([5]) Habent Cdd. omnes. Ern. [ ]. del. Sch. 2. *huic rei* suspic. L. ([6]) Praesentia, in quae supra §. 8. conspirant Cdd. et Edd. hic et in seqq. cum Cd. Tur. et al. praetulimus. Variant Edd. non minus quam Cdd. In *exponemus* omnes consentiunt. — *esse consulto* e Cld. Graev. 3. Sch. 2. Sed in hoc scriptore non obliteranda erat rarior formula: *ex consulto*, quam vindicant T. Pleriq. Grut. Ern. 1. 3. V. tamen §. 45. — *ex consilio* L. E. ([7]) ∞ *esse* T. Cdd. multi addunt. — *nullam esse excus. sed imprud.* L. ([8]) Sic Cdd. multi v. c. Otx. Ern. 1. — *iniuriae* Cdd. alii. L. 2. 3. Sed quum alii v. c. T. habeant *iniuriarum* manifestum est, ab imperitis librariis interpolatum esse: *quod genus iniuriae* gen. sing. ([9]) Sic T. alii. Multi: — *Nonus locus est*, *constat* (e gloss.). Hinc — *Nonus locus est*, *qui constat ex* Cdd. aliq. Sch. 2. — *Nonus locus constat ex* L. 1. 3. ([10]) — *quale* Lambini suspic. ([11]) Sic pauci Cdd. Grut. 1. 2. 3. — *laedere* T. pleriq. L. ([12]) Sic T. L. 1. 2. 3. — *intemperatam* Cdd. aliq. — *imperantem* Cdd. aliq. Grut. ([13]) Sic T. et alii boni Cdd. — *auditor* alii Cdd. — *auditoris animus* alii. 1. 3. — Unius Cod. auctoritate prob. Oud. del. Sch. 2. Elegantior tamen, quam ut a librariis profectus sit, videtur Turicensis dativus.

commodis fuerimus [1], quibusque incommodis simus, comparatione. Si, quae nobis futura sint, nisi causam obtinuerimus, enumerabimus, et ostendemus [2]. Si supplicabimus, et nos sub eorum, quorum misericordiam captabimus, potestatem subiiciemus. Si, quid nostris parentibus, liberis, ceteris necessariis casurum sit propter nostras calamitates, aperiemus, et simul ostendemus, illorum nos solitudine [3] et miseria, non nostris incommodis dolere. Si de clementia, humanitate, misericordia nostra, qua in alios usi sumus, aperiemus. Si nos semper aut diu in malis fuisse ostendemus. Si nostrum fatum, aut fortunam conqueremur. Si animum nostrum fortem, patientem [4] incommodorum ostendemus futurum. Commiserationem brevem esse oportet. Nihil enim lacryma citius arescit.

Fere locos obscurissimos [5] totius artificii tractavimus in hoc libro; quapropter huic volumini modus hic sit. Reliquas praeceptiones, quoad videbitur, in tertium librum transferemus. Haec si, ut conquisite [6] conscripsimus, ita tu [7] diligenter fueris consecutus, et nos industriae fructus ex tua scientia capiemus, et tute nostram diligentiam laudabis, tuaque perceptione laetabere: tu scientior eris praeceptorum artificio, nos alacriores ad reliquum persolvendum. Verum haec futura satis scio: te enim non ignoro. Nos [8] deinceps ad cetera praecepta transeamus, ut, id quod [9] libentissime facimus, tuae voluntati rectissimae [10] morem geramus.

([1]) Sic Cld. Edd. vett. L. 1. 2. — *fuimus* T. Pleriq. 3. ([2]) — *et ost.* del. Scb. €. 2. ([3]) Sic pauci. Grut. 1. 2. 3. — *sollicitudine* T. L. ([4]) — *et patientem* Sch. €. 2. ([5]) — *locos omnes obscuriss.* L. ([6]) — *ut nos conquisite* Lambini ed. altera. ([7]) — om. *tu* Steph. L. ([8]) — *sed nos* Cdd. aliq. L. ([9]) Sic Cdd. aliq. prob. Oud. — *ut*, *quod* T. L. 1. 2. 3. Iidem illi Cdd. habent *faciemus*, sed praestat, ut opinor, praesens. ([10]) ∾ *rectissimae voluntati* Erf. L.

RHETORICORUM
AD
C. HERENNIUM
LIBER TERTIUS.

I. 1. Ad omnem iudicialem [1] causam quemadmodum conveniret inventionem rerum accommodari, satis abundanter, ut arbitror, superioribus libris demonstratum est. Nunc earum rationem rerum inveniendarum, quae pertinerent [2] ad causas deliberativas et demonstrativas, in hunc librum transtulimus, ut omnis inveniendi praeceptio [3] tibi quam primum persolveretur. Reliquae quatuor partes erant artificii. De tribus partibus in hoc libro dicemus, dispositione, pronuntiatione, memoria. De elocutione, quia plura dicenda videbantur [4], in quarto libro conscribere maluimus: quem, ut arbitror, tibi librum celeriter absolutum mittemus, ne quid tibi rhetoricae artis deesse possit. Interea prima quaeque et nobiscum, quum voles, et interdum sine nobis legendo consequere; ne quid impediare, quin ad hanc utilitatem [5] pariter nobiscum progredi possis. Nunc tu fac attentum te praebeas: nos proficisci ad instituta pergemus.

II. 2. Deliberationes partim sunt huiusmodi [6], ut quaeratur, utrum potius faciendum sit; partim huiusmodi, ut [7], quid potissimum faciendum sit [8], consideretur. Utrum potius, hoc modo: Karthago tollenda [9], an relinquenda videatur. Quid potissimum, hoc pacto: ut si Hannibal consultet, quum ex Italia Karthaginem arcessitur, in Italia remaneat [10], an domum redeat, an in Aegyptum profectus occupet Alexandriam. Item deliberationes partim ipsae propter se consultandae sunt: ut si deliberet senatus, captivos ab hostibus redimat, an non: partim propter aliquam extraneam causam veniunt in deliberationem et consultationem: ut si deliberet senatus † bello Italico [11], solvatne legibus Scipionem, ut eum liceat ante tempus consulem fieri: partim et propter se sunt deliberandae, et magis propter extraneam causam veniunt in consultationem: ut si deliberet senatus bello Italico, sociis civitatem

---

([1]) ∞ *iuridicialem* ut supra, Cld. Pith. ([2]) Sic Iunt. Ern. 1. 2. — *pertinebant* T. Grut. 3. — *pertinent* L. ([3]) — *perscriptio* T. al. ([4]) Sic T. Cdd. pleriq. 1. 2. 3. — *videntur* L. ([5]) — *subtilitatem* suspic. Ern. ([6]) ∞ *eiusmodi* b. l. et mox T. alii Cdd. ([7]) Sic T. L. 1. 2. — *uti* Grut. 3. ([8]) = *sit faciendum* L. ([9]) Sic Cdd. T. 1. 2. 3. — *delenda* L. (— *comenda* Oliv. Oxoniensis editio). ([10]) Sic T. 1. 2. 3. ∞ *permaneat* Cdd. aliq. prob. Ond. L. ([11]) ∞ exspectabas *Punico secundo*. Vidit iam Wetzelius. Fortasse delend. *bello Italico*.

det, an non. In quibus causis rei natura faciet deliberationem, omnis oratio [1] ad ipsam rem accommodabitur. In quibus extranea causa conficiet [2] deliberationem, † in his ea ipsa causa erit adaugenda, aut deprimenda. 3. Omnem orationem eorum, qui sententiam dicent [3], finem sibi convenict utilitatis proponere, ut omnis eo totius orationis ratio conferatur. Utilitas in duas partes in civili consultatione dividitur, tutam [4], et honestam. Tuta est, quae conficit instantis aut consequentis periculi vitationem qualibet ratione. Haec distribuitur [5] in vim et dolum: quorum aut alterum separatim, aut utrumque sumemus coniunctim [6]. Vis decernitur [7] per exercitus, classes, arma, tormenta, evocationes [8] hominum, et alias huiusmodi res [9]. Dolus consumitur in pecunia, pollicitatione, dissimulatione, maturatione, mentione [10], et ceteris rebus, de quibus magis idoneo tempore loquemur, si quando de re militari, aut de administratione rei publicae scribere volemus [11]. Honesta res dividitur in rectum et laudabile. Rectum est, quod cum virtute et officio fit. Id dividitur in prudentiam, institiam, fortitudinem, modestiam. Prudentia est calliditas, quae ratione quadam potest delectum habere bonorum et malorum. Dicitur item [12] prudentia, scientia cuiusdam artificii. Item [13] appellatur prudentia, multarum rerum memoria et usus complurium negotiorum. Iustitia est aequitas, ius unicuique tribuens [14], pro dignitate cuiusque. Fortitudo est rerum magnarum appetitio, et rerum [15] humilium contemptio, et laboris cum utilitatis ratione perpessio. Modestia est in animo continens moderatio cupiditatum [16]. III. 4. Prudentiae partibus utemur in dicendo, si commoda cum incommodis conferemus, quum alterum sequi, vitare alterum [17] cohortabimur [18]: aut si qua in re cohortabimur aliquid [19], cuius rei aliquam disciplinabilem scientiam [20] poterimus habere; et [21] quomodo, aut [22] qua quidque ratione fieri oporteat [23], ostendemus [24]:

([1]) Sic T. 1. 2. — *ratio* alii Cdd. L. 3. ([2]) — *efficiet* L. ([3]) Corrupta haec. Ut nos Ern. 1. et Graev. 3. nisi quod hic *rationem eorum*: pro quo L. €. *deliberationem eorum*. Sch. €. 2.: *Omnes, qui sententiam dicent.* Sed T. al. ∞ *in his ex ipsa causa erunt aut augendae aut deprimendae omnes orationes eorum, qui sententiam dicent. Is, qui sententiam dicet, finem* — ([4]) — *rem tutam* Sch. €. 2. Sed infra C. 5. *rationem tutam et honestam;* ita ut h. l. quoque facillime suppleatur *partem.* ([5]) ∞ *tribuitur* Erf. ([6]) Sic Cdd. pauci L. 1. 2. 3. ∞ *coniuncte* T. Pleriq. Cdd. ([7]) Sic T. 1. 2. 3. — *discernitur* L. prob. Graev. — *secernitur* Olx. Victor. ([8]) Sic L. 1. 2. 3. — *revocationes* T. Cdd. pleriq. — *avocationes* Victor. ([9]) = *res huiusmodi* L. ([10]) Sic T. 1. 2. 3. ∞ *mentitione* L. ([11]) ex Ed. 1474. 1. 2. — *volumus* Cld. — *velimus* T. Pleriq. L. 3. ([12]) — *igitur* T. ([13]) Sic 1. 2. 3. — *et* T. L. Haec: *Dicitur* — *negotiorum* Sch. 2. [ ]. ([14]) Sic Graev. 3. 2. *ius* Ern. [ ] — *ius suum unic. trib.* L. — *ius unicuique rei tr.* T. al. ([15]) ∞ om. *rerum* Fith. ([16]) Sic T. Cdd. pleriq. L. 1. 3. — *cupiditatem* Cdd. pauci Sch. 2. quae lectio profecta est ab iis, qui v. *continens* pro vero participio haberent, quum habeat h. l. vim adiectivi, continuus, perpetuus, ut infra §. 22. *continens vox.* ([17]) = *alterum vitare* L. ([18]) — *cohortemur* T. al. ([19]) Sic T. et Cdd. mel. 1. 2. 3. — *si quam ad rem coh. aliquem* L. Grut. ([20]) Sic T. Cdd. pleriq. L. 1. — *disciplinalem sc.* O2x. ∞ *disciplinam aut scientiam* e paucis Cdd. Grut. 3. Sch. 2. ([21]) ∞ om. *et* T. Cdd. fere omnes. ([22]) — *et* L. ([23]) — *possit* L. ([24]) ∞ om. T. et alii prob. Graev. Cod ita ut legatur: — *habere, quo modo, aut qua quidque ratione fieri oporteat.*

aut si suadebimus quidpiam, cuius rei gestae [1] aut praesentem aut auditam [2] memoriam poterimus [3] habere, qua in re facile id [4], quod velimus, exemplo allato persuadere possimus [5]. Iustitiae partibus utemur, si aut innocentium aut supplicum dicemus misereri [6] oportere: si ostendemus bene merentibus gratiam referri convenire: si demonstrabimus ulcisci male meritos oportere: si fidem magno opere censebimus conservandam: si leges et mores civitatis egregie dicemus servari [7] oportere: si societates, atque amicitias studiose dicemus [8] coli convenire: si, quod ius in parentes, deos, patriam natura comparavit, id religiose colendum demonstrabimus: si hospitia, clientelas, cognationes, affinitates caste colendas [9] esse dicemus: si nec prece, nec pretio [10], nec gratia, nec periculo, nec simultate a via recta ostendemus deduci oportere: si dicemus, in omnibus ius aequabile [11] statui convenire. His atque huiusmodi partibus iustitiae si quam rem in concione, aut in consilio [12] faciendam censebimus, iustam esse ostendemus; contrariis, iniustam. Ita fiet, ut eisdem locis et ad suadendum, et ad dissuadendum simus comparati. 5. Sin fortitudinis retinendae causa faciendum quid esse dicemus, ostendemus, res magnas et celsas [13] sequi et appeti [14] oportere: et item res humiles et indignas viris fortibus viros fortes propterea [15] contemnere oportere, nec idoneas dignitate sua [16] iudicare. Item ab nulla re honesta, periculi aut laboris magnitudine deduci oportere: antiquiorem mortem turpitudine habere [17]: nullo dolore cogi, ut ab officio recedatur: nullius pro rei veritate metuere inimicitias: quodlibet pro patria, parentibus, hospitibus, amicis, et iis [18] rebus, quas iustitia colere cogit, adire periculum, et quemlibet suscipere laborem. Modestiae partibus utemur, si nimias libidines honoris, pecuniae, similiumque [19] rerum vituperabimus: si unamquamque rem certo naturae termino definiemus: si quoad cuique [20] satis sit, ostendemus, et nimium progredi dissuadebimus, et modum unicuique rei statuemus. 6. Huiusmodi partes sunt virtutis, amplificandae, si suadebimus; attenuandae, si ab his dehortabimur, [ut haec attenuentur] [21], quae supra demonstravi. Nam nemo erit, qui censeat a virtute recedendum: ve-

---

([1]) — *cui similis rei gestae* L. solus. ([2]) ∞ *praesentis aut auditae* T. alii. prob. Graev. sed v. Ern. ([3]) ∞ *possimus* L. al. ([4]) — om. *aequab.* L. ([5]) ∞ *poterimus* L. alii. — *possumus* T. ([6]) ∞ *misereri dicemus* T. Ald. ([7]) = *servari dicemus* L. ([8]) = *dicemus studiose* L. ([9]) — *colenda* Cld. prob. Oud. ([10]) Sic Cdd. pauci. L. Grut. 3. Sch. 2. ∞ *nec pretio* T. pleriq. 1. Sch. Ed. mai. — *nec prece* Duisb. al. ([11]) = *aequabile ius* T. L. ([12]) Sic T. 1. 2. 3. — *concilio* L. ([13]) — *excelsus* L. ([14]) Sic Cdd. omnes. L. 1. 3. — *appetere* Sch. C. 2. ([15]) Sic Cdd. pleriq. T. L. Ern. *viros fortibus* a Mss. et Edd. pr. abesse quum dicit, in errorem inductus esse videtur a varietate Graevio-Oudendorpiana minus diligenter inspecta. — *indignas viris fortibus vel viros fortes* Grut. e paucis Cdd. 3. — *indignas viros fortes* Ern. 1. 2. — *praeterea* alii Cdd. Alii prob. Ern. om. *propterea* del. Sch. in Ed. mai. restituit in minore. ([16]) Sic T. 1. 3. Rariorem adi. *idoneus* constructionem obliterare ausus non sum. ∞ *dignitati suae* Sch. C. 2. — *pro dignitate sua* Ed. 1474. L. Sch. in Ed. mai. ([17]) Sic Ern. C. 1. confirmata ab Olx. 2. — *haberi* T. Pleriq. L. 3. ([18]) — *his* L. ([19]) Sic T. 1. 2. 3. — *similium* alii Cdd. — *et similium* L. ([20]) Sic T. meliores Cdd. 3. — *si quod cuique* Cdd. pauci. 1. 2. — *si denique quid cuique* L. ([21]) Haec [ ] Ern. del. Sch. 2.

rum aut res non huiusmodi dicantur [1] esse, ut virtutem possimus egregiam experiri, aut in contrariis potius rebus, quam in his, virtus constare ostendatur [2]. Item, si quo pacto poterimus, quam is, qui contra dicet, iustitiam vocarit, nos demonstrabimus ignaviam esse, [et inertiam] [3], ac pravam liberalitatem [4]: quam prudentiam appellarit, ineptam, et garrulam, et odiosam scientiam esse dicemus: quam ille modestiam dicet esse, eam nos inertiam, et dissolutam negligentiam esse dicemus [5]: quam ille fortitudinem nominarit, eam nos gladiatoriam et inconsideratam appellabimus temeritatem. IV. 7. Laudabile est, quod conficit honestam, et praesentem, et consequentem [6] commemorationem. Hoc nos eo a recto separavimus [7], non quod hae quatuor partes, quae subiiciuntur sub vocabulo [8] recti, hanc honestatis commemorationem dare non soleant: sed quamquam ex recto laudabile nascitur [9], tamen in dicendo seorsum tractandum est hoc ab illo. Neque enim solum laudis causa rectum sequi convenit: sed si laus consequitur, duplicatur [10] recti appetendi voluntas. Quum igitur erit demonstratum [11] rectum, laudabile esse demonstrabimus aut ab idoneis hominibus, ut si qua res honestiori ordini placeat, quae a deteriore ordine improbetur: aut ab [12] aliquibus sociis, aut omnibus civibus, exteris nationibus, posterisque nostris.

Quum huiusmodi locorum divisio fit in consultatione, breviter aperienda est totius tractatio [13] causae. Exordiri licebit, vel a principio, vel ab insinuatione [vel] [14] iisdem rationibus*, quibus in iudiciali causa. Si cuius rei narratio incidet, eadem ratione narrari [15] oportebit. 8. Quoniam [16] in huiusmodi causis finis est utilitas, et ea dividitur in rationem tutam atque honestam: si utrumque poterimus ostendere, utrumque polliebimur nos in dicendo demonstraturos esse: sin alterum demonstraturi erimus [17], simpliciter, quod dicturi sumus, ostendemus. At si nostram rationem tutam esse dicemus [18], divisione utemur in vim et consilium. Nam, quod in docendo, rei dilucidandae causa, dolum appellavimus, id in dicendo honestius [19] consilium appellabimus. Si rationis nostrae sententiam rectam esse dicemus, et omnes partes recti incident; quadripartita divisione utemur: si non incident, quot erunt, tot exponemus in dicendo. In confirmatione [20] et confutatione ute-

---

([1]) Sic T. alii Cdd. et necessario requiritur a seq. *his*. — *dicatur* 1. 2. 3. — *dicetur* L. ([2]) Sic T. 1. 2. 3. — *ostendetur* L. ([3]) Haec del. Sch. €. 2. Nos [ ]. ([4]) Sic T. et alii boni Cdd. Edd. vett. Sch. 2. — *libertatem* L. 3. 1. ([5]) Sic T. Pleriq. L. = *negligentiam dicemus* 1. 2. 3. ([6]) Sic T. L. 1. 2. 3. — *sequentem* Grut. ([7]) Sic T. cum melioribus. L. 1. 3. — *separamus* e paucis Ern. 1. 2. ([8]) — *vocabulum* C3d. ([9]) Ern. €. confirmata a Turic. 1. 2. — *nascatur* L. 3. ([10]) — *placet magis* T. al. e gloss. ([11]) Sic T. L. 1. 2. — *demonstrandum* Grut. 3. ([12]) Sic L. 1. 2. 3. — om. *ab* T. Cdd. Edd. vett. Laudatur a Steph. ex Vet. ([13]) = *tractatio totius* Erf. L. ([14]) Sic Cdd. ∞ *vel* d. l. Sch. €. 2. Nos [ ]. ([15]) Sic T. Cdd. pleriq. Graev. 3. — *narrare* L. 1. 2. ([16]) Sic Cdd. 1. 3. abrupte. — *Et quoniam* L. — *In divisione quoniam* Sch. €. 2. ([17]) — *alterutrum* Ern. suspic. ∞ *demonstraturi erimus* om. T. alii. prob. Oud. ([18]) ∞ *dixerimus* T. ([19]) — *honestiore vocabulo* T. al. e gloss. ([20]) ∞ *confirmatione* (om. *in* ut pleriq. Cdd.) *et conf. utemur. Ut enim nostri loci, quos ante ostendimus, confirmandi sunt, ita contrarii sunt confutandi* T. al.

mur locis, quos ante ostendimus, nostris confirmandis, contrariis confutandis. Argumentationis artificiosae tractandae [1] ratio de secundo libro petetur. V. Sed si acciderit, ut in consultatione alteri ab tuta ratione, alteri ab honesta, sententia sit, ut in deliberatione eorum, qui a Poeno [2] circumsessi deliberant, quid agant: tutam rationem si quis adhibebit [3], his locis utetur [4]: Nullam rem utiliorem esse incolumitate: virtutibus uti neminem posse, qui suas rationes in tuto non collocarit: ne deos quidem esse auxilio iis, qui se inconsulto [5] in periculum mittant; honestum nihil oportere existimari, quod non salutem pariat. 9. Qui tutae rei praeponet rationem [6] honestam, his locis utetur: Virtutem nullo tempore relinquendam: vel dolorem, si is timeatur, vel mortem, si ea formidetur, dedecore et infamia leviorem esse: † considerare [7], quae sit turpitudo consecutura: at non immortalitatem, neque aeternam incolumitatem consequi: nec esse exploratum, illo vitato periculo, nullum in aliud periculum venturos: virtute vel ultro ad mortem proficisci, esse praeclarum: fortitudini fortunam quoque esse adiumento solere: cum tute [8] vivere, qui honeste vivat, non, qui in praesentia incolumis sit: et cum, qui turpiter vivat, incolumem in perpetuum esse non posse. Conclusionibus fere similibus in his, et in iudicialibus [9] causis uti solemus; nisi quod in his [10] maxime conducit quam plurima rerum ante gestarum exempla proferre. VI. Nunc ad demonstrativum genus causae [11] transeamus.

10. Quoniam haec causa dividitur in laudem et vituperationem; quibus ex rebus laudem constituerimus, ex [12] contrariis rebus erit vituperatio comparanda [13]. Laus igitur potest esse rerum externarum, corporis, animi [14]. Rerum externarum sunt ea, quae casu, aut fortuna secunda, aut adversa, accidere possunt: ut, genus [15], educatio, divitiae, potestates, gloriae, civitas [16], amicitiae, et quae [17] huiusmodi sunt, et ea, quae his sunt [18] contraria. Corporis sunt ea, quae natura corpori attribuit [19] commoda [aut incommoda] [20]: ut velocitas, vires, dignitas, valetudo, et quae contraria sunt. Animi sunt ea, quae consilio, et cogitatione nostra constant: ut prudentia, iustitia, fortitudo, modestia, et quae contraria [21] sunt. [Erit igitur haec confirmatio et confutatio nobis] [22]. 11. In huiusmodi igitur [23] causa principium sumetur aut ab nostra, aut ab eius, de quo loquemur, aut ab

---

([1]) Sic T. Cdd. pleriq. prob. Oud. L. Sch. 2. — *tractanda* Erf. 3. 1. neque tamen cum Ern. leg. *artificiose tractandae*, si *tractandae* praeferimus. ([2]) Sic T. O1x. exquisitius quam — *Poenis* Cdd. pleriq. L. 1. 2. 3. ([3]) Sic O2x. (T. Goth. nisi quod hi *adhibet*) — *quid agant*, *qui tutam rationem adhibebit* Sch. C. 2. — *quid agant*, *qui t. r. sequi suadebit* Cdd. aliq. L. 1. 3. ([4]) = *utetur his locis* L. ([5]) — *consulto* L. ([6]) ∞ om. *rat.* T. ([7]) Sic Cdd. L. 1. 3. ∞ *considerandum* Graev. C. recepit Sch. 2. ([8]) = *tuto* L. ([9]) Sic 1. al. L. — *et iud.* 1. 2. 3. ([10]) — *quod his* T. L. ([11]) = *causae genus* L. ([12]) — *earum ex* Sch. C. 2. ([13]) — *comparata* T. O1x. ([14]) Sic C2d. prob. Graev. 3. Sch. 2. — *corporis*, *et animi* e Cdd. 1. — *et corp. et animi* T. L. Grut. ([15]) *ut* om. T. — *quod genus*, Erf. male. ([16]) Sic T. 1. 2. 3. — *civitates* O2x. al. L. ([17]) — *et cetera quae* L. ([18]) ∞ om. *sunt* T. L. ([19]) — *tribuit* C1d. ap. Oud. L. ([20]) Haec [ ] Ern. del. Sch. 2. ([21]) ∞ *quae his contr.* Cdd. aliq. L. ([22]) Haec [ ] Ern. del. Sch. 2. ∞ *Erit ig. h. c. et c. nobis in huiusmodi causa. Principium sumetur* T. al. ([23]) ∞ om. *igitur* plures ut T. distinguentes. — *autem* L.

eorum, qui audient, persona, aut ab re [1]. Ab nostra, si laudabimus, dicemus aut [2] officio facere. quod causa necessitudinis intercedat: aut studio, quod eiusmodi † virtutis sit [3], ut omnes commemorare debeant velle: aut quod rectum sit, ex aliorum laude [4] ostendere, qualis ipsius [5] animus sit. Sin [6] vituperabimus, aut merito facere, quod ita tractati simus [7]: aut studio, quod utile putemus esse, ab omnibus unicam malitiam atque nequitiam cognosci: aut quod placeat ostendi, quid nobis displiceat. ex aliorum vituperatione. Ab eius persona, de quo loquemur, si laudabimus, vereri nos dicemus, ut illius facta verbis consequi possimus [8]; omnes homines illius virtutes praedicare oportere [9]; ipsa facta omnium laudatorum eloquentiam anteire. Sin [10] vituperabimus, ea, quae videbimus contraria [11], paucis verbis commutatis, dici posse, dicemus: ut paullo supra [12] exempli causa demonstratum est. 12. Ab auditorum persona, si laudabimus [13], quoniam non apud ignotos [14] laudemus, nos monendi causa pauca esse [15] dicturos: aut si erunt ignoti, ut talem virum velint cognoscere, petemus: quoniam in eodem virtutis studio [16] sint, apud quos laudemus, atque [17] ille, qui laudetur, fuerit [18], aut sit [19], sperare nos facile iis, quibus velimus, huius facta probaturos. Contraria vituperatio: quoniam norint, pauca de nequitia eius nos esse dicturos: quod si ignorent, petemus ut cognoscant, uti malitiam vitare possint: quoniam dissimiles sint, qui audiunt, atque ille, qui vituperatur, nos sperare [20], eos [21] illius vitam vehementer improbaturos. Ab rebus ipsis, incertos nos esse [22], quid potissimum laudemus: vereri [23], ne, quum multa dixerimus, plura praetereamus, et quae similes sententias habebunt: quibus sententiis contraria

---

([1]) = *abs re* L. ([2]) — *dicemus nos aut* L. ∞ *dicemus* om. T. cum aliis prob. Oud. ([3]) ∞ *virtutes sint* C2d. prob. Graev. ∞ *virtute sit* O1x. ([4]) Sic L. 1. 2. 3. ∞ *velle quod rectum sit: (est* T.) *aut ex al. laudare* Cdd. aliq. prob. Graev. Oud. Neque sic tamen locus sanatus esse videtur, ita probabiliter constituendus: *aut studio, quod eiusmodi sit, ut omnes commemorare debeant velle; aut ex aliorum laude ostendere, qualis ipsius animus sit. — quod eiusmodi sit* glossatoribus quum obscurum videretur, dederunt alii, *quod eiusmodi virtute sit* al. *q. e. virtutis sit*, unde *virtutes sint* ortum est, alii denique: *quod rectum sit*, id quod alii rursus transposuerunt. ([5]) Sic Cdd. aliq. meliores. O1x. — *qualis noster ipsius a. s.* T. — *qualis ipsius vel noster a. s.* Crat. — *qualis noster a. s.* L. 1. 2. 3. — *noster* est gloss. *ipsius*, oratoris. ([6]) Sic L. — *Si* T. 1. 2. 3. ([7]) — *sumus* L. ([8]) Sic recte T. Pith. L. 1. 2. — *ut* — — *consequi non poss.* alii Cdd. ex ignoratione formulae: *vereor. ut.* Hinc correctum in Ed. Med. 1471. *ne* — — *consequi non poss.* Sch. 2. ([9]) *omnes homines illius virtutes praedicare op.* L. 3. Sch. 2. — *omnes hominis i. virtutes praedicare op.* Ern. 1. — *omnes homines illius virtutis praedicari op.* C2d. prob. Graev. — *omnes hominis illius virtutes praedicari op.* T. ([10]) Sic L. — *Si* T. 1. 2. 3. ([11]) Sic T. L. — *contraria* Cdd. pleriq. 1. 2. 3. ([12]) Sic Cdd. puto omnes. T. L. — *ante* 1. 2. 3. ([13]) — *laudabimus*, *dicemus* L. ([14]) — *ignaros*, et mox *ignari* T. al. e gloss. ([15]) — om. T. ut in v. *nos esse dicturos* mox al. *nos*, al. *esse* al. utrumque omittunt. ([16]) — *studio* Lambini suspic. ([17]) Sic T. aliique boni Cdd. L. Lallem. — *quo* 1. 2. 3. ([18]) e Cdd. Ern. 1. 2. — *qui laudatur*, *fuerit* 3. — *qui laudatus fuerit* T. L. ([19]) e Cdd. (etiam T.) Grut. 1. 2. 3. — om. *aut sit*. L. ([20]) = *sperare nos* L. — om. *nos* T. ([21]) e Cdd. etiam T. h. l. dedit Sch. 2. L. habet ante *improbaturos*. — om. 1. 3. ([22]) Sic e Cdd. Graev. 3. Sch. 2. ∞ *incertos esse* T. L. 1. ([23]) Sic T. 1. 2. 3. — *vereri nos* L.

sumuntur a vituperatione. VII. 13. [c] Principio tracto [1] ab aliqua harum, quas ante commemoravimus, rationum, narratio non erit ulla, quae necessario consequatur: sed si qua inciderit, quum aliquod factum eius, de quo loquemur, nobis narrandum sit cum laude, aut vituperatione, praeceptio narrandi de primo libro repetetur. Divisione hac utemur: primo [2] exponemus, quas res laudaturi sumus aut vituperaturi: deinde, ut quaeque, quove tempore res erit gesta, ordine dicemus, ut, quid, quamque tute cauteque egerit, intelligatur. Sed exponere oportebit animi virtutes aut vitia: deinde commoda aut incommoda corporis, aut rerum externarum, quomodo ab animo tractata sint, demonstrare. Ordinem hunc adhibere in demonstranda vita debemus. Ab externis rebus: genus, in laude: [quibus maioribus natus sit] [3]: si bono genere, parem aut excelsiorem [4] fuisse: si humili genere, ipsum in suis, non in maiorum virtutibus habuisse praesidium: in vituperatione: si bono genere, dedecori maioribus [5] fuisse: si malo, tamen his ipsis detrimento fuisse. Educatio, in laude: † bene et honeste, in bonis disciplinis per omnem pueritiam educatum esse: in vituperatione, contra [6]. 14. Deinde transire oportet ad corporis commoda. A natura, in laude: si sit dignitas atque forma, laudi fuisse eam [7], non quemadmodum ceteris, detrimento atque dedecori: si vires atque velocitas egregia: honestis haec exercitationibus [8] et industriis [9] dicemus comparata: si valetudo, perpetua [10] diligentia, et temperantia cupiditatum: in vituperatione, si erunt haec corporis commoda, male his [11] usum dicemus, quae casu et natura, tanquam quilibet gladiator, habuerit; si non erunt, praeter formam, omnia ipsius culpa et intemperantia occidisse [12] dicemus. Deinde revertemur [13] ad extraneas res, et in his, animi virtutes, aut [14] vitia quae fuerint [15], considerabimus; divitiae, an paupertas fuerit, et quae potestates [16], quae gloriae [17], quae amicitiae, quae inimicitiae, et quid fortiter in inimicitiis gerendis fecerit; cuius causa susceperit inimicitias [18], qua fide, benevolentia, officio gesserit amicitias: in divitiis qualis, aut in paupertate cuiusmodi fuerit: quemadmodum habuerit in potestatibus gerendis animum. Si

---

([1]) Sic Ern. C. 1. 2. — *Principio tractato* L. 3. Sed T. cum aliis: ∞ *Principio quum a re, tum aliqua h. q. a. t. rationum sumpto* (— *Principio igitur tracto* Sch. C. 2). ([2]) — om. *primo* T. et pleriq. Cdd. ([3]) Haec [ ] Ern. del. Sch. 2. ([4]) — *excellentiorem* Crat. L. ([5]) — *dedecori suis mai.* L. ([6]) Sic L. 1. 2. 3. (nisi quod L. 3. e *contrario*, quod Ern. mutavit in *contra*. Neutrum in Cdd. videtur exstare.) Sed e vestigiis Cdd. etiam T. haud improbabiliter Graev. sic leg. statuit: *Educatio, in laude: quam bene et honeste in bonis disciplinis tempore totius pueritiae* (sic boni Cdd. etiam Ox. A.) *fuerit. In vituperatione: inde se retraxisse aperte. A corporis commodis. A natura, si sit dignitas.* Scil. T: *Ed. in laude: quod honeste in bonis disciplinis fuerit; in vituperatione inde se retraxisse aperte: A corporis commodis natura, in laude.* Alii aliter. ([7]) — *ea* Cdd. aliq. prob. Graev. Oud. ([8]) Sic T. et meliores. L. — *honestis exerc.* 1. 2. 3. ([9]) Sic T. 1. 2. 3. — *industria* Cdd. aliq. (O2x.) L. ([10]) — *ex perpetua* O2x. L. — Grut. 3. distinguit — *si valetudo perpetua, dilig.* ([11]) = *his male* L. ([12]) Sch. C. 2. ex lectione — *accidisse* T. aliorum bonor. Cdd. — *non fuisse* L. 1. 3. — *fuisse* al. prob. Gronov. ([13]) — *vertemur* T. al. Graev. 3. ([14]) — *atque* L. ([15]) — om. *quae fuer.* L. ([16]) — *potestas* T. al. ([17]) — *quae gloria* Cdd. aliq. (O1x.) sed cfr. supra § 10. — del. Sch. C. 2. ([18]) Haec Sch. C. 2. transposuit ante *et quid fortiter.*

interierit, cuiusmodi mors eius fuerit, cuiusmodi res mortem eius sit consecuta. VIII. 15. Ad omnes autem res, in quibus animus hominis maxime consideratur, illae quatuor animi virtutes erunt accommodandae: ut, si laudemus, aliud iuste, aliud fortiter, aliud modeste, aliud prudenter factum esse praedicemus [1]: sin vituperemus [2], aliud iniuste, aliud ignave, aliud immodeste, aliud stulte factum esse dicamus. Perspicuum est iam nimirum ex hac dispositione, quemadmodum sit tractanda tripartita divisio laudis et vituperationis, si illud etiam assumpserimus: non necesse esse nos omnes has partes in laudem, aut [3] vituperationem transferre, propterea quod saepe ne incidunt quidem, saepe ita tenuiter incidunt, ut non sint necessariae dictu. Quapropter eas partes, quae firmissimae videbuntur, legere oportebit. Conclusionibus brevibus utemur, enumeratione ad exitum causae [4]: in ipsa causa crebras et breves amplificationes interponemus per locos communes. Nec hoc genus causae, eo quod raro accidit [5] in vita, negligentius commentandum [6] est. Neque enim id, quod potest accidere, ut faciendum sit aliquando, non oportet velle quam accommodatissime [7] posse facere. Et, si separatim haec causa minus saepe tractatur, at in iudicialibus, et [8] in deliberativis causis saepe magnae partes versantur laudis, aut [9] vituperationis. Quare in hoc quoque genere causae nonnihil industriae consumendum putemus [10]. Nunc, absoluta nobis [11] difficillima parte rhetoricae, hoc est, inventione perpolita, atque ad omne causae genus accommodata, tempus est ad ceteras partes proficisci [12]. Deinceps igitur de dispositione dicemus.

IX. 16. Quoniam dispositio est, per quam illa, quae invenimus, in ordinem redigimus, ut certo quidque loco pronuntietur: videndum est, cuiusmodi rationem in disponendo habere [13] conveniat. Genera dispositionum [14] sunt duo: unum ab institutione artis profectum: alterum ad casum temporis accommodatum. Ex institutione artis disponemus, quum sequemur eam praeceptionem, quam in primo libro exposuimus, hoc est, ut utamur principio, narratione, divisione, confirmatione, confutatione, conclusione: et hunc ordinem, quemadmodum praeceptum est ante, in dicendo sequemur. Item ex institutione artis, non modo totas causas per orationem, sed singulas quoque [15] argu-

---

([1]) Sic boni Cdd. prob. Oud. L. quod quum librarii inducti ad verbum *praedicere* referrent, mutarunt in — *dicamus* T. 1. 2. 3. ([2]) Sic T. O6x. L. (nisi quod hic ∞ *vituperabimus* cum Cdd. aliq.) — *sin vituperemus e contrario aliud iniuste a. i. a. i. a. i. f. esse dicemus* 3. — *sin vituperemus, e contrario* ceteris omissis Sch. 2. ex Ald. ([3]) — *et* T. ([4]) — om. *en. ad ex. c.* pauci Cdd. del. Graev. 3. ([5]) Sic 1. 2. 3. — *accidet* T. — *accidat* Omnib. L. ([6]) e E. Graev. Oud. prob. Ern. Sch. 2. — *commendandum* T. alii Cdd. — *considerandum* L. 1. 3. ([7]) Sic T. (non igitur fluxit ab Aldo, ut ait Ern.) L. 3. — *accommodissime* O1x. Hinc — *commodissime* Cdd. aliq. Ern. 1. 2. ([8]) — om. *et* L. ([9]) — *ac* L. ([10]) Sic T. alii boni Cdd. prob. Graev. Oud. Ern. 1. — *consumendum putamus* Cdd. aliq. Sch. 2. — *consummandum putamus* Grut. 3. — *conferendum putavimus* L. ([11]) = *a nobis* T. al. ([12]) Sic 1. 2. 3. — *partes orationis p.* L. — *partes rhetoricae p.* Cdd. aliq. Utrumque gloss. coniungit T. *partes vel orationis rhetoricae* (sic) *prof.* ([13]) ∞ *disponendo nos habere* O2x. L. ([14]) Sic 1. 2. 3. e Cdd. — *dispositionis* L. Grut. ∞ *disponendi* T. quod minime spernendum. ([15]) Sic boni Cdd. Sch. 2. (nisi quod is sine causa *per orationem* E. delevit) — *sed singulas quasque* T. al. — *sed per sing. quasque* L. 1. 3.

mentationes [1] disponemus, quemadmodum in secundo libro docuimus, [id est, expositionem, rationem, confirmationem rationis, exornationem, complexionem. 17. Haec igitur duplex dispositio est: una per orationes, altera per argumentationes, ab institutione artis profecta] [2]. Est autem [et] [3] alia dispositio, quae, quum ab ordine artificioso recedendum [4] est, oratoris iudicio ad tempus accommodatur: ut si a narratione dicere incipiamus, aut ab aliqua firmissima argumentatione, aut a literarum aliquarum recitatione: aut si secundum principium confirmatione utamur, deinde narratione: aut, si quam huiusmodi [5] permutationem ordinis faciamus: quorum nihil, nisi [6] causa postulet, fieri oportebit. Nam si vehementer aures auditorum obtusae videbuntur, atque animi defatigati ab adversariis multitudine verborum, commode poterimus principio supersedere, et exordiri causam aut a narratione, aut ab aliqua firma argumentatione. Deinde, si [7] commodum erit, quod [8] non semper necesse est, ad principii sententiam reverti licebit. X. Si causa nostra magnam difficultatem videbitur habere, ut nemo aequo animo principium possit audire; a narratione quum inceperimus, ad principii sententiam revertamur licebit. Si narratio parum probabilis est [9], exordiemur ab aliqua firma argumentatione. His commutationibus, et translationibus partium [10] saepe uti necesse est, quum ipsa res artificiosam dispositionem artificiose commutare cogit. 18. In confirmatione et confutatione argumentationum dispositiones [11] huiusmodi convenit habere: firmissimas argumentationes in primis et in postremis [12] causae partibus collocare: mediocres, et neque inutiles ad dicendum, neque necessarias ad probandum, quae, si separatim ac singulae dicantur, infirmae sint [13], cum ceteris coniunctae, firmae et probabiles fiant [14], interponi et in medio collocari oportet. Nam re narrata, statim exspectat [15] animus auditoris, ex qua re causa confirmari possit. Quapropter continuo firmam aliquam oportet inferre argumentationem. Et quoniam nuperrime dictum facile memoriae mandatur, utile est, quum dicere desinamus, recentem aliquam relinquere in animis auditorum bene firmam argumentationem. Haec dispositio locorum, tanquam instructio militum, facillime in dicendo, sicut illa in pugnando, parare poterit victoriam [16].

XI. 19. Pronuntiationem multi maxime utilem oratori dixerunt esse, et ad persuadendum plurimum valere. Nos quidem unam de

---

(1) Sic T. al. Victor. prob. Graev. Ern. 1. 2. — *argumentationis partes* Cdd. aliq. L. 3. (2) Ern. 1. [ ] *id est — complexionem.* Reliqua [ ] Sch. 2. in quibus *per argumentationis partes* habet T. unde prius illud in multis corruptum est. (3) ∞ om. T. cum plerisque Cdd. Nos [ ]. (4) — *secedendum* T. (5) = *eiusmodi* 1. al. (6) Sic plerique. L. 1. 3. — *nihil ni* T. unde ortum in Mediceo: *nihil non, causa postulet*, ex quo Ern. suspicatus est *nihil non, si*, quod recepit Sch. 2. (7) ∞ Haec usque ad *reverti licebit* Sch. 2. [ ]. (8) Sic T. al. Crat. L. — *quia* 1. 3. (9) ∞ *erit* L. — om. T. (10) ∞ om. *partium* T. al. (11) — *disputationes* Cld. prob. Graev. (12) Sic T. 1. 2. 3. — *et postremis* Cdd. aliq. L. (13) ∞ *sunt* Cdd. aliq. (14) ∞ *fiunt* T. al. L. (15) Sic Cdd. aliq. 1. 2. 3. — *nam et re narrata, exspectat* om. *statim* al. — *nam statim re narrata exspectat* Steph. L. (16) ∞ *parere* (sic) *victoriam poterit* Cdd. aliq. L.

quinque rebus [1] plurimum posse non facile dixerimus; egregie [2] magnam esse utilitatem in pronuntiatione, audacter confirmaverimus. Nam commodae inventiones, et concinnae verborum elocutiones, et partium causae artificiosae dispositiones, et horum omnium diligens memoria, sine pronuntiatione, non plus, quam sine his rebus pronuntiatio sola, valere poterit. Quare, quia [3] nemo de ea re diligenter scripsit: (nam omnes vix posse putarunt de voce, et vultu, et gestu [4] dilucide scribi, quum hae res ad sensus nostros pertinerent:) et quia magno opere ea pars a nobis ad dicendum comparanda est, non negligenter videtur tota res consideranda.

Dividitur igitur pronuntiatio in vocis figuram, et corporis [5] motum. Figura vocis est, quae [6] suum quendam possidet habitum ratione et industria comparatum. 20. Ea dividitur in tres partes, magnitudinem, firmitudinem, mollitudinem. Magnitudinem vocis maxime comparat natura, nonnihil adauget [7], sed maxime conservat cura: firmitudinem vocis maxime † natura [8] comparat, nonnihil adauget, sed [9] maxime conservat exercitatio [10] declamationis: mollitudinem vocis, hoc est, ut eam torquere in dicendo, pro [11] nostro commodo, possimus, maxime faciet exercitatio declamationis [12]. Quapropter de magnitudine vocis, et firmitudinis parte, quoniam altera natura, altera cura comparatur, nihil [ad] nos attinet [13] commonere, nisi ut ab iis, qui non inscii sunt eius artificii, ratio curandae vocis petatur. XII. De ea parte firmitudinis, quae conservatur ratione declamationis, et de mollitudine vocis, quae maxime necessaria est oratori, quoniam ea quoque moderatione declamationis comparatur, dicendum videtur. 21. Firmam igitur maxime poterimus in dicendo vocem conservare, si quam maxime sedata et depressa voce principia dicemus. Nam laeduntur arteriae [14], si, antequam leni voce permulsae sunt [15], acri clamore compleantur [16]. Etiam intervallis longioribus uti conveniet: recreatur enim vox spiritu [17]; et arteriae reticendo acquiescunt: et continuum clamorem remittere [18], et ad sermonem transire oportet: commutationes enim faciunt, ut nullo [19] genere vocis effuso, in omni voce integri simus. Et acutas vocis exclamationes vitare debemus [20]: ictus enim fit, et vulnerantur arteriae [21] acuta

---

([1]) Sic Cdd. aliq. 1. 2. — *unam eam de q. r.* L. — *unum de q. r.* Grut. 3. — *unam de q. partibus* T. al. ([2]) Sic C2d. probante Graev. — *nec egregie* T. L. 1. 3. — *sed egregie* de Grut. suspic. Sch. 2. ([3]) ∞ *et quia* Cdd. aliq. prob. Oud. ([4]) Sic T. 1. 2. 3. ∞ *de voce, vultu, gestu* L. ([5]) — *et in c.* T. al. ([6]) ∞ *est ea, quae* Cdd. aliq. L. = *ea est, quae* T. ([7]) Sic T. al. L. 1. 2. — *hanc auget* 3. ([8]) ∞ *cura* Sch. C. 2. Et necessariae omnino videntur tum haec, tum seqq. (10, et 12) Sch. emendationes e seqq. petitae, quum maxima confusio in vulgatis obtineat. ([9]) Sic T. 1. 2. — *et* L. 3. ([10]) ∞ *ratio* Sch. C. 2. ([11]) Sic T. L. 1. 2. ∞ om. *pro* cum C2d. Graev. 3. cfr. §. 39. ([12]) ∞ *moderatio declamationis* Sch. C. 2. — *exercitatio imitationis* T. al. ([13]) Pleriq. Cdd. T. L. 3. om. *ad.* Retinuerunt Ern. quem vide; Sch. 2. Nos [ ]. ([14]) ∞ *laeditur arteria* Cdd. aliq. L. ([15]) ∞ *leni voce bene permulsa sit* L. alii quoque addunt *bene*, quod tamen ortum e *leni*. (= *voce leni* T.) ([16]) — *compleatur* L. — *completur*, ut supra *permulsa est*, Oxonn. aliq. ([17]) = *spiritu vox* T. L. ([18]) — *omittere* T. al. ([19]) Sic Cdd. 1. 2. 3. ∞ *multo* L. C. ([20]) ∞ om. *deb.* T. al. L. 3. E pluribus Mss. restituit Ern. 1. 2. ([21]) Sic T. L. 1. 3. ∞ *et vulnus arteriae* Boni aliq. Cdd. etiam Olx. Sch. 2.

atque attenuata nimis acclamatione[1], et si quis splendor est vocis, consumitur uno clamore universus[*]: et uno spiritu continenter multa dicere in extrema convenit oratione: fauces enim calefiunt, et arteriae complentur, et vox, quae varie tractata est, reducitur in quendam sonum aequabilem atque constantem. Saepe rerum naturae gratia quaedam iure debetur, velut accidit in hac re. Nam quae diximus ad vocem conservandam[2] prodesse, eadem attinent ad suavitudinem[3] pronuntiationis, ut, quod nostrae voci prosit, idem voluptate auditoris probetur. 22. Utile est ad firmitudinem[4] sedata vox in principio. Quid insuavius, quam clamor in exordio causae? Intervalla vocem confirmant: eadem sententias concinniores divisione reddunt, et auditori spatium cogitandi relinquunt. Conservat vocem continui clamoris remissio: et auditorem quidem varietas maxime delectat, quum sermone[5] animum eius retinet, aut[6] excsuscitat clamore. Acuta exclamatio vocem et fauces vulnerat: eadem laedit auditorem[7]. Habet enim[8] quiddam illiberale, et ad muliebrem potius vociferationem, quam ad virilem dignitatem in dicendo accommodatum. In extrema oratione continens vox remedio est voci. Quid? haec eadem nonne animum vehementissime calefacit auditoris, in totius conclusione causae? Quoniam igitur res eaedem vocis firmitudini, et pronuntiationis suavitudini[9] prosunt, de utraque re simul erit in praesentia dictum, [de firmitudine, quae visa sunt, de suavitudine, quae coniuncta fuerunt][10]: cetera suo loco paullo post dicemus. XIII. 23. Mollitudo igitur vocis, quoniam omnis ad rhetoris praeceptionem pertinet, diligentius nobis consideranda est. Eam dividimus in sermonem, contentionem, amplificationem. Sermo est oratio remissa, et finitima quotidianae locutioni: contentio est oratio acris, et ad confirmandum, et ad[11] confutandum accommodata: amplificatio est oratio, quae aut in[12] iracundiam inducit, aut ad misericordiam trahit auditoris animum[13]. Sermo dividitur in partes quatuor, dignitatem, demonstrationem, narrationem, iocationem. Dignitas est oratio cum aliqua gravitate, et vocis remissione: demonstratio est oratio[14], quae docet remissa voce, quomodo quid fieri potuerit, aut non potue-

---

([1]) ∞ *exclamatione* L. — * ∞ *universa* T. ([2]) Sic Cdd. minimum tres. L. — *servandam* T. 1. 2. 3. Syllaba *con* absorpta est a prace*cem*. ([3]) Sic Cdd. 2. Ox. A.) prob. Lamb. Sch. 2. qua forma semel recepta, infra quoque bis erat exhibenda, auctoritate vel unius, vel duorum Mss. Ern. ter retinuit vulgarem — *suavitatem* T. L. 1. ([4]) Sic T. al. Graev. 3. Sch. 2: — *firmitudinem vocis* Cdd. pleriq. L. 1. ([5]) ∞ *quum et sermone* L. ([6]) ∞ *et* L. — *ac* Otx. ([7]) ∞ add. *quae (quod* al.) *emendat varietas* T. al. ([8]) — *etenim* T. quod argumento est, illis duobus tribusve locis, ubi in Edd. Ciceronis haec particula postponitur, eandem ex *enim* ortam esse. ([9]) Sic e Cld. prob. Lamb. Grut. 3. — *suavitati* T. L. 1. 2. ([10]) Haec tum in grammaticas regulas peccare: *erit dictum, quae visa sunt*, tum supervacanea esse videntur ac simul sensu cassa, maxime si expendas novam Turic. lectionem: *quae divisa sunt*, ut probabiliter scripsit ineptissimi emblematis inventor. ∞ *quae visa sunt* del. L. C. scripsitque: *de firmitudine et de suavitate (suavitudine* dedi e Cdd. Oud.). Amicus quidam meus ita emendabat: *de firmitudine et de suavitudine, quae coniuncta fuerunt: cetera, quae divisa sunt, suo loco.* Nos tamen [ ]. ([11]) Sic T. pleriq. Cdd. 1. 2. — om. *ad* L. 3. ([12]) Sic T. al. 1. 2. — *ad* L. 3. ([13]) = *animum auditoris* L. ([14]) Sic T. L. 1. 5. — om. *oratio* Cdd. aliq. Grut. Sch. 2.

rit: narratio est rerum gestarum, aut perinde ut [1] gestarum, expositio: iocatio est oratio, quae ex aliqua re risum pudentem et liberalem potest comparare. Contentio dividitur in continuationem et distributionem. Continuatio est orationis enuntiandae [2] acceleratio clamosa: distributio est in contentione [3] oratio frequens, cum raris [4] et brevibus intervallis, aeri vociferatione. 24. Amplificatio dividitur in cohortationem et conquestionem. Cohortatio est oratio [5], quae aliquod peccatum amplificans, auditorem ad iracundiam adducit: conquestio est oratio [6], quae incommodorum amplificatione animum auditoris ad misericordiam perducit. Quoniam igitur mollitudo vocis in tres partes divisa est [7], et hae partes ipsae in octo alias distributae sunt [8], quae cuiusque idonea pronuntiatio sit, demonstrandum videtur. XIV. Sermo quum est in dignitate, plenis faucibus quam sedatissima et depressissima voce uti conveniet [9]: ita tamen, ut ne ab oratoria consuetudine ad tragicam transeamus. Quum autem est in demonstratione, voce paullulum attenuata, crebris intervallis et divisionibus uti oportebit [10]: ut ipsa [11] pronuntiatione eas res, quas demonstrabimus, inserere atque intexere [12] videamur in animis auditorum. Quum autem sermo in narratione est, tum vocum varietate opus est [13], ut, quo quidque pacto gestum sit, ita narrari videatur. Strenue quod [14] volumus ostendere factum, celeriuscule dicemus: at aliud otiose, retardabimus. Deinde modo acriter, tum clementer, maeste, hilariter [15] in omnes partes commutabimus, ut verba, ita [16] pronuntiationem. Si qua inciderint in narratione [17] dicta, rogata, responsa, si quae admirationes, de quibus nos narrabimus; diligenter animum advertemus [18], ut omnium personarum sensus, atque animos voce exprimamus. 25. Sin erit sermo in iocatione, leniter tremebunda voce [19], cum parva significatione risus, sine ulla suspicione mimae [20] cachinnationis leviter [21] oportebit a sermone serio torquere ad liberalem iocum vocem [22]. Quum autem contendere oportebit, quoniam id aut per continuationem, aut per distri-

---

([1]) = *proinde ac* L. ([2]) Sic Cdd. L. 1. 3. — *continuae* Sch. €. 2. ([3]) Sic Cdd. L. 1. 3. — *est concisione* Sch. €. 2. ([4]) Sic Cdd. fere omnes T. L. 1. 3. — *variis* Cdd. aliq. ∞ *crebris brev.* Sch. €. 2. ([5]) Sic T. Pleriq. Cdd. 3. Sch. in Ed. mai. — om. *oratio* L. 1. 2. ([6]) Sic T. L. 1. 3. — om. Sch. €. 2. ([7]) — *dividitur* T. ([8]) Sic Ern. ex Edd. vett. 1. 2. ∞ *et hae partes ipsae in octo partes alias distributae (sunt* om. T. Grut. 3. Habent Mss. pleriq. unde dedit Ern. 1. 2.) *harum octo partium* T. Grut. 3. Haud scio, an pro nostri scriptoris modulo melius. = *et hae ipsae p. sunt in VIII. partes al. distr. har. VIII. partium* L. ([9]) Sic T. L. 2. 3. — *convenit* Ern. 1. errore typogr. ([10]) ∞ *oportet uti* T. L. ([11]) ∞ *in ipsa* T. al. plures prob. Oud. ([12]) — *inculcare* L. e €. Aurati. ([13]) ∞ *varietates opus sunt* T. ([14]) Sic T. L. 1. 3. — *quid* Erf. — *aliquid* Sch. €. 2. ([15]) ∞ *hilare* T. cum pluribus. ([16]) ∞ *item* T. ut alibi quoque, post v. *ut*. ([17]) ∞ *narrationem* T. al. prob. Oud. ([18]) Sic T. 1. 2. 3. = *animadvertemus* Cdd. aliq. L. ([19]) Sic 1. 2. 3. ∞ *leniter* T. L. Sch. in Ed. mai. ∞ *leniter tremebundam vocem* om. *vocem* in fine clausulae Sch. €. 2. admodum probabili, quum infra sedes v. *vocem* incerta sit. ([20]) Sic Cdd. pauci. Grut. 1. 3. ∞ *mimicae* de Ern. suspic. Sch. 2. — *nimiae* T. Cdd. pleriq. L. ([21]) Sic e Cdd. Ern. 1. ∞ *leniter* T. L. 3. ∞ *lenissime* Erf. Sch. in Ed. mai. ∞ *levissime* Sch. €. 2. ([22]) Sic 1. 3. = *a serm. serio vocem ad l. i. torquere* L. = *ab serm. ser. vocem torquere ad lib. ioc.* T. ∞ *vocem* om. Sch. €. 2. v. supra.

butionem faciendum est: in continuatione, adaucto mediocriter sono vocis, verbis continuandis vocem quoque iungere[1] oportebit, et torquere sonum, et celeriter cum clamore verba conficere, ut vim volubilem orationis vociferatio consequi possit; in distributione ab imis faucibus exclamationem quam clarissimam[2] adhibere oportet: et quantum spatii per singulas exclamationes sumpserimus, tantum in[3] singula intervalla spatii consumere iubemur[4]. In amplificationibus, cum cohortatione, utemur voce attenuatissima, clamore leni, sono aequabili[5], commutationibus crebris, maxima celeritate: in conquestione [utemur][6] voce depressa, inclinato sono, crebris intervallis, longis spatiis, magnis commutationibus. XV. De figura vocis satis dictum est: nunc de corporis motu dicendum videtur.

26. Motus est corporis gestus[7], et vultus moderatio quaedam, quae pronuntianti convenit, et probabiliora reddit ea, quae pronuntiantur[8]. Convenit igitur[9] in vultu pudorem et acrimoniam inesse[10]: in gestu nec venustatem conspiciendam[11], nec turpitudinem esse[12], ne aut[13] histriones, aut operarii videamur esse. Ad easdem igitur partes, in quas vox est distributa, motus quoque corporis ratio videtur esse accommodanda. Nam si erit sermo cum dignitate, stantes in vestigio, levi dexterae motu loqui oportebit, hilaritate, tristitia, mediocritate vultus ad sermonis sententias accommodata: sin erit in demonstratione sermo, paullulum corpus a cervicibus demittemus: (nam hoc est a natura datum, ut quam proxime tum vultum[14] admoveamus ad auditores, si quam rem docere eos[15], et vehementer instigare velimus;) sin erit in narratione sermo, idem motus poterit idoneus esse, qui paullo ante demonstrabatur in dignitate: sin in iocatione, vultu quandam debebimus hilaritatem significare, sine commutatione gestus. 27. Si contendemus per continuationem, brachio celeri, mobili vultu, acri aspectu utemur: sin contentio fiet per distributionem, celeri proiectione[16] brachii, inambulatione, pedis dextri rara supplosione, acri et defixo aspectu uti oportebit. Si[17] utemur amplificatione per cohortationem, paullo tardiore et consideratiore gestu conveniet uti, similibus ceteris rebus, atque in contentione per continuationem: sin[18] utemur amplificatione per conquestionem, feminis[19] plangore, et capitis ictu, nonnun-

---

(1) Sic Cdd. pleriq. 1. 2. — *adiungere* alii Cdd. — *augere* T. al. — *adaugere* L. 3. e correctione. (2) Sic Cdd. aliq. 1. 2. — *vocem ab imis faucibus exclamatione quam clarissima* T. al. L. Grut. — *In distributione autem omissis fauc. exclamationem q. clarissimam.* Erf. Graev. 3. (3) ∞ *inter* T. al. L. prob. Oud. (4) Sic T. pleriq. L. 1. 3. — *iubemus* Cdd. aliq. ∞ *debemus* de Ern. suspic. Sch. 2. (5) Sic T. pleriq. L. 1. 2. — *aequali* 3. (6) Sic T. L. 1. 3. — om. Cdd. aliq. del. Sch. 2. Nos [ ]. (7) — *Motus corporis est gestus* Sch. E. 2. (8) ∞ *pronuncianti convenit et* om. Cdd. plures L. Contra T. al. om. *et prob.* — *pronuntiantur.* (9) — om. *igitur* L. (10) Sic Cdd. aliq. L. Sch. in Ed. mai. — *esse* T. 1. 2. 3. (11) Sic T. al. plures prob. Graev. Oud. Sch. 2. — *conspicuam* alii Cdd. L. 1. 3. quod e scripturae compendio videtur ortum esse. (12) ∞ *esse* del. censebat L. in marg. Ed. 1584. del. Sch. 2. sed abesse nequit. (13) — *ut aut* Cfd. apud Lamb. (14) — *tum manum* e Cd. Ursini inseruit post haec Lallemand. (15) = *eos docere* L. (16) Sic de Lamb. E. 1. 2. — *porrectione* Cdd. omnes. 3. (17) Sic L. 1. 2. — *sin* T. 3. (18) Sic T. L. 2. 3. — *si* 1. (19) Sic Erf. Ern. 1. 2. 3. — *femineo* T. Pleriq. L.

quam sedato et constanti gestu [1], maesto et conturbato vultu uti oportebit. Non sum nescius, quantum susceperim negotii, qui motus corporis exprimere verbis, imitari [2] scriptura conatus sim voces. Verum nec hoc confisus sum posse fieri, ut de his rebus satis commode scribi posset; nec, si id fieri non posset, hoc, quod feci, fore inutile putabam, propterea quod hic admonere voluimus, quid [3] oporteret: reliqua trademus exercitationi. Hoc scire tamen [4] oportet, pronuntiationem bonam id perficere [5], ut res ex animo agi videatur.

XVI. 28. Nunc ad thesaurum inventorum, atque ad [6] omnium partium rhetoricae custodem, memoriam transeamus. Memoria utrum habeat quidquam [7] artificii [8], an omnis a natura proficiscatur, aliud dicendi tempus magis idoneum dabitur. Nunc perinde atque constet in hac re multum valere artem et praeceptionem, ita ea de re [9] loquemur. Placet enim nobis esse artificium memoriae [10]: quare placeat, alias ostendemus: in praesentia [11] cuiusmodi ea sit, aperiemus. Sunt igitur duae memoriae; una naturalis, altera artificiosa. Naturalis est ea, quae nostris animis insita est, et simul cum cogitatione nata: artificiosa est ea, quam confirmat inductio quaedam, et ratio praeceptionis. Sed quia in ceteris rebus ingenii bonitas imitatur saepe doctrinam, ars porro naturae commoda confirmat et auget: ita [12] fit in hac re, ut nonnunquam naturalis memoria, si cui data est egregia [13], similis sit huic artificiosae. 29. Porro haec artificiosa naturae commoda retinet, et amplificat [14] ratione doctrinae. Quapropter et naturalis memoria praeceptione confirmanda est, ut sit egregia: et haec, quae doctrina datur, indiget ingenii. Nec hoc magis, aut minus in hac re, quam in ceteris artibus fit, ut ingenio doctrina, praeceptione natura [15] niteseat. Quare et illis, qui natura memores sunt, utilis haec erit institutio: quod tute paullo post poteris intelligere [16]. Quod si illi freti ingenio suo, nostri non indigent, tamen iusta causa daretur, quare iis, qui minus ingenii habent, adiumento velimus esse [17]. Nunc de artificiosa memoria loquemur [18]. Constat igitur artificiosa memoria ex locis et imaginibus. Locos appellamus eos, qui breviter, perfecte, insignite, aut natura, aut manu sunt absoluti, ut eos facile naturali memoria comprehendere et amplecti

---

([1]) ∞ *gemitu* T. quod haud displicet. ([2]) ∞ *et imitari* T. Pleriq. prob. Oud. — *et voces imitari scr. c. sim* L. ([3]) e Cdd. 1. 2. — *quod* L. 3. ([4]) = *tamen scire* L. (om. *tamen* T.). ([5]) — *efficere* L. ([6]) e Cdd (T.) inseruit *ad* Ern. 1. 2. ∞ om. L. 3. ([7]) Sic L. 1. 2. 3. — *quiddam* T. Pleriq. prob. Oud. Sch. in Ed. mai. Ceterum hunc locum inde a *Memoria utrum* usque ad C. 24. *dixisse videamur* ab erudito aliquo homine, ut opinor, seculi XV. graece conversum habes in Maii *Cicerone Ambrosiano* p. 210. ([8]) Sic T. pleriq. L. Sch. 2. — *artificiosi* 1. 3. ([9]) = *de ea re* T. L. ([10]) — *artificiosam memoriam* L. C. ([11]) = *In praesenti* L. ([12]) ∞ *item* T. al. ut C. 18. 31. adhuc editum est. ([13]) — *egregie* Ern. suspic. ([14]) — *retineat et amplificet* L. solus. ([15]) — *ut doctrina et praeceptione* L. in errorem inductus a falsa distinctione: *ut ingenio, doctrina*, — ([16]) = *intellig. pot.* L. ([17]) Sic Ern. 1. 2. nisi quod e bonis Cdd. etiam Olx. praetuli *nostri*, pro *nostro*. *Daretur*, quod retinui, neque in hoc scriptore vitiosum puto, Cdd. omnes. L. — *datur* Ern. C. 1. 2. Reliqua praebent Mss. Pro *Quod si* plures, etiam T. *Et si* prob. Oud. — *quod si illi freti ingenio, nostra praeceptione non indigerent — daretur.* L. 3. ([18]) — *loquamur* L.

queamus, ut aedes, intercolumnium, angulum, fornicem, et alia, quae his similia sunt [1]. Imagines sunt formae quaedam, et notae, et simulacra eius rei, quam meminisse volumus: quod genus, equi, leones, aquilae, quorum memoriam si volemus habere, imagines eorum certis in locis collocare nos oportebit.

30. Nunc, cuiusmodi locos invenire, et quo pacto reperire, et in locis imagines constituere [2] oporteat, ostendemus [3]. XVII. Quemadmodum igitur qui literas sciunt, possunt id, quod dictatum [4] est, scribere, et recitare, quod scripserunt: ita qui *memoriae* didicerunt, possunt, quae audierunt, in locis collocare, et ex his memoriter pronuntiare. Loci enim cerae aut chartae simillimi sunt; imagines, literis; dispositio et collocatio imaginum, scripturae; pronuntiatio, lectioni. Oportet igitur, si volumus multa meminisse, multos nobis locos comparare, ut in multis locis multas imagines collocare possimus. Item putamus oportere ex ordine hos locos habere [5], ne quando perturbatione ordinis [6] impediamur, quo secius, quotoquoque loco libebit, vel ab superiore, vel ab inferiore, vel a media [7] parte imagines sequi, et ea [8], quae mandata locis erunt, videre [9] et proferre possimus. XVIII. Nam ut, si in [10] ordine stantes notos complures viderimus, nihil nostra intersit, utrum ab summo, an ab imo, an ab medio nomina eorum dicere incipiamus: item [11] in locis ex ordine collocatis eveniet, ut in quamlibet partem, quotoquoque loco libebit, imaginibus commoniti dicere possimus id, quod locis mandaverimus. 31. Quare placet [12] et ex ordine locos comparare; et locos, quos sumpserimus [13], egregie commeditari [14] oportebit, ut perpetuo nobis haerere possint. Nam imagines, sicut literae, delentur, ubi nihil illis [15] utimur: loci, tanquam cera, remanere debent. Et, ne forte in numero locorum falli possimus, quintum quemque locum [16] placet notari: quod genus, si in quinto loco manum auream collocemus, et in decimo [17] aliquem notum, cui praenomen sit Decimo; deinde facile erit deinceps [18] similes notas quinto quoque loco collocare. XIX. Item commodius est in derelicta, quam in celebri regione locos comparare: propterea quod frequentia, et obambulatio hominum conturbat et infirmat imaginum notas: solitudo conservat integras [19] simulacrorum figuras. Praeterea dissimiles forma atque natura loci comparandi sunt, ut distincte interlucere possint [20].

---

(1) — *et his similia* L. (2) — *continere* Cdd. aliq. — *contineri* T. (3) — *ostendamus* L. (4) Sic T. 1. 2. 3. — *dictum* Cdd. aliq. L. (5) ∞ *putamus hos locos ex ordine comparari oportere* T. al. (6) — *ordinis* del. Sch. E. 2. (7) ∞ *vel a media* om. T. et alii complures. (8) Sic dedi ex Erf. et Cauch. — *sequi, ut ea* 1. 2. 3. mero soloecismo. ∞ *secuti, ea* L. E. — *sequamur, ut ea* Otx. (9) Sic e Cdd. prob. Gronov. Ern. 1. 2. Lallem. ∞ *edere* T. Pleriq. L. 3. (10) ∞ *in* om. L. (11) Nota pro *ita*. (12) ∞ *placet* om. L. solus. (13) Sic T. L. 1. 2. — *assumpserimus* Grut. 3. (14) Sic L. 1. 2. 3. ∞ *egregie commoditer notare* T. ut volebat Gronov. e vestigiis al. Cdd. (15) ∞ *illis* om. Cdd. fere omnes, etiam T. prob. Graev. Oud. (16) ∞ *locum* om. T. al. prob. Graev. (17) Sic e Cdd. Ern. 1. 2. — *et si in d.* L. 3. (18) Sic T. alii boni Cdd. prob. Graev. De formula: *deinde — deinceps* v. Graev. — *facile erit deinceps* om. *deinde* Sch. 2. — *Deinde fac. erit similes* L. 1. 3. (19) ∞ *integra vi* Erf. T. qui saepe conspirant. (20) Haesit in his Ern. et suspic. est: *possit*. Hinc Sch. E. 2. *ut distinctio interlucere possit. — ut distincti i. possint* T.

Nam si quis multa intercolumnia sumpserit, conturbabitur similitudine locorum, ut ignoret[1], quid quoque in loco collocarit. Et magnitudine modica, et mediocres locos habere oportet[2]. Nam et praeter modum ampli vagas imagines reddunt; et nimis angusti saepe non videntur posse capere imaginum collocationem. 32. Tum nec nimis illustres, nec vehementer obscuros locos haberi oportet, ne aut obcaecentur tenebris imagines, aut splendore praefulgeant. Intervalla locorum mediocria esse placet[3], fere paullo plus, aut minus pedum tricenum[4]. Nam ut aspectus, ita[5] cogitatio minus valet, sive nimis procul removeris, sive vehementer prope admoveris id, quod oportet videri. Sed quamquam facile est ei, qui paullo plura exploraverit[6], quamvis multos et idoneos locos comparare; tamen si quis ad ista satis idoneos[7] invenire se non putabit, ipse sibi constituat, quam volet multos, licebit. Cogitatio enim quamvis regionem potest amplecti, et in ea situm loci cuiusdam ad suum commodum et[8] arbitrium fabricari et architectari. Quare licebit, si hac prompta copia contenti non erimus, nosmet ipsos nobis cogitatione nostra regionem constituere, et idoneorum locorum commodissimam distinctionem comparare. De locis satis dictum est: nunc ad imaginum rationem transeamus.

XX. 33. Quoniam ergo rerum similes imagines esse oportet, et ex omnibus verbis notas nobis similitudines eligere debemus, duplices similitudines esse debent; unae rerum, alterae verborum. Rerum similitudines exprimuntur, quum summatim ipsorum negotiorum imagines comparamus: verborum similitudines constituuntur, quum uniuscuiusque nominis et vocabuli memoria imagine notatur[9]. Rei totius memoriam saepe una nota, et imagine simplici comprehendemus, hoc modo: ut, si accusator dixerit, ab reo hominem veneno necatum, et hereditatis causa factum arguerit, et eius rei multos dixerit testes et conscios esse: si hoc primum, ut ad defendendum[10] nobis expeditum sit, meminisse volemus; in primo loco rei totius imaginem conformabimus;

---

(1) — *et ignorabit* Cdd. aliq. prob. Oud. (2) Sic 1. 3. (Lamb. om. *et* ante *mediocres*) — *Nam et magnitudine modica, et mediocres locos.* Cauch. unde Graev. suspic. *Iam et.* Inde Sch. C. 2.: *Iam et magnit. modica locos habere op. (et mediocres* suspectum erat iam Gulielmio). (3) = *placet esse* L. (4) ∞ *trinum* Delbenii C. firmatur ab Interprete graeco: ποδῶν τριῶν. (5) ∞ *item* T. ut solet. (6) — *paullo exploravit* T. — *paullo plura noverit.* Cdd. pauci. v. c. O2x. — *paullo plura meminisse voluerit.* L. solus. (7) — *si quis forte* cet. L. — *si quis ad ista idoneum invenire* T. (8) e Cdd. compluribus, etiam O3x. haec *commodum et* adscivit Ern. 1. 2. ∞ om. T. L. 3. (9) Sic L. (nisi quod habet: *nobis notas*) 1. 3. Locus est corruptus. Turic. om. *nobis similitudines.* Pro *notas*, ut C. 22. legend. *notatas:* unde exit probabiliter: *quoniam ergo rerum similes imagines esse oportet, et ex omnibus verbis notatas eligere debemus — — notatur.* Sch. C. 2. ita: *Quoniam ergo rerum simulacra esse oportet, et verbis nosmet notas* (hoc e C3d. prob. Oud.) *similitudines eligere debemus, duplices imagines esse debent: unae rerum, alterae verborum. Rerum imagines expromuntur, quum summatim ipsorum negotiorum similitudines comparamus: verborum imagines constituuntur, quum uniuscuiusque nominis* (— *hominis* Erf. Pith. prob. Graev.) *et vocabuli memoria similitudine notatur.* Sed *omnibus verbis*, et *exprimuntur* satis defenditur e Cap. 21. *hoc modo omnia verba erunt expressa.* (10) Sic T. L. 1. 3. — *ut def.* Ern. errore typogr.

aegrotum [1] in lecto cubantem faciemus ipsum illum [2], de quo agetur, si formam eius detinebimus [3]; si eum non agnoverimus [4], aliquem aegrotum non de minimo loco [5] sumemus, ut cito in mentem venire possit, et reum ad lectum eius adstituemus [6], dextra poculum, sinistra tabulas, medico [7] testiculos arietinos tenentem. Hoc modo et testium, et hereditatis, et veneno necati memoriam habere poterimus. 34. Item deinceps cetera crimina ex ordine in locis ponemus: et, quotiescunque rem meminisse volemus, si formarum dispositione, et imaginum diligenti notatione utemur, facile ea, quae volemus, memoria consequemur. XXI. Quum verborum similitudines imaginibus exprimere volemus, plus negotii suscipiemus, et magis ingenium nostrum exercebimus. Id nos hoc modo facere oportebit: *Iam domuitionem* [8] *reges Atridae parant.* In primo loco [9] constituere oportet manus ad coelum tollentem Domitium, quum a Regibus [10] Marciis loris [11] caedatur. Hoc erit, *Iam domuitionem reges.* In altero loco Aesopum et Cimbrum † subornare Iphigeniam, Agamemnonem et Menelaum. Hoc erit, *Atridae parant* [12]. Hoc modo omnia verba erunt expressa. Sed haec imaginum conformatio tum valet, si naturalem memoriam exsuscitaverimus hac notatione, ut, versu posito, ipsi nobiscum primum transeamus bis, aut ter eum versum; deinde eum [13] imaginibus verba exprimamus. Hoc modo naturae suppeditabit [14] doctrina. † Nam utraque altera separata minus erit firma [15], ita tamen ut multo plus in doctrina atque arte praesidii sit. Quod docere non gravaremur, ni metueremus, ne, quum ab instituto nostro recessissemus, minus commode servaretur haec dilucida brevitas praeceptionis.

35. Nunc, quoniam solet accidere, ut imagines partim firmae [16] et ad monendum [17] idoneae sint, partim imbecilles et infirmae, quae vix [18] memoriam possint excitare: qua de causa utrumque fiat, considerandum est; ut, cognita causa, quas vitemus, et quas sequamur imagines, scire

---

(1) — *et aegrotum* L. (2) — *illum ipsum* L. ut saepe frustra emendavit. (3) Sic Cdd. 1. 3. — *tenebimus* L. E. Sch. 2. Illud h. l. idem significat. (4) Sic T. 1. 3. ∞ *cognoverimus* Cdd. aliq. L. Sch. 2. (5) — *de non imo loco* Gronov. suspic. (6) Sic T. L. 1. 2. 3. — *statuemus* Cdd. aliq. Sine causa illud suspectum erat Ernestio. (7) Sic L. 3. — *medico digito* Pith. e gloss. Sch. 2. — *digito medico* Ed. Med. — *medicum* — *tenentem* T. al. — *medio* Pith. (Ern. 1. errore typogr.) (8) Ita Victorius emendavit. L. 1. 2. 3. — *domi ultionem* Cdd. etiam T. (9) Sic Sch. E. 2. — *In loco* Cdd. L. 1. 3. Scriptum erat: *In l. loco* unde corruptela. (10) Sic Graev. 3. Sch. 2. — *regibus* T. L. 1. (11) *loris* excidit ap. Sch. 2. errore typogr. (12) Sic L. 1. 3. Locus corruptus. Turic: *Aesopum et Cimbrum subornari ut ephigeniam* (sic) *vagantem hoc erit Atridae parant.* Reliquam varietatem v. ap. Graev. cet. Latet in his aliquid de Iphigenia vitta v. c. ad sacrificium ornata; quibus expressum fuerit verbum *parant*, quod in vulgata et Sch. E. non „*exprimitur.*" *Agamemnonem et Menelaum* e gloss. est, ut constat e Tur. — *Aesopum et Cimbrum subornare in Iphigenia agentes Agamemnonem et Menelaum. Hoc — parant.* Sch. E. 2. (13) Sic Cdd. T. L. 1. 3. — del. *eum* Sch. E. 2. (14) Sic T. 1. 2. 3. — *suppeditabitur* L. (15) Sic 1. 3. Corrupte. ∞ *nam utraque ab altera* cet. Ed. Med. Lamb. — *nam quum ex utraque altera est separata, minus erit infirma* T. — al. *parata.* Hinc Sch. E. 2: — *nam utraque ex altera parata magis erit firma.* (16) — *partim acres, firmae* L. (17) — *ad admonendum* falso tribuitur a Graev. et Sch. Lambino. In utraque Ed. habet vulgatum. — *movendum* Cdd. (18) ∞ *et quae vix* L.

possimus. XXII. Docet igitur nos ipsa natura, quid[1] oporteat fieri. Nam si quas res in vita videmus parvas, usitatas, quotidianas, eas meminisse non solemus; propterea quod nulla nisi nova, aut admirabili re commovetur animus. At si quid videmus, aut audimus egregie turpe, aut honestum, inusitatum, magnum, incredibile, ridiculum[2], id diu meminisse consuevimus. Itemque quas res ante ora videmus, aut recens audivimus[3], obliviscimur plerumque; quae acciderunt in pueritia, meminimus optime saepe; nec hoc alia de causa potest accidere, nisi quod usitatae res facile e memoria elabuntur, insignes et novae manent diutius[4]. 36. Solis exortus, cursus, occasus nemo admiratur, propterea quod quotidie fiunt: at eclipses solis mirantur, quia raro accidunt, et solis eclipses magis mirantur, quam lunae, quoniam[5] hae crebriores sunt. Docet ergo se natura vulgari et usitata re non exsuscitari, novitate et[6] insigni quodam negotio commoveri. Imitetur igitur ars naturam, et quod ea desiderat, inveniat; quod ostendit, sequatur. Nihil est enim, quod aut natura extremum invenerit, aut doctrina primum: sed rerum principia ab ingenio profecta sunt, [et][7] exitus disciplina comparantur. 37. Imagines igitur nos in eo genere constituere oportebit, quod genus manere in memoria diutissime potest. Id accidet, si quam maxime notatas[8] similitudines constituemus: si non mutas, nec vagas, sed aliquid agentes[9] imagines ponemus: si egregiam pulchritudinem, aut unicam turpitudinem eis attribuemus: si aliqua re exornabimus, ut si[10] coronis, aut veste purpurea, quo nobis notatior[11] sit similitudo: aut si qua re deformabimus, ut si cruentam, aut coeno oblitam, aut rubrica delibutam inducemus, quo magis insignita sit forma: aut si ridiculas res aliquas imaginibus attribuemus. Nam ea res quoque faciet, ut facilius meminisse possimus. Nam, quas res veras facile meminimus, easdem fictas[12] et diligenter notatas meminisse non est difficile. Sed illud facere oportebit, ut identidem primos quosque locos imaginum renovandarum causa celeriter animo pervagemur[13].

XXIII. 38. Scio, plerosque Graecos, qui de memoria scripserunt, fecisse, ut multorum verborum imagines conscriberent, uti, qui eas[14] edisceere vellent, paratas haberent, ne quid in quaerendo operae consumerent. Quorum rationem aliquot de causis improbamus: primum, quod in verborum innumerabilium multitudine ridiculum sit, mille ver-

---

(1) Sic T. L. 2. 3. — *quod* Ern. 1. (2) ∞ add. Cdd. aliq. *periculosum* prob. Oud. sed ortum videtur e ὑπερφυᾶ *ridiculosum*. (3) Sic dedi de €. — *consuevimus. Itemque quas res ante ora videmus, aut audimus.* L. 1. 3. (sed *ante ora audimus* tolerandum non est.) — *consuevimus. At quod recens audivimus.* T. Crat. ubi male prior particula excidit; neque *at* locum habet. — *consuevimus. Itemque quas res a. o. videmus, aut quod recens audivimus* Sch. 2. sed *quod* del. erat. (4) — *maneat in anima diutius.* Cdd. ap. Oud. L. e gloss. (5) ∞ *propterea quod* T. al. (6) Sic T. L. 1. 2. — *novitate vero et* Grut. 3. (7) De Ern. €. del. Sch. 2. Nos [ ]. (8) Sic Orx. Cld. ap. Oud. Interpres Graecus. Sch. 2. — *notas* T. L. 1. 3. (9) Sic Cdd. aliq. L. 1. 2. — *aliquid notum agentes* T. 3. (10) *si* delendum videtur. (11) Sic e Cdd. Grut. 1. 2. 3. — *notior* L. (12) — *factas* T. (13) Sic T. et alii boni Codd. prob. Oud. (— *pervagemus* Cdd. aliq.) — *percurramus* e gloss. L. 1. 2. 3. (14) ∞ *eas* om. Cdd. aliq. del. Sch. 2.

borum imagines comparare. Quantulum enim poterunt haec [1] valere, quum ex infinita verborum copia, modo aliud, modo aliud nos [2] verbum meminisse oportebit? Deinde cur volumus ab industria quemquam removere, ut ne quid ipse quaerat, quum nos [3] illi omnia parata quaesitaque tradamus? Praeterea similitudine alia alius magis commovetur. Nam ut saepe, formam si quam similem cuipiam dixerimus esse, non omnes habemus [4] assensores, quod alii videtur aliud: ita [5] fit in imaginibus, ut, quae nobis diligenter notatae [6] sint, eae parum videantur insignes aliis. 39. Quare sibi quemque suo commodo convenit imagines comparare. Postremo praeceptoris est docere, quemadmodum quaeri quidque conveniat, et unum aliquod, aut alterum, non omnia, quae eius generis erunt, exempli causa subiicere, quo res possit esse dilucidior. Ut [7] quum de prooemiis quaerendis disputamus, rationem damus quaerendi, non mille prooemiorum genera conscribimus: ita arbitramur de imaginibus fieri convenire.

XXIV. Nunc, ne forte verborum memoriam, aut nimis difficilem, aut parum utilem arbitrere [8], et ipsarum memoria rerum [9] contentus sis, quod et utiliores sint, et plus habeant facilitatis [10]; admonendus es, quare verborum memoriam non improbemus. Nam putamus oportere eos, qui velint res faciliores sine labore et molestia facile meminisse, in rebus difficilioribus esse ante exercitatos. Nec nos hanc verborum memoriam inducimus, ut versus meminisse possimus, sed ut hac exercitatione, illa rerum memoria, quae [11] pertinet ad utilitatem, confirmetur; ut ab hac difficili consuetudine sine labore ad illam facilitatem transire possimus. 40. Sed quum in omni disciplina infirma est artis praeceptio sine summa assiduitate exercitationis, tum vero in μνημονικοῖς minimum valet doctrina, nisi industria, studio, labore, diligentia comprobetur [12]. Quam plurimos locos [13] ut habeas, et quam maxime ad praecepta accommodatos, curare debebis. In imaginibus collocandis exerceri quotidie conveniet. Non enim, sicut a ceteris studiis abducimur nonnunquam occupatione, ita [14] ab hac re nos potest causa deducere aliqua. Nunquam est enim, quin aliquid memoriae tradere velimus, et tum maxime, quum aliquo maiore negotio detinemur. Quare quum sit utile, facile meminisse, non te fallit [15], quod tanto opere utile sit, quanto labore sit appetendum: quod poteris existimare, utilitate cognita [16]. Pluribus verbis ad eam te hortari [17] non est sententia, ne aut tuo studio diffisi, aut minus [18], quam res postu-

---

(1) ∞ *hae* de L. C. Sch. 2. — om. Cld. ap. Oud. (2) — *nos* om. T. (3) e Cdd. Ern. 1. 2. — om. *nos* L. 3. (4) — *habeamus* L. (5) ∞ *item* T. al. (6) Sic Ern. 1. 2. — *notae* L. 3. ∞ *quae n. d. notata sit, ea p. v. insignis* T. et Oxonn. aliq. (7) ∞ *quod genus* Cld. ap. Oud. — *quemadmodum* T. al. (8) Sic e Cdd. 1. 2. = *arbitreris*. T. L. 3. — *arbitremur* Cld. prob. Oud. (9) = *rerum memoria* L. (10) Sic Cdd. L. 1. 3. ∞ *quod et utilior sit, et plus habeat facilitatis* Sch. C. 2. (11) — *quod* Sch. C. 2. (12) Fort. *corroboretur*. (13) ∞ *plurimos igitur locos* L. (14) ∞ *item* T. ut aliquoties, et fortasse rectius. v. Beier *ad Off.* T. 2. p. 99. (15) ∞ *fallat* Olx. L. (16) Haec *quod* — *cognita* del. Sch. C. 2. (17) Sic L. 1. — *ad eam rem te adhortari* cum Cdd. aliq. Sch. 2. — *ad eam te hortari mea non est s.* Graev. 3. e Cld. (18) Sic e Cdd. T. Ern. 1. 2. — *ne aut tu nostro, aut nos tuo st.* L. (qui solus *diffidere*) 3.

lat, dixisse videamur. De quinta parte rhetoricae deinceps dicemus: tu primas quasque partes in animo frequenta [1], et, quod maxime necesse est, exercitatione confirma [2].

RHETORICORUM AD C. HERENNIUM

LIBER QUARTUS.

1. 1. Quoniam in hoc libro, C. Herenni [3], de elocutione conscripsimus, et quibus in rebus opus fuit exemplis uti [4], nostris exemplis [5] usi sumus, et id fecimus praeter consuetudinem Graecorum, qui de hac re scripserunt; necessario faciendum est, ut paucis rationem nostri consilii demus. Atque hoc nos necessitudine facere, non studio, satis erit signi, quod in superioribus libris nihil neque ante rem, neque praeter rem locuti sumus. Nunc, si pauca, quae res postulat, dixerimus, tibi id, quod reliquum est artis, ita, ut [6] instituimus, persolvemus. Sed facilius nostram rationem intelliges, si prius, quid illi dicant, cognoveris.

Compluribus de causis putant [7] oportere, quum ipsi praeceperint, quo pacto oporteat ornare elocutionem, uniuscuiusque generis ab oratore aut poëta [8] probato sumptum ponere exemplum. Et primum se id modestia commotos facere dicunt, propterea quod videatur esse ostentatio quaedam [9], non satis habere, praecipere de artificio, sed ipsos etiam [10] videri velle artificiose gignere exempla: hoc est, inquiunt, ostentare se, non ostendere artem [11]. 2. Quare pudor in primis est ad eam rem impedimento, ne nos solos probare, nos amare [12], alios contemnere et deridere videamur. Etenim quum possimus ab Ennio sumptum [13], aut a Graccho ponere exemplum, videtur esse arrogantia [14], illa relinquere, et ad sua devenire. Praeterea exempla testimoniorum locum obtinent. Id enim [15], quod admonuerit, et leviter fecerit prae-

---

([1]) ∞ *frequenta tuo* T. — *frequentato* L. ([2]) — *confirmato* L. solus. ([3]) ∞ Cdd. puto, omnes (et Sch. 2.) omittunt praenomen *C.* (Tum plerique: *in libro hoc, Herenni).* ([4]) ∞ *uti* om. L. ([5]) *exemplis* habent Cdd. omnes. ∞ del. Ern. 1. cum Ed. 1474. Sch. 2. ([6]) = *uti* L. ([7]) ∞ *disputant* Cd. Medic. prob. Graev. ([8]) ∞ *aut a poëta* T. al. ([9]) *quaedam* L. om. C1d. prob. Ern. ([10]) = *etiam ipsos* L. ∞ *etiam* om. T. Ed. Med. ([11]) = *non artem ostendere* L. ([12]) — *quam solos amare* O1x. ∞ *nosque solos amare* L. ([13]) — *sumere* T. Cdd. pleriq. ∞ om. C1d. Non displicet: cfr. infra §. 5. ([14]) Sic T. L. 1. 2. 3. ∞ *arrogantiae* Cdd. aliq. boni. ([15]) ∞ *Etenim* T. al. prob. Ern. Videtur tamen e praecedente ortum.

ceptio [1], exemplo, sicut testimonio, comprobatur. Non [2] igitur ridiculus sit, si quis in lite, aut in iudicio, † domesticis testimoniis pugnet, et sui ipsius abutatur exemplo [3]? Ut enim testimonium, sic exemplum, rei confirmandae causa sumitur. Non ergo oportet hoc, nisi a probatissimo sumi, ne, quod aliud confirmare debeat, egeat ipsum [4] confirmationis [5]. Etenim necesse est aut se omnibus anteponant, et sua maxime probent, aut negent optima esse exempla, quae a probatissimis oratoribus, aut poëtis sumpta sint [6]. Si se omnibus anteponant [7], intolerabili arrogantia sunt: si quos sibi praeponant [8], et eorum exempla suis exemplis non putent praestare, non possunt dicere, quare sibi illos anteponant. II. Quid igitur ipsa auctoritas antiquorum? Non quum res probabiliores, tum hominum studia ad imitandum alacriora reddit [9]? Immo erigit omnium cupiditates, et acuit industriam, quum spes iniecta est, posse imitando, Gracchi, aut Crassi consequi facultatem. 3. Postremo hoc ipsum est summum [10] artificium, res varias et dispares in tot poëmatibus [11] et orationibus sparsas, et vage disiectas, ita diligenter eligere, ut unumquodque genus exemplorum sub singulos artis locos subiicere possis. Hoc si industria solum fieri posset, tamen essemus laudandi, quum talem laborem non fugissemus: nunc sine [12] summo artificio non potest fieri. Quis est enim, qui nisi summe [13] teneat artem, possit ea, quae iubeat ars, de tanta, et tam diffusa scriptura notare, et separare? Ceteri, quum legunt orationes bonas aut poëmata, probant oratores et poëtas, neque intelligunt, qua re commoti probent: quod scire non possunt, ubi sit, nec quid sit, nec quo modo factum sit id, quod eos maxime delectet. At is, qui et haec omnia intelligit, et idonea maxime eligit, et omnia in arte [maxime] [14] scribenda redigit in singulas rationes praeceptionis, necesse est eius rei summus artifex sit [15]. Hoc igitur ipsum maximum [16] artificium est, in arte sua posse et alienis exemplis uti.

4. Haec illi quum dicunt, magis nos auctoritate commovent [17], quam veritate [18] disputationis. Illud enim [19] veremur, ne cui satis sit ad contrariam rationem probandam, quod ab ea steterint [20] ii, qui et

---

([1]) Sic T. 1. 3. ∞ *leviter praeceperit ars et ratio.* L. e €, ut videtur. Sch. 2. ([2]) — *Nonne* Steph. vide Lamb. ([3]) Sic Grut. e C1d. 1. 3. Item Sch. 2. nisi quod: ∞ *suo ipsius* — Ern. [ ] *et sui ipsius ab. exemplo.* In loco corrupto turbant Cdd. v. c. Turic. *domestico pugnet. et si ipsius testimonio dederit exemplum abutatur.* In fine pro *exemplo* pleriq. habent *testimonio.* — *domesticis testibus pugnet, et suo ipsius testimonio abutatur.* L. ([4]) ∞ *egeat id ipsum* Cdd. aliq. prob. Oud. ([5]) = *confirmatione* L. ([6]) Sic T. 1. 2. — *sunt* L. 3. ([7]) ∞ *anteponunt* — *putant* de Ern. sententia Sch. 2. ([8]) ∞ *praeponunt* Sch. 2. ([9]) Sic de Ern. €. Sch. 2. (nisi quod *tum res.* Pleriq. *quum*) — *nam quum res* — *reddit.* L. 1. 3. — *nam cum quo res probabilior est, eo hominum* — *reddit.* T. ([10]) = *summum est* L. ([11]) ∞ *poëmatis* Ed. Med. Crat. L. ut infra §. 7. multi. ([12]) Sic T. Pleriq. Ern. 1. 2. — *nunc vero sine* L. 3. ([13]) Sic L. 1. 2. — *Quis est enim, qui non, quum summe* Grut. 3. ∞ *quis enim, nisi quum summe* T. al. ([14]) — *maxima* T. ∞ recte del. Sch. 2. quum variet eius sedes in Mss. Nos [ ]. ([15]) = *sit artifex.* L. ([16]) Sic T. L. Grut. 3. 2. — *igitur maximum* Ern. 1. errore typogr. ([17]) Sic Sch. 2. de Ern. €. confirmata ab O1x. — *magis nos auctoritate sua c.* L. 1. 3. — *magis nova auct. nos c.* T. al. ([18]) — *ratione* T. al. ([19]) ∞ om. *enim* T. O1x. C1d. ap. Oud. Non male. ([20]) Sic T. I. Sch. 2. — *ab ea parte st.* Grut. e C3d. 1. 3.

inventores huius artificii fuerunt, et vetustate iam satis omnibus probati sunt [1]. Quod si, illorum auctoritate remota, † res omnes volent cum re [2] comparare, intelligent, non omnia esse concedenda antiquitati. III. Primum igitur, quod ab eis de modestia dicitur, videamus, ne nimium pueriliter [3] proferatur. Nam si tacere, aut [4] nihil scribere modestia est, cur quidquam scribunt, aut loquuntur? Sin aliquid suum scribunt; cur, quo secius omnia scribant [5], impediuntur modestia? Quasi si quis ad Olympiacum quum venerit [6] cursum, et steterit, ut [7] mittatur, impudentes [8] illos dicat esse, qui currere coeperint, ipse intra carceres stet, et narret aliis, quomodo Ladas aut Boius cum Sicyoniis [9] cursitarint, sic isti, quum in artis curriculum descenderunt [10], illos, qui in eo, quod est artificii, elaborent [11], aiunt facere immodeste; ipsi aliquem antiquum oratorem, aut poëtam laudant, aut scripturam [12], sic ut in * stadium [13] artis [14] rhetoricae prodire non audeant. 5. Non ausim dicere, sed tamen vereor, ne, qua in re laudem modestiae venentur, in ea ipsa re sint impudentes. Quid enim tibi vis? aliquis inquiet. Artem tuam scribis: gignis nobis novas praeceptiones: eas ipse confirmare non potes: ab aliis exempla sumis. Vide, ne facias impudenter, qui tuo nomini velis ex aliorum [15] laboribus libare laudem. † Nam si eorum volumina prehenderint antiqui oratores et poëtae, et suum quisque de libris tuis tulerit; nihil istis, quod suum velint, relinquetur [16]. At exempla, quoniam testimoniorum similia sunt, item convenit, ut testimonia, ab hominibus probatissimis sumi. Primum omnium exempla ponuntur hic non confirmandi, neque testificandi causa, sed demonstrandi. Non enim, quum dicimus esse exornationem, quae, verbi causa, constet ex similiter desinentibus verbis, et ponimus hoc exemplum a Crasso, * *quibus* [17]

([1]) — *probantur* T. ([2]) Sic Cdd. sed corrupte. ∞ *rem omnino v. cum re* Sch. €. 2. — *rationes volent cum rationibus* L. Fortasse: *rationem volent cum ratione.* ([3]) Sic T. al. Grut. 1. 2. 3. — *nimium inutiliter et pueriliter* Cdd. aliq. L. ([4]) e Cdd. Ern. 1. 2. — *et* T. L. 3. ([5]) Sic Cdd. fere omnes. T. L. 1. — *omnia sua scribant* Graev. 3. e Pith. Sch. 2. Minime videtur necessarium. ([6]) Sic Sch. €. 2. confirmata a Cld. ap. Oud. = *ad Olympiae cum venerit* Edd. vett. — *ad Olympiacum venerit.* T. L. 1. 3. ex qua corruptela fluxit in seqq. *impudentesque* plerorumque Cdd. (Lamb. Ed. 2. *quasi si, qui ad. O. v. c.*). ([7]) — *unde* Ern. suspic. ([8]) Sic L. Sch. 2. — *impudentesque* T. alii Cdd. 1. 3. ([9]) Sic T. 1. 2. 3. — *Ladus aut Boliscus Sicyonii* de Turnebi €. L. ([10]) ∞ *descenderint* T. Iunt. ([11]) ∞ *elaborant* T. al. Sch. in Ed. mai. (scil. leg. *descenderint — elaborent.* vel: *descenderunt — elaborant.* Ern.). ([12]) ∞ Sic Cdd. 1. 2. 3. ∞ *aut poëtam, aut alium scriptorem laudant* L. ([13]) Sic e L. €. L. 1. 2. 3. — *studium* Cdd. Edd. vett. ([14]) ∞ *artis* om. T. cum pluribus aliis. ([15]) ∞ *alienis* T. ([16]) Locum corruptum dedimus, ut est in Mss. plerisq. Crat. et L. (nisi quod hic et O2x. *de libris suis;* et Lamb. *quod suum esse velint*). — *de libris sustulerit* e Turnebi €. Grut. 1. 2. 3. — *quod suum vocent* Sch. €. 2. Duplex emendandi ratio offertur; nam variis e libris ap. Graev. et Oud. ita potest refingi: *Nam si tua volumina prehenderint antiqui oratores et poëtae, et suum quisque de libris tuis tulerit, nihil tibi, quod tuum esse velis, relinquetur:* in quibus singulae mutationes suas sibi habent auctoritates: vel gloss. (quod equidem praefero) expunctis: *Nam si eorum volumina prehenderint a. o. et p. et suum quisque tulerit, nihil istis relinquetur:* quo ducit etiam varietas Turic. *et suum quisque tulerit de libris tuis* a m. pr. — *de libris tulerit tuis* a m. 2. ([17]) E certa emend. Lambini L. 1. 2. 3. — *quod* Cdd. Edd. vett.

possumus, *et debemus*, testimonium [1] collocamus, sed exemplum. Hoc igitur interest inter exemplum et testimonium: exemplo demonstratur id, quod dicimus, cuiusmodi sit: testimonio, esse illud ita, ut nos dicimus, confirmatur. 6. Praeterea oportet testimonium cum re convenire. Aliter enim rem non potest confirmare. At id, quod illi faciunt, cum re non convenit. Quid ita? quia pollicentur artem se scribere, et exempla proferunt ab iis plerumque, qui artem nescierunt. Tum quis est, qui possit id, quod de arte scripserit, comprobare, nisi aliquid scribat ex arte? Contraque faciunt, quam polliceri videntur. Nam quum scribere artem instituunt, videntur dicere se excogitasse, quod alios docerent [2]: quum vero scribunt, ostendunt nobis, quid alii excogitarint. IV. At [3] hoc ipsum difficile est [4], inquiunt, eligere de multis. Quid dicitis difficile? utrum laboriosum, an artificiosum? Si laboriosum, non statim praeclarum. Sunt enim multa laboriosa, quae si faciatis, non continuo gloriemini; nisi forte etiam [5], si vestra manu fabulas, aut orationes totas transscripsissetis, gloriosum putaretis [6]. Sin autem [7] istud artificiosum et egregium [8] dicitis; videte, ne insueti rerum maiorum videamini, si vos parva res, sicuti magna, delectat. Nam isto modo eligere rudis quidem nemo potest, sed sine summo artificio multi. 7. Quisquis enim audierit de arte paullo plus, in elocutione praesertim, omnia videre poterit, quae ex arte dicuntur [9]; facere nemo poterit, nisi eruditus. Ut [10], si de tragoediis Ennii velis sententias eligere, aut de Pacuvianis periodos, quia [11] plane rudis id facere nemo poterit, quum feceris, te literatissimum putes, ineptus sis; propterea quod id facile faciat quivis mediocriter literatus: item si, quum ex orationibus aut poëmatibus [12] elegeris exempla, quae certis signis artificii notata sunt, quia rudis id nemo facere possit, artificiosissime te fecisse putes, erres [13]; propterea quod isto signo videmus te nonnihil [huius rei] [14] scire: aliis signis, multa te scire intelligemus [15]. Quodsi artificiosum est intelligere, quae sint ex arte scripta, multo est artificiosius, ipsum scribere ex arte. Qui enim scribit [16] artificiose, ab aliis commode scripta facile intelligere poterit: qui eliget facile, non con-

---

([1]) Sic T. L. 2. — *non testimonium* e Cdd. aliq. Grut. t. 3. contra sensum. ([2]) ∞ *doceant* T. Cdd. meliores. ([3]) ∞ *at* om. T. al. ([4]) ∞ *est difficile* L. ([5]) Sic T. 1. 2. 3. — *etiam* om. L. cum Cdd. aliq. — *forte* om. al. Cdd. Utroque facile caremus, ita ut sint glossemata v. *nisi si*. ([6]) ∞ *gloriosum id putaretis* Erf. ∞ *putetis* Cdd. aliq. prob. Ern. ([7]) — *artem* om. T. al. ([8]) Sic T. alii boni Cdd. — *artificiosum*, *egregium* Ern. 1. e Cdd. ∞ *artificium egregium* L. 2. 3. ([9]) ∞ *dicentur* T. ([10]) Sic L. (— in alt. Ed. volebat: ∞ *Itaque ut*). — *Ita ut* 1. 2. 3. — *Itaque si* T. quae, ut sequens corruptela, ab iis fluxerunt, qui sententiarum nexum in his *Ut si* — *item si* —, *erres* non satis perspicerent. ([11]) Sic Grut. 1. 2. 3. et est unice verum. Interpolationes hae sunt praecipuae: — *si quia* L. — *sed quia* al. — *non si quia* T. — *num si quia* Erf. quod nescio quomodo placebat Graev. Oud. ([12]) Sic T. Pleriq. L. constantiae causa praetuli, cfr. §. 3. = *poëmatis*. 1. 2. 3. ([13]) Sic pauci Cdd. L. 1. 2. 3. — *erras* T. pleriq. prob. Graev. ([14]) ∞ *te non nihil scire* L. — *te nonnihil huius rei scire* T. meliores, quo circa hoc recepi, etsi [ ] — *te nonnihil eius scire* 1. 3. ([15]) Sic Cdd. pleriq. T. L. — *multa scire* Grut. e Cdd. 1. 3. (— *te nescire multa* Lamb. suspic.) *intelligemus* e Cdd. Ern. 1. — *intelligimus* L. 3. Omnia haec: *propterea — intelligemus* del. Sch. €. ([16]) ∞ *scribet* L.

tinuo ipse commode scribit [1]. Et, si est maxime artificiosum; alio tempore utantur ea facultate, non tum, quum parere ipsi, et gignere, et proferre debent. Postremo, in eo vim artificii consumant, ut ipsi ab aliis potius eligendi, quam aliorum boni electores existimentur. Contra ea, quae ab iis dicuntur, qui dicunt alienis [2] exemplis uti oportere, satis est dictum. Nunc, quae separatim dici possunt [3], consideremus.

V. Dicimus igitur, eos tum ideo [4], quod alienis utantur, peccare, tum etiam magis delinquere, quod a multis exempla sumant. Sed de eo, quod postea diximus [5], ante videamus. Si concederem, aliena oportere assumere exempla, vincerem unius oportere: primum, quod [6] contra [hoc] [7] nulla staret eorum ratio. Liceret [8] enim eligerent, et probarent quemlibet, qui sibi in omnes res suppeditaret exempla, vel poëtam, vel oratorem, cuius auctoritate niterentur. Deinde interest magni eius, qui discere vult, utrum unum omnia [9], an omnia neminem, sed aliud alium putet consequi posse. Si enim putabit posse omnia penes unum consistere, ipse quoque ad omnium nitetur facultatem: sin id desperabit [10], in paucis se exercebit: ipsis enim [11] contentus erit: nec mirum, quum ipse praeceptor artis omnia penes unum reperire non potuerit. Allatis igitur exemplis a Catone, a Gracchis, a Laelio, a Scipione, Galba, Porcina, Crasso, Antonio, ceterisque; item sumptis aliis a poëtis, et [12] historiarum scriptoribus, necesse erit, cum, qui discet, ab omnibus putare omnia, ab uno pauca vix potuisse sumi. 8. Quare se unius alicuius esse similem [13] satis habebit; [omnia] [14] quae omnes habuerint, solum habere se posse diffidet. Ergo inutile est ei, qui discere vult, non putare unum posse omnia [15]. Igitur [16] nemo in hanc incideret [17] opinionem, si ab uno exempla sumpsissent. Nunc hoc signi est, ipsos artis scriptores non putasse, unum potuisse in omnibus elocutionis partibus enitere, quoniam neque sua protulerunt, neque unius alicuius, aut denique duorum, sed ab omnibus oratoribus et poëtis exempla sumpserunt. Deinde [18], si quis velit artem demonstrare nihil prodesse ad discendum, non male utatur hoc adiumento, quod unus omnes artis partes [19] consequi nemo potuerit. Quod igitur iuvat eorum [20] rationem, qui omnino improbant [21] artem, id, non ridiculum est, ipsum scriptorem artis suo iudicio comprobare? Ergo ab uno sumenda fuisse docuimus exempla, si semper

---

([1]) ∞ *scribet* T. L. ([2]) e Cdd. Ern. 1. 2. — *alienis se* T. L. 3. ([3]) — *possint* L. (*nunc separatim, quae dici possint*, c. C2d. ap. Lamb.). ([4]) Sic T. Sch. 2. (al. Cdd. = *quum ideo*). — *D. ergo, eos omnes ideo* L. 1. 3. ([5]) — *dicimus* L. errore typogr. ([6]) — *quod* om. L. ([7]) ∞ om. T. Recte: quo circa [ ]. ([8]) Sic recte T. Pleriq. L. 1. 3. — *licet* pauci prob. Graev. Sch. 2. ([9]) — *unum aliquem omnia* L. ut infra bis. ([10]) ∞ *desperarit* Cdd. aliq. L. prob. Oud. ([11]) Sic Cdd. L. 1. 2. 3. — *his enim* Lamb. Ed. alt. Eiusd. C. — *his etiam cont.* ([12]) Sic T. L. 1. 3. ∞ *aliis ab h.* e vestigiis Erf. Graev. C. Sch. 2. ([13]) Sic Duisb. T. optime, agnoscente etiam Graevio. — *si unius — similem* om. *se* 3. — *si se unius* L. — *si unius a. esse se sim.* Ern. 1. 2. ([14]) Habent Cdd. omnes. [ ] Ern. 1. del. Sch. 2. ([15]) = *omnia posse* L. ([16]) — *Ergo* C1d. — *Atqui* Sch. C. 2. ([17]) Sic T. L. 1. 2. — *incidet* Grut. 3. ([18]) ∞ *Denique* Cdd. pauci. Sch. 2. ([19]) — *omnes artes* L. ([20]) = *horum* L. ([21]) e Cdd. (T.) 1. 2. — *improbent* L. 3.

aliunde sumerentur. VI. 9. Nunc omnino aliunde sic intelligemus sumenda non fuisse. Primum omnium, quod ab artis scriptore affertur exemplum, de eiusdem artificio [1] debet esse; non, ut, si quis purpuram aut aliud quidpiam vendens dicat, Sume a me; sed huius exemplum aliunde rogabo, tibi quod ostendam [2]. Si merces [3] ipsi qui venditant, aliunde exemplum quaeritent; aut in areis acervos [4] se dicant tritici habere, et eorum exemplum pugno non habeant, quod ostendant: si Triptolemus, quum hominibus semen largiretur, ipse ab aliis id hominibus [5] mutuaretur: aut si Prometheus, quum mortalibus ignem dividere vellet, ipse a vicinis, cum testa ambulans, carbunculos corrogaret, non ridiculum [6] videretur? Isti magistri, omnium dicendi praeceptores, non videntur sibi ridicule facere, quum id, quod aliis pollicentur, ab aliis quaerunt. Si qui, se [7] fontes maximos, penitus absconditos, aperuisse dicat, et hoc [8], sitiens quum maxime [9], loquatur, neque habeat, qui [10] sitim sedet, non rideatur [11]? Isti quum non modo dominos se fontium, sed se ipsos fontes esse dicant, et omnium rigare debeant ingenia, non putant fore ridiculum, si, quum id pollicentur aliis, arescant ipsi siccitate. Chares a Lysippo statuas facere non isto modo didicit, ut Lysippus caput ostenderet Myronis, brachia Praxitelae [12], pectus Polycleti, ventrem et crura . . ., sed [13] omnia coram magistrum facientem videbat, ceterorum opera vel sua sponte considerare poterat. VII. 10. Isti credunt, eos, qui haec velint discere, alia ratione doceri posse commodius. Praeterea ne possunt quidem ea, quae sumuntur ab aliis, exempla, tam esse accommodata ad artem, quam propria; propterea, quod in dicendo leviter unusquisque locus plerumque tangitur, ne ars appareat, in praecipiendo expresse conscripta ponere oportet exempla, ut in artis formam convenire possint, et post in dicendo, ne possit ars eminere et ab omnibus videri, facultate oratoris occultatur [14]. Ergo etiam ut magis ars cognoscatur, suis exemplis melius est uti. Postremo haec quoque res nos duxit ad hanc rationem, quod nomina rerum Graeca, quae convertimus, ea remota sunt a consuetudine [15]. Quae enim res apud nostros non erant, earum rerum nomina non poterant esse usitata. Ergo haec asperiora primo

---

([1]) Sic Cld. ap. Oud. 1. 2. — *eiusdem artificio* om. *de* T. al. — *de eius artificio* Grut. 3. — *eius artificii* Ed. Med. L. ([2]) Sic O2x. Steph. L. exquisitius, quam — *tibique ostendam* T. 1. 2. 3. ([3]) Sic T. et pleriq. 1. 3. — *mercem* L. Sch. 2. propter sequens corruptum *mercis*. ([4]) Sic T. solus. Egregie. — *quaeritent aliud mercis, aut si* (Ern. 1.) = *ut si* (Graev. 3.) *acervos* 1. 3. — *quaeritent eius mercis; acervos* L. — *quaeritent mercis; ut si acervos* cum Cdd. aliq. Sch. 2. *mercis* ortum est e v. *areis*. ([5]) — del. *hominib.* L. e C. Aurati. ([6]) Sic L. 1. 2. ∞ *ridiculus* T. Pleriq. Grut. 3. (7) Sic interpunxi, ut sit pro *si quis se*. Non ut L. 1. 2. 3. *si*, *qui se f.* quocum stare non potest *et hoc*. ([8]) — *is haec* L. (*haec* e Cdd.). ([9]) Sic T. alii meliores. Sch. 2. — *quam maxime* L. 1. 3. ([10]) Sic T. al. Grut. 1. 2. 3. — *quo* Cdd. aliq. L. ([11]) — *irrideatur* Cdd. aliq. L. ([12]) Sic e Cdd. Graev. 3. Sch. 2. = *Praxitelis* L. 1. ([13]) — *Polycleti: sed* Edd. omnes. L. 1. 2. 3. Sed optimi Cdd. T. prob. Graev. Oud. Sch. inserunt *ventrem et crura* omisso artificis nomine: *Myos* supplet Oud. *Phidiae* Gronov. ([14]) — *occultare* Ern. suspic. ([15]) — *consuetudine Latina* dicuntur habuisse Becichemi Cdd. Sch. 2. — al. Mss. ap. Graev. addunt: *Romana*. Nihil opus: *consuetudo* est, ut Italorum *lingua vulgare*.

videantur necesse est, idque fiet rei, non nostra, difficultate. Reliquum scripturae consumetur in exemplis: haec aliena si posuissemus, factum esset, ut, quod commodius esset in hoc libro, id nostrum non esset; quod asperius, et inusitatum [1], id proprie nobis attribueretur. Ergo hanc quoque incommoditatem fugimus. His de causis, quum artis inventionem Graecorum probassemus, exemplorum rationem secuti non sumus.

Nunc tempus postulat, ut ad elocutionis praecepta transeamus. Bipartita erit igitur nobis elocutionis praeceptio. Primum dicemus, quibus in generibus semper omnis oratoria elocutio debeat esse: deinde ostendemus, quas res semper habere debeat. VIII. 11. Sunt igitur tria genera, quae genera nos [2] figuras appellamus, in quibus omnis oratio non vitiosa consumitur; unam gravem, alteram mediocrem, tertiam attenuatam [3] vocamus. Gravis est, quae constat ex verborum gravium magna [4] et ornata constructione. Mediocris est, quae constat ex humiliore, neque tamen ex infima et pervulgatissima verborum dignitate. Attenuata [5] est, quae demissa est usque ad usitatissimam puri sermonis consuetudinem.

In gravi figura consumetur oratio [6], si quae cuiusque rei poterunt ornatissima verba reperiri, sive propria, sive translata [7], unamquamque in rem [8] accommodabuntur: et, si graves sententiae, quae in amplificatione et commiseratione tractantur, eligentur: et, si exornationes sententiarum aut verborum, quae gravitatem habebunt, de quibus post dicemus, adhibebuntur. 12. In hoc genere figurae erit hoc exemplum: Nam quis est vestrûm, iudices, qui satis idoneam possit in eum poenam excogitare, qui prodere hostibus patriam cogitarit? quod maleficium cum hoc scelere comparari, quod huic maleficio dignum supplicium potest inveniri? In iis, qui violassent ingenuam [9], matremfamilias constuprassent, pulsassent [10] aliquem, aut postremo necassent, maxima supplicia maiores [11] consumpserunt: huic truculentissimo ac nefario facinori singularem poenam non reliquerunt [12]. Atque [13] in aliis maleficiis ad singulos [14], aut ad paucos ex alieno peccato iniuria pervenit; huius sceleris qui sunt affines, uno consilio universis civibus atrocissimas calamitates machinantur. O feros animos! o crudeles cogitationes! o derelictos homines ab humanitate [15]! qui id agere [16] ausi sunt, aut cogitare potuerunt, quo pacto hostes, revulsis maiorum sepulchris, deiectis

---

([1]) Sic T. Pleriq. 1. 2. 3. — *inusitatius* Cdd. aliq. L. ([2]) Sic e Cdd. Graev. 3. 1. 2. — *Sunt ig. tria genera, quae nos* T. L. Grut. ∞ *Figurae orationis sunt tres, quas figuras alii genera nominaverunt* e Cdd. Lallemand. ([3]) Sic pauci Cdd. Sch. 2. ut infra fere omnes. — *extenuatam* T. L. 1. 3. ([4]) Sic Cdd. aliq. O2x. L. Ern. 1. 2. — *laevi* e Cdd. Grut. 3. — *leni* T. al. ([5]) — *extenuata* unus Ox. ([6]) = *In gravi cons. or. fig.* T. Edd. ante L. ([7]) Sic Cdd. aliq. Ern. 1. 2. — add. *sive extranea* Cdd. aliq. L. Grut. 3. contra *sive translata* om. T. al. ([8]) Sic e Cdd. prob. Gronov. 1. 2. — *ad unamquamque rem* L. 3. ([9]) Sic L. 1. 2. ∞ *ingenuum* T. boni Cdd. Grut. 3. ([10]) — *verberassent* Cld. e gloss. prob. Oud. Sch. in Ed. mai. ([11]) Sic T. Plerique. 1. 2. — *maiores nostri* L. 3. ([12]) Male interrog. signum add. Ern. 1. ([13]) ∞ *Aliqui* L. ([14]) — *aut ad sing.* L. ([15]) = *ab hum. homines* L. ([16]) Ern. C. 1. 2. — *quid agere* Cdd. 3. — *qui agere a. s. aut qui excog.* L.

moenibus, ovantes irruerent in civitatem: quo modo deûm templis spoliatis, optimatibus trucidatis, aliis abreptis [1] in servitutem, matribus familias et ingenuis sub [2] hostilem libidinem subiectis, urbs acerbissimo concidat [3] incendio conflagrata [4]: qui se non putant, id, quod volnerint, ad exitum perduxisse, nisi sanctissimae patriae miserandum scelerati viderint cinerem. Nequeo verbis consequi, iudices, indignitatem rei: sed negligentius id fero, quia vos mei non egetis [5]. Vester enim vos animus amantissimus rei publicae facile edocet [6], ut eum, qui fortunas omnium volnerit prodere, praecipitem proturbetis [7] ex ea civitate, quam iste [8] spurcissimorum [9] hostium dominatu nefario volnerit [10] obruere.

IX. 13. In mediocri figura versabitur oratio, si haec, ut ante dixi, aliquantulum demiserimus, neque tamen ad infimum descenderimus, sic: Quibuscum bellum gerimus [11], iudices, videtis; cum sociis, qui pro nobis pugnare, et imperium nostrum nobiscum simul virtute et industria conservare soliti sunt. Hi quum se, et opes suas, [et copiam] necessario norint [12]; tum vero nihilo minus [13] propter propinquitatem, et omnium rerum societatem, quid in omnibus rebus populus Romanus posset, scire et existimare [14] poterant. Hi, quum deliberassent nobiscum bellum gerere, quaeso, quae res erat, qua freti bellum suscipere conarentur, quum multo maximam sociorum partem in officio manere intelligerent? quum sibi non multitudinem militum, non idoneos imperatores, non pecuniam publicam praesto esse viderent? non denique ullam rem, quae res pertineret [15] ad bellum administrandum? Si cum finitimis de finibus bellum gererent; si totum certamen in uno proelio positum putarent; tamen omnibus rebus instructiores ac paratiores [16] venirent: nedum illud imperium orbis terrae, cui imperio omnes gentes, reges, nationes, partim vi, partim voluntate concesserunt [17], quum aut armis, aut liberalitate a populo Romano superati essent, ad se transferre tantulis viribus conarentur. Quaeret aliquis: Quid? Fregellani non sua sponte conati sunt? Eo quidem minus isti [18] facile conarentur, quod [19] illi quemadmodum discessis-

---

([1]) Sic L. 1. 2. 3. — *arreptis* Grut. ([2]) — *virginibus*, *matribusfamilias*, *ingenuis pueris sub* — L. C. ([3]) Sic Cdd. L. 1. 3. ∞ *concideret* Sch. C. 2. ([4]) Habent *confl.* Cdd. omnes. Sine causa Ern. [ ]. Sch. 2. delevit. ([5]) Sic pleriq. Cdd. 1. 2. = *indigetis* T. L. 3. ([6]) Sic T. Pleriq. L. 1. 3. — *docet* C2d. ∞ *ducet* Sch. C. 2. ([7]) e Cdd. Graev. 3. 1. 2. — *perturbetis* multi Cdd. Grut. — *deturbetis* L. ex Aurati C. ([8]) Sic T. multi. L. 1. 2. — *ipse* Grut. 3. ([9]) — *spurcissimus* Sch. C. in Ed. mai. ([10]) — *volnit* Cdd. aliq. prob. Oud. Sch. in Ed. mai. ([11]) — *geramus* L. solus. ([12]) ∞ *et copiam* del. censebat Ern. vel *et copias* leg. — del. Sch. 2. Fuisse: *et inopiam? necessario* T. boni Cdd. (prob. Ern.) Sch. 2. — *necessariorum* L. 1. 3. *norint* e Mss. 1. — *norunt* T. Pleriq. L. 3. ∞ *norant* Sch. C. 2. ([13]) — *nihilom.* om. C1d. prob. Ern. sed vide Sch. ([14]) Sic T. L. 1. 2. — *aestimare* Cdd. aliq. 3. ([15]) Sic scribendum erat. — *quae res* T. Cdd. fere omnes, e nostri scriptoris more. L. — om. *res* Grut. 1. 2. 3. *pertineret* Ern. C. 1. 2. — *pertinet* T. Cdd. pleriq. L. — *pertineat* 3. ([16]) ∞ *et apparatiores* Cdd. multi. prob. Oud. (*et paratiores* T.) ([17]) Sic Crat. L. Item Voss. tert. ap. Oud. et alii ap. Grut. Sch. 2. — *consenserunt* Grut. 1. 3. ([18]) ∞ *isti minus* T. L. Sch. 2. Praetuli tamen ordinem minus vulgarem Grut. 1. 3. ([19]) Sic Sch. C. 2. confirmata ab Olx. — *quo* T. Cdd. plerique. L. 1. 3. — *qui* C1d. apud Sch.

sent [1], videbant. Nam rerum imperiti, qui uniuscuiusque rei de rebus ante gestis exempla petere non possunt, ii per imprudentiam facillime deducuntur in fraudem: at ii, qui sciunt, quid aliis acciderit, facile ex aliorum eventis [2] suis rationibus possunt providere. Nulla igitur re inducti, nulla spe freti arma sustulerunt? Quis hoc credat, tantam amentiam quemquam tenuisse, ut imperium populi Romani tentare auderet, nullis copiis fretus? Ergo aliquid fuisse necesse est. Quid [3] aliud, nisi id [4], quod dico, potest esse?

14. In attenuatae [5] figurae genere, quod ad infimum et quotidianum sermonem demissum est, hoc erit exemplum: Nam ut forte hic in [6] balneas venit, coepit, postquam perfusus est, defricari. X. Deinde, ubi visum est ire, ut in alveum descenderet [7], ecce ibi iste de transverso, Heus, inquit, adolescens, pueri tui modo me pulsarunt [8]; satisfacias oportet. Hic, qui id aetatis ab ignoto praeter consuetudinem appellatus esset, erubuit. Iste clarius eadem et alia dicere [coepit] [9]. Hic vix tandem inquit: Sine me considerare. Tum vero iste clamare [10] voce ista, quae vel facile cuivis rubores elicere posset [11]: Ita petulans es atque acer [12], ut ne ad solarium quidem [idoneus] [13], ut mihi videtur, sed pone [14] scenam, et in eiusmodi locis exercitatus [15] sis. Conturbatus est adolescens: nec mirum, cui etiam nunc paedagogi lites ad auriculas versarentur, imperito eiusmodi conviciorum. Ubi enim iste [16] vidisset scurram exhausto rubore, qui se putaret nihil habere, quod de existimatione perderet, ut omnia sine famae detrimento facere posset? 15. Igitur genera figurarum ex ipsis [17] exemplis intelligi poterunt. Erit enim et attenuata [18] verborum constructio quaedam, et item alia in gravitate, alia posita in mediocritate [19].

Est autem cavendum, ne, dum haec genera consectamur, in finitima et propinqua vitia veniamus. Nam gravi figurae, quae laudanda est, propinqua est ea, quae fugienda est [20]: quae recte videbitur appellari, si sufflata nominabitur. Nam ut corporis bonam habitudinem

---

([1]) Sic Ern. C. 1. 2. Turbant Cdd. — *descivissent* L. — *descissent* Erf. T. Grut. 3. — *destitissent* vel *decidissent* Cdd. alii. ([2]) Sic T. al. prob. C. Lang. ad l. *de Amicit.* C. 4. — *ex eorum eventis* L. — *ex aliorum eventu.* Grut. 3. 1. 2. ([3]) Sic Cdd. L. 1. 3. ∞ *quod quid* de Ern. suspic. Sch. 2. ([4]) — *hoc* L. ([5]) Sic Erf. et alter ap. Oud. Sch. 2. — *attenuato* T. Cdd. pleriq. L. 1. 3. ([6]) ∞ *ad* T. cfr. §. 16. ([7]) Sic e Cdd. aliq. Sch. 2. — *est, ut in a. d.* T. 1. 3. ∞ *est, in a. descendere* L. ([8]) Sic L. Cdd. boni. = *pulsaverunt* T. 1. 2 3. ([9]) Habent Cdd. omnes. del. Sch. C. 2. Nos [ ] ([10]) Sic Cdd. aliq. Sch. 2. — *iste coepit clamare* T. L. 1. 3. ([11]) Sic 1. 3. sed locus est corruptus. — *clamare voce magna* (*clara* al.) ∞ *ea, quae facile cuivis r. elicere* (e Ranconeti C. Cdd. *eliceret*) *possent* L. Pro: *vel facile* alii v. c. T. *perfacile.* — *clamare, quod facile vel cuivis r. el. posset* Sch. C. 2. ([12]) Sic T. pleriq. L. 1. 3. — *es aterve* (sic) Duisb. Hinc: — *atque protervus* Sch. C. 2. ([13]) Habet T. cum paucis. Pleriq. omittunt. del. Sch. 2. — (pro *ad solarium* — *ad salutarium* Cdd. aliq. — *ad salutandum* T. al. ([14]) Sic 1. 2. 3. — *penes* T. al. L. ([15]) Sic T. L. 1. 2. 3. ∞ *exercitus* Lambin. 1581. Sch. 2. ([16]) Sic Cdd. L. 1. 3. ∞ *ille* de Ern. suspic. Sch. 2. ([17]) Sic T. 1. 3. (et rectum puto. Est: *ex his exemplis autoris xaθ' ἑαυτοις).* — *istis* Duisb. Sch. 2. — *his* L. C. ([18]) ∞ *et* om. T. Erf. — *et in att.* Sch. C. 2. Omnia haec *Erit enim — mediocritate* suspecta sunt Sch. ([19]) ∞ *alia in grav. posita, alia in med.* L. ([20]) ∞ *quae laudanda est . . quae fugienda est* suspecta Ern. del. Sch. C. 2.

tumor imitatur saepe: ita gravis oratio saepe imperitis videtur ea, quae turget et inflata est, quum aut novis, aut priscis verbis, aut duriter aliunde translatis, aut gravioribus, quam res postulat, aliquid dicitur, hoc modo: Nam qui perduellionibus [1] venditat patriam, non satis supplicii dederit, si praeceps in Neptunias depulsus [2] erit lacunas. Poeniteat [3] igitur istum, qui montes belli fabricatus est, campos sustulit pacis. In hoc genus plerique quum declinant [4], et ab eo, quo profecti sunt, aberraverunt, specie [5] gravitatis falluntur, nec perspicere [6] possunt orationis tumorem. XI. 16. Qui in mediocre genus orationis profecti sunt, si pervenire eo non potuerunt [7], errantes perveniunt ad confinium eius generis [8], quod appellamus fluctuans et [9] dissolutum; eo quod sine nervis et articulis fluctuat huc et illuc, nec potest confirmate [10], neque viriliter sese expedire. Id est huiusmodi: Socii nostri quum [11] belligerare nobiscum vellent, profecto ratiocinati essent etiam atque etiam, quid possent facere, si quidem sua sponte facerent, et non haberent hic [12] adiutores multos, malos [13] homines et [14] audaces. Solent enim diu cogitare omnes, qui magna negotia volunt agere. Non potest huiusmodi sermo tenere attentum auditorem: diffluit enim totus, neque quicquam comprehendens perfectis verbis amplectitur. Qui non possunt in illa facetissima verborum attenuatione commode versari, veniunt ad aridum et exsangue genus orationis, quod non alienum est exile nominari, cuiusmodi est hoc: Nam istic [ille] ad balneas [15] accessit: ad hunc postea dicit, Hic tuus servus me pulsavit. Postea dicit hic illi, Considerabo. Post ille [huic] [16] convicium fecit, et magis magisque praesentibus multis clamavit. Frivolus hic quidem iam et illiberalis est sermo. Non enim adeptus est id, quod habet attenuata figura, puris verbis et electis compositam orationem. Omne genus orationis, et grave, et mediocre, et attenuatum, dignitate afficiunt exornationes, de quibus post loquemur: quae si rarae disponentur, distinctam, sicuti coloribus; si crebrae collocabuntur, oblitam [17] reddent [18] orationem. Sed figuram in dicendo commutari [19] oportet, ut gravem mediocris, mediocrem excipiat attenuata. Deinde identidem commutentur, ut facile [20] satietas varietate vitetur.

([1]) Sic Cdd. ∞ *perduellibus* L. qui habet *venditat*, non *vendit*. ([2]) Sic T. Cdd. meliores 1. 2. — *depultus* L. 3. Cdd. aliq. ([3]) ex Ed. 1474. Ern. 1. 2. — *Poenitet* T. Cdd. pleriq. L. 3. ([4]) Sic Erf. Graev. 3. — *quum declinassent*. T. Pleriq. L. 1. (— *declinarent* O2x.) — *plerique declinant, quum ab eo, quo prof. sunt, aberraverunt*. Sch. €. 2. Praestet fortasse: *quum declinarunt*, cetera, ut nos. ([5]) Sic dedi e Cdd. prob. Oud. — *et specie* T. L. 1. 2. 3. ([6]) Sic T. Crat. L. 2. — *prospicere* Cdd. aliq. 1. 3. Sed deberet esse *prospicere — tumori* i. e. cavere sibi a tumore; id quod minime displicet. ([7]) Sic T. L. 1. 2. — *poterunt* Grut. 3. ([8]) Sic e Cdd. prob. Graev. Sch. 2. — *ad confine generis eius generis* T. Pleriq. 1. 3. — *ad confine eius generis genus* L. ([9]) ∞ om. *fluct. et* multi Cdd. Recte, ut opinor, quia in definitione idem verbum recurrit. Alii Cdd. om. *et dissolutum*. ([10]) — *sese confirmare*, omisso *sese* ante *expedire* L. (— *confirmare* O2x. al.). ([11]) ∞ *si* T. al. ([12]) ∞ *hinc* Cdd. aliq. boni. ([13]) Sic T. Ern. 1. 2. — *et malos* L. 3. ([14]) — *atque aud.* L. ([15]) ∞ *ille* recte omitt. T. al. L. Alii Cdd. om. *istic*. ∞ *in b.* T. Cdd. fere omnes. ([16]) ∞ om. T. Cdd. et Edd. vett. omnes. Recte, v. Graev. ([17]) — *obliquum* T. al. ([18]) Sic T. L. 1. 2. — *reddunt* Grut. 3. ([19]) = *commutare* T. ([20]) ∞ *facile* spurium videb. Ern. del. Sch. in Ed. mai.

XII. 17. Quoniam, quibus in generibus elocutio versari debeat, dictum est, videamus nunc, quas res debeat habere elocutio commoda et perfecta. Quae maxime † admodum oratori [1] accommodata est, tres res in se debet habere, elegantiam, compositionem, dignitatem. Elegantia est, quae facit, ut unumquodque [2] pure et aperte dici videatur. Haec distribuitur in latinitatem, et explanationem. Latinitas est, quae sermonem purum conservat, ab omni vitio remotum. Vitia in sermone, quo minus is latinus sit, duo possunt esse: soloecismus, et barbarismus. Soloecismus est, quum in [3] verbis pluribus, consequens verbum superiori non accommodatur. Barbarismus est, quum verbum aliquod vitiose effertur. Haec qua ratione vitare possimus, in arte grammatica dilucide dicemus [4]. Explanatio est, quae reddit apertam et dilucidam orationem. Ea comparatur duabus rebus, usitatis verbis, et propriis. Usitata sunt ea, quae versantur in sermone et consuetudine quotidiana: propria, quae eius rei verba sunt, aut esse possunt, qua de [5] loquemur.

18. Compositio est verborum constructio, quae facit omnes partes orationis aequabiliter perpolitas [6]. Ea conservabitur, si fugiemus crebras vocalium concursiones, quae vastam atque hiantem orationem reddunt, ut hoc est: Baccae aeneae [7] amoenissimae impendebant. Et si vitabimus eiusdem literae nimiam assiduitatem: cui vitio versus hic [8] erit exemplo: (nam hic nihil prohibet in vitiis, alienis exemplis uti:)

O Tite, tute, Tati, tibi tanta tyranne tulisti,

et hic eiusdem poëtae:

Quidquam quisquam cuiquam quod conveniat, neget.

Et, si eiusdem verbi assiduitatem nimiam fugiemus: ea est huiusmodi: Nam cuius rationis ratio non exstet, ei rationi ratio non est fidem habere. Et, si non utemur continenter similiter cadentibus verbis, hoc modo:

Flentes, plorantes, lacrimantes, obtestantes.

Et, si verborum transiectionem vitabimus, nisi quae erit concinna, qua de re posterius loquemur; quo in vitio est Lucilius assiduus, ut hoc est in priore libro:

Has res ad te scriptas, Luci, misimus, Aeli.

Item fugere oportet longam verborum continuationem, quae et auditoris aures, et oratoris spiritum laedit. His vitiis in compositione vitatis, reliquum operis consumendum est in dignitate.

XIII. Dignitas est, quae reddit ornatam orationem, varietate di-

---

([1]) Sic Grut. 1. 3. — *admodum* del. L. ∞ *ad modum oratoris* T. alii Cdd. ∞ *ad commodum oratoris* alii Cdd. Crat. — *ad officium oratoris* Iunt. (e C. ut videtur.) Sch. 2. ([2]) Sic T. 1. 2. — *unumquidque* L. 3. ([3]) Sic T. L. 1. 2. — *in* om. Grut. 3. ([4]) Sic Cdd. plures. 1. ∞ *discemus* T. Plerique. L. 3. quocum tamen vix convenit *dilucide*. — *dicemus* omisso *dilucide*, cum C1d. Sch. 2. ([5]) — *de qua* L. ([6]) Sic Cdd. aliq. L. 1. 3. ∞ *construct⁹ aequabiliter perpolita*. T. alii boni Cdd. Crat. Sch. 2. ([7]) — *Eoae* de Aurati C. L. ([8]) ∞ *hoc* C2d.

stinguens. Haec in verborum et sententiarum [1] exornationem dividitur. Verborum exornatio est, quae ipsius sermonis insignita continetur perpolitione [2]. Sententiarum exornatio est, quae non in verbis, sed in ipsis rebus quandam habet dignitatem [3].

19. Repetitio est, quum continenter ab uno atque eodem [4] verbo in rebus similibus [5] et diversis principia sumuntur, hoc modo: Vobis istud attribuendum est, vobis gratia est habenda [6], vobis res ista erit honori. Item: Scipio Numantiam sustulit, Scipio Karthaginem delevit, Scipio pacem peperit, Scipio civitatem servavit. Item: Tu in forum prodire, tu lucem conspicere, tu in horum conspectum venire conaris? audes verbum facere? audes quidquam ab istis petere? audes supplicium deprecari? Quid est, quod possis defendere? quid est, quod audeas postulare? quid est, quod tibi putes concedi [7] oportere? Non iusiurandum reliquisti [8]? non amicos prodidisti? non parenti manus intulisti? non denique in omni dedecore volutatus es? Haec exornatio, quum multum venustatis habet, tum gravitatis et acrimoniae plurimum. Quare videtur esse adhibenda et ad ornandam [9] et ad exaugendam [10] orationem.

Conversio est, per quam non, ut ante, primum repetimus verbum, sed ad postremum continenter revertimur, hoc modo: Poenos populus Romanus iustitia vicit, armis vicit, liberalitate vicit. Item: Ex quo tempore concordia de civitate sublata est, libertas sublata est, fides sublata est, amicitia sublata est, res publica sublata est. Item: C. Laelius homo ° navus [11] erat, ingeniosus erat, doctus erat, bonis viris et studiosis amicus erat: ergo in civitate [12] primus erat. Item: Nam quum istos, ut absolvant te, rogas, ut peierent, rogas; ut existimationem negligant, rogas; ut leges populi Romani tuae libidini largiantur, rogas.

XIV. 20. Complexio est, quae utramque complectitur exornationem, et hanc, et quam ante exposuimus, ut et repetatur idem primum verbum saepius, et crebro ad idem postremum [13] revertamur, hoc modo: Qui sunt, qui foedera saepe ruperunt? Karthaginienses. Qui sunt, qui crudele bellum in Italia gesserunt? Karthaginienses. Qui sunt, qui Italiam deformaverunt? Karthaginienses. Qui sunt, qui sibi postulant ignosci? Karthaginienses. Videte ergo, quam [14] conveniat eos impetrare. Item: Quem senatus damnarit, quem populus Romanus damnarit, quem omnium existimatio damnarit, cum vos sententiis vestris absolvetis?

([1]) *et in sent.* Cdd. multi prob. Oud. Sch. in Ed. mai. ([2]) = *perpol. cont.* L. ([3]) Post h. v. defectus signa posuit Sch. de Frn. sententia ([4]) = *eodemque* T. ([5]) ∞ *dissimilibus* €. nescio cuius, in marg. Lamb. alt. item Graevii. ([6]) Sic T. et Cdd. fere omnes. L. — *gratia habenda* 1. 2. 3. ([7]) An *concredi?* ([8]) Sic T. Grut. 1. ∞ *contempsisti* Cdd. aliq. Crat. L. Graev. 3. Sch. 2. Nihilominus e gloss. videtur esse. *Relinquere* h. l. est: destituere, negligere. ([9]) Sic T. 1. 2. 3. ∞ *exornandam* Cdd. aliq. L. ([10]) Sic Cdd. aliq. L. 1. 2. ∞ *augendam* Cdd. alii. Grut. 3. ∞ *exaggerandam* T. al. cfr. C. 24. §. 34. ([11]) Sic L. €. 1. 2. — *novus* Cdd. omnes. 3. ([12]) — *hac in civ.* T. al. ([13]) ∞ *postremo* T. alii. ([14]) Sic T. et alii meliores prob. Oud. — *quid* L. 1. 2. 3. e gloss.

Traductio est, quae facit, ut, quum idem verbum crebrius ponatur, non modo [1] non offendat animum, sed etiam concinniorem orationem reddat, hoc pacto: Qui nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere [2]. Item: Eum tu hominem appellas, qui si fuisset homo, nunquam tam crudeliter vitam hominis [3] petiisset. At erat inimicus. Ergo inimicum sic ulcisci voluit, ut ipse sibi reperiretur inimicus? Item: Divitias sine divitum esse: tu virtutem [4] praefer divitiis. Nam si voles divitias cum virtute comparare, vix satis idoneae tibi videbuntur divitiae, quae virtutis pedisequae sint. 21. Ex eodem genere exornationis est, quum idem verbum modo ponitur in hac, modo in altera re, hoc modo: Cur eam rem tam studiose curas, quae multas tibi dabit curas? Item: Nam amari [5] iucundum est [6], si curetur, ne quid insit amari. Item: Veniam ad vos, si mihi senatus det veniam. In his quatuor generibus exornationum, quae adhuc propositae sunt, non inopia verborum fit, ut ad idem verbum redeatur [7] saepius; sed inest festivitas [quaedam] [8], quae facilius auribus diiudicari, quam verbis demonstrari potest.

XV. Contentio est, quum ex contrariis verbis aut rebus oratio conficitur, hoc pacto: Habet assentatio iucunda principia, eadem exitus amarissimos affert. Item: Inimicis te placabilem, amicis inexorabilem praebes. Item: In otio tumultuaris, in tumultu es [9] otiosus. In re frigidissima cales, in ferventissima friges. Tacito quum opus est, clamas: ubi loqui convenit, obmutescis. Ades? abesse vis: abes? reverti cupis. In pace bellum quaeritas: in bello pacem desideras. In concione de virtute loqueris, in proelio prae ignavia tubae sonitum perferre non potes [10]. Hoc genere si distinguemus orationem, et ornati et graves poterimus esse.

22. Exclamatio est, quae conficit significationem doloris, aut indignationis alicuius, per hominis, aut urbis, aut loci, aut rei cuiuspiam compellationem, hoc modo: Te nunc alloquor, Africane, cuius mortui quoque nomen splendori ac decori est civitati. Tui clarissimi nepotes suo sanguine aluerunt [11] inimicorum crudelitatem. Item: O perfidiosae Fregellae, quam facile scelere vestro contabuistis! ut, cuius nitor urbis Italiam nuper illustravit, eius nunc vix fundamentorum reliquiae maneant [12]. Item: Bonorum insidiatores latrocinio vitam innocentissimi cuiusque petistis: tantamne ex iniquitate iudiciorum vestris calumniis assumitis [13] facultatem! Hac exclamatione si loco utemur, raro [14], et quum rei magnitudo postulare videbitur; ad quam volemus indignationem animum auditoris adducemus.

Interrogatio non omnis gravis est, neque concinna, sed haec,

([1]) — *non modo* om. C2d. ([2]) Sic T. L. 1. 2. 3. = *colere non potest* tribuitur Lambino in marg. Ed. alt. ([3]) = *hominis vitam* T. ([4]) Sic Cd. Medic. 1. 2. — *tu vero virt.* T. Pleriq. L. 3. ([5]) Sic dedi e T. Cdd. fere omnibus cfr. C. 18. §. 25. bis. — om. *Nam* L. 1. 2. 3. ([6]) Sic T. L. 1. 2. — *sit* e Cdd. Grut. 3. ([7]) — *sunt, fit, ut ad idem verbum non inopia verborum redeatur* L. solus. ([8]) Omittunt T. Cdd. fere omnes prob. Oud. Nos [ ]. ([9]) Sic T 1. 2. — *solus es* Cdd. aliq. L. 3. ([10]) Male istas sententias interrogative legit Ern. ([11]) Sic T. 1. 2. 3. — *abluerunt* L. ([12]) — *remaneant* Cdd. aliq. L. ([13]) ∞ *assumpsistis* O2x. al. L. ([14]) Sic T. 1. 2. — *et raro* Cdd. pleriq. L. 3.

quae, quum enumerata sunt ea, quae obsunt [1] causae adversariorum, confirmat superiorem orationem, hoc pacto: Quum igitur haec omnia faceres, diceres, administrares, utrum animos sociorum ab re publica removebas, et abalienabas [2], an non? Et: Utrum aliquem exhortari [3] oportuit, qui ista prohiberet, ac fieri non sineret, an non?

XVI. 23. Ratiocinatio est, per quam ipsi [4] a nobis rationem poscimus, quare quidque dicamus, et crebro nosmet a nobis petimus uniuscuiusque propositionis explanationem. Ea est huiusmodi: Maiores nostri si quam unius peccati mulierem damnabant, simplici iudicio multorum maleficiorum convictam putabant. Quo pacto? Quoniam, quam impudicam iudicarant, eam veneficii quoque damnatam existimabant. Quid ita? Quia necesse est, eam, quae suum corpus addixerit turpissimae cupiditati, timere permultos. Quos istos? Virum, parentes [5], ceteros, ad quos videt sui dedecoris infamiam pertinere. Quid postea? Quos tanto opere timeat, eos necesse est, ut, quoquo modo possit, veneficio petat. Cur? Quia nulla potest honesta ratio retinere eam, quam magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem, natura muliebris inconsideratam [6]. Quid veneficii damnatam? [Quid?] Putabant impudicam quoque necessario. Quare? Quia nulla facilius ad id maleficium causa, quam turpis amor et intemperans libido commovere potuit: cuius [7] mulieris animus [8] esset corruptus, eius corpus castum esse non putaverunt [9]. Quid in viris? Idemne observabant [10]? Minime. Quid ita? Quia viros ad unumquodque maleficium singulae cupiditates impellunt: mulieres ad omnia maleficia cupiditas una ducit [11]. Item: Bene maiores nostri [12] hoc comparaverunt, ut neminem regem, quem armis cepissent, vita privarent. Quid ita? Quia, quam nobis facultatem fortuna dedisset, iniquum erat in eorum supplicio consumere, quos eadem fortuna paullo ante in amplissimo statu collocarat. Quid? quod exercitum contra duxit? Desino meminisse. Quid ita? Quia viri fortis est, qui de victoria contendant, eos hostes putare: qui victi sunt, eos homines iudicare, ut possit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere. At ille, si vicisset, num idem fecisset? Non profecto tam sapiens fuisset. Cur [13] igitur ei parcis? Quia talem stultitiam contemnere, non imitari consuevi. 24. Haec exornatio ad sermonem vehementer accommodata est, et animum auditoris retinet [14] attentum, quum [15] venustate sermonis, tum rationum exspectatione.

XVII. Sententia est oratio sumpta de vita, quae aut quid sit,

---

(1) ∞ *obsint* T. (2) e Cdd. Sch. 2. = *alienabas* T. L. 1. 3. (3) Sic T. cum paucis. — *exortari* — *exorari* al. unde natum — *exornari* L. 1. 2. 3. *Utrum aliq.* T. L. 1. 2. — *utrumne aliq.* Grut. 3.). (4) ∞ *nos ipsi* Erf. L. (5) ∞ *parentes*, *fratres* Olx. L. (6) — *natura mulieris faciat necesse est incons.* Pith. — *n. muliebris*, *quare eam faciat necesse est inc.* Erf. prob. Graevio: *faciat nec. est.* ∞ * om. *quid* T. Nos [ ]. (7) Sic Frn. E. 1. 2. — *quum cuius* Codd. L. Grut. 3. (8) e Cdd. (T.) Ern. 1. 2. = *animus mul.* L. 3. (9) — *putarint.* L. (10) Sic T. al. Ern. 1. 2. ∞ *idemne hoc obs.* Cdd. pleriq. L. 3. (11) ∞ *deducit* T. O2x. (12) Sic Cdd. pleriq. T. L. 3. — *maiores* Ern. 1. 2. Nec tamen necesse est, ut ubique *nostri* post *maiores* expungatur. Vide modo initio §. 23. et saepissime apud Ciceronem ipsum. (13) Sic T. Cdd. fere omnes. = *quid* L. 1. 2. 3. (14) Sic Cdd. aliq. L. 1. 2. 3. — *reddit* T. Edd. vett. (15) Sic T. L. — *tum* 1. 2. 3.

aut quid esse oporteat in vita, breviter ostendit, hoc pacto [1]: Difficile est primum virtutes [2] revereri, qui semper secunda fortuna sit usus. Item: Liber is est existimandus, qui nulli turpitudini servit. Item: Egens aeque est is, qui non satis habet, et is, cui nihil satis potest esse. Item: Optima vivendi ratio est eligenda; eam iucundam consuetudo reddet. Huiusmodi sententiae simplices non sunt improbandae, propterea quod habet brevis expositio, si rationis nullius indiget, magnam delectationem. Sed illud quoque probandum est genus sententiae, quod confirmatur subiectione rationis, hoc pacto [3]: Omnes bene vivendi rationes in virtute sunt collocandae, propterea quod sola virtus in sua potestate est, omnia praeter eam subiecta sunt sub fortunae dominationem [4]. Item: Qui fortunis alicuius inducti amicitiam eius secuti sunt, hi, simul ac fortuna dilapsa est, devolant omnes. Quum enim recessit ea res, quae fuit consuetudinis causa, nihil superest, quare possint in amicitia teneri [5]. Sunt item sententiae, quae dupliciter efferuntur, sine ratione, et cum ratione [6]. Hoc modo sine ratione [7]: Errant, qui in prosperis rebus omnes impetus fortunae se putant fugisse [8]. Sapienter cogitant, qui temporibus secundis casus adversos reformidant. 25. Cum ratione, hoc pacto: Qui adolescentium peccatis ignosci putant oportere, falluntur, propterea quod aetas illa non [9] est impedimento bonis studiis. At hi sapienter faciunt, qui adolescentes maxime castigant, ut, quibus virtutibus omnem vitam tueri possint [10], eas in aetate maturissima velint comparare. Sententias interponi raro convenit, ut rei actores, non vivendi praeceptores esse videamur. Quum ita interponentur, multum afferent ornamenti. Necesse est enim, eam comprobet [11] tacitus auditor, quum ad causam videat accommodari rem certam, ex vita et moribus sumptam.

XVIII. [Contrarium idem fere est, quod contentio] [12]. Contrarium est, quod ex rebus diversis duabus alteram breviter et facile confirmat, hoc pacto: Nam, qui suis rationibus inimicus fuerit semper, eum quomodo alienis rebus amicum fore speres? Et [13] item: Nam, quem in amicitia perfidiosum cognoveris, eum quare putes inimicitias cum fide habere [14] posse? Et: Qui privatus intolerabili superbia fuerit, eum commodum et sui cognoscentem fore [15] in potestate, qui speres [16]? Et: Qui in sermonibus et conventu [17] amicorum verum dixerit nunquam [18], eum sibi in concionibus credis a mendacio temperaturum?

([1]) Sic T. Cdd. meliores. Sch. 2. — *hoc modo* L. 1. 3. ([2]) — *plurimum* e Ranconeti C. L. ∞ *virtutem* Cdd. aliq. v. c. O2x. L. = *revereri virtutes* T. ([3]) Sic dedi ex O1x. — *modo* L. 1. 2. 3. ([4]) Sic T. Cdd. meliores. 1. 2. — *fortunae dominationi* L. 3. ([5]) Sic T. Cdd. complures prob. Graev. Oud. Sch. 2. — *retineri* L. 1. 3. ([6]) ∞ om. Cdd. aliq. T. Nec male, quum mox invertatur ordo; id quod admodum suspecta reddit haec verba. ([7]) ∞ *sine ratione hoc modo* L. ([8]) Sic T. L. 1. 2. 3. — *effugisse* tribuitur Lambino in marg. Ed. alt. ([9]) — om. *non* Cod. Medic. prob. Gronovio. ([10]) Sic T. L. 1. 2. — *possunt* Grut. 3. ([11]) e Cdd. Ern. 1. 2. Lallem. (nisi quod: *comprobet eam*). — *Nam necesse est animo eam comprobet* L. 3. — *Et necesse est animo comprobet eam aud. tacitus* T. ([12]) ∞ om. Cd. Lips. del. Sch. 2. Nos [ ]. ([13]) — *et* om. Cdd. aliq. v. Ern. ([14]) — *tenere* O1x. — *retinere* Erf. ([15]) Sic Cdd. aliq. L. 1. 2. — *videre* T. Pleriq. 3. ([16]) e Cdd. 1. 2. — *quis speret* L. 3. ([17]) ∞ *et in conventu* Sch. 2. solus. ([18]) — *verum non dixerit*, *numquid* Cdd. aliq. prob. Oud.

Item: Quos ex[1] collibus deiecimus, cum iis in campo metuimus[2] dimicare? Qui quum plures erant, paucis nobis exaequari non poterant; hi, postquam pauciores sunt, metuimus, ne sint superiores? 26. Hoc exornationis genus, breviter et continuatis verbis[3] perfectum esse debet, et quum commodum est auditu, propter brevem et absolutam conclusionem; tum vero vehementer, id, quod opus est oratori, comprobat contraria re, et ex eo, quod dubium non est, expedit illud, quod dubium est, ut aut dilui non possit, aut multo difficillime possit.

XIX. Membrum orationis appellatur res breviter absoluta sine totius sententiae demonstratione, quae denuo alio membro orationis excipitur, hoc modo: Et inimico proderas. Id est unum, quod appellatur membrum: deinde hoc excipiatur oportet ab altero: Et amicum laedebas. Ex duobus membris haec[4] exornatio potest constare: sed commodissima et absolutissima est, quae ex tribus constat, hoc pacto: Et inimico proderas, et amicum laedebas, et tibi ipsi[5] non consulebas. Item: Nec rei publicae consuluisti, nec amicis profuisti, nec inimicis restitisti.

Articulus dicitur, quum singula verba intervallis distinguuntur[6] caesa oratione, hoc modo: Acrimonia, voce, vultu adversarios perterruisti. Item: Inimicos invidia, iniuriis, potentia, perfidia sustulisti. Inter huius generis, et illius superioris vehementiam hoc interest, quod[7] illud tardius et rarius venit, hoc crebrius et celerius pervenit. Itaque in illo genere, ex remotione brachii, et contortione[8] dexterae gladius ad corpus afferri; in hoc autem crebro et celeri corpus vulnere[9] consauciari videtur.

27. Continuatio est densa et continens frequentatio verborum cum absolutione sententiarum. Ea utemur commodissime tripartito; in sententia, in contrario, in conclusione. In sententia, hoc pacto: Ei non multum potest obesse fortuna, qui sibi firmius in virtute, quam in casu, praesidium collocavit. In contrario, hoc modo: Nam si quis spei non multum collocarit in casu, quid est, quod ei magno opere casus obesse possit? In conclusione, hoc pacto: Quodsi in eos plurimum fortuna potest, qui suas rationes omnes in casum contulerunt[10]; nôn sunt omnia committenda fortunae, ne magnam nimis[11] in nos habeat dominationem. In his tribus generibus ad continuationis vim adeo frequentatio est necessaria, ut infirma facultas oratoris videatur, nisi sententiam, et contrarium, et conclusionem frequentibus efferat verbis. Sed[12] et[13] alias quoque nonnunquam non alienum est, tametsi necesse non est, eloqui res aliquas per huiusce modi[14] continuationes.

---

(1) ∞ *de* L. solus. (2) ∞ *metuemus* T. bis. (3) Sic e Cdd. Graev. 3. — *brevibus et cont. verbis* Cdd. pleriq. L. Grut. 1. absurde. — *brevibus et cont. membris* Sch. 2. de Ern. suspic. qua nihil opus, si legas *breviter*. (4) Sic 1. 2. 3. ∞ *membris suis haec* T. Pleriq. prob. Oud. — *membris solis haec* Victor. L. (5) ∞ *ipse* Lambino tribuitur in Marg. Ed. alt. (6) Sic T. L. 1. 2. 3. ∞ *distinguentur* Cdd. aliq. Male tribuitur Lambino in Ed. Graevii. (7) ∞ *quod* om. Cdd. aliq. Graev. 3. (8) Sic L. 1. 2. 3. — *contorsione* Cdd. aliq. — *contentione* T. alii prob. Oud. (9) Sic T. Cdd. pleriq. = *vulnere corpus*. L. 1. 2. 3. (10) — *intulerunt* T. alii Cdd. (11) = *nimis magnam* L. (12) Haec *sed* - - *continuationes* suspecta sunt Sch. (13) ∞ *et* om. T. al. (14) = *huiusmodi* L.

XX. Compar appellatur, quod habet in se membra orationis, de quibus ante diximus, quae constent [1] ex pari fere numero syllabarum. Hoc non dinumeratione nostra [2] fiet: (nam id quidem puerile est) [3], sed tantum afferet [4] usus et exercitatio facultatis, ut animi quodam sensu par membrum superiori referre possimus, hoc modo: In proelio mortem pater [5] oppetebat, domi filius nuptias comparabat; haec omnia graves casus administrabant [6]. Item: Alii [7] fortuna felicitatem [8] dedit, huic industria virtutem comparavit. 28. In hoc genere saepe fieri potest [9], ut non plane par sit numerus syllabarum, et tamen esse videatur, si una aut etiam altera syllaba est alterutrum [10] brevius: aut si, quum in altero plures sunt, in altero longior, aut longiores, plenior, aut pleniores syllabae erunt: ut longitudo aut plenitudo harum, multitudinem alterius assequatur et exaequet.

Similiter cadens exornatio appellatur [11], quum in eadem constructione verborum, duo aut plura sunt verba, quae similiter iisdem casibus efferuntur [12], hoc modo: Hominem laudas egentem virtutis, abundantem felicitatis. Item: Cuius [13] omnis in pecunia spes est, eius a sapientia est animus [14] remotus. Diligentia comparat divitias, negligentia corrumpit animum; et tamen quum ita vivit, neminem prae se ducit hominem. Similiter desinens est, quum, tametsi casus non insunt in verbis, tamen similes exitus sunt, hoc pacto: Turpiter audes facere, nequiter studes dicere. Vivis invidiose, delinquis [15] studiose, loqueris odiose. Item: Audacter territas, humiliter placas. Haec duo genera, quorum alterum in exitus, alterum in casus similitudine versatur, inter se vehementer conveniunt: et ea re, his qui [16] bene utuntur, plerumque simul ea collocant in iisdem partibus orationis. Id hoc pacto facere oportet: Perditissima ratio est amorem petere, pudorem fugere; diligere formam, negligere famam. Hic et ea verba, quae casus habent, ad casus similes; et illa, quae non habent, ad similes exitus veniunt.

XXI. 29. Annominatio est, quum ad idem verbum et ad [17] idem nomen accedit commutatione unius literae aut literarum [18], aut ad res dissimiles similia verba accommodantur. Ea multis et variis rationibus

---

(1) Sic T. L. 1. 2. — *constant* Grut. 3. (2) Sic L. e C. confirmata a Cld. ap. Oud. 1. 2. — *denumeratione nostra* Cdd. aliq. — *de numerat.* al. — *de enumeratione* Grut. 3. (— *nostra* del. Sch. C. 2.). (3) ∞ *est* om. Cdd. aliq. Sch. 2. (4) Sic T. 1. 2. — *adfert* L. 3. (5) ∞ *parens* T. alii Cdd. (6) ∞ *gravis casus* (Erf.) *administrabat* L. (7) Sic T. 1. 2. 3. ∞ *Illi* Cdd. aliq. L. (8) — *facilitatem* Pith. Sch. 2. Sed mox quoque, virtuti *felicitas*, non *facilitas* opponitur, et ubi non? (9) — *solet* T. a m. pr. (10) e Cdd. prob. Graev. 1. 2. — *alterum* T. L. 3. (11) e Cdd. plerisq. (T.) Ern. 1. 2. — *dicitur* L. 3. (12) Sic T. L. 3. Sch. 2. — *efferentur* Cdd. aliq. 1. — *efferuntur* L. 3. (13) Sic T. (nisi quod om. cum plerisq. *e us*) L. 1. 2. 3. — *Huic omnis — spes est — a sapientia — remotus* Erf. Sch. in Ed. mai. (14) = *animus est remotus* L. (15) — *relinquis* Sch. 2. errore typogr. (16) Sic Cdd. aliq. 1. 2. = *qui his* T. L. Grut. 3. (17) e Cdd. (T.) inseruit Ern. 1. 2. — *et idem* L. 3. Multi omittunt *ad idem*. (18) Sic e Cdd. Ern. 1. 2. — *commutatione unius lit. aut literarum, syllabae aut syllabarum* (Haec ultima om. T. cum aliis bonis Cdd.) Grut. 3. — *commutatione vel additione* (Habet hoc etiam T. = *vel adiectione* Erf.) *unius l. aut literarum, syll. aut syllabarum* L.

conficitur. Attenuatione aut complexione eiusdem [1] literae, sic: Hic, qui se magnifice iactat atque ostentat [2], veniit † a te ante [3], quam Romam venit. Ex contrario, sic [4]: Hic, quos homines alea vicit [5], eos ferro statim vincit [6]. Productione eiusdem literae, hoc modo: Hunc avium dulcedo ducit ad aviúm. Brevitate eiusdem literae, hoc modo: Hic tametsi videtur esse honoris cupidus, tamen non tantum curiam diligit, quantum Curiam. Addendis literis, hoc pacto: Hic sibi posset temperare, nisi amori mallet obtemperare. Demendis literis, sic: Si lenones vitasset tanquam leones [7], vitae se tradidisset. Transferendis literis, sic: Videte, iudices, utrum homini navo, an vano credere malitis. Item: Nolo esse laudator, ne videar adulator. Commutandis [8], hoc modo: Deligere oportet, quem velis diligere. Hae sunt annominationes, quae in literarum † brevi commutatione [9], aut productione, aut translatione [10], aut aliquo huiusmodi genere versantur. XXII. 30. Sunt autem aliae, quae non habent tam propinquam in verbis similitudinem, et tamen dissimiles non sunt: quibus de generibus unum est huiusmodi: Quid veniam, qui sim, quare veniam, quem insimulem, cui prosim, quem postulem, brevi cognoscetis. Nam hic est in quibusdam verbis quaedam similitudo non tam affectanda, quam illae superiores, sed tamen adhibenda nonnunquam. Alterum genus huiusmodi: Demus operam, Quirites, ne omnino Patres Conscripti circumscripti putentur. Haec annominatio accedit magis [11] ad similitudinem, quam superior [12]: sed minus, quam illae superiores: propterea quod non solum additae, sed uno tempore demptae quoque literae sunt. Tertium genus est, quod versatur in casuum commutatione, aut unius, aut plurium nominum. 31. Unius nominis, hoc modo: Alexander Macedo summo labore animum ad virtutem [13] a pueritia conformavit [14]. Alexandri virtutes per orbem terrae [15] cum laude et gloria sunt [16]. Alexandro [17] si vita longior data esset, Oceanum manus Macedonum trans-

---

([1]) ∞ *unius* T. — *cuiusdam* Sch. €. 2. ([2]) ∞ *magnificat*, *iactat*, *ostentat* Margo Crat. *magnificat* etiam O1x. *atque ostentat* om. Cdd. aliq. unde Graev. suspic. legendum esse *magnificat* dumtaxat, deletis *iactat atque ostentat*. ([3]) Sic Cdd. pleriq. 1. 3. (T. obscuro scripturae compendio) Latet in his locus, ubi iste venierit v. c. *Athenis*. — *veniit ante* Cdd. pauci L. 2. ([4]) Sic O2x. L. — om. *sic* 1. 2. 3. ([5]) Sic T. 1. 2 3. — *vincit* Cdd. aliq. L. ([6]) — *vinciit* L. ([7]) e Cdd. 1. 2. = *tanquam leones vit.* L. 3. ([8]) — *permutandis* Sch. suspic. ([9]) Sic T. Cdd. pleriq. L. (*literarum* habet Ed. 1566. non *literatura*, ut Ed. 1584. Grut.) 1. 3. Defendit Ern. Sed vereor, ut *brevis commutatio* significare possit mutationem longae in brevem syllabam. Lego: *in literarum in breve commutatione*. ∞ *in literarum commutatione*, *brevitate*. O1x. Victor. Sch. 2. Sed *brevitate* transitivum, quale hic requiritur, vocabulum non est. — *in literatura*, *commutatione*, *brevitate* Lallem. ([10]) — *transiectione* T. al. L. prob. Oud. Sed supra est: *transferendis literis*. ([11]) = *magis accedit* L. ([12]) ∞ *quam illa superior* Cdd. aliq. Edd. ante L. ([13]) Sic T. 1. 2. 3. — *virtutes* L. Grut. ([14]) Hanc L. €. confirmavit Duisb. Sch. 2. — *confirmavit* T. L. 1. 3. ([15]) — *orbem terrarum* L. solus. ([16]) Sic e Cdd. Grut. 1. 3. ∞ *gloria vulgatae sunt* T. L. — *gl. sunt pervulgatae* C1d. Sch. 2. ([17]) Sic 1. 2. e Cdd. et Ed. Med. ap. Oud. Sed T. Cdd. pleriq. L. Grut. 3. hoc membrum postponunt sequenti, et, si non grammaticam propter rationem Dativus melius praecedere videretur Accusativum, illum ordinem, ex quo *vitae finis* in fine ponitur, restituissem. Praeterea videndum est etiam atque etiam, ne in hac Turic. al. lectione habeamus eum casuum ordinem, qui antiquioribus Grammaticis latinis placuerit.

volasset[1]. Alexandrum omnes, ut maxime metuerunt, item plurimum dilexerunt. Varie hic unum nomen in commutatione casuum volutatum est. Plura nomina casibus commutatis, hoc modo facient[2] annominationem: Ti. Gracchum rem publicam administrantem indigna prohibuit nex diutius in ea commorari. C. Graccho similiter[3] occisio oblata est, quae virum rei publicae amantissimum subito de sinu civitatis eripuit. Saturninum, fide captum, malorum perfidia per scelus[4] vita privavit. Tuus, o Druse, sanguis domesticos parietes[5], et vultum parentis aspersit. Sulpicium, cui paullo ante omnia concedebant, cum brevi spatio non modo vivere, sed etiam sepeliri prohibuerunt. 32. Haec tria genera proxima exornationum, quorum unum in similiter cadentibus, alterum in similiter desinentibus verbis, tertium in annominationibus positum est, perraro sumenda sunt, quum in veritate dicemus: propterea quod non haec videntur reperiri posse sine elaboratione et consumptione operae[6]. XXIII. Eiusmodi autem studia ad delectationem, quam ad veritatem, videntur accommodatiora. Quare[7] fides, et gravitas, et severitas oratoria minuitur his exornationibus frequenter collocatis: et non modo tollitur auctoritas dicendi, sed offenditur quoque in[8] eiusmodi oratione [auditor][9]; propterea quod est in his lepos et festivitas, non dignitas, neque pulchritudo. Quare, quae sunt ampla atque[10] pulchra, diu placere possunt: quae lepida et concinna, cito[11] satietate afficiunt aurium sensum fastidiosissimum. Quo modo igitur, si crebro his generibus utemur, puerili videbimur elocutione delectari: ita si raro has interseremus exornationes, et in causa tota varie dispergemus, commode luminibus distinctis illustrabimus orationem.

33. Subiectio est, quum interrogamus adversarios, aut quaerimus ipsi, quid ab illis, aut quid contra nos dici possit: deinde subiicimus id, quod dici oportet, aut non oportet[12], aut nobis adiumento futurum sit, aut obfuturum illis e contrario[13], hoc modo: Quaero igitur, unde iste tam pecuniosus sit factus. Amplum patrimonium relictum est? At patris bona venierunt. Hereditas aliqua venit?[14] † Non potest dici, sed etiam a necessariis[15] omnibus exheredatus est. Praemium

---

([1]) Sic T. Grut. 3. 1. 2. et verum videtur. Vox *manus* parum intellecta, erroribus et gloss. ansam praebuit. — *Oceanum Mac. gloria tr.* L. — *nomen* al. — *fama* al. — *Oceanum Macedo tr.* Oud. suspic. ([2]) Sic T. L. 1. 2. — *faciunt* Grut. 3. ([3]) — om. *sim.* Graev. 3. cum Erfurt. ([4]) Sic dedi ego. — *fide captum, malorum perfidia per scelus.* L. — *fide captum malorum, perfidiae scelus* Grut. 3. 1. — *fide captum, malorum perfidia et scelus* Sch. 2. — *fide captum maiorum natu perfidia et per scelus* T. Quo minus *maiorum* scriberem, in causa fuit, quod hi semper cum laude memorantur. ([5]) — *Penates* Oud. C. Sch. in Ed. mai. ([6]) = *pr. quod haec rep. posse non vid. sine elab. et op. consumpt.* L. ([7]) — *quippe* Sch. 2. de Ern. suspic. ([8]) — *in* om. Cdd. aliq. postquam scil. a gloss. insertum esset *auditor.* ([9]) Recte om. T. Cdd. fere omnes. prob. Gron. et Cod. ([10]) Sic T. Cdd. multi: ut mox Duisb. ∞ *atque concinna.* — *et* L. 1. 2. 3. ([11]) — *cita* C2d. ap. Graev. ([12]) Sic T. 1. 2. — *aut quod non o.* L. 3. ([13]) — *illis* om. T. L. — *illis e contrario* om. O2s. ([14]) Sic T. Cdd. meliores. Sch. 2. — *obvenit* L. 1. 3. ([15]) ∞ *Potest dici* (om *non*) *sed a nec.* Pith. prob. Graev. — *Non modo non potest dici, sed etiam a. n.* L. €. postmodum ab ipso reiecta. — *venit? At etiam a n.* Sch. €. 2.

aliquod ex lite aut iudicio cepit? Non modo id non fecit [1], sed etiam insuper ipse grandi sponsione victus [2] est. Ergo si his rationibus locupletatus non est, sicut omnes videtis: aut isti domi nascitur aurum, aut, unde licitum non est, pecunias accepit [3]. XXIV. Item: Saepe, iudices, animadverti, multos aliqua ex honesta re, quam ne inimici quidem criminari possint, sibi praesidium petere: quorum nihil potest adversarius facere. Nam utrum ad patris virtutem confugiet? At eum vos iurati [4] capite damnastis. An ad suam revertetur antiquam vitam, alicubi honeste tractatam [5]? At hic quidem ante oculos vestros quomodo vixerit, scitis omnes. An cognatos suos enumerabit, quibus vos conveniat commoveri? At hi quidem nulli sunt. Amicos proferet? At nemo est, qui sibi non turpe putet [6], istius amicum nominari. Item: Credo, inimicum, quem nocentem putabas, in iudicium adduxisti: Non; nam indemnatum [7] necasti. Leges, quae id facere prohibent, veritus es? At ne scriptas quidem iudicasti. Quum ipse te veteris amicitiae commonefaceret, commotus [8] es? At [9] nihilo minus, sed etiam studiosius occidisti. Quid? quum tibi pueri ad pedes volutarentur, misericordia motus es? At eorum patrem crudelissime sepultura quoque prohibuisti. 34. Multum inest acrimoniae et gravitatis in hac exornatione, propterea quod, quum quaesitum est, quid oporteat, subiicitur id non esse factum. Quare facillime fit, ut exaugeatur [10] indignitas negotii. Ex eodem genere, ut ad nostram quoque personam referamus subiectionem, sic: Nam quid me facere convenit [11], quum a tanta Gallorum multitudine circumsederer? An [12] dimicarem? At quum parva manu tum prodiremus [13], locum quoque inimicissimum habebamus. Sederem in castris? At neque subsidium, quod exspectarem, habebamus, neque erat, qui [14] vitam produceremus. Castra relinquerem? At obsidebamur. Vitam militum negligerem? At eos videbar ea accepisse conditione, ut [eos], quoad possem [15], incolumes patriae et parentibus [16] conservarem. Hostium conditionem repudiarem? At salus antiquior est militum, quam impedimentorum. Huiusmodi [17] consequuntur identidem subiectiones, ut ex omnibus ostendi videatur, nihil potius, quam, quod factum sit, faciendum [18] fuisse.

([1]) ∞ *cepit* Sch. C. 2. ([2]) — *victus* T. Cdd. pleriq. ex formulae istius ignoratione. ([3]) ∞ *cepit* T. Cdd. complures. ([4]) — *iurati legibus* Cld. ap. Oud. Sch. 2. e gloss. ([5]) Sic T. Pleriq. 1. 3. Item L. nisi quod e C. *alibi.* — *an ad suam revertetur quam vitam aut ubi honeste tract.* Erf. unde ex parte praeeunte Graevio Sch. C. 2. ∞ *An ad suam revertetur antiquam vitam? Quam? aut ubi honeste tractatam? Nam* (sic Cdd. plures) *hic quidem.* Sed concinnitas orationis requirit, ut hic quoque *At* retineatur, quocum Sch. lectio conciliari nequit. ([6]) Sic T. Cdd pleriq = *putet turpe* L. 1. 2. 3. ([7]) — *nam eum indemn.* T. al. L. — *nam* om. Erf. prob. Graevio. ([8]) — *misericordia commotus es* L. solus. ([9]) — *at* om. L. ([10]) Sic T. Pleriq. L. 1. 2. — *augeatur* 3. ([11]) Sic T. Pleriq. 1. 2. — *conveniret* L. (in utraq. Ed.) 3. ([12]) — om. *an* L. ([13]) Sic Cdd. pleriq. (etiam T. nisi quod *prodirem*) L. Grut. Sch. 2. — *at cum parva manu quum pr.* Graev. 3. — *at cum parva manu prodiremus* Ern. 1. ([14]) Sic Cdd. aliq. ap. Oud. T. 1. 2. — *quo* L. 3. ([15]) Sic Cdd. fere omnes. T. L. nisi quod hic *eos* ante *quoad* om. = *at ea vid. eos acc. cond. ut quoad p.* 1. 2. 3. ([16]) — *et par.* om. Duisb. prob. Graev. et Sch. ([17]) ∞ *Eiusmodi* Cdd. aliq. L. ([18]) = *faciundum* L.

XXV. Gradatio est, in qua non ante ad consequens verbum descenditur, quam ad superius conscensum [1] est, hoc modo: Nam quae reliqua spes manet libertatis, si illis [2], et quod libet, licet; et quod licet, possunt; et quod possunt, audent; et quod audent, faciunt; et quod faciunt, vobis molestum non est? Item: Non [3] sensi hoc, et non suasi; neque suasi, et non ipse statim facere coepi; neque facere coepi, et non perfeci; neque perfeci, et non probavi. Item: Africano industria virtutem, virtus gloriam, gloria aemulos comparavit. Item: Imperium Graeciae fuit penes [4] Athenienses, Atheniensium potiti sunt Spartiatae, Spartiatas superavere Thebani, Thebanos Macedones vicerunt, qui ad imperium Graeciae brevi tempore adiunxerunt Asiam bello subactam. 35. Habet in se quendam leporem superioris cuiusque crebra repetitio verbi, quae propria est huius exornationis.

Definitio est, quae rei alicuius proprias amplectitur potestates breviter et absolute, hoc modo: Maiestas rei publicae est, in qua continetur dignitas et amplitudo civitatis. Item: Iniuriae sunt, quae aut pulsatione corpus, aut convicio aures, aut aliqua turpitudine vitam cuiuspiam violant. Item: Non est ista diligentia, sed avaritia; ideo quod diligentia est accurata conservatio suorum: avaritia, iniuriosa [5] appetitio alienorum. Item: Non est ista fortitudo, sed temeritas; propterea quod fortitudo est contemptio laboris et periculi cum ratione utilitatis, et compensatione commodorum: temeritas est cum inconsiderata laborum [6] perpessione gladiatoria periculorum susceptio. Haec ideo commoda putatur exornatio, quod [7] omnem rei cuiuspiam vim et potestatem ita dilucide proponit, et breviter explicat [8], ut neque pluribus verbis oportuisse dici videatur, neque lucidius potuisse dici putetur [9].

XXVI. Transitio vocatur, quae quum ostendit breviter, quid dictum sit, proponit item brevi, quid consequatur [10], hoc pacto [11]: In patriam cuiusmodi fuerit, habetis: nunc in parentes qualis exstiterit, considerate. Item: Mea in istum beneficia cognoscitis [*]: nunc, quomodo [12] iste mihi gratiam retulerit, accipite. Proficit haec aliquantulum [13] exornatio ad duas res: nam et quid dixerit commonet, et ad reliquum comparat auditorem.

36. Correctio est, quae tollit id, quod dictum est, et pro eo id, quod magis idoneum videtur, reponit, hoc pacto: Quod si iste suos hospites rogasset, immo innuisset [14] modo; facile hoc [15] perfici posset. Item: [Nam] [16] postquam isti vicerunt, atque adeo victi sunt: [*] nam [17]

---

(1) Sic T. Pleriq. 1. 3. ∞ *ascensum* Cdd. aliq. L. Sch. 2. (2) = *quae spes rel. lib. manet, si iis* L. (3) — *Neque* L. solus. cfr. *pro Milone.* C. 31. (4) Sic Cdd. aliq. L. 1. 2. — *apud* T. al. Grut. 3. (5) — *avaritia vero ini.* L. solus. ∞ *avaritia est ini.* T. al. (6) ∞ *dolorum* Cdd. aliq. prob. Oud. (7) — *quia* Cdd. aliq. L. (8) — *explicat* om. T. (9) Sic T. Pleriq. L. (nisi quod is habet *dilucidius*) 1. 3. — *ut neque pluribus verbis oportuisse, neque lucidius potuisse dici videatur.* Sch. C. 2. (10) Sic dedi e T. aliisq. melioribus. cf. infra §. 41. *quod necessario consequatur.* — *sequatur* Cdd. pauci. L. 1. 2. 3. (11) Sic e Cdd. — *hoc modo* T. L. 1. 2. 3. Alii utrumq. coniungunt — *hoc pacto: Modo* prob. Oud. ∞ [*] *An cognovistis?* (12) ∞ *quam* L. (13) e Cdd. 1. 2. — *aliquantum* T. L. 3. (14) — *immo si innuisset* L. (15) Sic T. Cdd. pleriq. = *hoc facile* L. 1. 2. 3. (16) Tur. omittit *Item. Nam* contra, quod ex *Item*, ut aliquoties factum vidi, ortum est, habent L. 1566. 1. 3. Recte om. Lamb. in marg. ed. alt. Sch. 2. Nos [ ]. (17) — *nam quomodo* habet L. Sch. 2. e C. — *eam* Cdd. 1. 3.

quomodo victoriam appellem, quae victoribus plus calamitatis, quam boni dederit? O virtutis [1] comes invidia, quae bonos insequeris plerumque, atque adeo insectaris! Commovetur hoc genere animus auditoris. Res enim communi verbo elata, tantummodo dicta videtur: [ast ea] [2], post ipsius oratoris correctionem, magis idonea [3] fit pronuntiatione [4]. Non igitur satius esset [5], dicet aliquis, ab initio, praesertim quum scribas, ad optimum et electissimum [6] verbum devenire? Est, quum non est satius, si commutatio verbi id erit demonstratura, eiusmodi rem esse, ut, quum eam communi verbo appellaris, levius dixisse videaris: quum ad electius verbum accedas, insigniorem rem [7] facias. Quodsi continuo venisses ad id verbum, nec rei, nec verbi gratia animadversa esset.

XXVII. 37. Occupatio [8] est, quum dicimus, nos praeterire, aut non scire, aut nolle dicere id, quod tunc maxime dicimus, hoc modo: Nam de pueritia quidem tua, quam tu omni intemperantiae addixisti, dicerem, si hoc tempus idoneum putarem: nunc consulto relinquo. Et illud praetereo, quod te tribuni rei militaris infrequentem tradiderunt [9]; deinde quod iniuriarum satisfecisti L. Labeoni, nihil ad rem [10] pertinere puto. Horum nihil dico: revertor ad illud, de quo iudicium est. Item: Non dico te ab sociis pecunias accepisse; non sum in eo occupatus, quod civitates, regna, domos omnium depeculatus es; furta, rapinas omnes tuas [11] omitto. Haec utilis est exornatio, si aut rem, quam non pertineat aliis ostendere, occulte [12] admonuisse prodest, aut si longum est, aut ignobile, aut planum non [13] potest fieri, aut facile potest reprehendi; ut utilius sit occulte fecisse [14] suspicionem, quam huiusmodi intendisse actionem [15], quae redarguatur.

Disiunctio est, quum eorum, de quibus dicimus, aut utrumque, aut unumquodque certo concluditur verbo, sic: Populus Romanus Numantiam delevit, Karthaginem sustulit, Corinthum disiecit, Fregellas evertit. Nihil Numantinis vires corporis auxiliatae sunt; nihil Karthaginiensibus scientia rei militaris adiumento fuit; nihil Corinthiis erudita calliditas praesidii tulit; nihil Fregellanis morum et sermonis societas opitulata est. Item: Formae dignitas aut morbo defloresceit, aut vetustate exstinguitur. Hic utrumque, et in superiore exemplo unamquamque rem certo verbo concludi videmus. 38. Coniunctio est, quum interpositione verbi et superiores orationis partes comprehenduntur, et inferiores, hoc modo: Formae dignitas aut morbo defloresceit,

---

([1]) ∞ *Item: o virt.* Sch. €. 2. ([2]) Sic T. 1. 3. — *at ea* alii Cdd. — *ea* alii, omissa coniunctione. ∞ *ast ea* om. L. Sch. 2. Nos [ ]. ([3]) ∞ *magis insignis idonea* Sch. €. 2. ([4]) — *pronuntiatio* T. alii. ([5]) Sic T. L. 3. — *esse* Ox. Ern. 1. (an hic errore typogr.?) ∞ *est* de Ern. sententia Sch. 2. ([6]) ∞ *lectissimum* Duisb. L. mox tamen *electius* sine varietate. ([7]) ∞ *rem* om. T. L. ([8]) Sic Cdd. omnes L. 1. 3. ∞ *Occultatio* e Spaldingii €. ad *Quintil.* 9, 3, 98. Sch. 2. probabiliter. ([9]) ∞ *quod te rei militari infrequentem tradidisti* T. alii Cdd. L. ([10]) — *ad hanc rem* e Cdd. aliq. Graev. 3. ([11]) Sic T. Cdd. fere omnes. L. = *tuas omnes* 1. 2. 3. ([12]) Sic T. L. (nisi quod *attineat*) 1. 3. ∞ *si aut ad rem* (hoc ex Erf.) *quod non pertineat aliis ostendere, occulte* Sch. 2. ([13]) Sic T. 1. 2. — *aut non* L. 3. ([14]) ∞ *iecisse* Lambini suspic. ([15]) Sic T. Margo Ciat. optime. — *accusationem* L. solus. — *orationem* Cdd. pleriq. 1. 2. 3.

aut vetustate. Adiunctio est, quum verbum, quo res comprehenditur, non interponimus, sed aut primum, aut postremum collocamus. Primum, hoc pacto: Deflorescit formae dignitas aut morbo, aut vetustate. Postremum, sic: Aut morbo, aut vetustate formae dignitas deflorescit. Ad festivitatem disiunctio est apposita; quare rarius utemur ea, ne satietatem pariat: ad brevitatem coniunctio [1]; quare saepius adhibenda est. Hae tres exornationes de simplici genere manant [2].

XXVIII. Conduplicatio est, cum ratione amplificationis, aut commiserationis [3], eiusdem unius, aut plurium verborum iteratio, hoc modo: Tumultus C. Gracchus [4], tumultus domesticos et intestinos comparat [5]. Item: Commotus non es, quum tibi mater pedes amplexaretur, non es commotus? Item: Nunc etiam audes in horum conspectum venire, proditor patriae, proditor, inquam, patriae, venire audes in horum conspectum? Vehementer auditorem commovet eiusdem redintegratio verbi, et vulnus maius efficit in contrario causae [6]; quasi aliquod telum saepius perveniat in eandem partem corporis. Interpretatio est, quae non iterans idem redintegrat verbum, sed id commutat, quod positum est, alio verbo, quod idem valeat, hoc modo: Rem publicam radicitus evertisti, civitatem funditus deiecisti. Item: Patrem nefarie verberasti, parenti manus scelerate intulisti. Necesse est eius, qui audit, animum commoveri, quum gravitas prioris dicti renovatur interpretatione verborum.

39. Commutatio est, quum duae sententiae inter se discrepantes ex transiectione ita efferuntur, ut a priore posterior, contraria priori, proficiscatur, hoc modo: Esse oportet, ut vivas; non vivere, ut edas. Item: Ea re poëmata non facio, quia, cuiusmodi volo, non possum; cuiusmodi possum, nolo. Item: Quae de illo dicuntur, dici non possunt; quae dici possunt, non dicuntur. Item: Si poëma loquens pictura est; pictura tacitum poëma debet esse. Item: Quia [7] stultus es, ea re taces; non tamen, quia [8] taces, ea re stultus es. Non potest dici, quam [9] commode fiat, quum contrariae [10] sententiae relatione [11] verba quoque convertantur. Plura subiecimus [12] exempla, ut, quoniam difficile est hoc genus exornationis inventu, dilucidum esset [13], ut [14], quum bene esset intellectum, facilius in dicendo inveniretur.

XXIX. Permissio est, quum ostendimus in dicendo, nos aliquam rem totam tradere et concedere alicuius voluntati, sic: Quoniam omnibus rebus ereptis, solus superest [15] animus et corpus, haec ipsa, quae

---

(1) — *est apposita* add. T. e gloss. (2) Haec *Hae — manant* Sch. C. 2. delevit. (3) ∞ *miserationis* T. alii boni Cdd. prob. Graev. Sch. in Ed. mai. (4) Sic T. Pith. Leid. prim. Rectissime. — *C. Gracchi* L. 1. 3. (5) — *comparavit* Cdd. aliq. L. Totum locum de Graevii C. ex Erf. derivata sic dat Sch. 2: *Tumultus Gracchi, Gracchi tum. d. et int. comparant.* Sed non simul ambo Gracchi tumultus compararunt. (6) — *in contraria causa* Lambini suspic. (7) — *si* T. multi. (8) — *si* T. multi. Hinc Ern. suspic. *si quia stultus es* cet. (9) Sic T. alii pauci. 1. 2. — *quin* Cdd. pleriq. L. 3. (10) ∞ *quum in contrariae* L. (11) Sic T. Cdd. optimi. L. — *translatione* 1. 2. 3. Sed cfr. infra C. 45. §. 58. *ex verbis celeriter relatis* cet. (12) ∞ *Plura hic subi.* T. alii multi. L. (13) — *dil. esset, ut* del. Sch. C. 2. (14) — *et* Ern. suspic. — om. *ut* O1x. (15) Sic Ern. 1. 2. — *solum mihi superest* Cdd. multi. L. ∞ *ereptis, superest* T. Grut. 3.

mihi de multis sola relicta sunt, vobis et vestrae condono potestati. Vos me vestro [1], quo pacto vobis videbitur, utamini, atque abutamini licebit impune: in me, quicquid libet, statuite; dicite, atque obtemperabo [2]. Hoc genus tametsi alias quoque nonnumquam tractandum est, tamen ad misericordiam commovendam vehementissime est accommodatum.

40. Dubitatio est, quum quaerere videtur orator, utrum de duobus potius, aut quid de pluribus potissimum dicat, hoc modo: Obfuit eo tempore plurimum rei publicae consulum, sive stultitiam, sive malitiam dicere [3] oportet, sive utrumque. Item: Tu istud ausus es dicere, homo omnium mortalium? . . . nam quo te [4], digno moribus tuis, appellem nomine? Expeditio est, quum rationibus compluribus enumeratis, quibus aliqua res aut [5] fieri aut non fieri potuerit, ceterae tolluntur, una relinquitur, quam nos intendimus, hoc modo: Necesse est, quum constet istum fundum nostrum [6] fuisse, ostendas, te aut vacuum possedisse, aut usu tuum fecisse, aut emisse, aut hereditate tibi venisse. Vacuum, quum ego adessem, possidere non potuisti: tuum etiam nunc usu fecisse [7] non potes: emptio nulla profertur: hereditate tibi, me vivo, mea pecunia venire non potuit. Relinquitur ergo, ut me vi de meo fundo deiceeris. 41. Haec exornatio plurimum iuvabit coniecturales argumentationes. Sed non erit, tamquam in plerisque, ut, quum velimus, ea possimus uti. Nam facere id non poterimus, nisi nobis ipsa negotii natura dabit facultatem.

XXX. Dissolutio est, quae [8] coniunctionibus verborum e medio sublatis, partibus separatis [9] effertur, hoc modo: Gere morem parenti, pare cognatis, obsequere amicis, obtempera legibus. Item: Descende in integram defensionem, noli quidquam recusare, da servos in quaestionem, stude verum invenire. Hoc genus et acrimoniam habet in se, et vehementissimum est, et ad brevitatem accommodatum.

Praecisio est, quum, dictis quibusdam [10], reliquum, quod coeptum est dici, relinquitur inchoatum in audientium iudicio [11], sic: Mihi tecum praecertatio [12] non est, ideo quod populus Romanus me . . . nolo dicere, ne cui forte arrogans videar: te autem saepe ignominia dignum putavit. Item: Tu ista [13] nunc audes dicere, qui nuper alienae domui . . . [14] non ausim dicere, ne, quum te digna dixero [15], me indignum quidpiam dixisse videar. Hic atrocior tacita suspicio, quam diserta explanatio facta [16] est.

Conclusio est, quae brevi argumentatione ex iis, quae ante dicta

---

([1]) Sic Cdd. boni. Graev. 3. Sch. 2. — *vos me vero* T. — om. *vestro* L. Grut. 3. Ern. 1. ([2]) ∞ *dicite*, *obtemperabo* L. 1566. In marg. 1581. *edicite* (e C2d.), *obtemperabo* (*atque* om. C1d. Lambini et Tur.) Sed *dicite* maius etiam obsequium prae se fert, quam *edicite*. ([3]) — *dici* T. ([4]) Sic T. pauci. 1. 2. Lallem. — *quaero*, *quonam te* L. 3. ([5]) ∞ *aut* om. T. ([6]) Sic T. Ern. 1. 2. = *nostrum fundum* L. 3. ([7]) Sic Cdd. pleriq. (*etiamnunc* etiam L.) — *usu fecisse etiamnum* 1. 2. 3. ([8]) ∞ *Dissolutum est*, *quod* T. boni C1d. aliq. ([9]) = *separatis partibus* T. L. ([10]) ∞ *aliquibus* T. alii Cdd. ([11]) Sic e C1d. Sch. 2. — *relinquitur in aud. iud.* L. 1. 3. — *relinquitur in iud. aud.* T. ([12]) Sic Cdd. 1. 2. 3. ∞ *par certatio* L. ingeniosa C. ([13]) = *istud* O3x. L. ([14]) ∞ *domi* Cdd. aliq. L. ([15]) — *dixerim* T. alii Cdd. ([16]) An *facti*?

sunt, aut facta, conficit id, quod necessario consequatur, hoc modo: Quod si Danais datum [1] erat oraculum, non posse capi Troiam sine Philoctetae sagittis, hae autem nihil aliud fecerunt, nisi Alexandrum perculerunt: hunc exstinguere, id nimirum capi [2] fuit Troiam.

XXXI. 42. Restant etiam decem exornationes verborum; quas idcirco non vage dispersimus, sed a superioribus separavimus, quod omnes in uno genere positae sunt. Nam earum omnium hoc proprium est, ut ab usitata verborum potestate recedatur, atque in aliam rationem cum quadam venustate oratio conferatur. De quibus exornationibus nominatio est prima, quae nos admonet, ut, cui [3] rei nomen aut non sit, aut satis idoneum non sit, eam nosmet idoneo verbo nominemus, aut imitationis, aut significationis causa. Imitationis [4], hoc modo, ut maiores rudere, et vagire, et mugire, et murmurare, et sibilare appellaverunt. Significandae rei causa, sic: Postquam iste in rem publicam fecit impetum, fragor civitatis inprimis [5] est auditus. Hoc genere raro utendum est [6], ne novi verbi assiduitas odium pariat: sed si commode quis eo utatur [7], et raro, non modo non offendet novitate, sed exornabit etiam [8] orationem. Pronominatio est, quae sicuti cognomine quodam extraneo demonstrat id, quod suo nomine appellari non potest [9]; ut, si quis, quum loquatur de Gracchis, At non Africani nepotes, inquiat [10], istiusmodi fuerunt. Item, si quis, de adversario quum [11] dicat, Videte nunc, inquiat [12], iudices, quemadmodum me Plagiosippus [13] iste tractarit. Hoc pacto non inornate poterimus et in laudando, et in laedendo, aut corpore [14], aut animo, aut extraneis rebus dicere, sicubi sit cognomen [15], quod [16] pro certo nomine collocemus. XXXII. 43. Denominatio est, quae a propinquis et finitimis rebus trahit orationem, qua possit intelligi res, quae non suo vocabulo sit appellata. Id aut ab inventore conficitur, ut si quis de Tarpeio loquens, cum Capitolinum nominet: aut ab invento, ut si quis pro Libero vinum, pro Cerere frugem appellet: aut ab instrumento dominum [17], ut si quis Macedonas appellarit, hoc modo: Non tam cito sarissae Graecia potitae sunt: aut idem, Gallos significans, dicat: Nec tam facile ex Italia materis [18] Transalpina depulsa est: aut id, quod fit, ab eo, qui facit; ut, si quis, quum bello velit ostendere aliquid

---

(1) — *editum* in marg. L. 1584. (2) — *capere* de L. suspic. Sch. 2. (3) ∞ *cuius* T. Multi Cdd. (4) — *Imitationis causa* C2d. L. (5) Corruptum hoc censens amicus quidam meus coniiciebat *in rimis*, construens *fragor in rimis*, id est, in partibus putribus atque corruptis, *civitatis est auditus*, idque satis nove dictum arbitrabatur. *Inprimis* tamen vel pro *statim*, *illico* positum est, vel *magnam* fere, ut *de Offic.* 1, 1, 12. (6) = *est utendum* L. (7) ∞ *quis proferat* T. Cdd. aliq. (8) = *etiam exornabit* Cdd. aliq. L. — *etiam exornat* T. (9) — *placet* Sch. C. 2. (10) Sic recte T. nam in seq. Cap. semper habes in hac constructione coniunctivum. — *inquiet* L. 1. 2. 3. (11) e Cdd. L. 1. 2. — om. *quum* Grut. 3. (12) Sic dedi constantiae causa. — *inquit* Cdd. L. 1. 2. 3. (13) — *Plagioxyppus* T. Alii aliter: v. Graev. (14) Sic T. L. 1. 2. — *aut in corpore*, *aut in animo* Grut. (*aut animo* Graev. 3.), *aut in extr. reb.* Grut. 3. (15) Sic Sch. C. 2. — *sicuti cognomen* Cdd. L. 1. 3. (16) — *quod* om. L. (17) Sic Cdd. pleriq. L. 1. 3. ∞ *aut instrumentum pro domino* T. Leid. prim. Ox. Sch. 2. Videtur tamen e correctione fluxisse. (18) Sic Victor. Manutius. L. 1. 2. 3. — *matrix* T. Alii aliter.

quempiam fecisse, dicat: Mars istud te facere necessario [1] coëgit: aut si, quod * facit, ab eo, quod fit, ut, quum desidiosam artem dicemus, quia desidiosos facit: et frigus pigrum, quia pigros efficit [2]. Ab eo, quod continet, id, quod continetur, hoc modo denominabitur: Armis Italia non potest vinci, nec Graecia disciplinis. Nam hic pro Graecis et Italis, quae continent, ° nominata [3] sunt. Ab eo, quod continetur, id, quod continet, ut, si quis aurum, vel [4] argentum, aut [5] ebur nominet, quum divitias velit nominare. Harum omnium denominationum magis [6] in praecipiendo divisio, quam in quaerendo difficilis inventio est, ideo quod plena consuetudo est, non modo poëtarum et oratorum, sed etiam quotidiani sermonis, huiusmodi denominationum.

Circuitio est oratio, rem simplicem assumpta [7] circumscribens elocutione, hoc pacto: Scipionis providentia Karthaginis opes fregit. Nam hic, nisi ornandi ratio quaedam esset habita, Scipio potuit et Karthago simpliciter appellari.

44. Transgressio est, quae verborum perturbat ordinem perversione, aut transiectione. Perversione, sic: Hoc vobis deos immortales arbitror dedisse pietate [8] pro vestra. Transiectione, hoc modo: Instabilis in istum plurimum fortuna valuit. Item: Omnes invidiose [9] eripuit tibi bene vivendi casus facultates. Huiusmodi transiectio, quae rem non reddit obscuram, multum proderit ad continuationes, de quibus ante dictum est: in quibus oportet verba sint ad poëticum quendam exstructa numerum [10], ut perfecte et perpolitissime [11] possint esse absolutae.

XXXIII. Superlatio est oratio superans veritatem, alicuius [12] augendi, minuendive causa. Haec sumitur separatim, aut cum comparatione. Separatim, sic: Quod si concordiam retinebimus [13], imperii magnitudinem solis ortu atque occasu metiemur. Cum comparatione, aut a similitudine, aut a praestantia [superlatio sumitur] [14]. A similitudine, sic: Corpore niveum candorem, aspectu igneum ardorem assequebatur. A praestantia hoc modo: Cuius ore [15] sermo melle dulcior profluebat. Ex [16] eodem genere hoc est: Tantus erat in armis splendor, ut solis fulgor obscurior videretur.

Intellectio est, quum res tota parva de parte cognoscitur, aut de toto pars [17]. De parte totum sic intelligitur: Non illae te nuptiales tibiae eius matrimonii commonebant? Nam hic omnis sanctimonia nuptiarum uno signo tibiarum intelligitur. De toto pars: ut si quis ei, qui vestitum aut ornatum sumptuosum ostentet, dicat, Ostentas

---

([1]) — *necessario te facere* L. * — *qui* c Cld. Sch. 2. ([2]) Sic T. alii multi. L. — *facit* 1. 2. 3. ([3]) Sic Sch. 2. €. confirmata a Tur.: *nom notate.* (An *nomine notata?*). — *notata* L. 1. 3. ([4]) ∞ *vel* om. T. ([5]) — *vel* L. ([6]) ∞ *Horum est magis in praecipiendo* T. ([7]) e Cdd. (T.) Ern. 1. 2. — *assumptam* L. 3. ([8]) Sic T. 1. 2. 3. — *virtute* L. ([9]) — *invidio* e om. L. ([10]) e Cdd. Ern. 1. 2. — *v. sicut a poëtis in quendam exstruere num rum* T. Grut. 3. ∞ *v. siculi ad poëticum quendam exstruere numerum* L. ([11]) ∞ *perponte* L. Sch. 2. e Cdd. non laudatur. ([12]) Suspectum hoc *alicuius* Ernestio del. Sch. in Ed. mai. ([13]) ∞ *retinebimus in civitate* Cdd. complures. L. ([14]) Haec Ern. [ ] del. Sch. 2. €. ([15]) ∞ *cuius ex ore* L. ([16]) e Cdd. L. 1. 2. — om. T. al. 3. ([17]) ∞ add. Sch. 2. €: *aut ab uno plura, aut a pluribus unum.*

mihi divitias, et locupletes copias iactas. 45. Ab uno plura intelliguntur [1], hoc modo: Poeno fuit Hispanus auxilio, fuit immanis ille Transalpinus; in Italia quoque idem nonnemo togatus sensit. A pluribus unum sic intelligitur [2]: Atrox calamitas pectora maerore pulsabat. Itaque anhelans ex imis pulmonibus prae cura spiritus ducebatur. Nam in superioribus plures Hispani, et Galli, et togati, hic unum pectus et unus pulmo intelligitur: et erit illic deminutus [3] numerus festivitatis [4], hic adauctus gravitatis gratia.

Abusio est, quae verbo simili et propinquo pro certo et proprio abutitur, hoc modo: Vires hominis breves sunt, aut: parva [5] statura, aut: longum in homine consilium, aut: oratio magna, aut: uti pauco sermone. Nam hic facile est intellectu, finitima verba rerum dissimilium, ratione abusionis esse traducta.

XXXIV. Translatio est, quum verbum in quandam rem transfertur ex alia re, quod propter similitudinem recte videbitur [6] posse transferri. Ea utimur rei ante oculos ponendae causa, sic: Hic Italiam tumultus expergefecit terrore subito. Brevitatis causa, sic: Recens adventus exercitus subito civitatem exstinxit. Obscoenitatis vitandae causa [7], sic: Cuius mater quotidianis nuptiis delectatur. Augendi causa, sic: Nullius maeror [8] et calamitas istius explere inimicitias, et nefariam saturare crudelitatem potuit. Minuendi causa, sic: Magno se praedicat auxilio fuisse, quia pusillulum in rebus difficillimis [9] aspiravit. Ornandi causa, sic: Aliquando rei publicae vires [10], quae malitia nocentum exaruerunt [11], virtute optimatium revirescent [12]. Translationem dicunt pudentem esse oportere, ut cum ratione in consimilem rem transeat, ne * sine delectu temere et cupide videatur in dissimilem [13] transcurrisse.

46. Permutatio est oratio, aliud verbis, aliud sententia demonstrans. Ea dividitur in tres partes, similitudinem, argumentum, contrarium. Per similitudinem sumitur, quum translationes, una, aut plures, frequenter ponuntur a simplici [14] ratione ductae, sic: Nam quum canes funguntur [15] officiis luporum, cui [16] praesidio pecua [17] credemus? Per argumentum tractatur, quum a persona, aut a loco, aut a re aliqua, similitudo, augendi aut minuendi causa, ducitur: ut si quis Drusum, † Gracchum, nitorem obsoletum [18] dicat. Ex contrario ducitur sic: ut si quis hominem prodigum et luxuriosum illudens, parcum et diligentem appellet. Et in hoc postremo, quod ex contrario

---

([1]) — *intellig.* om. Cdd. aliq. prob. Oud. ([2]) ∞ *intelligitur* om. Cdd. aliq. del. Sch. 2. ([3]) Sic Cdd. aliq. L. 3. — *diminutus* 1. 2. ([4]) — *festiv. causa* L. ([5]) — *prava* Sch. suspic. ([6]) Sic T. 1. 2. — *videtur* L. 3. ([7]) — *causa* om. T. ([8]) Sic 1. 2. 3. — *nullius urbis maeror et c.* Cdd. aliq. — *nullius urbis calamitas* al. (— *nullius orbi m. et c.* Oud. suspic.) — *nullius urbis m. et c.* L. ([9]) — *facillimis* Ursin. ([10]) Sic T. et optimi Cdd. — *rationes* L. 1. 2. 3. ([11]) Sic T. 1. 2. — *nocentium exarnerant* L. 3. ([12]) Sic T. 1. 2. — *optimatum revirescunt* L. — *optimatium reviruere* c Cdd. Grut. 3. ([13]) ∞ *dissimilem rem* T. L. * ∞ An *nec*? ([14]) — *simili* T. alii Cdd. ([15]) Sic T. 1. 2. 3. — *fungantur* Cdd. aliq. L. ([16]) c Cdd. Grut 1. 2. 3. ∞ *cuinam* T. L. ([17]) e Cdd. Grut. 1. 2. 3. ∞ *pecuaria* T. L. ([18]) Locus corruptus. — *Gracchum Numitorem obs.* T. al. — *Gr. Numitoremque obs.* L. — *Gr. munitorem obs.* Turneb. (*nitorem* habent boni Cdd. 1. 2. 3.) ∞ *Gracchi nitorem obs.* Sch. C. 2. Sed puto potius fuisse: *Gracchorum nit. obs.*

sumitur, et in illo primo, quod a similitudine ducitur, per translationem argumento [1] poterimus uti. Per similitudinem, sic: Quid ait hic rex, atque Agamemnon noster, sive, ut crudelitas est, potius Atreus [2]? Ex contrario, si [3] quem impium, qui patrem verberaverit, Aeneam vocemus, intemperantem et adulterum, Hippolytum nominemus. Haec sunt fere, quae dicenda videbantur de verborum exornationibus. Nunc res ipsa monet, ut deinceps ad sententiarum exornationes transeamus.

XXXV. 47. Distributio est, quum per [4] plures res, aut personas [5], negotia quaedam dispertiuntur [6], hoc modo: Qui vestrûm, iudices, nomen senatus diligit, hunc oderit necesse est. Petulantissime enim semper iste oppugnavit senatum. Qui equestrem locum splendidissimum cupit esse in civitate, is oportet [7] istum maximas poenas dedisse velit, ne iste [8] sua turpitudine ordini honestissimo maculae atque dedecori sit. Qui parentes habetis, ostendite istius supplicio, vobis homines impios non placere. Quibus liberi sunt, statuite exemplum, quantae poenae in civitate sint hominibus istiusmodi [9] comparatae. Item: Senatus officium est, consilio civitatem iuvare: magistratus officium est, opera et diligentia consequi voluntatem senatus: populi officium est, res optimas, et homines idoneos maxime [10], suis sententiis deligere [11] et probare. Accusatoris officium est, inferre crimina: defensoris, diluere et propulsare: testis est, dicere, quae sciat [12], aut audierit: quaesitoris est, unumquemque horum in officio suo [13] continere. Quare, L. Cassi, si [14] testem, praeterquam quod sciat, aut audierit, argumentari, et coniectura prosequi [15] patieris: ius accusatoris cum iure testimonii commiscebis, testis improbi cupiditatem confirmabis, reo duplicem defensionem parabis. Est haec exornatio copiosa. Comprehendit enim brevi [16] multa, et suum cuique tribuens officium, separatim res [17] dividit plures.

XXXVI. 48. Licentia est, quum apud eos, quos aut [18] vereri, aut metuere debemus, tamen aliquid pro iure nostro dicimus, quod eos minime offendat, aut quos ii diligunt, quum in aliquo errato vere reprehendi posse videantur [19], hoc modo: Miramini, Quirites, quod ab omnibus vestrae rationes deseramur? quod causam vestram nemo suscipiat? quod se nemo vestri defensorem profiteatur? Id tribuite

---

([1]) Sic Cdd. I. 1. 3. recte. — *permutatione per argumentum* Sch. €. 2. Non vidit scil. *argumentum* h. l. ut saepe, significare personam vel fabulam e tragoedia vel comoedia desumptam. ([2]) = *sive potius, ut cr. est, A.* L. ([3]) ∞ *ut si* T. ([4]) Sic T. Cdd. meliores. — *in* L. 1. 2. 3. e gloss. ([5]) Sic T. L. 1. 2. — *personas certas* Grut. 3. ([6]) Sic 1. 2. 3. ∞ *quaedam certa disp.* T. al. L. quod admodum placet. ([7]) — *optet*, omisso *velit* T. al. ([8]) — del. *iste* Sch. €. 2. ([9]) Sic T. L. 1. 2. — *huiusmodi* Grut. 3. ([10]) = *maxime idoneos* L. ([11]) Sic L. 1. 2. — *eligere* Grut. 3. ([12]) Sic T. Pleriq 1. 2. 3. — *scierit* L. Grut. ([13]) ∞ om. *suo* Cdd. aliq. ([14]) Sic 1. 2. 3. Pro omisso *L. Cassi*, — *in causis* T. alii. qua ex corruptela L.: *L. Cassi, in causis, si.* ([15]) ∞ *persequi* L. solus (— *consequi* T.). ([16]) — *breviter* L. ([17]) Sic 1. 2. 3. — *tribuens, officium separat, et res* L. 1566. (— *tr. o. sep. et in res* Margo 1584.) ([18]) ∞ *aut* om. T. ([19]) *aut quos ii diligunt, quum aliquo in errore vere reprehendere videamur.* Duisb. Cauch. (hic omisso *quum.*)

vestrae culpae, atque desinite mirari [1]. Quid est enim [2], quare non omnes istam rem fugere ac vitare debeant? Recordamini, quos habueritis defensores; studia eorum vobis ante oculos proponite [3]; deinde exitus omnium [4] considerate. Tum vobis veniet [5] in mentem, ut vere dicam, negligentia vestra, sive ignavia potius illos omnes ante oculos vestros trucidatos esse, inimicos eorum vestris suffragiis in amplissimum locum pervenisse. Item: Nam quid fuit, iudices, quare in sententiis ferendis [6] dubitaveritis, aut istum hominem nefarium ampliaveritis? non apertissimae res erant crimini datae? non omnes hae testibus comprobatae? non contra tenuiter et nugatorie responsum? Hic vos veriti estis, si primo coetu condemnassetis, ne crudeles existimaremini? Dum eam vitastis vituperationem, quae longe a vobis erat abfutura, eam invenistis, ut timidi atque ignavi putaremini. Maximas, et privatas, et publicas calamitates accepistis: quum etiam maiores impendere videantur, sedetis et oscitamini. Luce noctem, nocte lucem exspectatis. Aliquid quotidie acerbi atque incommodi nuntiatur, et eum, cuius opera vobis haec accidunt, vos remoramini [7] diutius et alitis, atque ad rei publicae [8] perniciem retinetis, quoad potestis, in civitate. XXXVII. 49. Eiusmodi licentia si nimium videbitur acrimoniae habere, multis mitigationibus lenietur. Nam continuo aliquid huiusmodi licebit inferre: Hic ego virtutem vestram quaero, sapientiam desidero, veterem consuetudinem requiro. Et [9] quod erit commotum licentia, id comprimetur laude [10], ut [11] altera res ab iracundia et molestia [12] removeat, altera [13] ab errato deterreat. Haec res, sicut in amicitia, ita in dicendo, si loco fit, maxime facit, ut et illi, qui audient [14], a culpa absint, et nos, qui dicimus, amici ipsorum et veritatis [15] esse videamur. Est autem quoddam genus licentiae in dicendo, quod astutiore ratione comparatur: quum aut ita obiurgamus eos, qui audiunt, quomodo ipsi se cupiunt [16] obiurgari: aut id, quod scimus facile omnes audituros, dicimus nos timere, quomodo accipiant; sed tamen veritate commoveri, ut nihilo secius dicamus. Horum amborum generum exempla subiiciemus. Prioris, huiusmodi: Nimium, Quirites, animis estis simplicibus et man-

---

(1) — *atque des. istud m.* L. — *atq. istud d. m.* T. (2) Sic T. = *quid enim est* L. 1. 2. 3. Quum optimus Cd. Turic. h. l. ordinem a librariis plerumque inversum exhibeat, dubius ho de Beieri (*Off.* T. 1. p. 305) sententia, in interrogationibus praestare: *quis* vel *quae*, *quid enim — igitur — autem est?* Quid? quod *quid est enim* ipse retinuit *Off.* 2, 2, 5! *quis est enim Off.* 2, 5, 16 et sic sexcenties. (3) e Cdd. 1. 2. — *ponite* T. L. 3. (4) = *omnium ex.* L. (5) — *veniat* T. al. (6) = *ferundis* T. al. Eamque scriptionem passim observare licet maxime in v. *gerundus*, *faciundus*, *dicundus*, similibus. (7) Sic T. al. L. — om. *vos* 1. 2. 3. (8) Sic L. prob. Oud. — *ad reip.* T. al. — *ac ad reip.* alii Cdd. — *et ad* O1x. — *ac reip.* 1. 2. 3. (9) Sic Sch. C. 2. — *ut* T. L. 1. 3. (10) Sic Cdd. aliq. (O2x.) — *comprimatur* T. (si *ut* — *comprimatur* praferas, pro seq. *ut* cum O2x. legas licet *ita ut*). — *mitigetur laude* Ern. 1. — *laude mitigetur* L. 3. (11) ∞ *ita ut* O2x. (12) — *iracundiae molestia* Cdd. aliq. L. (13) — *altera res* L. (14) e Cdd. Ern. 1. 2. — *audiunt* L. 3. (15) e Cdd. Ern. 1. — *amici eorum et ver.* T. L. 3. — *tam ipsorum quam veritatis amici* Sch. C. 2. e vestigiis Erfurt: *tam et ipsor. quam et ver. am.* Alii aliter, sed hoc quoque ex interpol. videtur esse. Post *veritatis* addunt Cdd. aliq. *assertores* e gloss. (16) Sic Cdd. omnes. L. 3. — *cupiant* Ern. C. 1. 2.

suetis [1]: nimium creditis unicuique. Existimatis unumquemque eniti, ut perficiat, quae vobis pollicitus sit. Erratis, et frustra falsa spe iam diu detinemini [2]. Stultitia vestra id, quod erat [3] in vestra potestate, ab aliis petere, quam ipsi [4] sumere maluistis. Posterioris licentiae hoc erit exemplum: Mihi cum isto, iudices, fuit amicitia, sed ista [5] amicitia, tametsi vereor quomodo accepturi sitis, tamen dicam [6], vos me privastis. Quid ita? quia, ut vobis essem probatus, cum, qui vos oppugnabat, inimicum, quam amicum habere malui. 50. Ergo haec exornatio, cui licentiae nomen est, sicuti demonstravimus, duplici ratione tractabitur; acrimonia, quae si nimium fuerit aspera, mitigabitur laude, et assimulatione, de qua posterius [7] diximus, quae non indiget mitigationis, propterea quod imitatur licentiam [8], et sua sponte ad animum auditoris se accommodat.

XXXVIII. Deminutio [9] est, quum aliquid inesse in nobis [10], aut in iis, quos defendimus, aut natura, aut fortuna [11], aut industria dicemus egregium [12]: quod, ne qua significetur arrogans ostentatio, deminuitur et attenuatur oratione, hoc modo: Nam hoc pro meo iure, iudices, dico, me labore [13] et industria curasse, ut disciplinam militarem non in postremis tenerem. Hic si quis dixisset: Ut optime tenerem, tametsi vere dixisset, tamen arrogans visus esset. Nunc et ad invidiam vitandam, et ad laudem comparandam satis dictum est. Item: Utrum igitur avaritiae causa an egestatis accessit ad maleficium? Avaritiae? at largissimus fuit [14] in amicos; quod signum liberalitatis est, [quae contraria est avaritiae] [15]. Egestatis? at huic quidem pater (nolo nimium dicere) non tenuissimum patrimonium reliquit. Hic quoque vitatum est, ne magnum aut maximum diceretur. Hoc igitur in nostris, aut eorum, quos defendemus, egregiis commodis proferendis observabimus. Nam eiusmodi res et invidiam contrahunt in vita, et odium in oratione, si inconsiderate tractes. Quare, quemadmodum ratione in vivendo [16] fugitur invidia, sic in dicendo, consilio vitatur odium.

XXXIX. 51. Descriptio nominatur, quae rerum consequentium continet perspicuam et dilucidam cum gravitate expositionem, hoc modo: Quod si istum, iudices, vestris sententiis liberaveritis, statim sicut e

---

(1) Sic Cdd. fere omnes (T.) L. 1. 3. ∞ *animis estis omissis*, *simplicibus* Leid. sec. solus. Unde Sch. C. 2: *an. estis simplicibus et omissis;* sed si unus ille fidem meretur, scribendum esse apparet: ∞ *an. estis omissis et mansuetis.* (2) = *falsa spe iam diu frustra det.* T. (3) e Cdd. Ern. 1. — *stultitia vestra est*, *qui quod* Grut. 3. — *stultitia vestra est; quia quod* T. L. — *detinemini; qui*, *quod erat* Sch. C. 2. (4) ∞ *vos ipsi* L. (5) Sic T. Ern. 1. 2. — *ista tamen* L. Grut. 3. (6) Sic Cdd. omnes. L. 3. — *dicam tamen* Ern. 1. 2. — om. *tam. dic.* Grut. (7) e Cdd. L. 1. 2. 3. — *superius* T. Edd. ante Lamb. quem vide. (8) — *insinuationem* Sch. C. 2. sed vis sententiae inest in v. *imitatur*, id est, imitatur tantummodo, non continet in se veram licentiam. (9) — *diminutio* T. L. ut infra *diminuitur*. (10) Sic T. Cdd. meliores. L. in marg. 1584. — *inesse nobis* Olx. L. — *esse in nobis* 1. 2. 3. (11) Sic T. L. 3. — *forma* Ern. 1. 2. uterque errore typogr. (12) ∞ *egregium dicemus* L. (13) — *laborasse* T. O2x. — *elaborasse* Olx. (14) ∞ *fuit hic* T. (15) Delevit haec Sch. C. 2. Nos [ ]. *contraria est* Cdd. T. L. 3. = *est contraria* Ern. 1. (16) Sic T. meliores. 1. 2. 3. ⊏ *in vivendo ratione* L. — *ratione vivendi* Grut.

carea leo missus[1], aut aliqua teterrima bellua soluta ex catenis, volitabit et vagabitur in foro, acuens dentes [multos][2] in cuiusque fortunas; in omnes amicos atque inimicos, notos atque ignotos incursans; aliorum famam depeculans, aliorum caput oppugnans, aliorum domum atque omnem familiam[3] perfringens, rem publicam funditus labefactans. Quare, iudices, eiicite eum de civitate, liberate omnes formidine; vobis denique ipsis consulite. Nam si istum impunitum dimiseritis, in vosmet ipsos, mihi credite, feram et truculentam bestiam, iudices, immiseritis[4]. Item: Nam si de hoc, iudices, gravem sententiam tuleritis, uno iudicio simul multos iugulaveritis. Grandis natu parens, cuius[5] spes senectutis omnis in huius adolescentia posita est, quare velit in vita manere, non habebit: filii parvi, privati patris auxilio, ludibrio et despectui paternis inimicis erunt oppositi: tota domus huius indigna concidet calamitate: at inimici statim sanguinolenta palma, crudelissima victoria potiti, insultabunt in horum miserias, et superbi re simul et verbis[6] invehentur. Item: Nam[7] neminem vestrûm[8] fugit, Quirites, capta urbe, quae miseriae consequi soleant: arma qui contra tulerunt[9], statim crudelissime trucidantur[10]: ceteri, qui possunt per aetatem et vires[11] laborem ferre, rapiuntur in servitutem: qui non possunt, vita privantur: uno denique atque eodem tempore domus hostili flagrat[12] incendio, et quos natura, aut voluntas necessitudine, aut benevolentia coniunxit, distrahuntur; liberi partim e gremiis[13] parentum deripiuntur[14], partim in sinu iugulantur, partim ante pedes[15] constuprantur. Nemo, iudices, est, qui possit satis rem consequi verbis, nec referre[16] oratione magnitudinem calamitatis. Hoc genere exornationis, vel indignatio, vel misericordia potest commoveri, quum res consequentes comprehensae universae[17] perspicua breviter exprimuntur oratione.

XL. 52. Divisio est, quae rem semovens ab re[18], utramque absolvit, ratione subiecta; hoc modo: Cur ego nunc tibi quidquam obiiciam? si probus es, non meruisti: sin improbus, non commoveris[19].

---

(1) Sic T. Pleriq. 1. 2. ∞ *emissus* Cdd. boni. L. 3. (2) Ortum hoc videtur e falsa lectione Cdd. aliq. *habens dentes*. quocirca recte del. L. Sch. 2. — *inultos* Ed. Med. (3) ∞ *ac fam. omnem* Cld. prob. Oud. (4) Sic T. Cdd. meliores. L. 3. — om. *iudices* Cdd. aliq. Ern. 1. 2. (5) ∞ *cui* dicitur habere Erf. recepitque Sch. 2. sed fortasse scriptum erat, ut in Turic: *cui'*. (6) e Cdd. Grut. 1. 2. 3. — *superbia simul et verbis* T. Plerique. Edd. vett. — *superbis factis simul et v.* L. solus. (7) ∞ *nam* om. Turic. et ortum esse potest, ut aliquoties factum, ex v. *Item*. (8) Sic Cdd. meliores. T. L. 1. 2. — *nostrum* Cdd. aliq. Grut. 3. (9) Sic Cdd. aliq. L. 3. — *tulerint* T. Grut. 1. 2. (10) ∞ H. l. et in seqq. T. constanter, fluctuantibus O2x., exhibet futura: *tulerint — trucidabuntur — rapientur — privabuntur — flagrabit — coniunxerit — distrahentur — deripientur — iugulabuntur — constuprabuntur*, cuius scriptionis admodum memorabilis vestigia supersunt in *tulerint*, *flagrabit* et *coniunxerit* multarum editionum. (11) Pro *et vires* Cdd. aliq. *heri*, al. *herium*, unde Oud. suspic. *herilem*. (12) Sic L. 1566. 1. 2. (— *flagrant* L. in marg. 1584.) ∞ *flagrabit* Grut. 3. (13) ∞ *gremio* T. al. (14) Sic L. Sch. 2. — *diripiuntur* 1. 3. (15) ∞ *Penates* Oud. suspic. (16) Sic Cdd. T. L. 1. 3. — *nec qui referre* Ern. suspic. — *aut referre* Sch. C. 2. — *efferre* Cdd. aliq. prob. Oud. (17) *quum — universae* Ern. locus videbatur corruptus. (18) e Cdd. 1. 2. — *a re* L. 3. (19) = *commovere* Cdd. aliq. ∞ *commovebere* Lamb. suspic. admodum probabilis.

Item: Quid nunc ego de meis promeritis [1] praedicem? si meministis, obtundam: sin obliti estis, quum re nihil egerim, quid est, quod verbis proficere possim? Item: Duae res sunt, quae possunt homines ad turpe compendium commovere, inopia atque avaritia. Te avarum in fraterna divisione cognovimus: inopem atque egentem nunc videmus. Qui potes igitur ostendere, causam maleficii non fuisse? Inter hanc divisionem, et illam, quae de partibus orationis tertia est, de qua in libro primo diximus secundum narrationem, hoc interest: illa [2] dividit per enumerationem, aut per expositionem, quibus de rebus † in tota oratione [3] disputatio futura sit: haec se statim explicat, et brevi [4] duabus aut pluribus partibus subiiciens rationes, exornat orationem.

Frequentatio est, quum res in tota causa dispersae coguntur in unum [5], quo gravior, aut acrior, aut criminosior oratio sit, hoc pacto: A quo tandem abest iste vitio? quid est, iudices, cur [6] velitis eum liberare? Suae pudicitiae proditor est, insidiator alienae: cupidus, intemperans, petulans, superbus; impius in parentes, ingratus in amicos, infestus in cognatos [7], in superiores contumax, in aequos et pares fastidiosus, in inferiores crudelis, denique in omnes [8] intolerabilis. 53. Eiusdem generis est illa frequentatio, quae plurimum coniecturalibus causis opitulatur, quum suspiciones, quae, separatim dictae [9], minutae et infirmae erant, unum in locum coactae rem videntur perspicuam facere, non suspiciosam, hoc pacto: Nolite igitur, nolite, iudices [10], ea, quae dixi, separatim spectare: sed omnia colligite, et conferte in unum. XLI. Si et commodum ad istum ex illius morte veniebat, et vita hominis est turpissima, animus avarissimus, fortunae familiares attenuatissimae [11], et res ista bono nemini praeter istum fuit: neque alius quisquam aeque commode, neque iste [12] aliis commodioribus rationibus facere potuit: neque praeteritum quidquam est ab isto, quod opus fuerit ad maleficium: neque factum, quod opus non fuerit [13]: et quum locus idoneus maxime quaesitus, tum occasio aggrediendi commoda, tempus adeundi opportunissimum, spatium conficiendi longissimum sumptum est, non sine maxima occultandi [et perficiendi] [14] male-

---

([1]) Sic Erf. prob. Graev. Ern. 1. Quae vox etiamsi in vero Cicerone non reperitur, illius tamen est aetatis. cfr. Wolf. *ad Oratt. IV. suspectas* p. 10. et Lucret. 1, 62. — *de meis propriis meritis* T. Pleriq. L. 3. — *de propriis meritis* Cdd. aliq. — *de meis meritis* Sch. E. 2. ([2]) — *hoc interest: quod illa* Cdd. aliq. L. ([3]) — *in totam orationem* Erf. T. in quo latet verum: *per totam orationem.* ([4]) — *breviter* Olx. L. ([5]) Sic T. aliiq. meliores. Grut. 3. Ern. 1. — *in unum locum* Cdd. aliq. e gloss. quod eleganter correctum dedit: ∞ *unum in locum* Cdd. aliq. L. Sch. 2. Utrumque rectum est. cfr. Sallust. *Iug.* 31. *coëgit in unum.* Infra: *conferte in unum.* ubi itidem pauci add. *locum.* ([6]) ∞ *quid est, cur iudicio* T. — *quid est, cur iudicio* Cdd. aliq. ([7]) Sic Cdd. aliq. Grut. 1. 3. ∞ *infestus cognatis* T. Cdd. pleriq. Crat. L. Sch. 2. Vereor tamen, ne hoc sit e correctione. Analogia certe verbi *inferre* non repugnat, quo minus dicamus: *infestus in aliquem.* ([8]) ∞ *in omnibus intol.* Erf. ([9]) ∞ *tactae* L. solus. ([10]) = *iudices, nolite* L. ([11]) Sic boni Cdd. L. 1. 2. — *fortuna familiaris rei attenuatissima* Grut. 3. (*familiares* non sine causa suspectum Ern.) ([12]) — *ipse* Sch. 2. de Ern. suspic. ([13]) ∞ *neque – fuerit* om. Cdd. aliq. etiam Olx. del. Sch. 2. (*aut factum* cet. T.) ([14]) — *perficiendi et occultandi* L. ∞ *et perficiendi* om. Cdd. aliq. T. del. Sch. 2. Nos [ ].

ficii spe: et praeterea ante, quam occisus homo is est [1], iste visus est in eo loco, in quo est occisio facta, solus: paullo post in ipso loco maleficii [2] vox illius, qui occidebatur, audita [3]: deinde post occisionem, istum multa nocte domum rediisse constat, postera [4] die titubanter et inconstanter de occisione illius locutum: haec partim testimoniis, partim quaestionibus [et argumentis] [5] omnia comprobantur, et rumore populi, quem ex argumentis natum, necesse est esse verum: vestrum, iudices, est [6], his in unum [locum] [7] collatis, certam sumere scientiam, non suspicionem maleficii. Nam unum aliquid [8], aut alterum potest in istum casu cecidisse suspiciose: ut omnia inter se a primo ad postremum conveniant [maleficia] [9], necesse est casu non posse fieri. Vehemens haec est [10] exornatio, et in coniecturali constitutione causae ferme semper necessaria, et in ceteris generibus causarum, et in omni oratione adhibenda nonnunquam.

XLII. 54. Expolitio est, quum in eodem loco manemus, et aliud atque aliud dicere videmur. Ea dupliciter [11] fit, si aut eandem plane [12] rem dicemus [13], aut de eadem re. Eandem rem dicemus, non eodem modo (nam id quidem [14] obtundere auditorem est, non rem expolire), sed commutate. Commutabimus tripliciter, verbis, pronuntiando, tractando [15]. Verbis commutabimus, quum, re semel dicta [16], iterum, aut saepius aliis verbis, quae idem valeant, eadem res proferetur, hoc modo: Nullum tantum est periculum, quod sapiens pro salute patriae vitandum arbitretur. Quum agetur incolumitas perpetua [17] civitatis; qui bonis erit rationibus praeditus, profecto nullum vitae discrimen sibi pro fortunis rei publicae fugiendum putabit: et erit in ea sententia semper, ut pro patria studiose quamvis in magnam descendat vitae dimicationem. Pronuntiando commutabimus, si tum [18] in sermone, tum in acrimonia, tum in alio atque alio genere vocis atque gestus, eadem verbis commutando, pronuntiationem [19] quoque vehementius immutabimus [20]. Hoc neque commodissime scribi potest, neque parum est apertum; quare non eget exempli [21]. 55. Tertium genus est commutationis, quod tractando conficitur, si sententiam traiiciemus aut ad sermocinationem, aut ad exsuscitationem. XLIII. Sermocinatio est, (de qua planius paullo post suo loco dicemus, nunc breviter, ad hanc rem quod satis sit, attingemus,) in qua constituetur alicuius personae oratio accommodata ad dignitatem, hoc modo, ut, quo facilius res cogno-

---

([1]) = *antequam is homo occ. est* T. — *antequam occisus homo esset, iste visus est* L. ([2]) Sic T. al. L. — *in ipso maleficio* Grut. 1. 3. — *in ipso* Sch. C. 2. ([3]) e Cdd. 1. 2. — *audita est* L. 3. ([4]) = *postero* Cdd. aliq. L. ([5]) ∞ om. T. — *quaestionibus argumentatis comprobata* Erf. — *partim argumentationibus* Olx. quocirca nos [ ]. ([6]) Sic T. L. = *vestrum est, iud.* 1. 2. 3. ([7]) Sic T. 1. 2. 3. sed *locum* recte om. Ed. Med. — *unum in locum* L. ([8]) — *aliquod* L. ([9]) ∞ del. L. Sch. 2. Ern. [ ]. ([10]) Sic Cdd. pleriq. T. = *est haec* L. 1. 2. 3. ([11]) — *Ea autem dupl.* Cdd. aliq. L. ([12]) ∞ *plane* om. T. ([13]) = *dicemus rem* Erf. L. — *dicimus* 3. ([14]) ∞ om. *quidem* T. Erf. Pith. Duisb. Graev. 3. ([15]) — *traducendo* Sch. C. in Ed. mai. ter. In Ed. min. restituit *tractando* ter. ([16]) — *si, quum res semel dicta sit* L. cum Cdd. aliq. nisi quod hi *est*. ([17]) — del. *perpetua* Sch. 2. de Ern. sententia. ([18]) = *quum* Cdd. aliq. ([19]) Sic T. Cdd. aliq. 1. 2. — *pronuntiatione* Cdd. alii. L. 3. ([20]) ∞ *immutaverimus* Erf. al. ([21]) ∞ *exempl'o* T. Olx. L.

sci possit, ne ab eadem sententia recedamus: Sapiens, qui omnia rei publicae causa suscipienda pericula putabit, saepe ipse secum [a] sic [1] loquetur: Non mihi soli, sed etiam, atque adeo multo potius, natus sum patriae: vita, quae fato debetur, saluti patriae potissimum solvatur. Aluit haec me: tute atque honeste produxit [2] usque ad hanc aetatem: muniit meas rationes bonis legibus, optimis moribus, honestissimis disciplinis. Quid est, quod a me satis ei persolvi possit, unde haec accepta sunt? [Quia haec loquitur secum sapiens, saepe ego in periculis rei publicae nullum ipse periculum fugi] [3]. Item mutatur res tractando, si traducitur ad exsuscitationem, quum et nos commoti dicere videamur, et auditoris animum commovemus [4], sic: Quis est tam tenui cogitatione praeditus, cuius animus tantis angustiis invidiae continetur, qui non hunc hominem studiosissime laudet, et sapientissimum iudicet, qui pro salute patriae, pro incolumitate civitatis, pro rei publicae fortunis, quamvis magnum atque atrox periculum studiose [5] suscipiat, et libenter subeat? Equidem hunc hominem magis cupio satis laudare, quam possum [6]: idemque hoc certo scio vobis omnibus usu venire. 56. Eadem res igitur his tribus in dicendo commutabitur rebus, verbis, pronuntiando, tractando; sed tractando dupliciter, sermocinatione, et exsuscitatione [7]. Sed de eadem re quum dicemus, pluribus [8] utemur commutationibus. Nam quum rem simpliciter pronuntiaverimus, rationem poterimus subiicere: deinde dupliciter [9], vel sine rationibus, vel cum rationibus, pronuntiare [sententiam] [10]: deinde afferre contrarium; (de quibus omnibus [11] diximus in verborum exornationibus:) deinde simile et exemplum; (de quo suo loco plura dicemus;) XLIV. deinde conclusionem; (de qua in secundo libro, quae opus fuerunt, diximus, demonstrantes, argumentationem quemadmodum concludere oporteat.) [In hoc libro docuimus, cuiusmodi esset exornatio verbi, cui conclusioni nomen est] [12]. Ergo huiusmodi vehementer ornata poterit esse expolitio, quae constabit ex frequentibus verborum exornationibus et sententiarum. Hoc modo igitur septem partibus tractabitur. Sed [13] ab eiusdem sententiae non recedemus [14] exemplo, ut scire possis, quam facile praeceptione rhetorica res simplex multiplici ratione tractetur [15]: 57. Sapiens nullum pro re publica periculum vitabit; ideo quod saepe fit, ut, quum pro re publica perire noluerit, necessario cum re publica pereat [16]. Et quoniam sunt omnia commoda a patria accepta, nullum incommodum pro patria grave putandum est. Ergo qui fugiunt id periculum, quod pro re publica subeundum est, stulte faciunt. Nam neque effugere incommoda possunt,

---

([1]) ex Ern. C. 1. 2. = *ita loq.* L. — *secum loquitur* Cdd. omnes. ([2]) — *perduxit* Cdd. aliq. ([3]) ∞ del. haec Sch. C. 2. Recte. Initio turbant libri: *Item haec* T. — *Quare haec* al. cet. ([4]) — *commoveamus* Lamb. in marg. 1581. ([5]) ∞ *studiosissime* T. Cdd. aliq. prob. Gronov. ([6]) — *possim* T. al. Edd. vett. ([7]) *Eadem — exsuscit.* Suspecta haec Sch. ([8]) ∞ *plurimis* T. Cdd. multi. ([9]) Sic T. cum meliorib. 1. 2. — *duplicem* Cdd. aliq. L. 3. ([10]) ∞ om. T. Cdd. iidem qui *dupliciter* praebent. Est omnino delendum: nos certe [ ]. ([11]) — *de quibus iam omnibus* L. ([12]) ∞ del. haec L. Sch. 2. Nos [ ]. ([13]) Sic pauci. v. c. Gryph. unus. 1. 2. 3. — *et* T. Pleriq. — *ut* L. ([14]) Sic pauci. 1. 2. 3. — *recedamus* T. Pleriq. L. ([15]) ∞ *tractetur. Hoc modo* T. al. ([16]) — *ideo quod saepe, qui, quum pro rep. perire noluerit, necesse erit cum rep. pereat* T.

et ingrati in civitatem [1] reperiuntur. At, qui patriae pericula suo periculo expetunt [2], hi sapientes putandi sunt, quum [3] et cum, quem debent, honorem rei publicae reddunt, et pro multis perire malunt, quam cum multis. Etenim vehementer est iniquum, vitam, quam a natura acceptam propter patriam conservaris [4], naturae, quum cogat, reddere; patriae, quum roget, non dare: et quum possis cum summa virtute et honore pro patria interire, malle per dedecus et ignaviam * vivere: et, quum pro amicis et parentibus et ceteris necessariis adire periculum velis, pro re publica, in qua et haec [5], et illud sanctissimum nomen patriae continentur [6], nolle in discrimen venire. Itaque uti contemnendus est, qui in navigando [7] se, quam navim, mavult incolumem: ita vituperandus est [8], qui in rei publicae discrimine, suae plus, quam communi saluti, consulit. Navi [9] enim fracta, multi incolumes evaserunt: ex naufragio patriae salvus nemo potest enatare. Quod mihi bene videtur Decius intellexisse, qui se devovisse dicitur, et pro legionibus in hostes immisisse medios [10]: unde [11] amisit vitam; at non perdidit. Re enim † vilissima certam et parva maximam [12] redemit. Dedit vitam, accepit patriam: amisit animam, potitus est gloria, quae cum summa laude prodita vetustate quotidie magis enitescit. Quod si, pro re publica decere accedere [13] ad periculum, et ratione demonstratum est, et exemplo comprobatum, ii sapientes sunt existimandi, qui nullum pro salute patriae periculum vitant. 58. In his igitur generibus expolitio versatur, de qua producti sumus, ut plura diceremus, quod non modo, quum causam dicimus, adiuvat et exornat orationem, sed multo maxime per eam exercemur ad elocutionis facultatem. Quare conveniet extra causam in exercendo rationes adhibere expolitionis, in dicendo uti, quum exornabimus argumentationem, qua de re diximus in libro secundo [14].

XLV. Commoratio est, quum in loco firmissimo, quo tota causa continetur, manetur diutius, et eodem saepius reditur. Hac uti maxime convenit, et id est oratoris boni maxime proprium. Non enim datur auditori potestas animum de re firmissima demovendi [15]. Huic exemplum satis idoneum subiici non potuit, propterea quod hic locus

---

([1]) — *in civitate* modo Sallustiano Cdd. fere omnes, etiam T. ([2]) Sic T. Pleriq. L. 1. 2. — *excipiunt* Duisb. solus. Graev. 3. ([3]) ∞ *qui* T. ([4]) Sic Cdd. fere omnes. T. = *conservaveris* L. 1. 2. 3. * ∞ *et per i.* Sch. 2. ([5]) Sic T. Pleriq. 1. 2. 3. — *hoc* L. Grut. ([6]) — *continetur* L. Grut. ([7]) — *in navigio* T. Erf. alii boni Cdd. v. Oudend. *ad Invent.* 1, 34. ([8]) Sic Cdd. fere omnes. T. — om. *est* L. 1. 2. 3. ([9]) Sic T. Cdd. meliores. = *nave* L. 1. 2. 3. ([10]) Sic T. Pleriq. 1. 3. = *medios immisisse* L. — *intulisse medios* e C1d. Sch. 2. Recte se habet *immisisse* cfr. *Paradox.* 1, 3. ([11]) Sic multi, etiam e melioribus. L. 1. 2. 3. ∞ *unde* om. T. Grut. ([12]) Sic C2d. ap. Oud. quos secutus est Ern. 1. — *vilissima et perparva maximam* L. Grut. — *vilissima et parva certam et maximam* O2x. Graev. 3. — *vanissima* (e C.) *certam et parva maximam* Sch. 2. ∞ *vilissima et parva maximam* T. Pleriq. Cdd. om. *certam.* Lectio est omnino incerta. ([13]) Sic Cdd. aliq. Sch. 2. — *debere accedere* T. Pleriq. 1. 3. — *debere accedi* L. C. — *decere suscipere peric.* Cdd. aliq. prob. Oud. Est gloss. Ceterum Sch. nescio cur, aut unde ordinem invertit edens: *decere pro rep. accedere.* ([14]) *Quare – secundo* haec [ ] Sch. 2. *qua de re* dedi e T. = *de qua re* multi Cdd. — *de qua* L. 1. 2. 3. ([15]) Sic Cdd. aliq. L. — *dimovendi* 1. 2. 3.

non est a tota causa separatus, sicuti [1] membrum aliquod, sed tamquam sanguis, perfusus est per totum corpus orationis.

Contentio est, per quam contraria referuntur [2]. Ea est in verborum exornationibus, ut ante docuimus, huiusmodi [3]: Inimicis te placabilem, amicis inexorabilem praebes. In sententiarum, huiusmodi: Vos huius incommodis lugetis, iste rei publicae calamitate laetatur. Vos vestris fortunis diffiditis, iste solus suis eo magis confidit. Inter haec duo contentionum genera hoc interest: illud ex verbis celeriter relatis constat; hic sententiae contrariae [4] ex comparatione referantur oportet.

59. Similitudo est oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re dispari simile. Ea sumitur aut ornandi causa, aut probandi, aut apertius dicendi, aut ante oculos ponendi. Et quomodo quatuor [5] de causis sumitur, ita quatuor modis dicitur: per contrarium, per negationem, per brevitatem, per collationem. Ad unamquamque sumendae causam similitudinis accommodabimus singulos modos pronuntiandi. XLVI. Ornandi causa sumitur per contrarium, sic: Non enim, quemadmodum in palaestra, qui taedas candentes [6] accipit, celerior est in cursu [continuo] [7], quam ille, qui tradit; ita melior imperator novus, qui accipit exercitum, quam ille, qui decedit; propterea quod defatigatus cursor integro facem, hic peritus imperator imperito exercitum tradit. Hoc sine simili satis plane, et perspicue, et probabiliter dici potuit, hoc modo: Minus [8] bonos imperatores a melioribus exercitus [9] accipere solere: sed ornandi causa simile sumptum est, ut orationi dignitas quaedam compararetur [10]. Dictum est autem per contrarium. Nam tunc similitudo sumitur per contrarium, quum ei rei, quam nos probamus, aliquam rem negamus esse similem, [ut paullo ante, quum de cursoribus disserebamus] [11]. Per negationem dicetur, probandi causa, hoc modo: Neque equus [12] indomitus, quamvis natura bene compositus sit, idoneus potest [13] esse ad eas utilitates, quae desiderantur ab equo; neque homo indoctus, quamvis sit ingeniosus, ad virtutem potest pervenire. Hoc probabilius factum est, quo magis est veri simile [14], non posse virtutem sine doctrina comparari; quoniam ne equus quidem indomitus idoneus possit esse. Ergo sumptum est probandi causa. 60. Dictum est autem per negationem. Id enim perspicuum est de primo similitudinis verbo. XLVII. Sumetur et, apertius dicendi causa, similitudo [15] per brevitatem, hoc modo: In amicitia gerenda,

---

(1) = *sicut* L. (2) — *contraria contrariis referuntur* Sch. C. 2. Nihil opus: cfr. § 59. et mox *verbis relatis*. (3) Sic T. — *etusmodi* L. 1. 2. 3. (4) ∞ *contrariae* om. T. (5) Sic Cdd. aliq. L. 1. 2. — *Quomodo igitur quatuor* T. 3. (6) Sic T. Cdd. al. Grut. 3. ∞ *ardentes* Cdd. aliq. L. 1. 2. Nolui tamen singularem usum v. *candens* Forcellino quoque agnitum obliterare. (7) ∞ om. T. quocirca [ ]. Sch. C. 2. transposuit: *ita continuo* (adv.) *melior*. (8) e Cdd. 1. 2. — *Dicitur*, *minus* T. L. 3. (9) Sic Cdd. pleriq. etiam T. — *exercitum* L. 1. 2. 3. (10) Ern. C. confirmata ab Olx. 1. 2. — *comparetur* Cdd. pleriq. L. 3. (11) ∞ del. haec Sch. C. 2. Suspecta fiunt ob varietatem vocis ultimae: *asserebatur* T. *asserebamus* Alii. (12) — *nec equus quidem* Graev. 3. solus, errore nato e var. seqq. *quoniam nec* (pro *ne*) *equus quidem*. (13) — *idoneus et aptus potest* Cdd. aliq. Edd. vett. (14) Sic dedi C. ut *hoc* sit ablativus. — *quod magis* T. Pleriq. 1. 2. 3. — *ac magis* Cld. — *quod minus* L. C. (*verosimile* 3.) (15) Sic 1. 2. 3. — *Sumitur - - - - simile* cum Cdd. aliq. L. — *Apertius dic. causa simi - tudo dicitur p. b.* T. Edd. vett.

sicut in certamine currendi, non ita convenit[1] exerceri, ut, quoad necesse sit, pervenire possis: sed ut productus studio, et viribus, ultra facile procurras. Nam hoc simile est, ut apertius intelligatur[2], mala ratione facere, qui reprehendant eos[3], qui, verbi causa, post mortem amici liberos eius custodiant, propterea quod in cursore tantum velocitatis esse oporteat, ut efferatur usque ad finem: in amico tantum benevolentiae, ut ultra, quam amicus sentire possit, procurrat amicitiae studio. Dictum autem simile est[4] per brevitatem. Non enim ita, ut in ceteris rebus, res ab re separata est, sed utraque res coniuncte et confuse comparata[5]. Ante oculos ponendi negotii causa sumetur similitudo, quum dicetur[6] per collationem, sic: Uti citharoedus, quum prodierit optime[7] vestitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea, coloribus variis intexta, et cum corona aurea, magnis fulgentibus gemmis[8] illuminata, citharam tenens exornatissimam, auro et ebore distinctam, ipse praeterea forma et specie sit et statura apposita ad dignitatem; si, quum magnam populo commoverit his rebus exspectationem, repente, silentio facto, vocem emittat acerbissimam cum turpissimo corporis motu; quo melius ornatus et[9] magis fuerit exspectatus, eo magis derisus et contemptus eiicitur[10]: ita[11], si quis in excelso loco, et in magnis ac locupletibus copiis collocatus, fortunae muneribus, et naturae commodis omnibus[12] abundabit; si virtutis, et artium, quae virtutis magistrae sunt, egebit; quo magis ceteris rebus copiosus erit, et illustris [et exspectatus][13], eo vehementius derisus et contemptus ex omni conventu bonorum[14] eiicietur. Hoc simile, exornatione[15] utriusque rei[16], et alterius inertiae alterius stultitia[17] simili ratione collata, sub aspectum omnium rem subiecit. Dictum est autem[18] per collationem, propterea, quod proposita similitudine, paria sunt omnia relata[19].

XLVIII. 61. In similibus observare oportebit[20] diligenter, ut, quum rem afferamus similem, cuius rei causa similitudinem attulerimus, verba[21] quoque ad similitudinem habeamus accommodata. Id est huiusmodi: Ut[22] hirundines aestivo tempore praesto sunt, frigore pulsae

---

(1) An leg. *non, sicut in cert. vinc. ita convenit?* (2) Sic Cdd. L. 1. 3. ∞ *simile sumptum est, ut ap. intelligeretur* Sch. €. 2. (3) Sic T. 1. 2. 3. — *facere eum qui reprehendat eos* Cdd. aliq. L. (4) ∞ *Dictum est autem simile* L. (5) Sic 1. 2. 3. — *utraque - pronuntiata* Cdd. aliq, ∞ *utraeque - pronuntiatae* Cdd. aliq. Edd. vett. — *utraeque - pronuntiatae sunt* Cdd. pauci. I. (6) Habent T. L. 1. 2. — om. *qu. dic.* Grut. 3. (7) — *optime* Christii suspic. (8) Sic 1. 2. 3. ∞ Pro *aurea* omisso, *magna* T. alii: prob. Oud. — *aurea magna*, al. ap. Oud. — *aurea, magni fulgoris* L. (et Cld. Pithoei). (9) ∞ *ornatus sit* O1x. L. (10) ∞ *eiiciatur* L. (11) — *item* T. alii Cdd. (12) ∞ om. *omnibus* T. alii. (13) Sic Ern. qui [ ] *et exspectatus;* idque del. Sch. 2. Sine [ ] habet 3. — *erit copiosus, illustris et exsp.* L. — *copiosus et industrius et exspect.* Grut. (— *industrius* etiam T.). (14) = *bonorum conventu* L. (15) — *per exornationem* O1x. — *per collationem* L. (16) — *rei* om. T. (17) Sic dedi ego. — *alterius inertiae artificis alterius stultitia* 1. 2. Sic et Grut. 3. nisi quod *stultitiae.* — *alterius inertiae artificis scilicet et alt. stultitiae* T. al. unde apparet Ern. vere *artificis* pro gloss. habuisse. — *alterius inscientiae* (sic O1x. Al. — *insciitiae* Al. ∞ *ineptiae* Cld.) *artificii* (sic Cdd. aliq) *alterius stultitiae* L. (18) Sic L. = *dictum autem est.* 1. 2. 3. (19) = *relata omnia* L. (20) ∞ *oportet* T. al. prob. Oud. (21) ∞ *eius rei verba* L. (22) Sic L. 1. 2. — *Ita ut* T. Cdd. pleriq. 3.

recedunt... Ex eadem similitudine nunc per translationem verba sumimus: ita falsi amici sereno vitae tempore praesto sunt; simul atque hiemem fortunae viderint, devolant omnes. Sed inventio similium facilis erit, si quis sibi omnes res animatas et inanimatas [1], mutas et loquentes, feras et mansuetas, terrestres et coelestes et maritimas [2], artificio, casu, natura comparatas, usitatas atque inusitatas, frequenter ante oculos poterit ponere, et ex his aliquam venari similitudinem, quae aut ornare, aut docere, aut apertiorem rem facere, aut ponere ante oculos possit. Non enim res tota toti rei necesse est similis sit, sed ad ipsum, ad quod [3] conferetur, similitudinem habeat oportet.

XLIX. 62. Exemplum est alicuius facti, aut dicti praeteriti [4], cum certi auctoris nomine propositio. Id sumitur iisdem de [5] causis, quibus similitudo. Rem ornatiorem facit, quum nullius rei, nisi dignitatis, causa sumitur: apertiorem, quum id, quod sit obscurius [6], magis dilucidum reddit: probabiliorem, quum magis veri similem facit: ante oculos ponit, quum exprimit omnia perspicue, ut res prope dicam [7] manu tentari [8] possit. Uniuscuiusque generis singula subiecissemus exempla, nisi [exemplum], quod genus esset [9], in expolitione demonstrassemus, et causas sumendi in similitudine aperuissemus. Quare noluimus, neque pauca [10], quo minus intelligeretur [11], neque, re intellecta, plura conscribere [12].

Imago est formae cum forma cum quadam similitudine collatio. Haec sumitur aut laudis, aut vituperationis causa. Laudis causa, sic: Ibat in proelium [13], corpore [14] tauri validissimi, impetu leonis acerrimi similis. Vituperationis, ut in odium, aut in invidiam, aut in contemptionem adducat. Ut in odium, hoc modo: Iste quotidie per forum medium, tamquam iubatus draco, serpit, dentibus aduncis, aspectu rabido, venenato spiritu [15] circumspectans huc et illuc, si quem reperiat, cui aliquid mali faucibus afflare, quem ore attingere [16], dentibus insecare, lingua aspergere possit. Ut in invidiam adducat, hoc modo: Iste, qui divitias suas iactat, sicut Gallus e Phrygia, aut ariolus quis-

---

([1]) Sic L. 1. 2. 3. — *animatas et inanimas* Lamb. in marg. 1584. — *animantes et inanimantes* T. Duisb. O1x. al. ([2]) ∞ *marinas* O1x. al. apud Oud. L. ([3]) ∞ *sed ad id ipsum, ad quod* L. — *sed ipsum, quod* Erf. al. ([4]) *praeteriti* habent Cdd. omnes, et est: ἀπογεγραμμένος ab historicis memorati. — Ern. [ ]. Sch. 2. delevit. ([5]) — *ex* „Alii" in marg. L. 1584. non Lambinus ipse, ut saepius erratum est a Gracvio. ([6]) ∞ *obscurum* T. al. L. ([7]) Sic Erf. 1. 2. — *prope dicta* T. al. — *dicta prope* L. 3. ([8]) — *teneri* in marg. L. 1584. ([9]) Sic Cdd. 1. 2. 3. Mihi videtur expungendum v. *exemplum*. Scil. C. 42. in fine demonstrat, id genus non egere exemplo: at minus etiam, ut opinor, exempli exemplum afferri poterat. Inde idem, quod de commutatione pronuntiando facta ibi dixerit, de exemplo quoque valere dicit, quo circa [ ] — *nisi exempli quis usus esset* L. solus. ([10]) ∞ *perpauca* T. al. ([11]) — *minus res inteli.* L. ([12]) ∞ *scribere* T. Cdd. pleriq. prob. Oud. ([13]) — *Ibant in proelium - similis* T. sic et Edd. vett. aliq. nisi quod *similes*. — *Ibat Turnus in proelium* L. dormitans. ∞ *Inibat proelium* Cdd. aliq. ([14]) — *pectore* C1d. ap. Oud. Sch. 2. Sed *pectus* solum non optime opponitur *impetui*. ([15]) Sic T. e cuius sincera scriptura ortae sunt reliquorum turbae. ∞ *aspectu rabido, spiritu venenato* Cdd. aliq. (O2x.) Sch. 2. — *aspectu venenato, spiritu rabido* L. 1. 3. ([16]) Sic rectissime T. Cdd. pleriq. Crat. L. — om. *quem* Cdd. aliq. Grut. 3. — Hinc *ore attingere* sine causa Ern. [ ]. del. Sch. 2.

piam, depressus et oneratus auro, clamat, et deierat [1]. Ut in contemptionem [adducat][2], sic: Iste, qui tamquam cochlea, [abscondens] retentat sese tacitus, quo sit tutus, cum domo sua, ut comedatur, aufertur [3].

63. Effictio est, quum exprimitur atque [4] effingitur verbis corporis cuiuspiam forma, quod [5] satis sit ad intelligendum, hoc modo: Hunc dico, iudices, rubrum, brevem, incurvum, canum, suberispum, caesium, cui sane magna est in mento cicatrix; si quo modo potest vobis in memoriam redire. Habet haec exornatio quum [6] utilitatem, si quem velis demonstrare [7]; tum venustatem, si breviter et dilucide facta est [8]. L. Notatio est, quum alicuius natura certis describitur signis, quae, sicuti notae quaedam, naturae sunt attributa. Ut si velis non divitem, sed ostentatorem pecuniae [9] describere: Iste, inquies, iudices, qui, se dici divitem putat esse praeclarum, primum nunc videte, quo vultu nos intueatur. Nonne vobis videtur dicere: Darem, si mihi molesti non essetis? quum vero sinistra mentum sublevat, existimat se gemmae nitore et auri splendore [10] aspectus omnium praestringere [11]. Quum puerum respicit hunc unum, quem ego novi, (vos non arbitror) [novisse][12], alio nomine appellat, deinde alio atque alio. Heus tu, inquit, veni Sannio, ne quid isti barbari turbent [13]: ut ignoti, qui audiunt, unum putent eligi de multis: ei dicit in aurem, aut ut [14] domi lectuli sternantur, aut ab avunculo rogetur Aethiops, qui ad balneas veniat [15], aut [16] astureoni locus ante ostium suum detur, aut aliquod fragile falsae choragium gloriae comparetur. Deinde exclamat, ut omnes audiant: Videto, ut diligenter numeretur [17], si potest, ante noctem. Puer, qui iam bene hominis [18] naturam novit, Tu illo plures mittas oportet, inquit, si hodie vis transnumerari. Age, inquit, duc tecum Libanum et Sosiam. Sane. Deinde casu veniunt hospites homini, qui istum splendide, dum peregrinaretur, invitarant [19]. Ex ea re homo herele sane [20] conturbatur: sed tamen a vitio naturae non

---

([1]) — *delirat* Cdd. aliq. L. ([2]) ∞ *adducat* del. Sch. C. 2. confirmata ex parte a Turic.: *Ut contemnatur.* Ego [ ]. ([3]) Sic dedi e vestigiis Cdd. qui hic mirum in modum fluctuant. ∞ *abscond.* om. C1d. — *absc. et retentans sese tamq. cochlea, cum domo sua totus* (ridiculum hoc emblema e v. *tutus* ortum om. multi Cdd. etiam T.) *ut comedatur, auf.* ex Ed. 1471. Ern. 1. 2. — *abscondens retentat sese tacitus, quo sit tutus, cum domo sua comeditur (comeditur cum domu sua* Grut. 3. ridicule utrumque) *et aufertur.* L. 3. — *abscondens retentat sese tacite, quo sit tutus, cum domo totus ut comedatur, aufertur.* e C1d. Lallem. ([4]) Sic T. Plerique. — *et* L. 1. 2. 3. ([5]) Sic 1. 2. 3. ∞ *quoad* T. Pleriq. L. ([6]) — *tum* Sch. C. 2. ([7]) Sic T. Cdd. meliores. 1. 2. — *ostendere* Cdd. aliq. L. 3. ([8]) — *sit* L. ([9]) e C1d. 1. 2 — *ost. pecuniae suae* L. e Memmii C. — *ost. pecuniosum* T. Pleriq. 3. ([10]) Sic T. L. 1. 3. — *se gemmae nitorem et auri splendorem* Erf. unde Sch. C. 2. *se* omisso: — *gemmae nitorem et a. splendorem.* ([11]) e Cdd. Grut. 1. 2 — *praestinguere* L. — *perstringere* 3. ([12]) ∞ om. T. alii Cdd. Ego [ ]. ([13]) e Cdd. bonis Ern. 1. 2. — *perturbent* T. Pleriq. L. 3. ([14]) Sic T. L. Grut. 1. 2. — *ut aut* de Gronovii sententia 3. ([15]) Sic omnes. — *venit* Ern. 1. errore typogr. ([16]) Sic T. L. 1. 2. 3. — *aut* omittit Grut. ([17]) ∞ *numerentur* (scil. servi) Cdd. aliq. etiam T. prob. Oud. ([18]) ∞ *iam qui* O1x. — *qui bene hanc hom.* L. (*hanc* habent Cdd. aliq. sed variat sedes.) ([19]) Sic C1d. Lambini. Eiusdem lectionis vestigia in multis. Sch. 2. — *receperant* T. L. 1. 3. ([20]) ∞ om. *sane* T. al. L.

recedit. Bene, inquit, facitis, quum venitis: sed rectius fecissetis, si ad me domum recta abiissetis. Id [1] fecissemus, inquiunt illi, si domum novissemus. At istud quidem facile fuit undelibet invenire. Verum ite mecum [2]. Sequuntur illi. Sermo interea huius consumitur omnis in ostentatione. Quaerit, in agris cuiusmodi frumenta sint: negat, se, quia villae incensae sint, accedere posse, nec aedificare etiam nunc audere; tametsi in Tusculano quidem coepi [3] insanire, et in iisdem fundamentis aedificare. LI. 64. Dum haec loquitur, venit in aedes quasdam, in quibus sodalitium erat eodem die futurum: quo iste pro notitia domini aedium ingreditur cum hospitibus. Hic, inquit, habito. Perspicit [4] argentum, quod erat expositum, visit [5] triclinium stratum: probat. Accedit servulus: dicit homini clam [6], dominum iam [7] venturum, si velit exire. Itane? inquit, Eamus hospites; frater venit ex Salerno: ego illi obviam pergam [8]; vos huc decuma [9] venitote. Hospites discedunt. Iste se raptim domum suam coniicit: illi decuma, quo iusserat, veniunt. Quaerunt hunc; reperiunt, domus cuia sit; in diversorium [10] derisi conferunt sese. Vident hominem postera [11] die: narrant, expostulant, accusant. Ait iste, eos similitudine loci deceptos, angiporto [12] toto deerrasse: se [13] contra valetudinem suam [14] ad noctem multam exspectasse. Sannioni puero negotium dederat, ut vasa, vestimenta, pueros corrogaret. Servulus non inurbanus satis strenue et concinne comparat: iste hospites domum deducit. Ait se aedes maximas cuidam amico ad nuptias commodasse. Nuntiat puer [15], argentum repeti; (pertimuerat enim, qui commodarat). Apage te [16], inquit, aedes commodavi, familiam dedi: argentum quoque vult? Tametsi hospites habeo, tamen utatur licet, nos Samiis delectabimur. Quid ego, quae deinde efficiat, narrem? Eiusmodi est hominis natura, ut, quae singulis diebus efficiat gloria atque ostentatione, ea vix annuo sermone enarrare possim. 65. Huiusmodi notationes, quae describunt, quid consentaneum sit uniuscuiusque naturae, vehementer habent magnam delectationem. Totam enim naturam cuiuspiam ponunt ante oculos, aut gloriosi, ut nos, exempli causa, coeperamus, aut invidi, aut timidi, aut avari, ambitiosi, amatoris, luxuriosi, furis, quadruplatoris: denique cuiusvis studium protrahi potest in medium tali notatione.

LII. Sermocinatio est, quum alicui personae sermo attribuitur, et is exponitur cum ratione dignitatis, hoc pacto: Quum militibus urbs redundaret, et omnes timore oppressi domi continerentur, venit iste cum sago, gladio succinctus, tenens iaculum: quinque adolescentes ho-

---

([1]) — *At* O1x. ([2]) — *Verum. Eumtem illum sequuntur.* T. al. prob. Gronov. sed orta est corruptela ex: *verum item eum seq.* Erf. ([3]) Sic L. 1. 2. 3. — *quidem, inquit, coepi* Lamb. in marg. 1584. ([4]) — *perspiciunt* L. ([5]) Sic Crat. Grut. 3. — quod quum corruptum esset in *ut sit* T. al. ab aliis omissum est. v. c. Ern. 1. 2. — *visunt* L. ([6]) Sic T. Ern. 1. 2. — *clare* L. 3. ([7]) ∞ *iamiam* Duisb. Graev. 3. ([8]) ∞ *pergo* L. ([9]) ∞ *ad decimum* Cdd. apud Lambinum. ([10]) Sic T. 1. 2. 3. = *deversorium* L. ([11]) = *postero* L. ([12]) Sic T. 1. 2. 3. = *angiportu* O2x. L. ([13]) Sic O2x. Ern. 1. 2. — *se* habent ante *ad noctem* L. 3. — om. *se* T. Grut. ([14]) — om. *suam* Graev. 3. solus. errore typogr. Ed. Neap.? ([15]) Sic T. Pleriq. 1. 2. — *nuntiat interea puer* L. 3. ([16]) Sic L. Sch. 2. — *Apagete* 1. 3. — *Apage* T. al.

minem simili ornatu subsequuntur. Irrumpit in aedes subito, deinde magna voce, Ubi est iste beatus, inquit, aedium dominus? quin mihi praesto fit[1]? quid tacetis? Hic alii omnes stupidi timore obmutuerunt. Uxor illius infelicissimi cum maximo fletu ad istius pedes abiecit sese. Parce, inquit, et per ea[2], quae tibi dulcissima sunt in vita, misercre nostri: noli exstinguere exstinctos. Fer mansuete fortunam. Nos quoque fuimus beati: nosce te esse hominem. At ille[3]: Quin illum mihi datis[4], ac vos auribus meis opplorare desinitis? Non abibit. Illi nuntiatur interea venisse istum, et clamore maximo mortem minari. Quod simul ut audivit, Heus, inquit, Gorgia, pediseque puerorum, absconde pueros: defende: fac, ut incolumes ad adolescentiam perducas[5]. Vix haec dixerat, quum ecce iste praesto, Sedes[6], inquit, audax? non vox mea tibi vitam ademit? Exple inimicitias meas[7], et iracundiam satura tuo sanguine. Ille cum magno spiritu, Metuebam[8], inquit, ne plane victus essem. Nunc video: in iudicio[9] mecum contendere non vis, ubi superari turpissimum[10], et superare pulcherrimum est: interficere me vis. Occidar equidem, sed victus non peribo. At *iste[11], In extremo vitae tempore etiam sententias loqueris[12]? neque ei, quem vides dominari, vis supplicare? Tum mulier, Immo quidem *ille[13] rogat et supplicat: sed tu, quaeso, commovere[14]; et tu, per deos, inquit, hunc examplexare[15]. Dominus est; vicit hic te, vince tu nunc[16] animum. Cur non desinis, inquit, uxor, loqui[17], quae me digna non sunt? tace, et, quae curanda sunt, cura. Tu cessas mihi vitam, tibi omnem bene vivendi spem mea morte eripere? Iste mulierem repulit ab se lamentantem: illi, nescio quid incipienti dicere, quod dignum videlicet illius[18] virtute esset, gladium in latere defixit. Puto in hoc exemplo datos esse unicuique sermones ad dignitatem accommodatos: id quod[19] oportet in hoc genere observare. Sunt item sermocinationes consequentes hoc genus: Nam quid putamus illos dicturos, si hoc iudicaveritis? Nonne hac omnes utentur oratione? deinde subiicere sermonem.

LIII. 66. Conformatio est, quum aliqua, quae non adest, persona confingitur, quasi adsit, aut quum res muta, aut[20] informis, fit loquens[21] et formata, et ei oratio[22] attribuitur ad dignitatem

---

(1) — *sit* Ern. 1. errore typogr. (2) Sic T. (nisi quod: *adiecit*) al. Ern. 1. 2. — *abiecit sese. Parce, parce, inquit* cet. Graev. 3. e Pith. — *per te* Cdd. aliq. unde Ern. suspicatus est: ∞ *abi. sese. Per te, inquit, ea.* — *abiiciens sese, Parce, inquit* cet. L. (3) Lego: *iste.* (4) — *date - desinite* T. al. (5) — *ut incolumis sit adolescentia* T. al. (6) Sic T. L. 1. 3. — *Sedes, inquit, audax. Etiam sedes, inquit, audax.* Erf. unde Sch. 2. — *Etiam sedes* cet. Corrupti aliquid videtur latere. (7) = *meas inim.* L. (8) — *Verebar* T. (9) ∞ om. *in*, et mox *me* T. (10) = *turpiss. est*, omisso *est* post *pulcherrimum* L. al. (11) Ern. C. 1. 2. — *ille* Cdd. L. 3. (12) Sic T. alii meliores. L. Sch. 2. — *sententiose loq.* L. 1. 3. quod natum est ex lect. Turic. al. *sententias eloqueris.* (13) Ern. C. 1. 2. — *iste* T. L. 3. (14) Sic T. 1. 2. 3. — *commoveare* Cdd. aliq. L. (15) Sic T. Grut. 1. 2. — *amplexare* Cdd. pleriq. L. Graev. 3. (16) ∞ *tunm* Cdd. aliq. L. (17) = *Cur non desinis, uxor, inquit ille, loqui* L. Pro *Cur non* Cdd. aliq. *Quid non*, unde ∞ *Quin* Oud. C. Sch. 2. (18) ∞ *illa* L. solus. (19) Sic Cdd. aliq. (Osx.) L. Sch. 2. — *quod* T. 1. 3. (20) — *et* Cdd. aliq. L. (21) Sic Cdd. aliq. Graev. 3. Sch. 2. — *eloquens* T. Pleriq. L. 1. (22) Sic Cdd. aliq. L. Grut. 1. 2. — *et forma ei, et oratio* T. al. Graev. 3.

accommodata, aut actio quaedam, hoc pacto: Quod si nunc haec urbs invictissima vocem emittat[1], non hoc pacto loquatur? Ego illa plurimis tropaeis ornata, triumphis ditata certissimis, clarissimis locupletata[2] victoriis, nunc vestris seditionibus, o cives, vexor: quam dolis malitiosa Karthago, viribus probata[3] Numantia, disciplinis erudita Corinthus labefactare non potuit, eam patiemini nunc ab homunculis deterrimis proteri atque conculcari? Item: Quod si nunc L. ille Brutus reviviscat, et hic ante pedes vestros adsit, non hac utatur oratione? Ego reges eieci, vos tyrannos introducitis: ego libertatem, quae non erat, peperi, vos partam servare non vultis: ego capitis mei periculo patriam liberavi, vos liberi sine periculo esse non curatis? Haec conformatio, licet in plures res mutas atque inanimatas[4] transferatur, proficit tamen plurimum in amplificationis partibus et commiseratione.

67. Significatio est[5], quae plus in suspicione relinquit, quam positum est in oratione. Ea fit per exsuperationem[6], ambiguum, consequentiam, abscissionem, similitudinem. Per exsuperationem[7], quum plus dictum est, quam patitur veritas, augendae suspicionis causa, sic: Hic de tanto patrimonio tam cito testam, qua sibi petat ignem, non reliquit. Per ambiguum, quum verbum potest in duas pluresve sententias accipi, sed accipitur in eam partem, quam vult is, qui dixit: ut de eo si dicas[8], qui multas hereditates adierit: Prospice tu, qui plurimum cernis. LIV. Ambigua quemadmodum[9] vitanda sunt, quae obscuram reddunt orationem, ita haec consequenda, quae conficiunt huiusmodi significationem. Ea reperientur facile, si noverimus et animadverterimus verborum ancipites aut[10] multiplices potestates. Per consequentiam significatio fit, quum res, quae sequuntur[11] aliquam rem, dicuntur, ex quibus tota res relinquitur in suspicione; ut si salsamentarii filio dicas: Quiesce tu, cuius pater cubito se emungere[12] solebat. Per abscissionem[13], si, quum incipimus[14] aliquid dicere, praecidimus[15], et ex eo, quod iam diximus, satis relinquitur suspicionis, sic: Qui ista forma et aetate nuper alienae domui[16] . . . nolo plura dicere. Per similitudinem, quum aliqua re simili allata, nihil amplius dicimus, sed ex ea significamus, quid sentiamus, hoc modo: Noli, Saturnine, nimium populi reverentia[17] fretus esse. Inulti iacent Gracchi[18]. Haec exornatio plurimum festivitatis habet, interdum et dignitatis: sinit enim quiddam, tacito oratore, ipsum auditorem suspicari.

([1]) Sic T. Cdd. ut opinor, omnes. L. — *mittat* Omnib. 1. 2. 3. ([2]) — *potita* Cld. Gryphii. Tur. utrobique habet *ditata*. ([3]) — *robusta* L. solus. ([4]) Sic Cdd. omnes. L. 3. ut Cap. 48. — *inanimas* Lambino tribuitur in marg. 1584. Grut. 1. 2. ([5]) ∞ *est res* T. al. ut §. 68. *Brevitas est res.* ([6]) Sic Cdd. pleriq. L. Graev. 3. Loco priore Tur. *exsuperationem*, posteriore *exuberationem*. cfr. Lib. 1, 6. ubi omnes *exsuperatione*. — *exuberationem* Grut. 1. 2. ([7]) — *exuberationem* T. 1. 2. ([8]) = *ut si de eo d.* T. = *ut si dicas de eo* L. ([9]) — *Quemadm. amb.* L. ([10]) — *et* Cdd. aliq. L. ([11]) ∞ *sequantur* Erf. T. ([12]) — *cubitis emungi* Erf. Cauch. ([13]) ∞ *abscisionem* T. al. prob. Pareo *Lex. crit.* p. 11. ([14]) ∞ *incepimus* Cld. ap. Oud. Sch. 2. ([15]) Sic T. L. 1. 3. ∞ *deinde praec.* Cdd. pauci. Sch. 2. ([16]) ∞ *domi* Erf. L. ([17]) Sic T. Cdd. meliores. Graev. 3. Sch. 2. — *frequentia* Cdd. multi. L. Grut. 1. ([18]) — *iacent etiam Gracchi* L.

68. Brevitas est res ipsis tantummodo verbis necessariis expedita [1], hoc modo: Lemnum praeteriens cepit: inde Thasi praesidium reliquit: post urbem in Bithynia sustulit: inde appulsus [2] in Hellespontum, statim potitur Abydo. Item: Modo consul, quondam tribunus, deinde primus erat civitatis. Tum [3]: Proficiscitur in Asiam, deinde exsul et hostis est dictus, post imperator, postremo consul factus est [4]. Habet paucis comprehensa brevitas multarum rerum expeditionem. Quare adhibenda saepe est, quum aut res non egent longae orationis, aut tempus non sinit commorari [5].

LV. Demonstratio est, quum ita res verbis exprimitur, ut geri negotium, et res ante oculos esse videatur. Id fieri poterit, si, quae ante, et post, et in ipsa re facta erunt, comprehendemus, aut si [6] a rebus consequentibus, aut a circumstantibus non recedemus, hoc modo: Quod [7] simul atque Gracchus prospexit, fluctuare populum, verentem, ne ipse auctoritate senatus commotus a sententia desisteret, iubet advocari concionem. Iste interea scelere et malis cogitationibus redundans, evolat ex templo Iovis, et sudans [8], oculis ardentibus, erecto capillo, contorta toga, cum pluribus aliis ire celerius coepit. Illi praeco faciebat audientiam [9]: hic subsellium quoddam calce premens, dextra pedem [10] defringit, et alios hoc idem iubet facere. Quum Gracchus deos inciperet precari, cursim isti impetum faciunt: ex aliis alii [11] partibus convolant [12]: atque e populo unus, Fuge, inquit, Tiberi, fuge. Non vides? respice, inquam. Deinde vaga multitudo, subito timore perterrita, fugere coepit. At iste spumans ex ore scelus [13], anhelans ex intimo [14] pectore crudelitatem, contorquet brachium; et dubitanti Graccho, quid esset, neque tamen locum, in quo constiterat, relinquenti, percutit tempus. Ille nulla voce delabens insita virtute [15] concidit tacitus. Iste viri fortissimi miserando sanguine aspersus, quasi facinus praeclarissimum fecisset, circumspectans [16], et hilare [17] scelleratam gratulantibus manum porrigens, in templum Iovis contulit sese. 69. Haec exornatio plurimum prodest in amplificanda et commiseranda re, huiusmodi enarrationibus [18]. Statuit enim totam rem, et prope ponit [19] ante oculos.

([1]) — *quum res - expedita est* L. solus. ([2]) Sic L. de Aurati €. prob. Ern. Habent C2d. ap. Grut. sed loco non suo. ∞ *pulsus* T. Pleriq. 1. 2. 3. ([3]) Lego: *Item.* ([4]) = *factus est consul* T. — *factus est* om. Cdd. aliq. prob. Oud. ([5]) Sic T. Pleriq. L. 1. 3. — *immorari* C1d. ap. Oud. Sch. 2. sed vide Ern. ([6]) ∞ *si* om. T. alii. ([7]) — *quod* om. L. ([8]) — *sudans* om. L. ([9]) = *aud. faciebat* L. — *fac. viam* T. ([10]) — *dextro pede* Cdd. aliq. L. quod ipse postea improbavit. ([11]) Sic e Cdd. (qui tamen praemittunt *et ex* —) prob. Oud. Sch. 2. — *ex aliis aliisque* Grut. 1. 3. — *ex aliis atque aliis* T. L. ([12]) — *commeant* (ita C2d.) *omnes* (hoc e €.) L. Ipse postea improbavit. ([13]) — *spumam ex ore eiiciens* vel *reiiciens* Cdd. aliq. ([14]) Sic 1. 2. 3. ∞ *infimo* T. Erf. alii. L. ([15]) Sic Cdd. aliq. Ern. 1. — *delabans insita virtute* T. al. Grut. — *delibans insita virtute* C1d. ap. Oud. id quod confirmat aliquatenus Victorii €. ∞ *delibans insitam virtutem* L. 3. Sch. 2. sed vide Ern. — *nullam vocem edens, insita virtute* Cdd. aliq. Crat. ([16]) Hoc v. de Oud. sententia Sch. 2. transposuit ante *quasi.* Nihil opus: tantum post *circumspectans* est distinguendum. ([17]) Sic Cdd. multi. L. Sch. 2. — *hilariter* T. al. — *hilaris.* 1. 3. ([18]) — *in amplif. et comm. re plur. prodest in* (hoc *in* habent Cdd. aliq.) *huiusmodi enarr.* L. ([19]) Sic T. 1. 2. 3. — *et proponit* Cdd. aliq. L.

LVI. Omnes rationes honestandae elocutionis studiose collegimus, in quibus, Herenni, si te diligenter[1] exercueris, et gravitatem, et dignitatem, et suavitatem habere in dicendo poteris, ut oratorie plane loquaris: ne nuda atque inornata inventio vulgari sermone efferatur[2]. Nunc identidem nosmet ipsi nobis instemus. Res enim communis agitur, ut frequenter et assidue consequamur artis rationem[3] studio et exercitatione: quod alii cum molestia tribus de causis maxime faciunt; aut si, quicum[4] libenter exerceantur, non habent; aut si sibi diffidunt; aut si nesciunt, quam viam sequi debeant: quae a nobis absunt omnes difficultates. Nam et simul libenter exercemur propter amicitiam, cuius initium cognatio[5] fecit, cetera[6] philosophiae ratio confirmavit: et nobis non diffidimus, propterea quod et aliquantulum processimus, et alia meliora sunt, quae multo intentius petimus in vita, ut, etiamsi non pervenerimus in dicendo, quo volumus, parva pars vitae perfectissimae[7] desideretur: et viam, quam sequamur, habemus, propterea quod in his libris nihil praeteritum est rhetoricae praeceptionis.

[Demonstratum[8] est enim, quomodo res in omnibus generibus causarum inveniri oporteat[9]: dictum est, quo pacto eas disponere conveniat[10]: traditum est, qua ratione pronuntiandum: praeceptum est, qua via meminisse possimus: demonstratum est, quibus modis perfecta elocutio comparetur[11]. Quae si exsequimur[12], acute et cito reperiemus, distincte et ordinate[13] disponemus, graviter et venuste pronuntiabimus, firme et perpetuo meminerimus, ornate et suaviter eloquemur. Ergo amplius in arte rhetorica nihil est. Haec omnia adipiscemur, si rationes praeceptionis diligentia consequemur exercitationis][14].

([1]) ∞ *diligentius* T. alii Cdd. boni. ([2]) ∞ *proferatur* T. O3x. Sch. in Ed. mai. ([3]) — *artis orationem* Erf. prob. Graev. et Oud. ([4]) Sic T. alii Cdd. Sch. 2. — *cum quibus* L. 1. 3. ([5]) Unum hoc voc. *cognatio* funditus evertit speciosam ceteroqui Schuetzii opinionem de M. Antonio Gniphone horum librorum scriptore. Etenim qua tandem is, in Gallia tenui loco natus, expositus, et a nutritore suo postea manumissus, cognatione attigerit C. Herennium, nobilem hominem Romanum? ([6]) Sine causa suspectum hoc Sch. In Ed. mai. C. dedit: *cursum.* ([7]) ∞ *pars tamen vitae perf.* Erf. L. — *pars vitae oratoriae perfectissimae* T. ([8]) Spuria haec esse vidit iam Grut. Sch. 2. [ ]. ([9]) — *oporteret* Ern. C. 1. ([10]) — *conveniret* Ern. C. 1. ([11]) Sic Duisb. (T. et L. saltem *comparetur*) Sch. 2. — *qua rat. esset pronunt. - possemus* - - *compararetur* 1. 3. ([12]) Sic Grut. e Cdd. 1. 2. = *sequimur* 3. = *sequemur* L. = *sequamur* T. al. ([13]) Reprehendit hoc vocab. Rhuncken. ad *Muretum* T. 1. p. 38. ∞ *ordine* Erf. Sed hisce elegantiae obtrudendae non sunt. — *ornate* O1x. al. ([14]) Sic T. 1. 2. 3. — *et exercitatione* L. Grut.

M. TULLII CICERONIS
RHETORICORUM
LIBRI DUO
QUI SUNT
DE INVENTIONE RHETORICA.

(Ex recensione potissimum Ernestiana passim correcta, cum integra varietate Lambiniana (L.), Ernestiana (1.), Schuetziana (2.) et Graevio-Oudendorpio-Burmanniana (3.); selecta vero Codicis Turicensis nunc primum collati, Victorini, Editionis Iuntinae (Iu.), Cratandrinae, (Crat. s. Cr.) aliarumque.)

LIBER PRIMUS.

I. 1. Saepe et multum hoc mecum cogitavi, bonine an mali plus attulerit hominibus et civitatibus copia dicendi, ac summum eloquentiae studium. Nam quum et nostrae rei publicae detrimenta considero, et maximarum civitatum veteres animo calamitates colligo, non minimam video per disertissimos homines invectam[1] partem incommodorum; quum autem res ab nostra memoria propter vetustatem remotas, ex literarum monumentis repetere instituo, multas urbes constitutas, plurima bella restincta, firmissimas societates, sanctissimas amicitias intelligo quum animi[2] ratione, tum facilius[3] eloquentia comparatas. Ac me quidem diu cogitantem ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit, ut existimem, sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus, eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse nunquam. Quare si quis, omissis rectissimis atque honestissimis studiis rationis et officii, consumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis sibi, perniciosus[4] patriae civis alitur[5]; qui vero ita sese armat eloquentia, ut non[6] oppugnare commoda patriae, sed pro his propugnare[7] possit, is mihi vir et suis, et publicis rationibus utilissimus, atque amicissimus civis fore videtur.

---

(1) Sic T. 1. 2. 3. — *invectam esse* Iu. L. (2) *quum* T. L. 1. 3. = *tum* Cdd. aliq. Iu. Sch. 2. *animi* suspect. Ern. (W. [ ]) firmat Victorin. et sermo Latinus. (3) Sic T. 1. 2. 3. — *tum etiam fac.* Iu. L. (4) Sic T. Iu. 1. 2. 3. — *perniciosusque* L. (5) — *dicitur* Grut. errore typogr. (6) Sic Cdd. omnes. Iu. L. 1. 3. ∞ *non ut* Sch. E. 2. (7) Sic boni Cdd. Iu. 1. 2. = *pugnare* T. L. 3.

2. Ac si volumus huius rei, quae vocatur eloquentia, sive artis, sive studii[1], sive exercitationis cuiusdam, sive facultatis a natura profectae considerare principium; reperiemus id ex honestissimis causis natum, atque optimis[2] rationibus profectum. II. Nam fuit quoddam tempus, quum in agris homines passim bestiarum more[3] vagabantur, et sibi victu fero[4] vitam propagabant; nec ratione animi quidquam, sed pleraque viribus corporis administrabant: nondum divinae religionis, non humani officii ratio colebatur: nemo legitimas viderat nuptias[5]: non certos quisquam aspexerat[6] liberos: non, ius aequabile quid utilitatis haberet, acceperat. Ita, propter errorem atque inscientiam[7], caeca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad se explendam viribus corporis abutebatur, perniciosissimis satellitibus. Quo tempore quidam, magnus videlicet[8] vir et sapiens, cognovit, quae materies[9], et quanta ad maximas res opportunitas in animis inesset hominum[10], si quis eam posset elicere, et praecipiendo meliorem[11] reddere: qui dispersos homines in agris, et in tectis silvestribus abditos, ratione quadam compulit unum in locum[12] et congregavit, et eos in unamquamque rem inducens utilem atque honestam, primo propter insolentiam reclamantes, deinde propter rationem atque orationem studiosius audientes, ex feris et immanibus mites reddidit et mansuetos. 3. Ac mihi quidem hoc nec tacita videtur[13], nec inops dicendi sapientia perficere potuisse, ut homines a consuetudine subito converteret[14], et ad diversas vitae rationes traduceret. Age vero, urbibus constitutis, ut fidem colere, et iustitiam retinere discerent, et aliis parere sua voluntate consuescerent, ac non modo labores excipiendos communis commodi causa, sed etiam vitam amittendam existimarent: qui tandem fieri potuit, nisi homines ea, quae ratione invenissent, eloquentia persuadere potuissent? Profecto nemo, nisi gravi ac suavi commotus oratione, quum viribus plurimum posset, ad ius voluisset sine vi descendere: ut inter quos posset excellere, cum iis[15] se pateretur aequari, et sua voluntate a iucundissima consuetudine recederet, quae praesertim iam naturae vim[16] obtineret propter vetustatem. Ac primo quidem sic et nata, et progressa longius eloquentia videtur; et item postea maximis in rebus pacis et belli cum summis hominum utilitatibus esse versata. Postquam vero commoditas[17] quaedam, prava virtutis imitatrix, sine ratione officii,

---

([1]) Ita T. Victorin. Iu. Crat. L. 2. — *sive studii*, *sive artis* Grut. 1. 3. ([2]) Sic Cdd. Iu. 2. 3. ∞ *ab optimis* L. C. item Ern. C. 1. (∞ *perfectum* Sch. suspic.) ([3]) e Cdd. Iu. (Lamb. 1581) Graev. 3. 2. — *modo* T. al. L. 1. ([4]) Sic T. cum paucis. Victorin. 1. 2. — *ferino* Iu. L. 3. ([5]) Sic Iu. Cr. L. 2. — *nuptias vid. leg.* 1. 3. ([6]) — *inspexerat* T. al. Ald. Iu. Crat. L. ([7]) Sic T. L. 1. 2. 3. — *inscitiam* Iu. Cr. ([8]) ∞ om. *videlicet* Ctd. ([9]) — *materia esset* Iu. L. 1. 3. quae prava lectio orta est e vera scriptura: *materies*, quam praebet T. omisso *esset*, quod Sch. C. recte delevit. ([10]) Sic Cdd. optimi. Victorin. L. unde Sch. 2. negligenter dedit: *inesset in animis hom.* — *animis inesset hom.* T. — *in animis esset hom.* 3. — *in animis hominum* del. *esset* vulgatae. Ern. C. 1. ([11]) = *meliorem praecipiendo* L. ([12]) = *unum in loc. comp.* L. ([13]) Sic ex opt. Cdd. Graev. 3. = *mihi q. vid. hoc nec tacita.* T. Iu. L. 1. 2. ([14]) — *averteret* Ern. suspicio. ([15]) — *his* T. L. ([16]) = *vim naturae iam* L. (— *vicem* Lambini susp.). ([17]) Sic Cdd. omnes. Victorin. L. 1. 3. Defendit Wetz. ∞ *calliditas* egregia Ern. C. recepta a Sch. 2.

dicendi copiam consecuta est; tum ingenio freta malitia pervertere urbes [1], et vitas hominum labefactare assuevit. III. Atque huius quoque exordium mali, quoniam principium boni diximus, explicemus.

4. Veri simillimum mihi videtur, quodam tempore neque in publicis rebus infantes et insipientes homines solitos esse versari, nec vero ad privatas causas magnos ac disertos homines accedere: sed quum a summis viris maximae res administrarentur, arbitror alios fuisse non incallidos homines, qui ad parvas [2] controversias privatorum accederent. Quibus in controversiis quum saepe a mendacio contra verum homines stare consuescerent, dicendi assiduitas aluit [3] audaciam, ut necessario superiores illi propter iniurias civium resistere [4] audacibus, et opitulari suis quisque necessariis cogerentur [5]. Itaque quum in dicendo saepe par, nonnunquam etiam [6] superior visus esset is, qui, omisso studio sapientiae, nihil sibi praeter eloquentiam comparasset, fiebat, ut et multitudinis et suo iudicio, dignus, qui rem publicam gereret, videretur. Hinc nimirum non iniuria, quum ad gubernacula rei publicae temerarii atque audaces homines accesserant, maxima ac miserrima naufragia fiebant. Quibus rebus tantum odii atque invidiae suscepit eloquentia, ut homines ingeniosissimi, quasi ex aliqua turbida tempestate in portum, sic ex seditiosa ac [7] tumultuosa vita se in studium aliquod traderent quietum. Quare mihi videntur postea cetera studia recta atque honesta, per otium concelebrata ab optimis, enituisse: hoc vero a plerisque eorum desertum obsolevisse eo tempore, quo multo vehementius erat retinendum, et studiosius adaugendum. 5. Nam quo indignius rem honestissimam et rectissimam violabat stultorum et improborum temeritas et audacia, summo cum rei publicae detrimento; eo studiosius et illis resistendum fuit, et rei publicae consulendum. IV. Quod nostrum illum non fugit Catonem, neque Laelium, neque horum (vere dicam) [8] discipulum Africanum, neque Gracchos Africani nepotes: quibus in hominibus erat summa virtus, et summa virtute amplificata auctoritas, et, quae his rebus ornamento, et rei publicae praesidio esset, eloquentia. Quare, meo quidem animo, nihilo minus eloquentiae studendum est, etsi ea quidam et privatim, et publice perverse abutuntur [9]: sed eo quidem vehementius [10], ne mali magno cum detrimento bonorum, et communi omnium pernicie, plurimum possint: quum praesertim hoc unum sit, quod ad omnes res, et privatas et publicas, maxime pertineat; hoc tuta, hoc honesta, hoc illustris, hoc eodem vita iucunda fiat. Nam hinc ad rem publicam plurima commoda veniunt, si moderatrix omnium rerum praesto est sapien-

---

([1]) = *urbes pervertere* L. ([2]) — *pravas* L. ([3]) — *incussit* Cld. non improb. Oud. ([4]) — *restare* Cld. prob. Gulielm. ([5]) Sic T. L. 1. 2. 3. — *cogeretur* Cdd. aliq. (Lamb. 1584). ([6]) — om. *etiam* T. ([7]) Sic T. = *et* L. 1. 2. 3. Sed ante literam T. frequens est apud Cic. *ac*. ([8]) Sic e Cld. Ern. 1. 2. ∞ *ut vere d c.* T. Pleriq. Iu. L. 3. (*Vere dicam* v. c. *de Orat.* 2, 4. sine varietate. Contra *ut vere dic. de Orat.* 1, 33. item sine var.). ([9]) Sic T. pleriq. Victorin. L. 1. 3. ∞ om. *perverse* Cdd. aliq. prob. Oud. et Ern. del. Sch. 2. ([10]) Sic 1. 2. 3. ∞ *sed eo veh.* omisso *quidem* T. — *sed eo vero veh.* L. — *et eo quidem veh.* Ern. suspic. recepta a Wetzelio. Latet aliquid corrupti.

tia: hinc ad ipsos, qui eam adepti sunt, laus, honos [1], dignitas confluit: hinc amicis quoque eorum [2] certissimum ac tutissimum praesidium comparatur. Ac mihi quidem videntur homines, quum multis rebus humiliores et infirmiores sint, hac re maxime bestiis [3] praestare, quod loqui possunt. Quare praeclarum mihi quiddam videtur adeptus is, qui, qua re homines bestiis praestent [4], ea in re hominibus ipsis [5] antecellat. Hoc si forte non natura modo, neque exercitatione conficitur, verum etiam artificio quodam comparatur; non alienum est videre, quid [6] dicant ii, qui quaedam eius rei [7] praecepta nobis reliquerunt. Sed antequam de praeceptis oratoriis dicamus, videtur dicendum de genere ipsius artis, de officio, de fine, de materia, de partibus. Nam his rebus cognitis, facilius et expeditius uniuscuiusque animus ipsam rationem ac viam artis considerare poterit.

V. 6. Civilis quaedam ratio est, quae multis et magnis ex rebus constat. Eius quaedam magna et ampla pars est artificiosa eloquentia, quam rhetoricam vocant. Nam neque cum iis [8] sentimus, qui civilem scientiam eloquentia non putant indigere; et ab iis, qui eam putant omnem rhetoris vi et artificio contineri, magno opere [9] dissentimus. Quare hanc oratoriam facultatem in eo genere ponemus, ut eam civilis scientiae partem esse dicamus. Officium autem eius facultatis videtur esse, dicere apposite ad persuasionem: finis, persuadere dictione. Inter officium autem [10] et finem hoc interest, quod in officio, quid fieri [11]; in fine, quid officio conveniat, consideratur. Ut medici officium dicimus esse, curare ad sanandum apposite: finem, sanare curatione: item oratoris quid officium, et quid finem esse dicamus, intelligemus [12], quum id, quod facere debet, officium esse dicemus: illud, cuius causa facere debet, finem appellabimus [13].

7. Materiam artis eam dicimus, in qua omnis ars, et ea facultas, quae conficitur ex arte, versatur. Ut si medicinae materiam dicamus morbos ac vulnera, quod in his omnis medicina versetur: item, quibus in rebus versatur ars, et facultas oratoria, eas res [14] materiam artis rhetoricae nominamus. Has autem res, alii plures, alii pauciores existimarunt [15]. Nam Gorgias Leontinus, antiquissimus fere rhetor, omnibus de rebus oratorem optime posse dicere existimavit. Hic infinitam et immensam huic artificio materiam subiicere videtur. Aristoteles autem, qui huic arti plurima adiumenta [16] atque ornamenta subministravit, tribus in generibus rerum [17] versari rhetoris officium putavit, demonstrativo, deliberativo, iudiciali. Demonstrativum est,

---

([1]) = *honor* Cdd. aliq. Iu. Sch. 2. ([2]) ∞ om. *eor.* L. ([3]) — *belluis* Cdd. aliq. prob. Ern. ([4]) Sic T. L. 1. 3. — *praestant* Cld. prob. Oud. Sch. 2. ([5]) — *ipse* Erfurt. Graev. 3. ([6]) Sic Cld. ap. Oud. Omnib. 1. 2. ∞ *quae* T. Pleriq. L. (— *hi* L.) 3. ([7]) — *artis* Omnib. L. ([8]) Sic Iu. 1. 3. ∞ *his* T. al. L. Sch. 2. ([9]) Sic T. = *magnopere* Iu. L. 1. 2. 3. Vide infra ad §. 33. ([10]) ∞ om. *autem* T. ([11]) — *fini* Codex Ursini suspectissimus, prob. Gulielm. ([12]) Sic T. 1. 2. 3. — *intelligimus* Iu. L. ([13]) Sic T. 1. 2. 3. — *appellamus* Iu. L. ([14]) Sic Cdd. Edd. vett. L. 1. 2. 3. — *res* omisit Grut. ([15]) Sic T. alii. 3. = *existimaverunt* Iu. L. 1. 2. ([16]) — *adminicula* Cld. apud Oud. Vulgatam firmat Victorin. ([17]) — *causarum* Lambini susp.

quod tribuitur in alicuius certae personae laudem aut vituperationem: deliberativum[1], quod positum in disceptatione et consultatione[2] civili, habet in se sententiae dictionem: iudiciale, quod positum in iudicio, habet in se accusationem[3] et defensionem, aut petitionem et recusationem. Et, quemadmodum nostra quidem fert opinio, oratoris ars et facultas in hac materia tripartita[4] versari existimanda est. VI. 8. Nam Hermagoras[5] quidem, nec quid dicat, attendere, nec quid polliceatur, intelligere videtur; qui oratoris materiam in causam et in quaestionem dividat. Causam esse dicit[6] rem, quae habeat in se controversiam in dicendo positam cum personarum certarum interpositione; quam nos quoque oratori dicimus esse attributam. Nam tres ei[7] partes, quas ante diximus, supponimus, iudicialem, deliberativam, demonstrativam. Quaestionem autem eam appellat, quae habeat in se controversiam in dicendo positam, sine certarum personarum interpositione, ad hunc modum: Ecquid sit bonum[8] praeter honestatem? Verine sint sensus? Quae sit mundi forma? Quae[9] solis magnitudo? Quas quaestiones procul ab oratoris officio remotas[10], facile omnes intelligere existimamus. Nam, quibus in rebus summa ingenia philosophorum plurimo cum labore consumpta intelligimus, eas, sicut aliquas parvas res, oratori attribuere, magna amentia videtur. Quod si magnam in his Hermagoras habuisset facultatem, studio et disciplina comparatam, videretur fretus sua scientia, falsum quiddam constituisse de oratoris officio[11], et non quid ars, sed quid ipse posset, exposuisse. Nunc vero ea vis est in homine, ut ei multo rhetoricam citius quis ademerit, quam philosophiam concesserit. Neque eo dico[12], quod[13] eius ars, quam edidit, mihi mendosissime scripta videatur: nam satis in ea videtur ex antiquis artibus ingeniose et diligenter electas res collocasse[14], et nonnihil ipse quoque novi protulisse: verum oratori minimum est de arte loqui, quod hic fecit: multo maximum[15] ex arte dicere; quod eum minime potuisse, omnes videmus. VII. 9. Quare materia[16] quidem nobis rhetoricae videtur[17] ea, quam Aristoteli visam esse diximus; partes autem hae[18], quas plerique dixerunt, inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio. Inventio est excogitatio rerum verarum, aut veri similium, quae causam probabilem reddant[19]: dispositio est rerum inventarum in[20] ordi-

---

(1) Sic Ern. 1. 2. e Cdd. (T.) Edd. vett. Utrobique *est* addunt Iu. L. 3. (2) ∞ *et consult.* om. C3d. prob. Oud. Improbant Ern. Sch. Recte: in Turic. enim casu excidit praeterea *disceptatione.* — *vel consult.* al. (3) — *aut accus.* L. (4) Sic Iu. L. 2. = *tripertita* 1. 3. (5) ∞ *Hermagora* Quintil. 1, 5, 61. v. Spalding. (6) — *dicat* e Cdd. Graev. 3. (7) — *eas* e Cdd. Graev. 3. (8) ∞ add. *in vita* Turic. ad marginem. Alii in contextu v. c. Iu. L. (9) ∞ *quae sit solis* T. alii. Victorin. Iunt. prob. Oud. (*quae solis* L. 1. 2. 3.). (10) ∞ *esse remotas* Lamb. in marg. Ed. 1584. — *remotas esse* Sch. €. 2. (11) ∞ *artificio* T. alii. prob. Graev. (12) — *dico* abest a T. ac plerisq. Iu. ∞ *id eo dico* Sch. €. 2. (13) — *quo* T. alii. (14) — *collegisse* Victorin. — *collegisse et collocasse* Cdd. pauci. (15) ∞ *maximum est* T. (16) = *materies* T. (17) — *rhetoricae artis vid.* (vel *rhet. vid. artis* Iu.) Cdd. aliq. Victorin. = *artis rhet. vid.* L. (18) Sic Ern. e Cdd. 1. 2. ∞ *eae* T. = *hae sunt* Iu. L. 3. (19) — *reddunt* T. (20) Sic T. Iu. L. 1. 2. 3. ∞ *per* Cdd. aliq. Victorin. prob. Oud.

nem distributio: elocutio est idoneorum verborum, et sententiarum ad inventionem accommodatio: memoria est firma animi rerum ac verborum [ad inventionem][1] perceptio: pronuntiatio est, ex rerum et verborum dignitate, vocis et corporis moderatio. Nunc his rebus breviter constitutis, eas rationes, quibus ostendere possimus genus, et officium, et finem huius artis, aliud in tempus differemus. Nam et multorum verborum indigent, et non tanto opere ad artis descriptionem et praecepta tradenda pertinent. Eum autem, qui artem rhetoricam scribat, de duabus reliquis rebus, de materia artis, ac partibus scribere oportere existimamus. Ac mihi quidem videtur coniuncte[2] agendum de materia ac partibus. Quare inventio, quae princeps est omnium partium, potissimum in omni causarum genere, qualis debeat esse, consideretur.

VIII. 10. Omnis res, quae habet in se, positam in dictione ac[3] disceptatione, aliquam controversiam, aut facti, aut nominis, aut generis, aut actionis continet quaestionem. Eam igitur quaestionem, ex qua causa nascitur, constitutionem appellamus. Constitutio est prima conflictio causarum ex depulsione intentionis profecta, hoc modo: Feceris: Non feci, aut, Iure feci. Quum facti controversia est, quoniam coniecturis causa firmatur, constitutio coniecturalis appellatur. Quum autem nominis, quia vis vocabuli definienda verbis est, constitutio definitiva nominatur. Quum vero, qualis res sit[4], quaeritur, quia et de vi, et de genere negotii controversia est, constitutio generalis vocatur. At quum causa ex eo pendet, quod non aut[5] is agere videtur, quem oportet, aut non cum eo, quicum oportet, aut non apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua poena oportet, translativa dicitur constitutio: quia[6] translationis et commutationis actio indigere[7] videtur. Atque harum aliquam in omne causae genus incidere necesse est. Nam in quam rem[8] non inciderit, in ea nihil esse poterit controversiae: quare eam ne causam quidem convenit putari.

11. Ac facti quidem controversia, in omnia tempora potest distribui. Nam [9] ecquid[9] factum sit, potest quaeri, hoc modo: Occideritne Aiacem Ulixes. Ecquid fiat, hoc modo: Bonone animo sint erga populum Romanum[10] Fregellani. Ecquid futurum sit, hoc modo: Si Karthaginem reliquerimus incolumem, num quid sit incommodi ad rem publicam perventurum. Nominis est controversia[11], quum de facto convenit, et quaeritur, id quod factum est, quo nomine appelletur. Quo in genere necesse est ideo nominis[12] esse controversiam, quod de re ipsa non conveniat; non quod de facto non constet, sed quod

---

(1) Suspecta haec Lamb. et Purgoldo delevit Sch. C. 2. Nos [ ]. — *ad elocutionem* Verburg. C. recepta a Lallem. (2) Sic T. 1. 2. 3. ∞ *coniunctim* Iu. L. (3) Sic T. alii. Sch. 2. — *aut* Iu. L. 1. 3. (4) Sic T. L. = *sit res* 1. 2. 3. (5) Sic T. Pleriq. L. 1. 3. ∞ *aut non* e Cdd. prob. Oud. Sch. 2. (6) ∞ *quod* T. (7) Sic Erfurt. Sch. 2. = *actio transl. et comm. indig.* T. Pleriq. Iu. L. 1. 3. (8) — om. *rem* Iu. L. Grut. (9) Sic ter dedi cum Lamb. Sch. 2. — *quid* Cdd. Iu. 1. 3. *et quid - et quid.* Idem. (10) — *erga rem publicam* Cdd. aliq. (11) Sic T. L. ut infra C. 10. = *controversia est* Iu. 1. 2. 3. (12) Suspecta haec *ideo nominis* sine causa Ern. qui [ ]. Del. Sch. C. 2.

id, quod[1] factum sit, aliud alii videatur esse, et ideirco alius alio nomine id appellet. Quare in huiusmodi generibus definienda res erit verbis, et breviter describenda: ut, si quis sacrum ex privato surripuerit, utrum fur, an sacrilegus sit iudicandus. Nam id quum quaeritur, necesse erit definire utrumque, quid sit fur, quid sacrilegus, et sua descriptione ostendere, alio nomine illam rem, de qua agitur, appellari oportere, atque adversarii dicunt[2].

IX. 12. Generis est controversia, quum ecquid[3] factum sit, convenit, et quo id factum nomine appellari oporteat, constat: et tamen, quantum, et cuiusmodi, et omnino quale sit, quaeritur; hoc modo: Iustum, an iniustum: utile, an inutile; et omnia[4], in quibus, quale sit id, quod factum est, quaeritur sine ulla nominis controversia. Huic generi Hermagoras partes quatuor supposuit, deliberativam, demonstrativam, iuridicialem, negotialem. Quod eius, ut nos putamus, non mediocre peccatum, reprehendendum videtur, verum brevi[5]; ne aut, si[6] taciti praetericrimus, sine causa non secuti eum[7] putemur; aut, si diutius in hoc constiterimus, moram atque impedimentum reliquis praeceptis intulisse videamur. Si deliberatio et demonstratio genera sunt causarum, non possunt recte partes alicuius generis causae putari. Eadem enim res alii genus esse, alii pars potest[8]: eidem genus esse et pars non potest. Deliberatio autem, et demonstratio, genera sunt causarum. Nam aut nullum causae genus est, aut iudiciale solum, aut et iudiciale, et demonstrativum, et deliberativum. Nullum dicere causae esse genus, quum causas esse multas dicat, et in eas praecepta det, amentia est: unum autem iudiciale[9] solum esse qui potest, quum deliberatio et demonstratio, neque ipsae similes inter se sint, et ab iudiciali genere plurimum dissideant, et suum quaeque finem habeat[10], quo referri debeat[11]? Relinquitur ergo, ut omnia[12] tria genera sint causarum. Deliberatio igitur, et demonstratio, non possunt recte partes alicuius generis causae putari. Male igitur eas generalis constitutionis partes esse dixit.

X. 13. Quod si generis causae partes non possunt recte putari, multo minus recte partis causae partes putabuntur. Pars autem causae est constitutio omnis[13]. Non enim causa ad constitutionem, sed

---

([1]) Sequor lectionem Erf. Tur. O2x. editoribus non intellectam, etsi eandem iam habuit Victorinus, discrimen inter *rem* et *factum* recte statuens. — *non quod de re ipsa non conveniat* Iu. Vulgo. Omittunt haec C2d. Suspecta Graev. et Ern. qui [ ]. Del. Sch. 2. — Lamb. in Ed. 1566. locum ita refinxit: — *controversiam, non quod de facto ipso non conveniat, sed quod id* — ([2]) Sic Cdd. omnes. Iu. L. 3. — *dicant* Ern. C. 1. 2. ([3]) Sic L. C. Sch. 2. - *et quid* Cdd. 1. 3. ([4]) — *omnino* Sch. Ed. mai. et min. Nescio quo errore. ([5]) — *breviter* L. C. Sed *brevi* hoc sensu etiam ap. Ciceronem non infrequens est, et firmatur a grammaticis. V. nos *ad Planc.* p. 223. Charis. p. 176. *Putsch.* ([6]) Sic T. alii L. 1. 2. — *ne, si aut* Grut 3. ([7]) Sic Iu. L. Grut. 1. 2. = *eum non secuti* Graev. 3. — *eum* om. T. alii. ([8]) — *alii genus, alii pars esse potest* L. ([9]) — *iudiciale autem* T. ([10]) ∞ *habeant* praeferebat Oud. e Cdd. ([11]) ∞ *debeant* Idem. ([12]) Sic Cdd. omnes. 1. 3. et firmat Victorin. Dictum videtur, ut πάντα τρία. v. Steph. *Thesaur. gr.* in ΠΑΣ. — *omnino* L. C. prob. Graev. Sch. 2. ([13]) Sic Erf. T. Victorin. 2. 3. — *constitutio est omnis* L. 1.

constitutio ad causam accommodatur. Sed [1] demonstratio et deliberatio generis causae partes non possunt recte putari, quod [2] ipsa sunt genera: multo igitur minus recte partis eius, quod [3] hic dicit, partes putabuntur. Deinde si constitutio, et ipsa, et pars eius [4] quaelibet, intentionis depulsio est; quae intentionis depulsio non est, ea nec constitutio, nec pars constitutionis est. At si, quae intentionis depulsio non est, ea nec constitutio, nec pars constitutionis est; demonstratio et deliberatio, neque [5] constitutio, nec pars constitutionis est. Si igitur constitutio, et ipsa, et pars eius, intentionis depulsio est; deliberatio et demonstratio, neque constitutio, neque pars constitutionis [6] est. Placet autem ipsi, constitutionem [7] intentionis esse depulsionem: placeat igitur oportet, demonstrationem et deliberationem non [8] esse constitutionem, nec partem constitutionis. Atque hoc eodem urgebitur [9], sive constitutionem, primam causae accusatoris confirmationem dixerit, sive defensoris primam deprecationem: nam eum eadem omnia incommoda sequentur.

14. Deinde coniecturalis causa non potest simul ex eadem parte, eodem in genere, et coniecturalis esse et definitiva. Rursus [10] nec definitiva causa potest simul ex eadem parte, eodem in genere, et definitiva esse et translativa. Et omnino nulla constitutio, nec pars constitutionis, potest simul et suam habere, et alterius in se vim continere: ideo quod unaquaeque ex se, et ex sua natura, simpliciter consideratur: altera assumpta [11], numerus constitutionum duplicatur, non vis constitutionis augetur. At deliberativa causa simul ex eadem parte, eodem in genere, et coniecturalem, et generalem, et definitivam, et translativam solet habere constitutionem, et unam aliquando [12], et plures nonnunquam. Ergo ipsa neque [13] constitutio est, nec pars constitutionis. Idem in demonstratione solet usu venire [14]. Genera igitur, ut ante diximus, haec causarum putanda sunt, non partes alicuius constitutionis. XI. Haec ergo constitutio, quam generalem nominamus, partes nobis videtur duas habere, iuridicialem, et negotialem. Iuridicialis est, in qua aequi et iniqui [15] natura, praemii [16], aut poenae ratio quaeritur: negotialis est, in qua, quid iuris ex civili more, et aequitate sit, consideratur: cui diligentiae praeesse apud nos iurisconsulti existimantur. 15. Ac iuridicialis quidem ipsa in duas distribuitur partes, absolutam et assumptivam. Absoluta est, quae ipsa in se continet iuris et iniuriae quaestionem: assumptiva [17], quae ipsa ex se nihil firmi dat ad recusationem, foris autem aliquid defensionis assumit. Eius

---

([1]) — *et* T. alii pauci. ∞ *at* L. Sch. 2. ([2]) Sic T. Iu. 1. 2. 3. — *quia* L. ([3]) Sic Iu. L. 1566. 1. 2. 3. ∞ *quam* T. alii pauci. Lamb. in marg. 1584. ([4]) Sic Victorin. Iu. L. Sch. 2. — *pars constitutionis eius* T. 1. 3. ([5]) = *nec* L. ([6]) Haec *Si igitur — constitutionis est* de C. del. Sch. 2. sed satis firmat Victorin. ([7]) — abest *constitutionem* a Grut. ([8]) e Cdd. (T.) 1. 2. — *nec* Iu. L. 3. ([9]) Sic T. 1. 2. ∞ *eodem incommodo urgebitur* Iu. L. — *eod. urgeb. incommodo* Erf. O2x. Graev. 3. Sed glossam prodit sedis varietas. ([10]) Deleri iubet *rursus* Oud. ([11]) ∞ *altera autem assumpta* Iu L. ([12]) — *aliquam* T. Edd. aliq. ([13]) e Cdd. Sch. 2. = *nec* L. 1. 3. ([14]) Sic T. L. Sch. 2. — *usu evenire* Iu. 1. 3. V. infra §. 80. ([15]) Sic e Cdd. Grut. 1. 2. 3. ∞ *et recti* T. Victorin. Iu. L. ([16]) — *aut praemii* T. Iu. 3. (*aut* Ern. 1. del. C. Sch. 2.) — *vel praemii* L. ([17]) Sic T. 1. 2. — *assumptiva est* Iu. L. 3.

partes sunt quatuor, concessio, remotio criminis, relatio criminis, comparatio. Concessio est, quum reus non id, quod factum est, defendit, sed ut ignoscatur [1], postulat. Haec in duas partes dividitur, purgationem et deprecationem. Purgatio est, quum factum conceditur, culpa removetur. Haec partes habet tres, imprudentiam, casum, necessitatem. Deprecatio est, quum et peccasse et consulto peccasse reus se confitetur [2], et tamen, ut ignoscatur, postulat: quod genus perraro potest accidere. Remotio criminis est, quum id crimen, quod infertur, ab [3] se, et ab [4] sua culpa, vi et potestate, in alium reus removere conatur. Id dupliciter fieri poterit, si aut causa, aut factum in alium transferetur. Causa transfertur [5], quum aliena dicitur vi et potestate factum: factum autem, quum alius aut debuisse, aut potuisse facere dicitur. Relatio criminis est, quum ideo iure factum dicitur, quod aliquis [6] ante iniuria lacessierit. Comparatio est, quum aliud aliquod alicuius [7] factum rectum aut utile contenditur, quod ut fieret, illud [8], quod arguitur, dicitur esse commissum.

16. In quarta constitutione, quam translativam nominamus, eius constitutionis est controversia, quum aut quem, aut quicum, aut quomodo, aut apud quos, aut quo iure, aut quo tempore agere oporteat, quaeritur, aut omnino aliquid de commutatione, aut infirmatione actionis agitur. Huius constitutionis Hermagoras inventor esse existimatur, non quo [9] non usi sint ea veteres oratores saepe multi, sed quia non * animadverterunt [10] artis scriptores eam superiores [11], nec * retulerunt [12] in numerum constitutionum. Post autem ab hoc inventam multi reprehenderunt, quos non tam imprudentia falli putamus, (res enim perspicua est,) quam invidia atque obtrectatione quadam impediri. XII. Et constitutiones quidem, et earum partes exposuimus: exempla autem cuiusque generis tunc [13] commodius exposituri videmur, quum in unumquodque eorum argumentorum copiam dabimus. Nam argumentandi ratio dilucidior erit, quum et ad genus [14], et ad exemplum causae statim poterit accommodari.

17. Constitutione causae reperta, [statim] [15] placet considerare, utrum causa sit simplex, an iuncta; et si iuncta [16] erit, utrum sit ex pluribus quaestionibus iuncta, an ex aliqua comparatione. Simplex est, quae absolutam in se continet unam quaestionem, hoc modo: Corinthiis bellum indicamus, an non? Coniuncta [17] ex pluribus quaestionibus [18], in qua plura quaeruntur, hoc pacto [19]: Utrum Karthago diruatur, an Karthaginiensibus reddatur, an eo colonia deducatur. Ex

---

([1]) — *ignoscatur sibi* L. ([2]) — *peccasse se reus, et consulto peccasse confitetur* L. ([3]) — *a* L. = *abs* 3. ([4]) = *a* L. 3. ([5]) ∞ *transferetur* T. alii pauci. ([6]) e Cdd. Ern. 1. 2. (T.) — *alius* L. 3. ( ) e Cdd. (T.) prob. Oud. inseruit Ern. 1. 2. — abest *alicuius* a Iu. L. 3. ([8]) ∞ *id* L. ([9]) Sic T. Iu. 1. 3. = *non quod* Sch. €. 2. confirmata ab O2x. v. Graev. — *non quia* Victorin. Victorius. L. ([10]) Indicativum dedit Sch. €. 2. Omnes, etiam Victorin. *animadverterint*. ([11]) = *eam artis script. sup.* L. ([12]) Sic Sch. €. 2. — *retulerint* Ceteri omnes. ([13]) ∞ *tum* T. ([14]) *quum ad genus* L. ([15]) Habent omnes, etiam Victorin. Del. Sch. €. 2. Nos [ ]. ([16]) Sic bis T. Victorin. in Commentario. 1. 3. ∞ *coniuncta* Cdd. aliq. Iu. L. Sch. 2. ([17]) ∞ *Iuncta* Cdd. aliq. ([18]) — *quaestionibus est* L. ([19]) — *modo* Iu. L.

comparatione, in qua per contentionem, utrum potius, aut quid potissimum sit, quaeritur, ad hunc modum: Utrum[1] exercitus in Macedoniam contra Philippum mittatur, qui sociis sit auxilio, an teneatur in Italia, ut quam maximae contra Hannibalem copiae sint. Deinde considerandum est, in ratione an in scripto sit controversia. Nam scripti controversia est ea, quae ex scriptionis genere nascitur. XIII. Eius autem genera, quae separata sunt[2] a constitutionibus, quinque sunt. Nam tum[3] verba ipsa videntur cum sententia scriptoris dissidere, tum inter se duae leges, aut plures disrepare, tum id, quod scriptum est, duas aut plures res significare[4]: tum ex eo, quod scriptum est, aliud quoque, quod[5] non scriptum est, inveniri: tum vis verbi, quasi in definitiva constitutione, in quo posita sit, quaeri. Quare primum genus, de scripto et sententia; secundum, ex contrariis legibus; tertium, ambiguum; quartum, ratiocinativum; quintum, definitivum nominamus. 18. Ratio est autem[6], quum omnis quaestio[7] non in scriptione, sed in aliqua argumentatione consistit.

At quum, considerato genere causae, et cognita constitutione, simplexne[8], an coniuncta[9] sit, intellexeris, et, scripti, an rationis habeat controversiam, videris; deinceps erit videndum, quae quaestio, quae ratio, quae iudicatio, quod firmamentum causae sit: quae omnia a constitutione proficiscantur oportet. Quaestio est ea, quae ex conflictione causarum gignitur controversia, hoc modo: Non iure fecisti: Iure feci[10]. Causarum autem haec est conflictio, in qua[11] constitutio constat. Ex ea igitur nascitur controversia, quam quaestionem dicimus; hoc modo: Iurene fecerit? Ratio est[12] quae continet causam, quae si sublata sit, nihil in causa controversiae relinquatur[13], hoc modo, ut docendi causa in facili et pervulgato exemplo consistamus: Orestes si accusetur matricidii, nisi hoc dicat[14], Iure feci; illa enim patrem meum occiderat: non habet[15] defensionem. [Qua sublata, omnis quoque controversia sublata sit][16]. Ergo eius causae ratio est, quod illa Agamemnonem occiderit. Iudicatio est, quae ex infirmatione, et confirmatione rationis[17] nascitur controversia. Nam sit ea nobis exposita ratio, quam paullo ante exposuimus: Illa enim, meum, inquit, patrem[18] occiderat. At non, inquit adversarius, abs te filio matrem

---

(1) — add. *potius* Graev. 3. (ex Erfurt. improb. Ond.) Graevium secutus est Sch. 2. (2) Sic Erf. T. L. 2. — *sunt separata* Iu. 1. 3. (3) Sic T. alii Iu. L. Sch. 2. — *quum* 1. 3. (4) — add. *videtur* Iu. L. Sch. 2. e gloss. (5) — *aliud, quod* L. (6) Sic T. Iu. L. Sch. 2. — *r. autem est* 1. 3. (7) — *quum quaestio* L. (8) ∞ *At quum - utrum simplex, an* - Duisburg. Hinc: *At quum - simplexne* Sch. €. 2. quod placuit etiam Wetzelio. ∞ *Ac tum - quum s.* T. Iu. L. — *At tum - quum s.* 1. 3. — *Ac quum - quum s.* Multi Cdd. — *At quum - tum s.* Oud. suspic. (9) ∞ *iuncta* T. (10) ∞ *hoc - - feci* Sch. €. 2. transposuit post *constat.* (11) Sic T. (nisi quod ∞ omittit *autem*) Iu. 1. 2. 3. ∞ *causarum autem conflictio est, ex qua* L. (12) Sic T. al. 1. 2. — *Ratio est ea* Iu. L. 3. (13) Sic T. alii. Sch. 2. — *relinquitur* L. — *relinquetur* Iu. 1. 3. (14) — *nisi dicat* L. (15) ∞ *habeat* T. (16) — *quare omnis controversia quoque sublata sit.* Erf. Duisb. Suspecta haec Ern. del. Sch. €. 2. Nos [ ]. (17) ∞ *quae ex ratione et infirmatione rat.* I. C. Theoph. Ernestii €. recepta a Sch. 2. (18) Sic Erf. T. Crat. 3. — *illa enim, inquit p. meum* O2x. L. 1. 2. A Iu. Grut. abest *meum.*

necari oportuit: potuit enim sine tuo scelere illius factum puniri. XIV. Ex hac deductione rationis illa summa nascitur controversia [1], quam iudicationem appellamus. Ea est huiusmodi: Rectumne fuerit, ab Oreste matrem occidi, quum illa Orestis patrem occidisset. 19. Firmamentum est firmissima argumentatio defensoris, et appositissima [2] ad iudicationem: ut si velit Orestes dicere, eiusmodi animum matris [3] suae fuisse in patrem suum, in se ipsum ac [4] sorores, in regnum, in famam generis et familiae, ut ab ea poenas liberi sui potissimum pětere debuerint. Et in ceteris quidem constitutionibus ad hunc modum iudicationes reperiuntur [5]: in coniecturali autem constitutione, quia ratio non est, (factum enim non conceditur,) non potest ex deductione [6] rationis nasci iudicatio. Quare necesse est eandem esse quaestionem et iudicationem: Factum est [7]; Non est factum [8]; Factumne sit? Quot autem in causa constitutiones, aut earum partes erunt, totidem necesse erit quaestiones, rationes, iudicationes, firmamenta reperiri.

His omnibus in causa repertis, tum [9] denique singulae partes totius causae considerandae sunt. Nam non ut quidque [10] dicendum primum, ita primum animadvertendum videtur: ideo quod illa, quae prima dicuntur, si vehementer velis congruere, et cohaerere cum causa, ex eis [11] ducas oportet, quae post dicenda sunt. Quare quum iudicatio, et ea, quae ad iudicationem oportet inveniri argumenta [12], diligenter erunt artificio reperta, cura et cogitatione pertractata; tum [13] denique ordinandae sunt ceterae partes orationis. Hae [14] partes sex esse omnino nobis videntur: exordium, narratio, partitio, confirmatio, reprehensio, conclusio. Nunc quoniam exordium princeps omnium [15] esse debet, nos quoque primum in rationem [16] exordiendi praecepta dabimus.

XV. 20. Exordium est oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem: quod eveniet, si eum benevolum, attentum, docilem confecerit [17]. Quare qui bene exordiri causam volet, eum necesse est genus suae causae diligenter ante cognoscere. Genera causarum sunt quinque, honestum, admirabile, humile, anceps, obscurum. Honestum causae genus est, cui statim sine oratione nostra auditoris favet animus: admirabile [18], a quo alienatus est animus eorum, qui audituri sunt: humile, quod negligitur ab auditore, et non magno opere attendendum videtur: anceps, in quo aut iudicatio dubia est, aut causa et honestatis, et turpitudinis particeps, ut et benevolentiam pariat, et offensionem: obscurum, in quo aut tardi auditores sunt, aut difficilio-

---

(1) ∞ *controversiae* de Ern. C. Sch. 2. Sic C. 16. *summam causae.* (2) Sic T. O2x. alii. 1. 2. = *aptissima* Victorin. Iu. L. 3. (3) Sic T. Iu. L. 1. 3. ∞ *matri* Erf. Victorin. Sch. 2. (4) — *in* Lamb. in Ed. 1584. (*ac* 1566). (5) ∞ *reperientur* T. (6) — *ex ea et ex deductione* Sch. in utraque Ed. Nescio unde, sed perverse. (7) — *ut, factum est* Iu. L. 1. 2. 3. Nos cum T. aliisque melioribus *ut* delevimus. v. Oud. (8) — *factum non est* Iu. L. 3. contra Cdd. opt. (9) Sic T. alii. Iu. L. 1. 2. — *tunc* 3. (10) — *quodque* Iu. L. (11) Sic L. 1. 3. — *his* T. al. Sch. 2. (12) Sic Iu. L. 1. 2. 3. = *argumenta inveniri* Erf. T. O2x. (13) — *tunc* L. (14) ∞ *Hae* T. (15) — omitt. *omnium* C3d. prob. Oud. In marg. habet T. (16) Sic T. Ern. 1. 2. Lallem. — *ratione* Iu. 3. ∞ *primum orationem exordiendi* L. (17) Sic Erf. T. Edd. vett. prob. Oud. — *fecerit* Iu. L. 1. 2. 3. (18) — *admirabile est* Iu. L.

ribus ad cognoscendum negotiis causa implicita[1] est. Quare quoniam tam diversa[2] sunt genera causarum, exordiri quoque dispari ratione in unoquoque genere necesse est. Igitur exordium in duas partes dividitur, in principium et insinuationem[3]. Principium est oratio, perspicue et protinus conficiens[4] auditorem benevolum, aut docilem, aut attentum. Insinuatio est oratio quadam dissimulatione et circuitione obscure[5] subiens auditoris animum.

21. In admirabili genere causae, si non omnino infesti auditores erunt, principio benevolentiam comparare licebit. Sin erunt vehementer abalienati, confugere necesse erit ad insinuationem. Nam ab iratis si perspicue pax et benevolentia petitur; non modo ea non invenitur, sed ira augetur atque inflammatur odio[6]. In humili autem genere causae, contemptionis tollendae causa, necesse erit attentum efficere auditorem. Anceps genus causae, si dubiam iudicationem habebit, ab ipsa iudicatione exordiendum est. Sin autem partem turpitudinis, [et][7] partem honestatis habebit, benevolentiam captare oportebit, ut in genus honestum causa translata videatur. Quum autem erit honestum causae genus, vel praeteriri principium poterit, et, si[8] commodum fuerit, aut a narratione incipiemus, aut a lege, aut ab aliqua firmissima ratione nostrae dictionis: vel si[9] uti principio placebit, benevolentiae partibus utendum est, ut id, quod est, augeatur. XVI. In obscuro causae genere, per principium dociles auditores efficere oportebit[10]. Nunc, quoniam, quas res exordio conficere oporteat, dictum est; reliquum est, ut ostendatur, quibus quaeque res rationibus confici possit.

22. Benevolentia quatuor ex locis comparatur: ab nostra, ab adversariorum, ab iudicum persona, ab ipsa causa[11]. Ab nostra[12], si de nostris factis et officiis sine arrogantia dicemus: si crimina illata, et aliquas minus honestas suspiciones[13] iniectas diluemus: si, quae incommoda acciderint, aut quae instent difficultates, proferemus: si prece, et obsecratione humili, ac supplici utemur. Ab adversariorum autem, si eos aut in odium, aut in invidiam, aut in contemptionem adducemus. In odium adducentur[14], si quod[15] eorum spurce, superbe, crudeliter, malitiose factum proferetur[16]: in invidiam, si vis eorum, potentia, divitiae, cognatio[17], pecuniae proferentur, atque

---

(1) = *implicata* Cdd. pauci. Victorin. Sch. 2. (2) ∞ *quum tam d. sunt* T. ∞ *quum tam d. sint* Iu. — *quoniam diversa sunt* L. Nostram lect. habent Grut. e Cdd. 1. 2. 3. (3) ∞ *et in insinuat.* L. (4) Sic optime Turic. — *perficiens* Cdd. pleriq. Iu. 1. 3. — *efficiens* habet iam L. De Ern. C. Sch. 2. (5) Sic Iu. L. 1. 2. ∞ *obscura* T. alii boni Cdd. prob. Graev. Oud. 3. (6) Sic ex Erfurt. Graev. 3. Sch. 2. ∞ *sed augetur atque inflamm. odium* T. Pleriq. L. 1. (Post *augetur* inserunt *potius* Iu. Crat. al.). (7) ∞ omitt. Turic. L. quocirca nos [ ]. (8) Sic T. Plerique Cdd.Iu. L. Sch. 2. (C2d. ap. Oud. omittunt prius *vel* ante v. *praeteriri*) — *vel si* e paucis Cdd. Grut. 1. 3. (9) Sic T. Pleriq. Iu. L. (reducendumque erat item a Schuetzio, restituto *et*, *si*) — *sin* e paucis Grut 1. 2. 3. (10) Haec Sch. C. re traxit post *translata videantur*. (11) Sic Iu. Grut. 1. 2. 3. — *a causa* T. Pleriq. — *ab ipsa re* L. al. (12) — addunt *persona* L. C. Sch. item C. 2. (13) — *suspectationes* Erf. (non *suspicationes*, ut refert Sch.) Non improbante Graev. (14) — *ducentur* T. Ed. 1584. (*adducentur* habet iam Iu. L. 1. 2. 3.) (15) ∞ *quid* Iu. L. (16) — *ostendatur* Cdd. (17) ∞ *divitiae*, *gratia*, *cognatio* L.

eorum usus arrogans et intolerabilis; ut his rebus magis videantur, quam causae suae confidere: in contemptionem adducentur, si eorum inertia, negligentia, ignavia, desidiosum studium, et [1] luxuriosum otium proferetur. Ab auditorum [2] persona benevolentia captabitur, si res ab his fortiter, sapienter, mansuete gestae proferentur, ut ne qua assentatio nimia significetur: et si de his, quam honesta existimatio, quantaque eorum iudicii et auctoritatis exspectatio sit, ostendetur: ab ipsis rebus, si nostram causam laudando extollemus, adversariorum causam [3] per contemptionem deprimemus. 23. Attentos [4] autem faciemus, si demonstrabimus, ea, quae dicturi erimus [5], magna, nova, incredibilia esse, aut [6] ad omnes, aut ad eos, qui audient [7], aut ad aliquos illustres homines, aut ad deos immortales, aut ad summam rem publicam [8] pertinere; et si pollicebimur, nos brevi nostram causam demonstraturos [9], atque exponemus iudicationem, aut iudicationes, si plures erunt. Dociles auditores faciemus, si aperte et breviter summam causae exponemus; hoc est, in quo consistat controversia. Nam et quum [10] docilem velis facere, simul attentum facias oportet. Nam is est maxime docilis [11], qui attentissime est paratus audire.

XVII. Nunc insinuationes quemadmodum tractari conveniat, deinceps dicendum videtur. Insinuatione igitur utendum est, quum admirabile genus causae est, hoc est, ut ante [12] diximus, quum animus auditoris infestus [13] est. Id autem tribus ex causis fit maxime; si aut inest in ipsa causa quaedam turpitudo, aut ab [14] iis, qui ante dixerunt, iam quiddam auditori persuasum videtur, aut eo tempore locus dicendi datur, quum iam illi, quos audire oportet, defessi sunt audiendo. Nam ex hac quoque re non minus, quam ex primis duabus, in oratore [15] nonnunquam animus auditoris offenditur. 24. Si causae turpitudo contrahet offensionem; aut pro eo homine [16], in quo offenditur, alium hominem, qui diligitur, interponi [17] oportet: aut pro re, in qua offenditur, aliam rem, quae probatur: aut pro re hominem, aut pro homine rem, ut ab eo, quod odit, ad id, quod diligit, auditoris animus traducatur; et dissimulare id te defensurum, quod existimeris defensurus; deinde, quum iam mitior [18] factus erit auditor, ingredi pedetentim in defensionem, et dicere, ea, quae indignentur [19] adversarii, tibi quoque indigna videri: deinde, quum lenieris eum, qui audiet [20], demonstrare,

---

(1) ∞ om. *et* Tur. (2) Sic T. Iu. L. 1. ∞ *ab iudicum* Erf. Duisb. Graev. 3. Sch. 2. (3) ∞ *adversariorum autem per c.* L. (4) — add. *auditores* Sch. €. 2. Sed quum ex plerorumque Cdd. testimonio supra scripserit Cicero *auditorum*, et iudices una cum corona auditorum, et concionem populi, intellexit, quocirca hic recte omisit *auditores*. (5) — *sumus* C2d. (6) — *et aut* L. (7) e Cdd. (ut Cap. 21. et saepius) 2. 3. = *audiunt* Iu. L. 1. (8) e Cdd. 1. 2. — *summam rei publicae* T. Iu. L. 3. (9) = *nos nostram causam brevi dem.* L. (10) ∞ *Et quum*, omisso *nam* T. Haud male. — *Nam quem doc.* Sch. €. 2. (11) Sic Erf. T. Graev. 3. = *nam is max. doc. est* Iu. L. 1. 2. (12) ∞ *causae est, et ut ante d.* L. (13) — *infensus* suspicio Lambini non recepta. (14) — *aut si ab iis* Iu. L. Sch. 2. vide Graev. (15) e Cdd. 3. Graev. 3. 1. Lallem. 2. — *oratione* Grut. — *oratorem* T. Iu. L. (16) Sic Iu. 1. 2. 3. — *pro homine* L. — *pro eo* T. (17) — *interponere* L. (18) ∞ *amicior* Turic. Lectio admodum memorabilis. (19) e Cdd. T. 1. 2. — *indignantur* Iu. L. 3. (20) Haec *quum - audiet* del. Lamb. Sch. 2. — Edn. [ ]. *lenieris* tamen, et *qui audiet* glossam minime sapiunt.

nihil eorum ad te pertinere, et negare te quidquam de adversariis esse dicturum, neque hoc, neque illud; ut neque aperte laedas eos, qui diliguntur, et tamen id obscure faciens, quoad possis, alienes ab eis auditorum voluntatem: et aliquorum iudicium simili de re, aut auctoritatem proferre imitatione dignam: deinde eandem[1], aut consimilem, aut maiorem, aut minorem agi rem in praesentia[2] demonstrare. 25. Sin oratio adversariorum fidem videbitur auditoribus fecisse, id quod[3] ei, qui intelligit, quibus rebus fides fiat, facile erit cognitu; oportet aut de eo, quod adversarii sibi firmissimum putarint, et maxime ii, qui audient[4], probarint, primum te dicturum pollicori, aut ab adversarii dicto exordiri, et ab eo potissimum, quod ille nuperrime dixerit: aut dubitatione uti, quid primum dicas, aut cui potissimum loco respondeas, cum admiratione. Nam auditor quum eum, quem adversarii perturbatum putat[5] oratione, videt animo firmissimo contra dicere paratum, plerumque se potius temere assensisse, quam illum sine causa confidere arbitratur. Sin auditoris studium defatigatio abalienavit a causa, te brevius, quam paratus fueris, esse dicturum, commodum est pollicori; non imitaturum adversarium. Sin res[6] dabit, non inutile est, ab aliqua re nova aut ridicula incipere, aut ex tempore quae nata sit; quod genus, strepitu, acclamatione[7]: aut iam parata, quae vel apologum, vel fabulam, vel aliquam contineat irrisionem: aut, si rei dignitas adimet iocandi facultatem, aliquid triste, novum, horribile, statim non incommodum est iniicere. Nam ut cibi satietas et fastidium aut subamara aliqua re relevatur[8], aut dulci mitigatur; sic animus defessus audiendo, aut admiratione integratur, aut risu novatur[9].

XVIII. Ac separatim quidem, quae de principio et insinuatione[10] dicenda videbantur, haec fere sunt. Nunc quiddam brevi communiter[11] de utroque praecipiendum videtur. Exordium sententiarum et gravitatis plurimum debet habere, et omnino omnia, quae pertinent ad dignitatem, in se continere, propterea quod id optime faciendum est, quod oratorem auditori maxime commendat[12]; splendoris, et festivitatis, et concinnitudinis minimum, propterea quod ex his suspicio quaedam apparationis atque artificiosae diligentiae nascitur: quae maxime orationi fidem, oratori adimit auctoritatem. 26. Vitia vero haec sunt certissima exordiorum, quae summo opere[13] vitare[14] oportebit: vulgare, com-

---

(1) Sic T. 1. 3. — *aut eandem* Cdd. aliq. Iu. L. Sch. 2. (2) Sic T. Iu. L. 1. 3. = *praesenti* e Cdd. prob. Oud. Sch. 2. (3) e Cdd. L. 1. 2. — *idque ei* al. v. c. Ed. 1584. — *quod ei* Iu. Grut. 3. (4) e Cdd. Sch. 2. ∞ *audierunt* Erf. O2x. Graev. 3. — *audierint* T. Iu. L. Grut. 1. (5) Sic Cd. Ursini et alii duo. Lallemand. prob. Sch. in Ed. mai. Wetzel. — *putavit* O2x. — *putant* Iu. L. 1. 2. 3. Hoc inde natum, quod stupor librariorum *adversarii* pro nom. plur. haberet. (L. e C. puto, dedit: *putant sua oratione*). (6) ∞ *sin autem res* L. (7) Sic Cld. L. Sch. 2. ∞ *strepitus*, *acclamatio* Cauch. v. Graev. — *strepitum*, *acclamationem* Iu. 1. 3. Ursini Cd. (non Gronovii optimus) add. *dicemus*. Ed. Med. *dicimus* e gloss. (8) — *levatur* L. (9) e Cdd. (T.) 1. 2. ∞ *renovatur* Iu. L. 3. ut Lib. 2. §. 49. (10) ∞ *de insin.* T. (11) e Cdd. Sch. 2. — *breviter communiter* T. — *breviter et comm.* L. 1. 3. — *breviter coniunctimque* O1x. (12) Sic T. Iu. L. 2. 3. — *commendet* boni Cdd. Ern. 1. (13) Sic T. = *summopere* L. 1. 2. 3. (14) ∞ *vitari* Erf. al.

mune, commutabile, longum, separatum, translatum, contra praecepta. Vulgare est, quod in plures causas potest accommodari, ut convenire videatur. Commune [1], quod nihilo minus in hanc, quam in contrariam partem causae, potest convenire. Commutabile [1], quod ab adversario potest, leviter mutatum, ex contraria parte dici. Longum [1], quod pluribus verbis, aut sententiis, ultra quam satis est, producitur. Separatum [1], quod non ex ipsa causa ductum est, nec, sicut aliquod membrum, annexum orationi. Translatum est, quod aliud conficit, quam causae genus postulat: ut si qui [2] docilem faciat auditorem, quum benevolentiam causa desiderat [3]: aut, si principio utatur, quum insinuationem res postulat [3]. Contra praecepta est, quod nihil eorum efficit, quorum causa de exordiis praecepta traduntur: hoc est, quod eum, qui audit, neque benevolum, neque attentum, neque docilem efficit; aut, quo nihil profecto peius [4] est, ut contra sit, facit. Ac de exordio quidem satis dictum est.

XIX. 27. Narratio est rerum gestarum [5], aut ut gestarum, expositio. Narrationum genera sunt tria [6]: unum genus est, in quo ipsa causa, et omnis ratio controversiae continetur: alterum, in quo degressio [7] aliqua extra causam aut criminationis, aut similitudinis, aut delectationis non alienae ab eo negotio, quo de [8] agitur, aut amplificationis causa, interponitur. Tertium genus est remotum a civilibus causis, quod delectationis causa, non inutili cum exercitatione, dicitur et scribitur. Eius partes sunt duae, quarum altera in negotiis, altera in personis maxime versatur. Ea, quae in negotiorum expositione posita est, tres habet partes, fabulam, historiam, argumentum. Fabula est, in qua nec verae, nec veri similes res continentur, cuiusmodi est:

Angues ingentes alites, iuncti iugo.

Historia est gesta res, ab aetatis nostrae memoria [9] remota: quod genus, Appius indixit Karthaginiensibus bellum. Argumentum est ficta res, quae tamen fieri potuit. Huiusmodi [10] apud Terentium:

Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia —

Illa autem narratio, quae versatur in personis, eiusmodi est, ut in ea simul cum rebus ipsis personarum sermones et animi perspici possint, hoc modo:

Venit ad me saepe clamitans: Quid agis Micio?
Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus sumptum suggeris?
Vestitu nimio indulges, nimium ineptus es.
Nimium ipse durus est [11] praeter aequumque et bonum.

([1]) Quater hic cum Cdd. aliq. (T.) et Sch. 2. prob. Ern. omisi *est*, quod habent L. 1. 3. ([2]) Sic Erf. T. = *quis* L. 1. 2. 3. ([3]) ∞ *desideret: postulet* Multi, etiam T. Victorin. prob. Oud. ([4]) Sic optimi, etiam T. = *profecto nihil peius* L. 1. 2. 3. ([5]) ∞ *gestarum rerum* T. ut infra et *de Orat.* 2, 15. ([6]) Sic Optimi, etiam T. = *tria sunt genera* L. 1. 2. 3. ([7]) — *in quod degressio* L. (*digressio* T. 1. 2. 3.) ([8]) — *de quo* Cdd. multi. ([9]) — *memoria propter vetustatem remota* L. ([10]) ∞ *cuiusmodi* L. ([11]) ∞ *est durus* Cdd. aliq. L. v. Ern.

Hoc in genere narrationis multa inesse debet festivitas, confecta ex rerum varietate, animorum dissimilitudine, gravitate, lenitate[1], spe, metu, suspicione, desiderio, dissimulatione, errore, misericordia, fortunae commutatione, insperato incommodo, subita laetitia, iucundo exitu rerum. Verum haec ex iis[2], quae postea de elocutione praecipientur, ornamenta sumentur.

28. Nunc de narratione ea, quae causae continet expositionem, dicendum videtur. XX. Oportet igitur eam tres habere res: ut brevis, ut aperta, ut probabilis sit. Brevis erit, si, unde necesse est, inde initium sumetur, et non ab ultimo repetetur, et si cuius rei satis erit summam dixisse, eius partes non dicentur; (nam saepe satis est, quid[3] factum sit, dicere; non ut[4] enarres, quemadmodum sit factum;) et si non longius, quam quod[5] scitu opus est, in narrando procedetur, et si nullam in rem aliam transibitur: et si ita dicetur, ut nonnunquam ex eo, quod dictum sit, id, quod dictum non sit, intelligatur: et si non modo id, quod obest, verum etiam id, quod nec obest, nec adiuvat, praeteribitur: et si semel unumquodque[6] dicetur: et si non ab eo, in quo proxime desitum erit, deinceps incipietur. Ac multos imitatio brevitatis decipit[7], ut, quum se breves putent esse, longissimi sint: quum dent operam, ut res multas breviter[8] dicant, non ut omnino paucas res dicant, et non plures, quam necesse sit. Nam plerisque breviter dicere videtur, qui ita dicit: Accessi ad aedes, puerum evocavi: respondit: quaesivi dominum: domi negavit esse. Hic, tametsi tot res brevius non potuit dicere, tamen, quia satis fuit dixisse, domi negavit esse[9], fit rerum multitudine longus. Quare hoc quoque in genere vitanda est brevitatis imitatio, et non minus rerum non necessariarum, quam verborum multitudine supersedendum est[10]. 29. Aperta autem narratio poterit esse, si, ut quidque primum gestum erit, ita primum exponetur, et rerum ac temporum ordo servabitur, ut ita narrentur, ut gestae res erunt, aut ut potuisse geri videbuntur. Hic considerandum erit, ne quid perturbate, ne quid contorte dicatur, ne quam in aliam rem transeatur, ne ab ultimo repetatur, ne ad extremum prodeatur, ne quid, quod ad rem pertineat, praetereatur: et omnino, quae praecepta de brevitate sunt, hoc quoque in genere sunt conservanda. Nam saepe res parum est intellecta longitudine magis, quam obscuritate narrationis. Ac verbis quoque dilucidis utendum est: quo de genere dicendum est in praeceptis elocutionis. XXI. Probabilis erit narratio, si in ea videbuntur inesse ea, quae solent apparere in veritate; si personarum dignitates servabuntur; si causae factorum exstabunt; si fuisse facultates faciundi videbuntur; si tempus idoneum; si spatii satis; si locus opportunus ad eandem[11] rem, qua de re nar-

---

(1) ∞ *levitate* Leid. prim. Sch. 2. Cfr. *ad Herenn.* 1, 8. (2) Sic Iu. L. — *his* 1. 2. 3. (3) Sic Iu. L. 1. 2. — *quod* 3. (4) Sic T. 1. 2. 3. — *ut non* L. (5) Sic Iu. L. 1566. 1. 3. ∞ *quoad* L. in marg. 1581. Sch. 2. (6) Sic Cdd. aliq. Iu. 1. 2. = *unumquidque* T. L. 3. (7) = *decipit brevitatis* L. (8) ∞ *brevi* T. (9) Haec *quia – esse* eiecit Sch. C. 2. (10) ∞ *est* om. L. (Habet T.) (11) Sic T. Cdd. omnes. 1. 3. ∞ *eam* L. Sch. 2. quod placet.

rabitur, fuisse ostendetur: si res et ad eorum, qui agent[1], naturam, et ad vulgi morem[2], et ad eorum, qui audient[3], opinionem accommodabitur. Ac veri quidem similis ex his rationibus esse poterit. 30. Illud autem praeterea considerare oportebit, ne aut, quum obsit narratio, aut quum nihil prosit, tamen[4] interponatur; aut non loco, aut non, quemadmodum causa postulat, narretur. Obest tum, quum ipsius rei gestae expositio magnam excipit[5] offensionem, quam argumentando, et causam agendo leniri oportebit. Quod quum acciderit, membratim oportebit partes rei gestae dispergere in causam, et ad unamquamque confestim rationem accommodare, ut vulneri praesto medicamentum sit, et odium statim defensio mitiget. Nihil prodest narratio tum[6], quum aut[7] ab adversariis re exposita, nostra nihil interest, iterum aut alio[8] modo narrare: aut quum ab iis, qui audiunt[9], ita tenetur negotium, ut nostra nihil intersit eos alio pacto docere. Quod quum acciderit, omnino narratione supersedendum est. Non loco dicitur, quum non in ea parte orationis collocatur, in qua res postulat: quo de genere agemus tum, quum de dispositione dicemus; nam hoc ad dispositionem pertinet. Non quemadmodum causa postulat, narratur, quum aut id, quod adversario prodest, dilucide et ornate exponitur, aut id, quod[10] ipsum[11] adiuvat, obscure dicitur, et negligenter. Quare, ut hoc vitium vitetur, omnia torquenda sunt ad commodum suae causae, contraria, quae praeteriri poterunt, praetereundo; quae illius erunt[12], leviter attingendo, sua diligenter et enodate narrando. Ac de narratione quidem satis dictum videtur: deinceps ad partitionem transeamus.

XXII. 31. Recte habita in causa partitio illustrem et perspicuam totam efficit orationem. Eius partes duae sunt, quarum utraque magno opere[13] ad aperiendam causam, et ad[14] constituendam pertinet controversiam. Una pars[15] est, quae, quid cum adversariis conveniat, et quid in controversia relinquatur, ostendit: ex qua certum quiddam designatur[16] auditori, in quo animum debeat habere occupatum. Altera est, in qua rerum earum, de quibus erimus dicturi, breviter expositio ponitur distributa: ex qua conficitur, ut certas animo res teneat auditor, quibus dictis intelligat fore peroratum. Nunc utroque genere partitionis quemadmodum conveniat uti, breviter dicendum videtur. Quae partitio, quid conveniat, aut quid non conveniat, ostendit, haec debet illud, quod convenit, inclinare ad suae causae commodum, hoc modo: Interfectam matrem esse a filio, convenit mihi cum adversariis. Item

---

(1) Sic T. L. 1. 2. 3. — *agunt* Ald. Iu. Crat. (2) Sic Erf. O2x. Victorin. L. 1. 2. — *rumorem* T. Iu. 3. cum plerisq. Cdd. (3) e Cdd. (T.) 1. 2. — *audiunt* L. 3. (4) Sic T. al. prob. Graev. 1. 2. — *tunc* L. 3. (5) — *excitat* Purgoldi C. (6) Sic T. alii pauci. — *tunc* L. 1. 2. 3. (7) Sic T. 1. 2. 3. — om. *aut* L. Grut. (8) ∞ *iterum eodem modo* Erf. prob. Graev. et sic videtur legisse Victorin. (9) Rescribe: *audient*. (10) — *aut quod* Graev. 3. (11) — *se ipsum* Iu. L. (12) — *quae illius commoda erunt* Cld. — *quae i. erunt commoda* O2x. e gloss. — *quae minus poterunt* Schützii suspicio non recepta. (13) Sic T. = *magnopere* L. 1. 2. 3. (14) e Cdd. 1. 2. — om. *ad* T. L. 3. (15) ∞ *partitio* L. e Cld. Lambino tamen utrumque spurium videbatur. (16) — *destinatur* T. alii Cdd.

contra: Interfectum esse a Clytaemnestra Agamemnonem, convenit. Nam hic uterque et id posuit, quod conveniebat, et tamen suae causae commodo consuluit. Deinde, quid controversiae [1] sit, ponendum est in iudicationis expositione: quae quemadmodum inveniretur, ante dictum est. 32. Quae autem [2] partitio rerum distributam [3] continet expositionem, haec habere debet brevitatem, absolutionem, paucitatem. Brevitas est, quum, nisi necessarium, nullum assumitur verbum. Haec in hoc genere ideirco utilis est, quod rebus ipsis, et partibus causae, non verbis, neque extraneis ornamentis animus auditoris tenendus est. Absolutio est, per quam omnia, quae incidunt in causam, genera, de quibus dicendum est, amplectimur. In qua partitione [4] videndum est, ne aut aliquod genus utile relinquatur, aut sero [5] extra partitionem, id quod vitiosissimum ac turpissimum est, inferatur. Paucitas in partitione servatur, si genera ipsa rerum ponuntur, neque permixte [6] cum partibus implicantur. Nam genus est, quod plures partes amplectitur, ut animal. Pars est, quae subest generi, ut equus. Sed saepe eadem res alii genus, alii pars est. Nam homo, animalis [7] pars est; Thebani aut Troiani [8], genus. XXIII. Haec ideo diligentius inducitur descriptio [9], ut aperte intellecta generali praescriptione [10], paucitas generum in partitione servari possit. Nam qui ita partitur: Ostendam, propter cupiditatem, et audaciam, et avaritiam adversariorum, omnia incommoda ad rem publicam pervenisse; is non intellexit, in partitione, exposito genere, partem se generis admiscuisse. Nam genus est, omnium nimirum libidinum, cupiditas: eius autem generis sine dubio pars est avaritia.

33. Hoc igitur vitandum est, ne, cuius genus posueris, † eius [secum] aliquam, sicuti [11] diversam ac dissimilem, partem ponas in eadem partitione. Quod si quod in genus plures incident [12] partes, id quum in prima partitione causae erit simpliciter expositum, distribuetur eo tempore commodissime, quum ad ipsum ventum erit explicandum in causae dictione post partitionem. Atque illud quoque pertinet ad paucitatem, ne aut plura, quam satis est, demonstraturos nos dicamus, hoc modo: Ostendam, adversarios, quod arguimus, et potuisse facere,

---

([1]) Sic T. Grut. 1. 2. 3. ∞ *in controversia* Iu. L. ([2]) ∞ *autem* om. T. ([3]) — *distributarum* Erf. O2x. Graev. 3. Sed v. supra: *expositio ponitur distributa.* ([4]) Sic Cdd. 1. 3. ∞ *amplectimur partitione. In qua vid.* Iu. L. ∞ *amplectimur partitione. In quo* Sch. €. 2. ([5]) — add. *postea* e Cdd. aliq. Graev. 3. ([6]) = *permiste* L. 3. ([7]) ∞ *animali* e C1d. Sch. 2. ([8]) ∞ *Thebanis aut Troianis* Sch. €. 2. Victorinus tamen vindicat num. singul. Legendum puto: *animali - Thebano aut Troiano.* ([9]) Sic ex Erf. O1x. Ed. vett. Sch. 2. (T. *descriptio* habet superscriptum vulgato) — *praescriptio* Iu. L. 1. 3. ([10]) e C1d. Sch. 2. — *partitione* T. Pleriq. L. 1. 3. ([11]) Sic 1. 3. Locus corruptus. Fluctuant Cdd. (Tur. h. l. compendium habet inextricabile) satis tamen demonstrantes *secum* ortum esse ex *sicuti* (*secuti* aliq.). Aliquot Graevii, Lallem. Oxonn.: *eius sicuti aliquam diversam* quod probant Gronov. Oud. Lallem. Alii: *eius aliquam, sicuti div.* (*eius sicuti diversam aliquam* L.) Sed Sch. 2. de €. Becichemi nimis facili, quamvis praecepta quodammodo ab Omnib. *(cuius gen. pos. eius speciem secum sicuti aliquam divisam partem ac dissimilem)* et Iunta: *(cuius g. p. eius speciem, secum aliquam, sicuti div. et diss.)* dedit: *quum g. p. eius speciem aliquam, sicuti div. ac diss.)* ∞ *cuius g. p. eius secundum id aliquam* Purgoldi. ([12]) — *inciderint* L.

et voluisse, et fecisse: nam fecisse ostendere satis est: aut, quum in causa partitio nulla sit, et quum [1] quiddam simplex agatur, tamen utamur distributione: id quod perraro potest accidere. Ac sunt alia quoque praecepta partitionum, quae ad hunc usum oratorium non tanto opere [2] pertineant; quae [3] versantur in philosophia, ex quibus [4] haec ipsa transtulimus, quae convenire videbantur, quorum nihil in ceteris artibus inveniebamus. Atque his de partitione praeceptis, in omni dictione meminisse oportebit, ut et prima quaeque pars, ut exposita est in partitione, sic ordine transigatur, et omnibus explicatis, peroratum sit; hoc modo [5], ut ne quid posterius praeter conclusionem inferatur. Partitur apud Terentium breviter et commode senex in Andria, quae cognoscere libertum velit:

Eo pacto, et gnati vitam, et consilium meum
Cognosces, et quid facere in hac re te velim.

Itaque quemadmodum in partitione proposuit, ita narrat, primum gnati vitam [6];

Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia —
[*Liberius vivendi fuit potestas* [7]].

Deinde suum consilium;

Et nunc id operam do.

Deinde [8] quid Sosiam velit facere, id quod postremum posuit in partitione, postremum dicit:

Nunc tuum est officium.

Quemadmodum igitur hic et ad primam [9] quamque partem primum accessit, et omnibus absolutis, finem dicendi fecit, sic nobis placet, et ad singulas partes accedere, et omnibus absolutis, perorare. Nunc de confirmatione deinceps, ita ut ordo ipse postulat, praecipiendum videtur.

XXIV. 34. Confirmatio est, per quam argumentando, nostrae causae fidem, et auctoritatem, et firmamentum adiungit oratio. Huius partis certa sunt praecepta, quae in singula causarum genera dividen-

---

(1) — om. *quum* L. Grut. 3. (Habet T.) ∞ *simplex quiddam* Sch. in Ed. mai. e Cld. sicque habet Turic. (2) Sic T. Quemadmodum scil. dicitur *omni opere, nimio opere* (*Parad.* 5, 2.) *summo autem opere, summo igitur opere* cet. ita ubivis scribendum censeo *magno opere, summo opere, tanto opere, quanto opere*, ut exhibent fere Cdd. meliores, etsi fortasse iam antiquitus pronuntiatum fuerit *magnopere* cet. Nullum certe in his discrimen statui potest, ita ut v. c. post negationem tenuius, quod dicunt, *magnopere* cet. locum habeat, sine negatione vero, *magno opere* praeferendum sit, id quod recentioribus quibusdam placuisse video. Constantiae igitur causa, sic dedi ubique; pronuntio, ut ceteri. (3) Sic T. Cdd. multi. Ern. 1. — *pertinent; quae* Iu. L. 3. — *pertinent; sed* de Ern. suspic. Sch. 2. (4) Sic Cdd. omnes. Iu. L. 1. 3. — *de qua* ex Victorino Sch. 2. (5) — *hoc modo* L. et Sch. in Ed. mai. transposuere ante *Partitur*. (6) = *nati* utrobique Iu. L. — *vitam nati* Cdd. aliq. ∞ *vitam filii* Cld. non improb. Oud. Item T. (7) ∞ om. T. multi Cdd. Sch. 2. Recte. Nos [ ]. (8) Sic T. alii Cdd. Iu. (Ed. 1584.) 1. 2. — *Posthaec* L. 1566. Grut. 3. (9) — *hic ad primam* L.

tur [1]. Verumtamen non incommodum videtur, quandam silvam [2], atque materiam [3] universam ante [4] permixtam et confusam exponere omnium argumentationum: post autem tradere, quemadmodum unumquodque genus causae, omnibus hinc argumentandi rationibus tractis, confirmare oporteat.

Omnis res argumentando confirmatur [5], aut ex eo, quod personis, aut ex eo, quod negotiis est attributum. Ac personis [6] has res attributas putamus, nomen, naturam, victum, fortunam, habitum, affectionem, studia, consilia, facta, casus, orationes. † Nomen est, quod unicuique personae attribuitur, quo suo quaeque proprio et certo vocabulo appellatur [7]. Naturam ipsam definire difficile est: partes autem eius enumerare eas, quarum indigemus ad hanc praeceptionem, facilius est. 35. Hae [8] autem partim divino, partim mortali in genere versantur. Mortalium autem pars in hominum, pars in bestiarum genere numeratur. Atque hominum genus et in sexu consideratur [9], virile an muliebre sit; et in natione, patria, cognatione, aetate. Natione, Graius an Barbarus; patria, Atheniensis an Lacedaemonius; cognatione, quibus maioribus, quibus consanguineis: aetate, puer an adolescens, natu grandior an senex. Praeterea commoda et incommoda considerantur ab natura data animo aut corpori, hoc modo [10]: valens an imbecillus [11]; longus an brevis; formosus an deformis; velox an tardus sit; acutus [12] an hebetior; memor an obliviosus: comis, officiosus, pudens, patiens [13] an contra. Et omnino, quae a natura dantur animo et corpori, in natura [14] consideranda sunt. Nam quae industria comparantur, ad habitum pertinent, de quo posterius dicendum est. XXV. In victu considerare oportet, apud quos, et quo more, et cuius arbitratu sit educatus, quos habuerit artium liberalium magistros, quos vivendi praeceptores, quibus amicis utatur, quo in negotio, quaestu, artificio sit occupatus, quo modo rem familiarem administret, qua consuetudine domestica sit. In fortuna quaeritur, servus sit, an liber; pecuniosus, an tenuis: privatus, an cum potestate: si cum potestate, iure an iniuria: felix, clarus, an contra: quales liberos habeat. Ac si de non vivo quaeretur, etiam quali morte sit affectus, erit considerandum.

---

(1) — *dividuntur* L. (2) = *silvam quandam* L. (3) = *materiem* Cld. (4) — *ante* ponit ante v. *exponere* L. (5) Sic T. alii Cdd. Victorin. L. — *omnes res arg. confirmantur* Iu. 1. 2. 3. (6) ∞ add. *quidem* Otx. L. Sch. 2. (7) Locus corruptus, ut patet ex διτταγραφίαις. Sic Ern. 1. 2. nisi quod de Ern. C. habent *appelletur*, quo tamen parum iuvamur. Pro *attribuitur* Cdd. aliq. *tribuitur*. — *datur* Iu. Graev. 3. Sed Turic.: ∞ *Nomen est uniuscuiusque personae, quo suo quaeque pr. et c. voc. appellatur.* Lamb. 1566: *Nomen est certum et proprium uniuscuiusque personae vocabulum, quo quaeque appellatur.* (8) ∞ *Eae* T. (9) — *considerandum* T. (10) ∞ *corpori. Corpori, hoc modo* L. (11) = *imbecillis* Cdd. multi. Iu. (sed *imbecillus* etiam T.) (12) ∞ *Animo; acutus* L. (13) Sic T. Ern. 1. 3. = *off. patiens, pudens* L. — *off. patiens, prudens* Victorin. Iu. Post *officiosus* Cdd. aliq. inserunt *facetus.* Hoc recepit Sch. 2. deleto e C. v. *officiosus.* (14) Sic Voss. sec. Sch. 2. ∞ *dantur a. et c. considerabuntur in natura. Nam* — Leid. prim. quod vix deterius. — *quae natura dant* (a. m. 2. *n* puncto notatur, ut deleatur) *a. et c. in nat. cons. sunt.* T. — *quae a natura data animo et corp. considerabuntur, in natura cons. sunt.* Iu. L. 3. Sic etiam Ern. 1. nisi quod v. *considerabuntur* [ ]. ∞ *an contra: et omnino quae a. n. dantur a. et corpori. Nam* Oud. C.

36. Habitum autem appellamus, animi aut corporis constantem et absolutam [1] aliqua in re perfectionem: ut virtutis [2], aut artis perceptionem alicuius, aut quamvis scientiam, et item corporis aliquam commoditatem, non natura datam, sed studio et industria [3] partam. Affectio est, animi aut corporis ex tempore, aliqua de causa, commutatio, ut laetitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas, et alia, quae genere in eodem reperiuntur [4]. Studium est [5] animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio, ut philosophiae [6], poëticae, geometriae, literarum. Consilium est aliquid faciendi, non faciendive excogitata [7] ratio. Facta autem, et casus, et orationes tribus ex temporibus considerabuntur: quid fecerit, aut quid ipsi acciderit, aut quid dixerit; aut quid faciat, quid ipsi accidat, quid dicat; aut quid facturus sit, quid ipsi casurum sit, qua sit usurus oratione [8]. Ac personis quidem haec videntur esse attributa.

XXVI. 37. Negotiis autem quae sunt attributa, partim sunt continentia cum ipso negotio, partim in gestione negotii considerantur, partim adiuncta negotio sunt, partim gestum negotium consequuntur. Continentia cum ipso negotio sunt ea, quae semper affixa esse videntur ad rem, neque ab ea possunt separari. Ex his prima est brevis complexio totius negotii, quae summam continet facti, hoc modo: Parentis occisio, patriae proditio: deinde causa eius sumptae, per quam, et quamobrem, et cuius rei causa factum sit, quaeritur: deinde ante rem gestam [9] quae facta sint [10], continenter usque ad ipsum negotium: deinde, in ipso gerendo negotio quid actum sit: deinde, quid postea factum sit.

38. In gestione autem negotii, qui locus secundus erat de iis, quae negotiis attributa sunt, quaeritur [11] locus, tempus, occasio, modus, facultates [12]. Locus consideratur, in quo res gesta sit, ex opportunitate, quam videatur habuisse ad negotium administrandum. Ea autem opportunitas quaeritur ex magnitudine, intervallo, longinquitate, propinquitate, solitudine, celebritate, natura ipsius loci, et vicinitate totius regionis [13]; ex his etiam attributionibus: sacer an profanus, publicus an privatus, alienus an ipsius, de quo agitur, locus sit aut [14] fuerit. 39. Tempus est [15], id quo nunc utimur, (nam ipsum quidem generaliter definire difficile est,) pars quaedam aeternitatis, cum alicuius annui, menstrui [16], diurni, nocturnive spatii certa

---

([1]) Sic omnes. — *et usu absolutam* e Victorino Sch. 2. ([2]) ∞ *aut virtutis* T. alii. prob. Graev. — *ut virtutem* e Victorino. Sch. 2. ([3]) Sic T. Cdd. pleriq. Iu. L. — *industriaque* Grut. 1. 2. 3. ([4]) ∞ *reperiuntur* T. ([5]) Sic e Cdd. 1. 2. — *studium autem est* L. 3. ∞ *studium est autem* T. Iu. ([6]) — *ut ad philosophiam, poeticam, geometriam, literas* L. Pro *poeticae* = *poëtices* Graev. 3. ([7]) Sic Cic. *de Invent.* 2, 9. Alcuin. *Rhet.* p. 370. Auct. *Excerpt. de Rhet.* p. 276. prob. Oud. Sch. 2. — *aut non faciendi vere* (hoc voc. Ern. [ ]) *excogitata* T. L. 1. 3. ([8]) — *ratione* L. ([9]) ∞ *gestam rem* T. ([10]) Sic T. L. — *sunt* Iu. 1. 2. 3. ([11]) Sic Cdd. aliq. L. 1. 2. — *quaeretur* T. 3. ([12]) Sic T. al. 1. 2. — *facultas* 3. (— *modus, occasio, facultas* Iu. L.) ([13]) ∞ *et vicinitatis, et totius reg.* T. ([14]) Sic T. alii Cdd. L. Sch. 2. — *an* Iu. 1. 3. ([15]) e Cdd. 1. 2. — *tempus autem est* T. Iu. L. 3. ([16]) Sic T. Pleriq. L. 1. 3. ∞ *mensurni* Priscian. Cdd. aliq. (O2x.) Sch. 2. (*mensurni, vespertini, nocturnive* Cod. Med.) v. Priscian. p. 100. *Krehl.* Omnib.: *anni mensura diurna vespertina nocturnave spatii.* In quibus omnibus antiquissima videtur latere corruptela, cui debemus inauditam alias formam: *mensurnus.*

significatione. In hoc et quae praeterierunt[1], considerantur; et eorum ipsorum, quae propter vetustatem obsoleverunt, ut incredibilia videantur, et iam in fabularum numero[2] reponantur; et quae iam diu gesta, et a memoria nostra remota[3], tamen faciant fidem, vere tradita esse, quod eorum monumenta certa in literis exstent; et quae nuper[4] gesta sint, quae scire plerique possint: et item quae instent in praesentia[5], et °quae quum maxime[6] fiant, et quae consequantur. In quibus potest considerari, quid ocius, et quid[7] serius futurum sit. Et item communiter in tempore perspiciendo longinquitas eius est consideranda. Nam saepe oportet commetiri cum tempore negotium, et videre, potueritne aut magnitudo negotii aut multitudo rerum in eo transigi tempore[8]. Consideratur autem tempus et anni, et mensis, et diei, et noctis, et vigiliae, et horae, et in aliqua parte alicuius horum[9]. XXVII. 40. Occasio est[10] pars temporis, habens in se alicuius rei idoneam faciendi aut non faciendi[11] opportunitatem. Quare cum tempore hoc differt[12]: nam genere quidem utrumque idem esse intelligitur; verum in tempore spatium quodam modo declaratur, quod in annis, aut in anno, aut in aliqua anni parte spectatur: in occasione, ad spatium temporis, faciendi quaedam opportunitas intelligitur adiuncta[13]. Quare quum genere idem sit, fit aliud, quod parte quadam, et specie, ut diximus, differat[14]. Haec distribuitur in tria genera, publicum, commune, singulare. Publicum est, quod civitas universa aliqua de causa frequentat, ut ludi, dies festus, bellum. Commune[15], quod accidit omnibus eodem fere tempore, ut messis, vindemia, calor, frigus. Singulare autem est, quod aliqua de causa privatim solet alicui accidere, ut nuptiae, sacrificium, funus, convivium, somnus. 41. Modus est[16], in quo, quemadmodum, et quo animo factum sit, quaeritur. Eius partes sunt, prudentia et imprudentia. Prudentiae ratio[17] quaeritur ex iis, quae clam, palam, vi, persuasione fecerit: impru-

---

([1]) Cdd. pleriq. etiam T. *praeterierunt - obsoleverunt*, sed in seqq. coniunctivum exhibent, quos cum Iunta, Grut. Graev. 3. secutus sum. Ern. 1. e Cdd. aliq. *praeterierint - obsoleverint*. Lamb. Sch. 2. ubique indicativos habent: *praeterierunt - obsoleverunt - faciunt - sunt - instant - possunt - fiunt - consequuntur*, non sine Cdd. auctoritate. Vide variet. Oudendorp. ([2]) Sic ex bonis Cdd. (etiam O2x.) Sch. 2. ∞ *numerum* T. Pleriq. Iu. L. 1. 3. cfr. infra C. 51. *De Nat. Deor.* 3, 19. Neutrius loci meminerunt Edd. Difficillima sane quaestio: sed et supra C. 22. Turicensis *ponas in eandem partitionem*, unde equidem hanc cum accusat. constructionem malim librariis tribuere. ([3]) — *tum ea, quae tametsi inmdiu gesta, et a m. n. remota sint* L. ([4]) — *tum quae nuper* L. ([5]) Sic T. L. 1. 2. 3. ∞ *in praesenti* C1d. prob. Oud. v. C. 17. ([6]) Sic dedi e C. mea. ∞ *et quum maxime* Turic. Auct. *Excerpt. de Rhet.* p. 277. Sch. 2. — *et, quae maxime* Cdd. pleriq. Iu. L. 1. 3. Utraque scil. lectio coniungenda erat. ([7]) Sic T. Iu. L. 1. 2. 3. ∞ *quid*, omisso *et* C1d. Edd. vett. Crat. Sch. in Ed. mai. ([8]) — om. *tempore* C1d. Sch. in Ed. mai. ([9]) — *in* om. C1d. — *horae* Voss. prim. a pr. m. Unde Sch. C. non recepta: *aut alicuius partis horae*. Non opus. Cfr. mox: *in aliqua anni parte*. ([10]) Cum paucis Cdd. hic et infra bis Ern. omisit *autem*. H. l. habent T. L. 3. ([11]) — *aut non faciendi* suspectum Sch. ([12]) — *quare a tempore differt* L. ([13]) ∞ *intell. esse adi.* L. ([14]) ∞ *idem sit, parte et specie, ut diximus, differt*. L. 1566. — *idem sit, specie, ut diximus, differt* „Alii", in marg. 1584. ([15]) Sic T. 1. 2. 3. = *commune est* Iu. L. ([16]) — *m. autem est* T. Pleriq. L. 3. ([17]) — *pr. autem r.* T. L. 3.

dentia autem in purgationem confertur, cuius partes sunt inscientia, casus, necessitas, et in affectionem animi, hoc est, molestiam, iracundiam, amorem, et cetera, quae in simili genere versantur. Facultates sunt, aut quibus facilius fit, aut sine quibus aliquid confici non potest.

XXVIII. Adiunctum autem negotio id intelligitur, quod maius, et quod minus, et quod aeque magnum [1], et quod simile erit ei negotio, quo de agitur, et quod contrarium, et quod disparatum, et genus, et pars, et eventus. Maius et minus, et aeque magnum, ex vi, et ex numero [2], et ex figura negotii, sicut ex statura corporis, consideratur. 42. Simile autem ex specie comparabili, aut ex [3] conferenda atque assimulanda [4] natura iudicatur. Contrarium est, quod positum in genere diverso, ab eodem [5], cui contrarium esse dicitur, plurimum distat [6], ut frigus calori, vitae [7] mors. Disparatum autem est id, quod ab aliqua re per oppositionem negationis separatur, hoc modo: sapere, non [8] sapere. Genus est, quod partes aliquas amplectitur, ut cupiditas [9]. Pars est, quae subest generi, ut amor, avaritia [10]. Eventus est alicuius exitus [11] negotii, in quo quaeri solet, quid ex quaque re evenerit, eveniat, eventurum [12] sit. Quare hoc in genere, ut commodius, quid eventurum sit, ante animo colligi possit, quid quaque ex re soleat evenire, considerandum est, hoc modo: Ex arrogantia [13] odium, ex insolentia arrogantia.

43. Quarta autem pars est ex iis, quas negotiis dicebamus esse attributas [14], consecutio. In hac eae res quaeruntur, quae gestum negotium consequuntur: primum, quod factum est, quo id nomine appellari conveniat: deinde, eius facti qui sint principes et inventores, qui denique auctoritatis eius et inventionis comprobatores atque aemuli: deinde, ecquae ea de re, aut eius rei sit lex, consuetudo, actio, iudicium, scientia, artificium: deinde, natura eius [15] evenire vulgo soleat, an insolenter et [16] raro: postea, homines id sua auctoritate comprobare, an offendere in iis consuerint [17]: et cetera, quae factum aliquod similiter confestim [18], aut ex intervallo solent consequi. Deinde postremo attendendum est, num quae res ex iis rebus, quae sunt positae in partibus honestatis, aut utilitatis, consequantur: de quibus in deliberativo genere causae distinctius erit dicendum. Ac negotiis quidem fere res eae, quas commemoravimus, sunt attributae.

([1]) Haec ante *et quod simile* transposuit Sch. 2. cum O2x. Vulgo (T. Iu. L. 1. 3.) leg. post *agitur*. ([2]) — *ex rerum et personarum vi et numero* Sch. C. 2. ([3]) Sic Cdd. aliq. Edd. vett. Iu. L. 1566. 1. 2. — *comparabili: comparabile autem ex* T. Lamb. 1584. 3. ([4]) = *assimilanda* Pleriq. L. ([5]) ∞ *ab eo* C3d. Sch. in Ed. mai. ([6]) — *differt* C2d. prob. Oud. ([7]) — *calore, vita* C1d. ([8]) e Cdd. Sch. 2. — *sapere, et non sapere* T. Iu. L. 1. 3. ([9]) — *cupiditas amorem, avaritiam* L. ([10]) — *avaritia cupiditati* L. ([11]) ∞ *exitus alicuius* T. L. ([12]) Sic L. 1. 2. e Cdd. — *eventurumque* T. Iu. 3. ([13]) — *Ex insol. arr., ex arr. od.* Sch. C. 2. ([14]) — *quae - attributa* e C1d. Omnib. Sch. 2. Post *iis* fortasse excidit *rebus: Oud.* ∞ *quas res* O1x. ([15]) ∞ *quid ex natura eius* Victorin. prob. Mureto et Capperon. ([16]) Sic T. Iu. L. 1. 2. — *ac* Grut. 3. ([17]) Sic C2d. prob. Oud. (etiam Turic.) Sch. 2. (*iis* scripsi pro *his*, et *consuerint* e Tur. pro *consueverint*). — *offendi in his c.* Iu. 1. 3. — *offendi eo* L. ([18]) — *aut confestim* e C1d. Sch. 2.

XXIX. 44. Omnis autem argumentatio, quae ex iis locis, quos commemoravimus, sumetur, aut probabilis, aut necessaria debebit esse. Etenim, ut breviter describamus, argumentatio videtur esse inventum aliquo ex [1] genere, rem aliquam aut probabiliter ostendens, aut necessarie [2] demonstrans. Necessarie demonstrantur ea, quae aliter ac dicuntur, nec fieri, nec probari possunt, hoc modo: Si peperit, cum viro concubuit. Hoc genus argumentandi, quod in necessaria demonstratione versatur, maxime tractatur in dicendo, aut per complexionem, aut per enumerationem, aut per simplicem conclusionem. 45. Complexio est, in qua, utrum concesseris, reprehenditur, ad hunc modum: Si improbus est, cur uteris? sin probus, cur accusas? Enumeratio est, in qua, pluribus rebus expositis, et ceteris infirmatis, una reliqua necessario [3] confirmatur, hoc pacto: Necesse est aut inimicitiarum causa ab hoc esse occisum, aut metus, aut spei, aut alicuius amici [4] gratia, aut, si horum nihil est, ab hoc non esse occisum: nam sine causa maleficium susceptum esse non potest: sed neque inimicitiae fuerunt, nec metus ullus, nec spes ex morte illius alicuius commodi, neque ad amicum huius aliquem mors illius [5] pertinebat. Relinquitur igitur [6], ut ab hoc non sit occisus. Simplex autem conclusio ex necessaria consecutione conficitur, hoc modo: Si vos me istud [7] eo tempore fecisse dicitis, ego autem eo ipso tempore trans mare fui: relinquitur, ut id, quod dicitis, non modo non fecerim, sed ne potuerim quidem facere. Atque hoc diligenter videre oportebit, ne quo pacto genus hoc refelli possit, ut ne confirmatio [8] modum in se argumentationis solum habeat, et quandam similitudinem necessariae conclusionis, verum ipsa argumentatio ex necessaria ratione consistat.

46. Probabile autem est id, quod fere solet fieri [9], aut quod in opinione positum est, aut quod habet in se ad haec [10] quandam similitudinem, sive id falsum est, sive verum. In eo genere, quod fere solet fieri, probabile huiusmodi est: Si mater est, diligit filium: Si avarus est, negligit iusiurandum. In eo autem, quod in opinione positum est, huiusmodi sunt probabilia: Impiis apud inferos poenas esse paratas [11]: Eos, qui philosophiae dent operam, non arbitrari deos esse. XXX. Similitudo autem in contrariis et paribus, et in iis rebus, quae sub eandem cadunt rationem, maxime spectatur. In contrariis, hoc modo: Nam si iis, qui imprudentes laeserunt, ignosci convenit, iis, qui necessario profuerunt, haberi gratiam non oportet. 47. Ex pari, sic: Nam ut locus sine [12] portu, navibus esse non potest tutus: sic animus sine fide, stabilis amicis non potest esse [13]. In iis rebus, quae sub eandem rationem cadunt, hoc modo probabile consideratur: Nam

---

([1]) Sic T. alii. Sch. 2. = *ex aliquo* L. 1. 3. ([2]) = *necessario* Cdd. hoc loco dumtaxat. ([3]) Sic h. l. omnes, etiam T. Constantiam in his desideramus. ([4]) — *metus aut spei alicuius, aut amici* T. (— *metu aut spe* Olivet.) ([5]) Ita T. Iu. 1. 2. — *eius* L. 3. ([6]) ∞ *ergo* T. ([7]) = *istuc* T. ([8]) — *et ne confirmatio* L. (— *infirmatio* e Cdd. ut ait, praeferebat Lamb.) ([9]) Sic T. recte, ut mox. — *fieri solet.* Iu. L. 1. 2. 3. ([10]) Sic T. 1. 2. 3. — *ad hoc* Iu. L. ([11]) Sic Cdd. aliq. (O5x.) L. Sch. 2 — *praeparatas* T. 1. 3. ([12]) ∞ *locus in mari sine p.* Multi Cdd. (O5x.) prob. Oud. Iu. L. Sch. 2. Mihi, ut Ern. videtur glossema; nec habet Turic. ([13]) = *esse non potest* L.

si Rhodiis turpe non est portorium locare, ne Hermaereonti quidem turpe est conducere. Haec tum vera sunt, hoc pacto: Quoniam cicatrix est, fuit vulnus; tum veri similia, hoc modo: Si multus erat in calceis pulvis, ex itinere eum venire oportebat.

Omne autem (ut certas quasdam in partes distribuamus)[1] probabile, quod sumitur[2] ad argumentationem, aut signum est, aut credibile, aut iudicatum, aut comparabile. 48. Signum est, quod sub sensum aliquem cadit, et quiddam significat, quod ex ipso profectum videtur, quod aut ante fuerit, aut in ipso negotio, aut post sit consecutum, et tamen indiget testimonii et gravioris confirmationis; ut cruor, fuga, pallor, pulvis, et quae his sunt similia. Credibile est, quod sine ullo teste, auditoris opinione firmatur, hoc modo: Nemo est, qui non liberos suos incolumes et beatos esse cupiat. Iudicatum est, res assensione, aut auctoritate, aut iudicio alicuius, aut aliquorum comprobata. Id tribus in generibus spectatur, religioso, communi, approbato. Religiosum est, quod iurati legibus iudicarunt. Commune est, quod omnes[3] vulgo probarunt, et secuti sunt, huiusmodi: ut maioribus natu assurgatur, ut supplicum misereatur. Approbatum est, quod homines, quum dubium esset, quale haberi oporteret, sua constituerunt auctoritate: † velut Gracchi patris factum, quem populus Romanus ob id [factum] quod insciente collega in censura nihil egisset, post censuram consulem fecit[4]. 49. Comparabile autem est, quod in rebus diversis similem aliquam rationem continet. Eius partes sunt tres[5]: imago, collatio, exemplum. Imago est oratio demonstrans corporum[6], aut naturarum similitudinem. Collatio est oratio, rem cum re ex similitudine conferens. Exemplum est, quod rem auctoritate, aut casu alicuius hominis, aut negotii confirmat, aut infirmat. Horum exempla et descriptiones in praeceptis elocutionis cognoscentur. Ac fons quidem confir-

(1) ∞ *tribuamus* T. ut fere semper variatur. Sic C. 34. *tribui* a Sch. recepta est lectio, ubi *distribui* Turic. cum plerisque. (2) ∞ *sumetur* T. (3) ∞ *homines* T. alii pauci. (4) Locum conclamatum exhibemus ex edd. Iunt. Crat. et Graev. 3. (nisi quod haec post *ob id* v. *factum* omittit.) Sic et Ern. nisi quod habet: *Po. Ro. eo quod insc.* de Oud. sententia. — Lambinus: *Po. Ro. ob id quod insc. coll. in cens. nihil gessit. gessit* etiam T. al. prob. Oud. Victorinus ita enarrat: „Ut, inquit (scil. Cicero), quum sororem Horatius occidisset, et de facto eius populus esset incertus, tamen absolutus est. Deinde, ut Ti. Gracchus, quum Censor insciente collega quosdam senatu movisset, et de eius facto dubitaretur, postea tamen eius factum populus approbavit. Nam eum consulem fecit." Et habet Palat. prim. Ed. Omnib. (non vero Ed. ant. s. l. et a.) *velut gracci* (*Oratii* Omnib.) *factum est* (*est* om. Omn.) *a populo Rom.* (*Rom.* om. Omn.) *approbatum* (*approbatur* Omn.) *quod occidit sororem, quum illa devictum ab eo* (*ab eo* om. Omn.) *hostem doleret; et velut.* In quibus διττογραφίας supplementum e Victorino, non e Cod. aliquo, petitum agnoscas necesse est. Hinc tamen Sch. pro suo iure locum ita constituit: *auctoritate: velut Horatii factum, a populo approbatum, quod occidit sororem, quum illa devictum Curiatium hostem doleret; vel ut Gracchi patris, quem Po. Ro. ob id reum factum, quod insciente collega in censura non nihil egisset, post censuram iterum* (hoc v. *iterum* abest ab Ed. mai.) *consulem fecit.* At manifestum est, Victorini iam tempore locum fuisse corruptum; et Sch. €. eo maxime vitio laborat, quod Gracchus omnino reus factus non est, v. Liv. 43, 16. (5) Sic T. Iu. L. 1. 2. — abest *tres* 3. (6) — *aut corp.* Sch. 2. e paucis. Sed in primo quovis membro h. l. *aut* solet omitti.

mationis, ut facultas tulit, apertus est, nec minus dilucide, quam rei natura ferebat, demonstratus est [1]: quemadmodum autem quaeque constitutio, et pars constitutionis, et omnis controversia, sive in ratione, sive in scripto versetur [2], tractari debeat, et quae in quasque argumentationes conveniant, singillatim in secundo libro de unoquoque genere dicemus. In praesentia [3] tantummodo numeros, et modos, et partes argumentandi confuse et permixte [4] dispersimus: post descripte [5] et electe in genus quodque causae, quid cuique conveniat [6], ex hac copia digeremus.

50. Atque inveniri quidem omnis ex his locis argumentatio poterit: inventam exornari, et certas in partes distingui et suavissimum est, et summe necessarium, et ab artis scriptoribus maxime neglectum. Quare et de ea praeceptione nobis in hoc [7] loco dicendum visum [8] est, ut ad inventionem argumenti, absolutio quoque argumentandi [9] adiungeretur. Et magna cum cura et diligentia locus hic omnis considerandus est, quod non solum rei [10] magna utilitas est, sed praecipiendi quoque summa difficultas.

XXXI. 51. Omnis igitur argumentatio aut per inductionem tractanda est, aut per ratiocinationem. Inductio est oratio, quae rebus non dubiis captat assensionem [11] eius, quicum instituta est: quibus assensionibus facit, ut illi dubia quaedam res, propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur: velut apud Socraticum Aeschinem demonstrat Socrates, cum Xenophontis uxore, et cum ipso Xenophonte Aspasiam locutam: Dic mihi, quaeso, Xenophontis uxor, si vicina tua melius habeat aurum, quam tu habes, utrum [12] illius an tuum malis? Illius, inquit. Quid? si vestem, et ceterum ornatum muliebrem [13] pretii maioris habeat, quam tu habes, tuumne an illius malis? Illius vero [14], respondit. Age, inquit, si [15] virum illa meliorem habeat, quam tu habes, virumne tuum malis, an illius [16]? Hic mulier erubuit. 52. Aspasia autem cum ipso Xenophonte sermonem [17] instituit. Quaeso, inquit, Xenophon, si vicinus tuus equum meliorem habeat [18], quam tuus est; tuumne equum malis, an illius? Illius, inquit. Quid? si fundum meliorem habeat, quam tu habes, utrum tandem fundum habere malis? Illum, inquit, meliorem scilicet. Quid? si uxorem meliorem habeat [18], quam tu habes, utram [19] malis? Atque hic Xenophon quoque ipse tacuit. Post Aspasia: Quoniam uterque vestrum, inquit, id mihi solum non

---

([1]) — del. *est* Sch. €. 2. ([2]) ∞ *versabitur* T. ([3]) ∞ *In praesenti* C1d. — *in praesentiarum* C1d. ([4]) Sic T. Iu. 1. 2. 3. — *permistim* L. ([5]) Sic T. L. 1. 2. — *discrete* Iu. 3. ([6]) — *quod c. conveniet* Sch. €. 2. ([7]) Sic e Cdd. 1. 2. 3. — *et in hoc* T. Iu. L. Sed illis *et de ea pr.* respondet *Et magna.* ([8]) Sic T. Iu. L. 1. 2. — *visum* om. Grut. 3. ([9]) — *ratio argumentandi* C1d. unde Sch. €. 2. — *absoluta quoque ratio arg.* ([10]) ∞ *rei non solum* L. — *non rei solum* T. ([11]) ∞ *assensiones* Sch. €. 2. ([12]) — om. L. — *utrumne* T. ([13]) — *ornamentum muliebre* Iu. Crat. ([14]) — *vero* om. Sch. 2. cum C1d. ([15]) ∞ *Age vero si* L. Sch. 2. ∞ *Age, sit, inquit. Quid? si v.* C2d. ∞ *Age, sis, inquit* C1d. Manut. v. Garat. *ad Mil.* p. 156. ([16]) Sic Victorin. Omnib. Iu. Ern. 1. nisi quod Iu. Ern. *malis* in fine ponunt. ∞ *tuumne, an illius malis* L. — *utrum tuum malis, an illius?* Sch. 2. e C1d. — *utrumne tuum, an illius malis* 3. — *utrumne tuum malis virum, an illius?* T. ([17]) = *sermonem c. i. X.* T. L. ([18]) *habeat mel.* L. ([19]) e Cdd. 1. 2. — *utrum illius malis* T. Victorin. Iu. L. 3.

respondit, quod ego solum audire volueram, egomet dicam, quid uterque cogitet. Nam et tu, mulier, optimum virum vis [1] habere, et tu, Xenophon, uxorem habere lectissimam [2] maxime vis [3]. Quare, nisi hoc perfeceritis, ut neque vir melior, neque femina lectior in terris sit, profecto id semper [4], quod optimum putabitis esse, multo maxime requiretis, ut et tu [5] maritus sis quam optimae [6], et haec [7] quam optimo viro nupta sit. Hic quum rebus non dubiis esset assensum, factum est propter similitudinem, ut etiam illud, quod dubium videbatur, si qui [8] separatim quaereret, id pro certo, propter rationem rogandi, concederetur. 53. Hoc modo sermonis plurimum Socrates [9] usus est, propterea quod nihil ipse afferre ad persuadendum volebat, sed ex eo, quod sibi ille dederat, quicum disputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod iam concessisset, necessario approbare deberet. XXXII. Hoc in genere praecipiendum nobis videtur, primum, ut illud, quod inducemus per similitudinem, eiusmodi sit, ut sit necesse concedi. Nam ex quo postulabimus nobis illud, quod dubium sit, concedi, dubium esse id ipsum non oportebit. Deinde illud, cuius confirmandi causa fiet inductio, videndum est, ut simile iis rebus sit, quas res, quasi non dubias, ante induxerimus: (nam ante aliquid nobis concessum esse, nihil proderit, si ei dissimile erit id, cuius causa illud concedi primum voluerimus:) deinde non intelligat, quo [10] spectent illae primae inductiones, et ad quem sint exitum perventurae. 54. Nam qui videt, si ei rei, quam [11] primo rogetur, recte assenserit, illam quoque rem, quae sibi displiceat, esse necessario concedendam, plerumque aut non respondendo, aut male respondendo longius procedere rogationem non sinit. Quare ratione rogationis imprudens ab eo, quod concessit, ad id, quod non vult concedere, deducendus est. Extremum autem aut taceatur oportet, aut concedatur, aut negetur. Si negabitur, aut ostendenda est similitudo [12] earum rerum, quae ante concessae sunt, aut alia utendum inductione. Si concedetur, concludenda est argumentatio. Si tacebitur, aut elicienda est responsio [13]; aut, quoniam taciturnitas imitatur confessionem, pro eo, ac si concessum sit, concludere oportebit argumentationem. Ita fit hoc genus argumentandi tripartitum: prima pars ex similitudine constat una, pluribusve; altera ex eo, quod concedi volumus, cuius causa similitudines adhibitae sunt; tertia ex conclusione, quae aut confirmat concessionem, aut, quid ex ea conficiatur, ostendit. XXXIII. 55. Sed quia non satis alicui videbitur [14] dilucide demonstratum, nisi quid ex civili

---

([1]) Sic Cdd. aliq. (T. a m. pr.) Victorin. Sch. 2. — *mavis* Pleriq. Iu. 1. 3. ∞ *mavis habere* om. L. ([2]) = *lectissimam habere* L. ([3]) — *cupis* Victorin. ([4]) = *semper id* T. L. ([5]) ∞ *et tu ut* L. ∞ *tu, ut* Sch. 2. ex Omnib. ([6]) Sic T. 1. 2. 3. — add. *mulieris* Cdd. aliq. Omnib. Sch. in Ed. mai. — add. *feminae* O7x. L. Gloss. utrumque. Mox *viro* suspectum Ern. ([7]) Sic T. 1. 3. — *et haec, ut quam* L. ∞ *haec* (omisso *et*) Sch. 2. ex Omnib. ([8]) e C1d. Sch. 2. = *si quis* T. L. 1. 3. ([9]) = *Socr. plurimum* T. L. ([10]) Sic Iu. 1. 3. — *non intelligatur, quo* L. (— *non intelligi, quo* T.) ∞ *ne* (e C1d. Reliqui *non*) *intelligat is, quicum agimus, quo* Sch. 2. e C2d. (Sic etiam O2x. dubium tamen est supplementum). ([11]) Sic T. alii Cdd. 1. 2. — *quae* Iu. L. 3. ([12]) = *similitudo est* T. L. ([13]) = *responsio est* T. L. 1. ([14]) = *videbitur alicui* L.

causarum genere exempli[1] subiecerimus: videtur eiusmodi[2] quoque utendum exemplo, non quo praeceptio differat; aut aliter hoc in sermone, atque in dicendo sit utendum: sed ut eorum voluntati satisfiat[3], qui, quod aliquo in loco viderint, alio in loco, nisi monstratum[4], nequeunt cognoscere. Ergo in hac causa, quae apud Graecos est pervagata, quod Epaminondas, Thebanorum imperator, ei, qui sibi ex lege praetor successerat, exercitum non tradidit, et quum paucos ipse dies contra legem exercitum tenuisset[5], Lacedaemonios funditus vicit, poterit accusator argumentatione uti per inductionem, quum scriptum legis contra sententiam defendat, ad hunc modum: 56. Si, iudices, id, quod Epaminondas ait legis scriptorem sensisse, adscribat ad legem, et addat exceptionem hanc: EXTRA QVAM SI QVIS REI PVBLICAE CAVSA EXERCITVM NON TRADIDERIT, patiemini? non opinor. Quod si vosmet ipsi, quod a vestra religione et sapientia remotissimum est, istius honoris causa hanc eandem exceptionem, iniussu populi, ad legem adscribi iubeatis, populus Thebanus id patieturne[6] fieri? Profecto non patietur. Quod ergo adscribi ad legem nefas est, id sequi, quasi adscriptum sit, rectum vobis videatur[7]? Novi vestram intelligentiam; non potest ita videri, iudices. Quod si literis corrigi neque ab illo, neque a vobis scriptoris voluntas potest; videte ne multo indignius sit, id re et iudicio vestro mutari, quod ne verbo quidem commutari potest. Ac de inductione quidem satis in praesentia[8] dictum videtur. 57. Nunc deinceps ratiocinationis vim et naturam consideremus.

XXXIV. Ratiocinatio est oratio ex ipsa re probabile aliquid[9] eliciens, quod expositum et per se cognitum, sua se vi et ratione confirmet. Hoc de genere qui diligentius considerandum putaverunt, quum idem usu[10] dicendi sequerentur, paullulum[11] in praecipiendi ratione dissenserunt. Nam partim quinque eius partes esse dixerunt, partim non plus quam in tres partes posse distribui putaverunt. Eorum controversiam non incommodum videtur cum utrorumque ratione exponere. Nam et brevis est, et non eiusmodi, ut alteri prorsus nihil dicere putentur, et locus hic nobis in dicendo minime negligendus videtur.

58. Qui putant in quinque distribui[12] partes oportere, aiunt, primum convenire exponere summam argumentationis, ad hunc modum: Melius accurantur, quae consilio geruntur, quam quae sine consilio administrantur. Hanc primam partem numerant: eam deinceps rationibus variis, et quam copiosissimis verbis approbari putant oportere, hoc modo: Domus ea, quae ratione regitur, omnibus instructior est rebus, et apparatior[13], quam ea, quae temere et nullo consilio ad-

---

([1]) Sic T. et Cdd. fere omnes. Sch. 2. — *quod - exemplum* Iu. 1. 3. — *aliquod - exemplum* L. ([2]) Sic. T. Cdd. fere omnes. L. — *huiusmodi* Iu. 1. 2. 3. ([3]) — *fiat satis* L. ([4]) Sic T. alii pauci. Sch. 2. — *nisi monstratum sit* Lallem. e Cdd. — *nisi demonstratum est* Iu. L. 1. 3. (— *monstratur*, — *monstretur* Cdd. aliq.) ([5]) — *retinuisset* T. ([6]) → *patieturne id* L. ([7]) Sic Cdd. aliq. Iu. 1. 2. — *videtur* T. L. 3. ([8]) Hic ex nullo notatur *in praesenti*. ([9]) = *aliquid prob.* L. ([10]) Sic T. 1. 2. 3. ∞ *in usu* Iu. L. ([11]) ∞ *paullum* T. ([12]) — *tribui* e C2d. Sch. 2. satis inconstanter h. l. cfr. §. 57. et C. 35. §. 61. cet. ([13]) = *omn. reb. instr. et app. est* L.

ministratur. Exercitus is, cui praepositus est sapiens et callidus imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is, qui stultitia et temeritate alicuius administratur. Eadem navigii [1] ratio est. Nam navis [2] optime cursum conficit ea, quae scientissimo gubernatore utitur. 59. Quum propositio sit [3] hoc pacto approbata, et duae partes transierint ratiocinationis, tertia in parte aiunt, quod ostendere velis, id ex vi propositionis oportere assumere [4], hoc pacto: Nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus, administratur. Huius assumptionis quarto in loco aliam [5] porro inducunt approbationem, hoc modo: Nam et signorum ortus et obitus definitum quendam [6] ordinem servant, et annuae commutationes, non modo quadam ex necessitate [7] semper eodem modo fiunt; verum ad utilitates quoque rerum omnium sunt accommodatae, et diurnae nocturnaeque vicissitudines [8], nulla [9] in re unquam mutatae quidquam nocuerunt. Quae signo sunt omnia, non mediocri quodam consilio naturam mundi administrari. Quinto inducunt loco complexionem eam [10], quae aut id infert solum, quod ex omnibus partibus cogitur [11], hoc modo: Consilio igitur mundus administratur: aut unum in locum quum conduxerit breviter propositionem * et assumptionem, adiungit, quid [12] ex his conficiatur, ad hunc modum: Quod si melius geruntur ea, quae consilio, quam quae sine consilio administrantur: nihil autem omnium rerum melius administratur, quam omnis mundus [13]; consilio igitur [14] mundus administratur. Quinquepartitam igitur hoc pacto putant esse argumentationem. XXXV. 60. Qui autem tripartitam esse dicunt, ii non aliter putant tractari [15] oportere argumentationem, sed partitionem horum reprehendunt. Negant enim neque a propositione, neque ab assumptione approbationes earum separari oportere, neque propositionem absolutam, neque assumptionem sibi perfectam videri, quae approbatione confirmata non sit. Quare quas illi duas partes numerent [16], propositionem [17] et approbationem, sibi unam partem videri, propositionem [18]: quae si approbata non sit, propositio non sit argumentationis. Item, quae ab illis assumptio, et assumptionis approbatio dicatur [19], eandem sibi assumptionem solam videri. Ita fit, ut eadem ratione argumentatio tractata, aliis tripartita, aliis quinquepartita videatur. Quare evenit, ut res non tam ad usum dicendi pertineat, quam ad rationem praeceptionis. 61. Nobis autem commodior illa [20] partitio videtur esse, quae in quinque partes distributa [21] est, quam omnes ab Aristotele et Theophrasto profecti, maxime secuti sunt. Nam quemadmodum illud superius genus argumentandi, quod per inductionem sumitur, maxime Socrates et Socratici

---

([1]) — *navis* C1d. prob. Oud. ([2]) — *Navis namque* L. ([3]) — *prop. igitur sit* L. ([4]) = *ass. oport.* L. ([5]) ∞ *iam porro* Quintil. 5, 14, 9. ([6]) — om. *qu.* L. ([7]) — *necessitudine* T. ([8]) Haec Sch. C. 2 retraxit ante *non modo quadam*. ([9]) — *nec ulla* Sch. C. 2. ([10]) — om. Quintil. l. l. Sch. 2. contra omnes Cdd. ([11]) — *colligitur* C2d. e gloss. * *et pr.* Sch. 2. ([12]) e Cdd. (T.) et Quintil. Sch. 2. — *adi. quod* L. — *id adi. q.* Iu. 3. ([13]) = *quam omn. m. administratur* L. ([14]) Suspect. *ig.* Ern. Tuetur Quintil. ([15]) = *tractari putant* T. L. ([16]) e Cdd (T.) 1. 2. — *numerant* L. 3. ([17]) ∞ *prop. absolutam* T. ([18]) — *sibi unam propositionem videri* L. ([19]) e Cdd. (T.) 1. 2. — *dicitur* Iu. L. 3. ([20]) — *ea* L. ([21]) — *tributa* L.

tractarunt[1]: sic hoc, quod per ratiocinationem expolitur, summe est ab Aristotele, atque a Peripateticis, et Theophrasto[2] frequentatum; deinde a rhetoribus iis, qui elegantissimi atque artificiosissimi putati sunt. Quare autem nobis illa magis partitio probetur, dicendum videtur, ne temere secuti putemur: et breviter dicendum, ne in huiusmodi rebus diutius, quam ratio praecipiendi postulet[3], commoremur.

XXXVI. 62. Si quadam in argumentatione satis est uti propositione, et non oportet adiungere approbationem propositioni; quadam autem in argumentatione infirma est propositio, nisi adiuncta sit approbatio; separatum quiddam est a propositione approbatio. Quod enim et[4] adiungi et separari ab aliquo potest, id non potest idem esse, quod est id, ad quod adiungitur, et a quo separatur; est autem quaedam argumentatio, in qua propositio non indiget approbatione; et[5] quaedam, in qua nihil valet sine[6] approbatione, ut ostendemus. Separata est igitur a propositione approbatio. Ostendetur[7] autem id[8], quod polliciti sumus, hoc modo: Quae propositio in se quiddam continet[9] perspicuum, et quod[10] constare inter omnes necesse est, hanc velle approbare et firmare[11] nihil attinet. 63. Ea est huiusmodi: Si, quo die ista caedes Romae facta est, ego Athenis eo die fui, in caede interesse[12] non potui. Hoc quia perspicue verum est, nihil attinet approbari. Quare assumi statim oportet, hoc modo: Fui autem Athenis eo die. Hoc si non constat, indiget approbationis: qua inducta, complexio consequetur[13]. Est igitur quaedam propositio, quae non indiget approbatione. Nam esse quandam[14], quae indigeat, quid attinet ostendere, quod cuivis facile perspicuum est? Quod si ita est, ex hoc, et ex eo, quod proposueramus, hoc conficitur, separatum esse quiddam a propositione approbationem. Si[15] autem ita est, falsum est non esse plus quam tripartitam argumentationem. 64. Simili modo liquet[16], alteram quoque approbationem separatam esse ab assumptione. Si quadam[17] in argumentatione satis est uti assumptione, et non oportet adiungere approbationem assumptioni, quadam autem in argumentatione infirma est assumptio, nisi adiuncta sit approbatio: separatum quiddam est extra assumptionem approbatio[18]. Est autem argumentatio quaedam, in qua assumptio non indiget approbationis; quaedam autem, in qua nihil valet sine approbatione, ut ostendemus. Separata est igitur[19]

([1]) Sic T. = *tractaverunt* Iu. L. 1. 3. ∞ *pertractarunt* C2d. Sch. 2. ([2]) ∞ *et Theophr. atque a Perip.* Sch. E. 2. (e Victorino.) ([3]) e Cdd. 1. 2. — *postulat* T. Iu. L. 3. ([4]) — om. *et* Iu. L. 3. ([5]) — om. *et* L. Nota praeterea in Cdd. et Edd. variare h. l. aliquotics constructionem v. *indigere*. ([6]) Sic Cdd. omnes 1. 2. — *absque* Iu. L. vide Oud. ([7]) Sic T. alii Cdd. L. 1. 2. — *ostendemus* Iu. 3. ([8]) — om. *id* L. ([9]) = *cont. quiddam* T. L. ([10]) e Cdd. (T.) 1. 2. — *eo quod* Iu. 3. — *eo quod eam constare* L. ([11]) — *confirmare* L. ([12]) Sic T. L. qui ordo confirmatur etiam a seq. gloss. = *interesse in caede* Iu. 1. 2. 3. ([13]) — add: *Igitur in caede interesse non potui.* Iu. L. 3. Cum Cdd. (T.) om. Ern. 1. 2. ([14]) — *esse quidem quandam* T. Iu. L. Est tamen error natus ex *διττολογιᾳ* v. *quandam*. ([15]) Sic Iu. L. 1. 2. 3. — *Sin* T. al. ([16]) Sic Iu. 1. 2. 3. — *licet* T. Pleriq. v. Oud. Hinc Lamb: *licet alt. q. app. sep. e. ab. ass. considerare.* ([17]) e Cdd. (T.) 1. 2. — *nam si quad.* Iu. L. 3. ([18]) *separatum-approbatio* haec omnia exciderunt ex ed. Ernest. 1820. ([19]) — *igitur est* T. L.

ab assumptione approbatio. Ostendemus autem id[1], quod polliciti sumus, hoc modo: 65. Quae perspicuam omnibus veritatem continet assumptio, nihil indiget approbationis. Ea est huiusmodi[2]: Si oportet velle sapere[3], dare operam philosophiae convenit. Haec propositio indiget approbationis: non enim perspicua est, neque constat inter omnes, propterea quod multi nihil prodesse philosophiam[4], plerique etiam obesse arbitrantur. Assumptio perspicua est haec: Oportet autem velle sapere[5]. Hoc autem[6] quia ipsum ex se[7] perspicitur, et verum esse intelligitur, nihil attinet approbari. Quare statim concludenda est argumentatio[8]. Est ergo assumptio quaedam, quae approbationis non indiget. Nam quandam indigere perspicuum est. Separata est igitur ab assumptione approbatio. Falsum ergo est, non esse plus quam tripartitam argumentationem. XXXVII. 66. Atque ex his illud iam perspicuum est, esse quandam argumentationem, in qua neque propositio, neque assumptio indigeat approbationis, huiusmodi[9], ut certum quiddam, et breve, exempli causa, ponamus: Si summo opere[10] sapientia petenda est, summo opere stultitia vitanda est: summo autem opere sapientia petenda est: summo igitur opere stultitia vitanda est. Hic et assumptio, et propositio perspicua est; quare neutra quoque indiget approbatione. Ex hisce[11] omnibus illud perspicuum est, approbationem tum adiungi, tum non adiungi. Ex quo cognoscitur, neque in propositione, neque in assumptione contineri approbationem, sed utramque suo loco positam, vim suam, tamquam certam et propriam, obtinere. Quod si ita est, commode partiti sunt illi, qui in quinque partes distribuerunt argumentationem.

67. Quinque sunt igitur[12] partes eius argumentationis, quae per ratiocinationem tractatur: Propositio, per quam locus is breviter[13] exponitur, ex quo vis omnis oportet emanet ratiocinationis: propositionis approbatio[14], per quam id, quod breviter expositum est, rationibus affirmatum, probabilius et apertius fit: assumptio, per quam id, quod ex propositione ad ostendendum pertinet, assumitur: assumptionis approbatio, per quam id, quod assumptum est, rationibus firmatur[15]: complexio, per quam id, quod conficitur ex omni argumentatione, breviter exponitur. Quae plurimas habet argumentatio partes, ea constat ex his quinque partibus: secunda est quadripartita: tertia tripartita. Dein bipartita: quod in controversia est[16]. De una quoque parte[17] potest alicui videri posse consistere[18].

(1) — om. *id* T. Cdd. alii. Iu. L. (2) *quae* — *huiusmodi* expunxit Sch. C. 2. (= *eiusmodi* Iu. L.) (3) Sic T. alii pauci. L. Sch. 2. — *sapere* Iu. 1. 3. (4) *phil. nihil prod.* L. (5) Sic T. (Unus tantum ap. Oud. h. l. habet *velle* superscriptum verbo *sapere*) Sch. 2. — *sapere* Iu. 1. 3. (6) *autem* cum paucis Cdd. prob. Ern. Sch. delevit in Ed. mai. recte, opinor. (7) Sic Nizol. L. Sch. 2. cfr. C. 39. §. 70. — *ex re* T. Cdd. ut videtur, omnes. Iu. 1. 3. (8) — add. *Igitur dare operam philosophiae convenit* Iu. L. (— *Igitur - oportet* 3 Cum Cdd. (T.) om. 1. 2. (9) — *ea est huiusmodi* L. (10) Sic T. al. 1. 2. — *summopere* Iu. L. 3. utrobique. (11) e Cdd. (T.) 1. 2. — *his* Iu. L. 3. (12) — *igitur sunt* T. L. (13) = *breviter is locus* Iu. L. (14) — om. *propositionis* T. Iu. — *approbatio propositionis est* L. (15) — *confirmatur* L. (16) — om. Cld. — Cum seqq. iungunt Cass. O2x. T. a m. 2. (17) Sic Cdd. aliq. (T.) Iu. 1. 2. — *De unaquaque potest* Graev. 3. ∞ *Ex una quoque parte p.* L. ut §. 71. — *Dein ex una quoque parte pot.* Sch. C in Ed. mai. (18) ∞ *constare* L.

XXXVIII. 68. Eorum igitur, quae constant [1], exempla ponemus, horum, quae dubia sunt, rationes afferemus. Quinquepartita argumentatio est huiusmodi: Omnes leges, iudices, ad commodum rei publicae referre [2] oportet, et eas ex utilitate communi, non ex scriptione, quae in literis est, interpretari. Ea enim virtute et sapientia maiores nostri fuerunt, ut in legibus scribendis nihil sibi aliud, nisi [3] salutem atque utilitatem rei publicae proponerent. Neque enim ipsi, quod obesset, scribere volebant: et, si scripsissent, quum esset intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Nemo enim leges legum causa salvas esse vult, sed rei publicae, quod ex legibus omnes rem publicam optime putant administrari. Quam ob rem igitur leges servari oportet, ad eam causam scripta [4] omnia interpretari convenit: hoc est [5], quoniam rei publicae servimus, ex [6] rei publicae commodo atque utilitate leges [7] interpretemur. Nam ut ex medicina nihil oportet putare proficisci, nisi quod ad corporis utilitatem spectet, quoniam eius causa est instituta; sic a legibus nihil convenit arbitrari, nisi quod rei publicae conducat, proficisci, quoniam eius causa sunt comparatae. 69. Ergo in hoc quoque iudicio desinite literas legis perscrutari, et legem, ut aequum est, ex utilitate rei publicae [8] considerate [9]. Quid enim magis utile Thebanis fuit [10], quam Lacedaemonios opprimi? Cui rei magis Epaminondam, Thebanorum imperatorem, quam victoriae Thebanorum, consulere decuit? Quid hunc tanta Thebanorum gloria, tam claro atque exornato tropaeo carius atque [11] antiquius habere convenit? Scripto videlicet legis omisso, scriptoris sententiam considerare debebat. At [12] hoc quidem satis consideratum est, nullam esse legem, nisi rei publicae causa scriptam. Summam igitur amentiam esse existimabat, quod scriptum esset rei publicae salutis causa, id non ex rei publicae salute interpretari. Quod si leges omnes ad utilitatem rei publicae referri convenit, hic autem saluti rei publicae profuit; profecto non potest eodem facto et communibus fortunis consuluisse, et legibus non obtemperasse. XXXIX. 70. Quatuor autem partibus [13] constat argumentatio, quum aut proponimus, aut assumimus sine approbatione. Id facere oportet, quum aut propositio ex se intelligitur, aut assumptio perspicua est, et nullius approbationis indiget. Propositionis approbatione praeterita, quatuor ex partibus argumentatio tractatur ad hunc modum: Iudices, qui ex lege iurati iudicatis, legibus obtemperare debetis. Obtemperare autem legibus non potestis, nisi id, quod scriptum est in lege [14], sequamini. Quod enim certius legis scriptor testimonium voluntatis suae relinquere potuit, quam, quod ipse magna cum cura atque dili-

---

([1]) — *consistant* T. ([2]) ∞ *referri* L. ut v. c. infra §. 69. et 73. In marg. Lamb. 1584. Lambino tribuitur *referre*. ([3]) — *quam* L. ([4]) — add. *legum* Sch. € in Ed. mai. ([5]) Haec *Hoc est* — *interpretemur* del. Sch. €. 2. ([6]) — *et* Ern. 1. ex errore typogr. ([7]) ∞ om. *leges* multi. ([8]) = *ex reip. ut.* L. ([9]) — *considerate; quod hic fecit.* Cdd. aliq. ap. Lambinum. Iu. L. ([10]) = *fuit Theb.* T. L. ([11]) Sic Cdd. puto omnes. Iu. L. — *aut* Grut. non monito lectore 1. 2. 3. ([12]) Sic Cdd. fere omnes (*Ad hoc* T.) L. — *atque* Iu. 1. 2. 3. ([13]) — *autem a part.* L. ([14]) = *in lege scr. est* L.

gentia scripsit? Quod si literae non exstarent, magno opere eas requireremus, ut ex his scriptoris voluntas cognosceretur; nec tamen Epaminondae permitteremus, ne si extra iudicium quidem esset, ut is nobis sententiam legis interpretaretur; nedum nunc istum[1] patiamur, quum praesto lex sit, non ex eo, quod apertissime scriptum est, sed ex eo, quod suae causae convenit, scriptoris voluntatem interpretari. Quod si vos, iudices, legibus obtemperare debetis, et id facere non potestis, nisi id, quod[2] scriptum est in lege[3], sequamini, quid causae est[4], quin istum contra legem fecisse iudicetis? 71. Assumptionis autem approbatione praeterita, quadripartita sic fiet argumentatio: Qui saepenumero nos per fidem fefellerunt, eorum orationi fidem habere non debemus. Si quid enim perfidia illorum detrimenti acceperimus, nemo erit, praeter nosmet ipsos, quem iure accusare possimus. Ac primo[5] quidem decipi incommodum est: iterum, stultum: tertio[6], turpe. Karthaginienses autem persaepe iam nos fefellerunt. Summa igitur amentia est in eorum fide spem habere, quorum perfidia toties deceptus sis. 72. Utraque approbatione praeterita, tripartita fit, hoc pacto: Aut metuamus Karthaginienses oportet, si incolumes eos reliquerimus; aut eorum urbem diruamus. Ac[7] metuere quidem non oportet. Restat igitur, ut urbem diruamus.

XL. Sunt autem, qui putent[8], nonnunquam posse complexione supersederi[9], quum id perspicuum sit, quod conficiatur ex ratiocinatione; quod si fiat, bipartitam quoque fieri argumentationem, hoc modo: Si peperit, virgo non est: peperit autem. Hic satis esse dicunt[10] proponere et assumere: quoniam perspicuum sit, quod[11] conficiatur, [complexionis rem non indigere[12]]. Nobis autem videtur et omnis ratiocinatio concludenda esse; et illud vitium[13], quod illis displicet, magno opere vitandum, ne, quod perspicuum sit, id in complexionem inferamus. 73. Hoc autem fieri poterit, si complexionum genera intelligantur. Nam aut ita complectemur, ut in unum conducamus propositionem et assumptionem, hoc modo: Quod si leges omnes ad utilitatem rei publicae referri convenit, hic autem saluti rei publicae profuit; profecto non potest eodem facto[14], et saluti communi consuluisse, et legibus non obtemperasse: aut ita, ut ex contrario sententia conficiatur, hoc modo: Summa igitur amentia est, in eorum fide spem habere, quorum perfidia toties deceptus sis: aut ita, ut id solum, quod conficitur, inferatur, ad hunc modum[15]: Urbem igitur diruamus: aut, ut id, quod

---

(1) Sic Cdd. aliq. (T.) Ern. 1. Lallemand. Sch. 2. — *istud* Iu. L. 3. (2) Sic Cdd. aliq. T. L. Sch. 2. — *nisi quod* Iu. 1. 3. (3) ∞ *in lege* om. T. Estne glossema? (4) — *dubitatis* Cdd. aliq. (— *sequamini quin istum quid dubitatis.* T. a m. pr. (5) — *primum* T. L. (6) — *tertium* L. (7) Sic T. Iu. 1. 2. 3. — *At* L. (8) Sic Ern. C. 1. prob. Beier ad *Offic.* T. 1. p. 11. ∞ *putant* Cdd. omnes. Iu. L. 2. 3. (9) Sic T. alii Cdd. 1. 2. — *complexione supersederi oportere* Iu. — *complexione, et oportere supersederi* Grut. 3. — *conclusione supersederi* L. sed in marg. 1584. *complexione sup.* (10) Sic T. Plcriq. Iu. L. 1. 3. ∞ om. *dicunt* Cdd. aliq. Sch. 2. (11) ∞ *quid* Ern. suspic. (12) Haec om. Cdd. aliq. Sch. 2. Suspecta sunt Ern. Nos [ ] (13) ∞ *illud vitium* Haec suspecta Ern. del. Sch. 2. (14) — *pacto* T. al. (15) — *hoc modo* T.

eam rem, quae conficitur, sequatur necesse est. Id est huiusmodi: Si peperit, cum viro concubuit: peperit autem. Conficitur hoc: Concubuit igitur cum viro. Hoc si nolis inferre, et inferas id, quod sequitur: Fecit igitur incestum; et concluseris argumentationem, et perspicuam fugeris [1] complexionem. 74. Quare in longis argumentationibus, ex [2] conductionibus, aut ex contrario complecti oportet: in brevibus id solum, quod conficitur, exponere: in iis, in quibus exitus perspicuus est, consecutione uti. Si qui autem ex una quoque parte putabunt constare argumentationem, poterunt dicere, saepe satis esse hoc modo argumentationem facere: Quoniam peperit, cum viro concubuit. Nam hoc nullius neque approbationis [3], neque complexionis indigere. Sed nobis ambiguitate nominis videntur errare. Nam argumentatio nomine uno res duas significat, ideo, quod et inventum aliquam in rem probabile, aut necessarium, argumentatio vocatur, et eius inventi artificiosa expolitio. 75. Quando igitur proferent aliquid huiusmodi: Quoniam peperit, cum viro concubuit: inventum proferent, non expolitionem: nos autem de expolitionis partibus loquimur. XLI. Nihil igitur ad hanc rem ratio illa pertinebit: atque hac distinctione, alia quoque, quae videbuntur officere huic partitioni, propulsabimus, si qui aut assumptionem aliquando tolli posse putent [4], aut propositionem. Quae si quid habet probabile, aut necessarium, quoquo modo commoveat auditorem necesse est. Quod si solum spectaretur, ac nihil, quo pacto tractaretur id, quod excogitatum esset, referret [5]: nequaquam tantum [6] inter summos oratores [7] et mediocres interesse existimaretur. 76. Variare autem orationem magno opere oportebit. Nam omnibus in rebus [8] similitudo est satietatis mater. Id fieri poterit, si non similiter semper ingrediamur in argumentationem. Nam primum omnium generibus ipsis distinguere convenit [9], hoc est, tum inductione uti, tum ratiocinatione.

Deinde in ipsa argumentatione [10] non semper a propositione incipere, nec semper quinque partibus abuti [11], neque eadem ratione partitiones [12] expolire: sed tum ab assumptione incipere licet, tum ab approbatione alterutra, tum utraque°, tum hoc, tum illo genere complexionis uti. Id ut perspiciatur, aut scribamus, aut in quolibet exemplo de iis, quae proposita sunt, hoc idem exerceamus, †ut quam facile factu sit [13].

77. Ac de partibus quidem argumentationis satis nobis dictum videtur. Illud autem volumus intelligi, nos probe tenere, aliis

---

([1]) Sic Iu. L. 1. 2. 3. — *feceris* T. al. ([2]) — *aut ex* L. ([3]) Sic T. Oxonn. alii multi. Victorin. Sch. 2. — add. *neque assumptionis, vel eius approbationis* Iu. L. 1. 3. ([4]) ∞ *putet* T. alii pauci. prob. Oud. ([5]) — *quod si solum argumentum spectaretur, quod esset excogitatum, ac nihil quo pacto tractaretur, referret* L. ([6]) — *tantum* om. Omnib. prob. Ern. ([7]) ∞ *oratores* om. T. Cdd. aliq. Alii transponunt. Valde est suspectum. ([8]) = *in reb. omnibus* L. ([9]) Sic Pleriq. T. Oxonn. Sch. 2. — add. *orationem* Iu. L. 1. 3. ([10]) — *ratiocinatione* Sch. C. 2. ([11]) — *uti* Cdd. aliq. Omnib. L. — *abuti convenit* e Cid. Sch. in Ed. mai. ([12]) — *partes* Sch. C. 2. ∞ * *ab u.* Sch. 2. ([13]) *Id-sit* In his valde turbant Cdd. (= *sit factu* Iu.) verba *ut quam facile factu sit* om. L. Sch. 2. haec omnia [ ]

quoque rationibus tractari argumentationes in philosophia multis et obscuris, de quibus certum est artificium constitutum. Verum illa nobis abhorrere ab usu oratorio visa sunt [1]. Quae pertinere autem ad dicendum putamus, ea nos commodius, quam ceteros, attendisse, non affirmamus; perquisitius [2] et diligentius conscripsisse pollicemur. Nunc, ut instituimus, proficisci ordine [3] ad reliqua pergemus.

XLII. 78. Reprehensio est, per quam argumentando adversariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut elevatur [4]. Haec fonte inventionis eodem utetur, quo utitur confirmatio, propterea quod, quibus ex locis aliqua res confirmari potest, iisdem potest ex locis [5] infirmari. Nihil enim considerandum est in his omnibus inventionibus [6], nisi id, quod personis, aut negotiis attributum est. Quare inventionem, et argumentationum expolitionem [7], ex illis, quae ante praecepta sunt, hanc quoque in partem orationis transferri oportebit. Verumtamen, ut quaedam praeceptio detur huius quoque partis, exponemus modos reprehensionis [8]; quos qui observabunt, facilius ea, quae contra dicentur, diluere aut infirmare poterunt.

79. Omnis argumentatio reprehenditur, si aut ex iis, quae sumpta sunt, non conceditur aliquod unum plurave: aut, his concessis, complexio confici ex his negatur [9], aut si genus ipsum argumentationis vitiosum ostenditur [10]: aut si contra firmam argumentationem, alia aeque firma, aut firmior ponitur. Ex iis, quae sumuntur, aliquid non conceditur, quum aut id, quod credibile dicunt, negatur esse eiusmodi [11]: aut quod comparabile putant, dissimile ostenditur: aut iudicatum aliam in partem traducitur, aut omnino iudicium improbatur: aut, quod signum esse adversarii dixerunt, id eiusmodi negatur esse [12], aut si complexio, aut una, aut utraque ex parte [13] reprehenditur, aut si enumeratio falsa ostenditur, aut si simplex conclusio falsi aliquid continere demonstratur. Nam omne, quod sumitur ad argumentandum [14], sive pro probabili, sive pro necessario, necesse est sumatur ex his locis, ut ante ostendimus. XLIII. 80. Quod pro credibili sumptum erit, id infirmabitur, si aut perspicue falsum erit, hoc modo: Nemo est, qui non pecuniam, quam sapientiam malit; aut ex contrario quoque credibile aliquid habebit, hoc modo: Quis est, qui non

---

([1]) Sic T. Pleriq. Sch. 2. — *videntur* Iu. L. 1. 3. ([2]) Sic T. alii. 1. 2. — *sed perq.* Iu. L. 3. ([3]) — Ern. distinguit: *institnimus proficisci, ordine.* ([4]) Sic plane T. Antea *elevatur* pro Nizolii vel alius C. habebatur. (— *levatur* Victorin. Crat. Victor. L. — *alleviatur* Plerique Cdd. Iu. — *adlevatur.* (Ern. [ ] *aut adlevatur*) ∞ *diluitur, aut elevatur* Sch. C. 2. (omisso *aut infirmatur*) In seqq. tamen duo illa dumtaxat recurrunt *diluere* et *infirmare.* ([5]) = *iisdem ex locis potest* T. L. ([6]) — del. *inv.* Sch. C. 2. ([7]) — *ex pol. sumptam* L. ([8]) — *omnes reprch. modos* L. ([9]) ∞ *aut ex his concessis complexio confici negatur* L. Sed cfr. C. 47. initio. ([10]) — *aut-ostenditur* Excidit e 3. certe ex Ed. Neapolit. ([11]) — *quod credibile, aut quod signum esse adversarii dixerunt, neg. esse eiusmodi* Sch. C. 2. ([12]) — *aut-negatur* (-*negetur* Ern. 1. solus) *esse* h. l. omittit Sch. C. 2. ([13]) Sic T. L. Sch. 2. — *aut una, aut ex utraque parte* Iu. 3. — *aut ex una, aut ex utraq. p.* Ern. 1. Utrumque *ex* om. Leid. sec. prob. Oud. ([14]) — *argumentationem* L.

officii cupidior sit, quam pecuniae?[1] aut erit omnino incredibile, ut si quis[2], quem constet[3] esse avarum, dicat, alicuius mediocris officii causa, se maximam pecuniam neglexisse; aut si, quod in[4] quibusdam rebus, aut hominibus accidit, id omnibus dicatur usu venire[5], hoc pacto: Qui pauperes sunt, iis antiquior officio pecunia est. Qui locus desertus est, in eo caedem factam esse oportet; in loco celebri homo occidi qui potuit? aut si id, quod raro fit, fieri omnino negetur[6]; ut Curio[7] pro Fulvio: Nemo potest uno aspectu, neque praeteriens, in amorem incidere. 81. Quod autem pro signo sumetur, id ex iisdem locis, quibus confirmatur, infirmabitur. Nam in signo, primum verum esse ostendi oportet: deinde eius esse rei signum proprium, qua de re agitur, ut cruorem caedis: deinde factum esse, quod non oportuerit; aut non factum, quod oportuerit: postremo scisse eum, de qua[8] quaeritur, eius rei legem[9] et consuetudinem. Nam eae res sunt signo attributae: quas diligentius aperiemus, quum separatim de ipsa coniecturali constitutione dicemus. Ergo horum unumquodque[10] in reprehensione, aut non esse signo, aut parum magno esse, aut a se potius, quam ab adversariis stare, aut omnino falso dici. aut in aliam quoque suspicionem duci posse, demonstrabitur. XLIV. 82. Quum autem pro comparabili aliquid inducetur, quoniam id per similitudinem maxime tractatur, in reprehendendo conveniet, simile id negare esse, quod conferetur, ei, quicum conferetur. Id fieri poterit, si demonstrabitur diversum esse genere, natura, vi, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione: ac si, quo in numero illud, quod per similitudinem afferetur, et quo in loco hoc genus, cuius[11] causa afferetur, haberi conveniat, ostendetur. Deinde, quid res cum re differat, demonstrabitur[12]: ex quo docebimus, aliud de eo, quod comparabitur, et de eo, quicum comparabitur, existimari oportere. Huius facultatis maxime indigemus[13], quum ea ipsa argumentatio, quae per inductionem tractatur[14], erit reprehendenda. Sin[15] iudicatum aliquod inferetur, quoniam id ex his locis maxime firmatur: laude eorum, qui iudicarunt; similitudine eius rei,

---

([1]) ∞ *qui non officii, quam pecuniae cupidior sit* T. Plerique ap. Oud. ([2]) — *aliquis* e paucis Cdd. Sch. 2. ([3]) — *constat* e paucis Sch. 2. Orta scil. est haec lectio ex alior. corruptela: *ut si aliquem constat* (sic T. nisi quod *constet*.) ([4]) — om. *in* L. ([5]) Sic T. alii. L. Sch. 2. — *evenire* Iu. 1. 3. Subtilius, quam verius discrimen esse censeo, quod nuper viri quidam docti inter v. *usu venire* et *usu evenire* statuere tentarunt. Immo *usu evenire* non magis puto Latinum esse, quam *usu accidere*, *usu contingere*, quae ipsa sibi repugnant, neque ab homine sano coniungi poterant. Itaque *usu evenire* librariis debetur, qui *venire* hoc sensu usurpatum non concoquerent. ([6]) Sic Cdd. aliq. L. 1. 3. — *negatur* T. Iu. 3. ([7]) Sic T. alii. 1. 2. — *Curius* Iu. L. 3. ([8]) — *quo* T. Cdd. pleriq. L. ([9]) — *eius rei, qua de re agitur, legem* L. qui hoc emblema necessarium putasse videtur, quum ante legeret *quo*. ([10]) — *unumquidque* L. ([11]) — *hoc, cuius* Cdd. aliq. L. ([12]) ∞ *demonstrabimus* T. alii Cdd. L. ([13]) ∞ *indigebimus* L. (prob. Ern.) Sch. 2. In nullo adhuc Cod. repertum videtur. ([14]) — *tractabitur* L. ([15]) e Cdd. 1. 2. prob. Oud. — *Si* Iu. L. 3.

qua de agitur[1], ad eam rem, qua de iudicatum est, et[2] commemorando, non modo non esse reprehensum iudicium, sed ab omnibus approbatum; et demonstrando, difficilius[3] et maius fuisse id iudicatum, quod afferatur, quam id, quod instet: ex contrariis locis, si res aut vera, aut veri similis permittet[4], infirmari oportebit. Atque erit observandum diligenter, ne nihil ad id, quo de agatur[5], pertineat id, quod iudicatum sit: et videndum[6], ne ea res proferatur, in qua sit offensum, ut de ipso, qui iudicarit, iudicium fieri videatur. 83. Oportet autem animadvertere, ne, quum aliter multa sint iudicata, solitarium aliquod, aut rarum iudicatum[7] afferatur. Nam his rebus auctoritas iudicati maxime potest infirmari. Atque ea quidem[8], quae quasi probabilia sumentur[9], ad hunc modum tentari oportebit. XLV. Quae vero sicuti necessaria inducentur, ea si forte imitabuntur modo necessariam argumentationem, neque erunt eiusmodi, sic reprehendentur. Primum complexio, quae, utrum concesseris, debet tollere, si vera est, nunquam reprehendetur; sin falsa, duobus modis, aut conversione, aut alterius partis infirmatione. Conversione, hoc modo:

Nam si veretur, quid eum accusem[10]*, qui est probus?*
Sin inverecundum animi ingenium possidet,
Quid eum accusem, qui id parvi auditu existimet[11]*?*

Hic, sive[12] vereri dixeris, sive non vereri, concedendum[13] hoc putat, ut neget[14] esse accusandum. Quod conversione sic reprehendetur: Immo vero accusandus est. Nam si veretur, accuses: non enim parvi auditu existimabit[15]. Sin inverecundum animi ingenium possidet, tamen accuses. Non enim probus est. 84. Alterius autem partis infirmatione, hoc modo reprehendetur: Verum si veretur, accusatione tua correctus[16] ab errato recedet. Enumeratio vitiosa intelligitur, si aut praeteritum quiddam dicemus, quod velimus concedere, aut infirmum aliquid annumeratum, quod aut contra dici possit, aut causa non sit, quare non honeste possimus concedere. Praeteritur quiddam in eiusmodi enumerationibus: Quoniam habes istum equum, aut emeris oportet, aut hereditate possideas, aut

---

(1) — *qua de re ag.* et mox *qua de re iud.* L. (2) e Cdd. 1. 2. — om. *et* Iu. L. 3. (3) — *difficilius ad iudicandum* Cdd. aliq. L. Sed Turic. istud gloss. habet in seqq. *quod ad iudicandum afferatur.* (4) Sic Iu. L. 2. 3. ∞ *permittat* T. alii Cdd. Ern. 1. Futurum tamen h. l. praestat, ut in illis: *sin iudicatum aliquod inferetur.* (5) Sic L. €. C1d. ap. Grut. 1. 2. 3. — *quod agatur* Cdd. fere omnes. Iu. L. (6) e Cdd. 1. 2. — *videndum est* T. L. 3. (7) — *solitarium aliquod iudicatum, aut rarum* ex O2x. Sch. in Ed. mai. (8) e Cdd. (T.) 1. 2. — *quidem argumenta* Iu. L. 3. (9) Sic T. L. 1. 2. — *sumuntur* Iu. 3. (10) Necessaria haec est Sch. 2. correctio ex *Rhet. ad Her.* 2, 26. ubi *accusem* verum esse, primus versus h. l. praetermissus ostendit. — *accuses* bis. Cdd. omnes. Iu. L. 3. 1. (11) — *qui parvi id auditum aestimet* T. Cdd. aliq. Sch. 2. (*existimet* h. l. boni Cdd. L. — *existimat* Iu.) T. — *qui id parvi auditu aestimet* Grut. 3. (12) Sic T. Iu. L. 1. 2. — *si* Grut. 3. (13) Sic T. alii. 1. 2. — *concludendum* Iu. L. 3. (14) e Cdd. 1. 2. — *neges* T. Iu. L. 3. v. Ernest. (15) Sic C3d. ap. Oud. Iu. L. — *auditu aestimabit* Gr. 3. 1. — *auditum aestimabit* T. Sch. 2. sed *aestimabit* ab iis est, qui in versu illo perperam legerent *aestimet.* (16) ∞ *correptus* O2x. Edd. vett. aliq. non. improb. Ern. recepit Sch. in Ed. mai.

munere acceperis, aut domi tibi natus sit, aut, si horum nihil est, surripueris necesse est: sed neque emisti, neque hereditate venit, neque donatus est, neque domi natus est[1]: necesse est ergo surripueris. 85. Hoc commode reprehendetur[2], si dici possit ex hostibus equus esse captus, cuius praedae sectio non venierit[3]: quo illato, infirmetur[4] enumeratio; quoniam id sit[5] inductum, quod praeteritum sit in enumeratione. XLVI. Altero autem[6] modo reprehendetur, si aut contra aliquid dicetur: hoc est, si, exempli causa, ut in eodem versemur, poterit ostendi hereditate venisse, aut si illud extremum[7] non erit turpe concedere: ut si quis, quum dixerint adversarii: Aut insidias facere voluisti, aut amico morem gessisti, aut cupiditate elatus es; amico se morem gessisse fateatur. 86. Simplex autem conclusio reprehendetur, si id, quod sequitur, non videatur necessario cum eo, quod antecessit, cohaerere. Nam hoc quidem: Si spiritum ducit, vivit: Si dies est, lucet; eiusmodi est, ut cum priore necessario posterius cohaerere videatur. Hoc autem: Si mater est, diligit[8]: Si aliquando peccavit, nunquam corrigetur; sic conveniet reprehendi, ut demonstretur non necessario cum priore posterius cohaerere. Hoc genus, et cetera necessaria, et omnino omnis argumentatio, et eius reprehensio maiorem quandam vim continet[9], et latius patet, quam hic exponitur: sed eius artificii cognitio eiusmodi[10] est, ut non ad huius artis partem aliquam adiungi possit, sed ipsa separatim longi temporis, et magnae atque arduae cogitationis[11] indigeat. Quare illa nobis alio tempore atque ad aliud institutum, si facultas erit, explicabuntur. Nunc his praeceptionibus rhetorum ad usum oratorium contentos nos esse oportebit. Quum igitur ex iis, quae sumuntur, aliquid non conceditur[12], sic infirmabitur. XLVII. 87. Quum autem, his concessis, complexio ex his[13] non conficitur[14], haec erunt consideranda: num aliud conficiatur, aliud dicatur, hoc modo: Si, quum aliquis dicat se profectum esse ad exercitum, contra[15] eum quis velit hac argumentatione uti[16]: Si venisses ad exercitum, a tribunis militaribus visus esses; non es autem ab his visus; non es igitur profectus ad exercitum[17]. Hic quum concesseris propositionem et assumptionem, complexio est infirmanda. Aliud enim, quam cogebatur, illatum est. 88. Ac[18] nunc quidem, quo facilius res cognosceretur, perspicuo

---

([1]) Sic Tur. Omnes Oud. Sch. in Ed. mai. — *neque domi natus, neque donatus est.* Iu. L. 1. 2. 3. ([2]) Sic bis e Cdd. (T. a m. 2.) Ern. 1. 2. — *reprehenditur* Iu. L. 3. ([3]) Sic 1. 2. 3. — *sectione venerit* T. Pleriq. Iu. — *sectio venierit* L. ([4]) Sic T. recte, quum *sit* mox tueantur Cdd. tantum non omnes. — *infirmatur* Cdd. pleriq. Iu. L. 1. 2. 3. ([5]) Sic T. Pleriq. Iu. L. 1. 3. ∞ *est* Sch. E. 2. confirmata ab O1x. ([6]) ∞ om. hic, et §. 86. initio *autem* T. a m. pr. ([7]) Sic T. L. (ut infra Lib. 2. §. 34. et *pro Plancio* C. 6. *si illa extrema defensione uterer*) — *extremum illud* Pleriq. Iu. 1. 2. 3. ([8]) Sic Iu. 1. 2. 3. — *diligit filium* T. alii. L. ([9]) ∞ *obtinet* C2d. L. ([10]) Sic T. Omnes Oud. — *huiusmodi* Iu. L. 1. 2. 3. ([11]) e C1d. Gulielm. 1. 2. 3. — *cognitionis* T. Cdd. fere omnes. Iu. L. ([12]) — *aliquod non conc.* T. — *aliquid concedi-tur* L. ([13]) ∞ *eis* L. ([14]) ∞ *conficietur* T. alii Cdd. ([15]) Sic T. alii Cdd. pauci. Omnib. Sch. 2. — *contraque* Iu. L. 1. 3. ([16]) = *uti arg.* T. L. ([17]) = *non igitur es ad ex. prof.* T. L. ([18]) Sic T. Iu. L. 1. 2. — *At* 3.

et grandi vitio praeditum posuimus exemplum: sed saepe obscurius positum [1] vitium pro vero probatur, quum aut parum memineris, quid [2] concesseris, aut ambiguum aliquid [3] pro certo concesseris. Ambiguum si concesseris ex ea parte, quam ipse intellexeris, eam partem si adversarius ad aliam partem per complexionem velit accommodare; demonstrare oportebit, non ex eo, quod ipse concesseris, sed ex eo, quod ille sumpserit, confici complexionem, ad hunc modum: Si pecuniae indigetis [4], pecuniam non habetis: si pecuniam non habetis, pauperes estis: indigetis autem pecuniae; mercaturae enim, nisi ita esset, operam non daretis: pauperes igitur estis. Hoc sic reprehendetur [5]: Quum dicebas, si indigetis pecuniae, pecuniam non habetis; hoc intelligebam, si propter inopiam in egestate estis, pecuniam non habetis; et idcirco concedebam: quum autem hoc sumebas [6], indigetis autem pecuniae; illud accipiebam: vultis autem pecuniae plus habere. Ex quibus concessionibus non conficitur hoc: pauperes igitur estis: conficeretur autem, si tibi primo quoque hoc concessissem: qui pecuniam maiorem vellet habere, eum pecuniam non habere. XLVIII. 89. Saepe autem oblitum putant, quid concesseris, et idcirco id, quod non conficitur, quasi conficiatur, in conclusione infertur, hoc modo: Si ad illum hereditas veniebat, veri simile est, ab illo [esse] [7] necatum. Deinde hoc approbant plurimis [8] verbis. Post assumunt: Ad illum autem hereditas veniebat. Deinde infertur: Ille igitur occidit. Id quod ex [9] iis, quae sumpserant, non conficitur. Quare observare diligenter oportet, et quid sumatur [10], et quid ex his conficiatur.

Ipsum autem genus argumentationis vitiosum his de causis ostendetur, si aut in ipso vitium erit, aut si non [11] ad id, quod instituitur, accommodabitur. Atque in ipso vitium erit, si omnino totum falsum erit, si commune, si vulgare, si leve, si remotum, si mala definitio, si controversum, si perspicuum, si non concessum, si turpe, si offensum, si contrarium, si inconstans, si adversum. 90. Falsum est, in quo perspicue mendacium est, hoc modo: Non potest esse sapiens, qui pecuniam negligit. Socrates autem pecuniam negligebat. Non igitur sapiens erat. Commune est, quod nihilo magis ab adversariis, quam a nobis facit, hoc modo: Idcirco, iudices, quia veram causam habebam, brevi [12] peroravi. Vulgare est, quod in aliam quoque rem non probabilem, si nunc concessum sit, transferri possit, hoc modo: Si veram causam non haberet, vobis se, iudices, non commisisset. Leve est, quod aut post tempus dicitur, hoc modo: Si in mentem venisset, non commisisset: aut si perspicue [13] rem turpem levi tegere vult defensione, hoc modo:

([1]) — del. *positum* Sch. E. 2. ([2]) Sic Cdd aliq. 1. 2. — *quod* Iu. L. 3. ([3]) Sic T. alii 1. 2. — *aliquod* Iu. L. 3. ([4]) ∞ *indigetis pecuniae* T. ut mox. ([5]) Sic .. — *reprehenditur* Iu. L. 1. 2. 3. ([6]) — *assumebas* L. ([7]) ∞ Omittunt Cdd. Oud. et Oxonn. omnes. item Victorin. Sch. in Ed. mai. Turic. ponit ante v. *ab illo*. Nos [ ] ([8]) — *pluribus* O2x. L. ([9]) Sic T. e correctione (Fuerat: *id quidem ex his*) O2x. L. (Oud. E) Sch. 2. — *idque ex* multi. etiam O6x. Iu. — *Id ex* 1. 3. ([10]) — *quae assumantur* L. ([11]) *aut non* T. L. ([12]) — *breviter* L. ([13]) — *aut perspicue* T. L.

Quum te expetebant omnes, florentissimo
Regno reliqui: nunc desertum ab omnibus,
Summo periclo, sola ut restituam, paro.

XLIX. 91. Remotum est, quod ultra quam satis est, repetitur [1], hoc modo [2]: Quod si non P. Scipio Corneliam filiam Ti. Graccho collocasset, atque ex ea duos [3] Gracchos procreasset, tantae seditiones natae non essent: quare hoc incommodum Scipioni adscribendum videtur. Huiusmodi est illa quoque conquestio:

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Caesa accidisset [4] abiegna ad terram trabes!

Longius enim repetita est, quam res postulabat. Mala definitio est, quum aut communia describit, hoc modo: Seditiosus est is, qui malus atque inutilis est civis; (nam hoc non magis seditiosi, quam ambitiosi, quam calumniatoris, quam alicuius improbi hominis vim describit;) aut falsum quiddam dicit, hoc pacto: Sapientia est pecuniae quaerendae intelligentia; aut aliquid non grave, nec magnum continens [5], sic: Stultitia est immensae gloriae cupiditas. Est haec [6] quidem stultitia, sed ex parte quadam, non ex omni genere, definita. Controversum est, in quo ad dubium demonstrandum, dubia causa affertur [7], hoc modo:

Eho tu, Di [8], quibus est potestas motus superûm atque inferûm,
Pacem inter [9] sese conciliant, conferunt concordiam.

92. Perspicuum est, de quo non est controversia: ut, si qui [10], quum Orestem accuset, planum faciat, ab eo matrem esse occisam. Non concessum est, quum id, quod augetur [11], in controversia est, ut, si qui, quum Ulixem [12] accuset, in hoc maxime commoretur: Indignum esse, ab homine ignavissimo virum fortissimum, Aiacem, necatum. Turpe est, quod aut eo loco, in quo dicitur; aut eo homine, qui dicit [13]; aut eo tempore, quo dicitur; aut iis, qui audiunt; aut ea re, qua de agitur [14], indignum, propter inhonestam rem [15], videtur. Offensum est, quod eorum, qui audiunt, voluntatem laedit: ut, si quis apud equites Romanos, cupidos iudicandi, Caepionis legem iudiciariam [16] laudet. L. 93. Contrarium est, quod contra ea dicitur, quae ii, qui [17] audiunt, fecerunt: ut, si quis apud Alexandrum Macedonem contra aliquem urbis expugnatorem diceret, nihil esse crudelius, quam urbes diruere, quum ipse Alexander Thebas diruisset. Inconstans est, quod ab eodem de eadem re, diverse dicitur: ut, si

(1) Sic T. L. ut mox *repetita* et Lib. 2. §. 6. — *petitur* Cdd fere omnes. Iu. L. 1. 2. 3. (2) ∞ *huiusmodi* T. Cdd. fere omnes. (3) = *duo* Cdd. aliq. ap. Graev. (4) e Cdd. 1. 2. — *cecidisset* T. L. 3. (5) — *continet* L. (6) ∞ *hic* L. *sed* in Tur. punctis, ut delendum, notatur. (7) — *dubium affertur* Cld. non improb. Oud. (8) — *dii* 1. 2. 3. (9) cfr. *ad Herenn.* 2, 25. Hic nullus inserit *enim*, quod versum supplet. (10) e Cdd. — *quis* L. 1. 2. 3. *qui* in seqq. quoque aliquoties dedi e Cdd. (T.) (11) — *agitur* Omnib. (12) e Cdd. (T.) Sch. 2. — *Ulyssem* L. 1. 3. (13) e Cdd. 1. 2. — *dicat* T. L. 3. (14) *qua de re agitur* L. (15) *inhonestatem* Sch. C. 2. vocabulo Tertullianeo, non Ciceroniano. Equidem lego: *inhonestam rationem* ut L. 2. §. 32. *minus honestae rationi.* (16) — *agrariam* Cdd. multi. Sed vide Oud. (17) ∞ *quod contra dicitur, atque ii, qui* T. Lectio memorabilis, ac fortasse vera.

qui, quum dixerit, qui virtutem habeat, eum nullius rei ad bene vivendum indigere, neget postea sine bona valetudine posse bene vivi [1]: aut, se [2] amico adesse propter benevolentiam; sperare enim [3] aliquid commodi ad se perventurum. 94. Adversum est, quod ipsi causae aliqua ex parte officit: ut si quis hostium vim, et copias, et felicitatem augeat, quum ad pugnandum milites adhortetur [4]. Si non ad id, quod instituitur [5], accommodabitur aliqua pars argumentationis, horum aliquo in vitio reperietur: si plura pollicitus pauciora demonstrabit; aut, si, quum totum debebit ostendere, de parte aliqua loquatur [6], hoc modo: Mulierum genus avarum est; nam Eriphyle [7] auro viri vitam vendidit: aut, si non id, quod accusabitur, defendet: ut, si qui, quum ambitus accusabitur [8], manu se fortem esse defendet [9]; ut Amphion apud Euripidem, item apud Pacuvium, qui, vituperata musica, sapientiam laudat: aut si res ex hominis vitio vituperabitur, ut, si qui doctrinam ex alicuius docti vitiis reprehendat: aut, si qui, quum aliquem volet laudare, de felicitate eius, non de virtute dicat [10]: aut, si qui rem cum re ita comparabit, ut alteram se non putet laudare, nisi alteram vituperarit: aut si alteram ita laudet [11], ut alterius non faciat mentionem: 95. aut si, quum de certa re quaeretur, de communi instituetur oratio [12]: ut, si qui, quum aliqui deliberent, bellum gerant [13], an non, pacem laudet omnino, non illud bellum inutile esse demonstret: aut, si ratio alicuius rei reddetur falsa, hoc modo: Pecunia bonum est, propterea quod ea maxime vitam beatam * efficit [14]; aut si infirma, ut Plautus,

Amicum castigare ob meritam noxiam,
Immune est facinus; verum in aetate utile
Et conducibile: nam ego amicum hodie meum
Concastigabo pro commerita noxia [15];

aut eadem, hoc modo: Maximum malum est avaritia; multos enim magnis incommodis affecit [16] pecuniae cupiditas; aut parum idonea, hoc modo: Maximum bonum est amicitia; plurimae enim delecta-

---

([1]) Sic Taric. optime. — *vivere* Cdd. pleriq. Iu. L. 1. 2. 3. ([2]) — *aut aiat, se* Sch. €. 2. Sine ulla causa: nam ex praeced. *neget* facile h. l. elicitur *dicat*. ([3]) Sic T. Iu. L. 1. 3. — *tamen* Cdd. multi Sch. 2. Sed illud, quum paullo absurdius sit, locum suum tuetur. Oudend. utrumque insiticium videbatur. ([4]) — *cohortetur* L. — *hortetur* Iu. ([5]) — *institutum est* L. ([6]) ∞ *loquetur* L. ([7]) = *Eriphyla* T. Multi, quod enixe probat Oudend. ad Appul. T. 1. p. 96. ubi similium magnum numerum accumulat. ([8]) — *accusetur* Sch. €. 2. ([9]) — *defendat* Sch. €. 2. Omnino in huiusmodi locis de temporum et modorum rationibus vix certi aliquid definiri licet, tum propter compendia scribendi in Cdd. obvia, tum, quia scriptor ipse hoc quoque modo videtur orationem passim distinxisse ac variasse. E coniectura saltem vix novi aliquid inferendum est. ([10]) ∞ *dicet* L. Sch. 2. ([11]) ∞ *laudabit* L. Sch. 2. ([12]) Haec cum paucis Cdd. Lambinus transposuit post v. *demonstret*. ([13]) Sic T. alii Cdd. 1. 2. — *geratur* Iu. 3. — *utrum bellum geratur* L. ([14]) Sic Ern. €. 1. 2. — *efficiat* Omnes Cdd. Iu. L. 3. ([15]) Rursus addit seq. versum L. cum Oxonn. aliq. Bipont. *Invitus, ni id me invitet, ut faciam, fides* cfr. *ad Her.* 2, 23. ([16]) Sic T. alii L. 1. — *afficit* Iu. 3. Sch. 2.

tiones sunt in amicitia. LI. 96. Quartus modus erat reprehensionis, per quem contra firmam argumentationem, aeque firma aut firmior ponebatur [1]. Hoc genus in deliberationibus maxime versabitur [2], quum aliquid, quod contra dicatur, aequum esse concedimus, sed id, quod nos defendimus, necessarium esse demonstramus: aut quum id, quod illi defendant, utile esse fateamur; quod nos dicamus, demonstremus esse honestum. Ac de reprehensione haec quidem [3] existimavimus esse dicenda. [Deinceps nunc de conclusione ponemus [4].]

97. Hermagoras degressionem deinde, tum postremam [5] conclusionem ponit. In hac autem degressione ille putat [6] oportere quandam inferri orationem, a causa, atque a iudicatione ipsa remotam, quae aut sui laudem, aut adversarii vituperationem contineat, aut in aliam causam deducat, ex qua conficiat aliquid confirmationis, aut reprehensionis, non argumentando, sed augendo per quandam amplificationem. Hanc si qui partem putarit orationis [7], sequatur Hermagoram [8] licebit. Nam et augendi, et laudandi, et vituperandi praecepta a nobis partim data sunt, partim suo loco dabuntur. Nobis autem non placet [9], hanc partem in numero [10] reponi, quod de causa degredi, nisi per locum communem, displicet; quo de genere posterius est dicendum. Laudes autem et vituperationes non separatim placet tractari, sed in ipsis argumentationibus esse implicitas [11]. Nunc de [12] conclusione dicemus.

LII. 98. Conclusio est exitus et determinatio totius orationis. Haec habet partes tres, enumerationem, indignationem, conquestionem. Enumeratio est, per quam res disperse et [13] diffuse dictae unum in locum coguntur, et reminiscendi causa unum sub aspectum subiiciuntur. Haec si semper eodem modo tractabitur, perspicue ab omnibus artificio quodam tractari intelligetur; sin varie fiet [14], et hanc suspicionem et satietatem vitare poterit. Quare tum oportebit ita facere [15], ut plerique faciunt propter facilitatem, singillatim [16] unamquamque rem attingere, et ita omnes transire breviter [17] argumentationes: tum autem, id quod difficilius est, dicere, quas partes exposueris in partitione, de quibus te pollicitus sis dicturum, et reducere in memoriam, quibus rationibus unamquamque partem confirmaris [18]: tum ab iis, qui audiunt [19],

---

([1]) — *ponitur* Cdd. aliq. ([2]) Sic T. Grut. 3. Ern. 1. et in plerisq. Iuntina. ∞ *versatur* (- *versatur*, *aut quum* L.) — *defendamus* — *fatemur* — *demonstramus esse hon.* L. prob. Ern. Sch. 2. ([3]) ∞ *quidem haec* L. ([4]) Pro v. *ponemus* alii pauci *ponetur*, alii *dicemus* ∞ *Deinceps nunc conclusionem ponemus* T. = *Deinceps conclusionem ponemus* L. Spuria iudicarunt Oud. Ern. Delevit Sch. 2. Nos [ ] ([5]) ∞ *postremum* Cdd. aliq. — *postremo* T. ([6]) = *putat illo* L. ([7]) ∞ *putarit esse orat.* T. L. ([8]) ∞ Om. *Hermag.* fere omnes, etiam T. Iu. prob. Oud. ([9]) Sic Iu 1. 2. 3. ∞ *placuit* T. Cdd. Oud. omnes. prob. Oud. Sed vide Ern. et Sch. ([10]) Sic Iu. 1. 2. 3. ∞ *in numerum* T. Cdd. Oud. omnes, et O6x. L. v. C. 26. ([11]) Sic Iu. L. 1. 2. 3. ∞ *implicatas* T. Cdd. alii. prob. Ern. Altera tamen forma, quae in controversia est etiam L. 2, §. 15. Ciceroni magis videtur placuisse. ([12]) — *Nunc igitur de* Sch. €. 2. ([13]) ∞ *ac* L. ([14]) ∞ om. *fiet* Omn. (prob. Ern.) Sch. 2. ([15]) Suspecta haec Sch. ([16]) — *singulatim* (ut Cdd. aliq. passim h. l. habent) L. sed idem §. 99. *singillatim*. ([17]) = *breviter transire* L. ([18]) = *confirmaveris* L. ([19]) ∞ *audient* Cld. ap. Oud.

quaerere, quid sit, quod sibi velle debeant demonstrari[1], hoc modo: Illud docuimus, illud planum fecimus[2]. Ita simul et in memoriam redibit auditor, et putabit nihil esse praeterea, quod debeat desiderare. 99. Atque in his generibus (ut ante dictum est) tum tuas argumentationes transire separatim, tum, id quod artificiosius est, cum tuis contrarias coniungere; et quum tuam argumentationem dixeris, tum, contra eam quod afferebatur, quemadmodum dilueris, ostendere. Ita per brevem comparationem, auditoris memoria et de confirmatione, et de reprehensione redintegrabitur. Atque haec aliis actionis[3] quoque modis variare oportebit. Nam tum[4] ex tua persona enumerare possis, ut, quid, et quo quidque loco dixeris, admoneas: tum vero personam, aut rem aliquam inducere, et enumerationem ei totam attribuere. Personam hoc modo: Nam si legis[5] scriptor exsistat, et quaerat a vobis, quid dubitetis: quid[6] possitis dicere, quum vobis hoc et hoc sit demonstratum? Atque hic, item ut in nostra persona, licebit alias singillatim transire omnes argumentationes, alias ad partitiones singula genera referre, alias ab auditore, quid desideret, quaerere, alias haec facere per comparationem suarum et contrariarum argumentationum. 100. Res autem inducetur, si alicui rei huiusmodi, legi, loco, urbi, monumento[7] attribuetur oratio per enumerationem, hoc modo[8]: Quid si leges loqui possent? nonne haec apud vos quererentur? Quidnam amplius desideratis, iudices, quum vobis hoc et hoc planum factum sit? In hoc quoque genere omnibus eisdem modis uti licebit. Commune autem praeceptum hoc datur ad enumerationem, ut ex unaquaque argumentatione, quoniam tota iterum dici non potest, id eligatur, quod erit gravissimum, et unumquodque[9] quam brevissime transeatur; ut memoria, non oratio renovata videatur.

LIII. Indignatio est oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem[10] gravis offensio concitetur. In hoc genere illud primum intelligi volumus, posse omnibus ex locis iis, quos in confirmationis[11] praeceptis posuimus, tractari indignationem. Nam ex iis rebus, quae personis et quae[12] negotiis attributae sunt, quaevis amplificationes[13] nasci possunt: sed tamen ea, quae separatim de indignatione praecipi possunt, consideremus. 101. Primus locus sumitur ab auctoritate, quum commemoramus, quantae

(1) Cld. omittit *velle*. Victorinus interpretatur: *quid amplius velint cognoscere*. Unde Sch. C. 2. — *quod sibi velint demonstrari amplius*. (2) Sic T. 1. 3. Fluctuant Cdd. reliqui. — *Docuimus hoc* Iu. = *Hoc docuimus* L. Omnia haec *hoc-fecimus* expunxit Sch. C. 2. (3) ∞ *aliis quoque actionis* L. — *aliis dictionis quoque* Sch. C. 2. (4) Sic T. Iu. Recte. — *quum* L. 1. 2. 3. (5) Sic Iu. L. 1. 2. 3. — *Num quid si legis* — Cdd. aliq. et Victorinus ex διττογρ. *Nam si* et *Quid si* (al. *Nam quid*.) Tum Turic. — *et quaerat si quid*. Hinc Oud. C. — *Num quid, si l. scr. exsistat, et quaerat si quid a vobis, dubitetis dicere*. (6) Sic Cdd. aliq. Iu. L. 1. 2. — *quod* 3. (7) — *si legi, l. a. m. aut alicui rei huiusmodi* Sch. C. 2. (8) ∞ *pacto* T. (9) Sic T. 1. 2. 3. — *unumquidque* L. (10) — *in aliquam rem* Cld. prob. Oud. (11) Sic Cdd. aliq. ap. Oud. Olx. L. plane ut Lib. 2. §. 31. sine varietate. — huc ducit Turic. *confirmandis* — *confirmandi* Iu. 1. 2. 3. (12) c Cdd. aliq. Sch. 2. ∞ *aut quae* T. alii Cdd. — *atque* Iu. L. 1. 3. (13) Sic Turic. Omnib. Sch. 2. — addunt *et indignationes* Cdd. pleriq. Iu. L. 1. 3.

curae res ea fuerit diis [1] immortalibus, aut eis, quorum auctoritas gravissima debeat esse. Qui locus sumetur ex sortibus, ex [2] oraculis, vatibus, ostentis, prodigiis, responsis, et [3] similibus rebus, item ex [4] maioribus nostris, regibus, civitatibus, gentibus, hominibus sapientissimis, senatu, populo, legum scriptoribus. Secundus locus [5] est, per quem, illa res ad quos pertineat, cum amplificatione, per indignationem, ostenditur, an [6] ad omnes, aut [7] ad maiorem partem, quod atrocissimum est; an [8] ad superiores, quales sunt ii, quorum ex auctoritate indignatio sumitur, quod indignissimum est; an ad pares animo, fortuna, corpore, quod iniquissimum est; an ad inferiores, quod superbissimum est. Tertius locus est, per quem quaerimus, quidnam sit eventurum, si idem ceteri faciant: et simul ostendimus, huic si concessum sit, multos aemulos eiusdem audaciae futuros: ex quo, quid mali sit eventurum, demonstrabimus. 102. Quartus locus est, per quem demonstramus, multos alacres exspectare, quid statuatur, ut ex eo, quod uni concessum sit, sibi quoque tali de re quid liceat, intelligere possint. Quintus locus est, per quem ostendimus, ceteras res perperam constitutas, intellecta veritate, commutatas corrigi [9] posse: hanc esse rem, quae si sit semel iudicata, neque alio commutari iudicio, neque ulla potestate corrigi possit. Sextus locus est, per quem consulto et de industria factum esse [10] demonstratur, et illud adiungitur, voluntario maleficio veniam dari non oportere: imprudentiae concedi nonnunquam [11] convenire. Septimus locus est, per quem indignamur, quod tetrum, crudele, nefarium, tyrannicum factum esse dicamus, per vim, manum, opulentiam [12]; quae res ab legibus et ab aequabili iure remotissimae sint [13]. LIV. 103. Octavus locus est, per quem demonstramus, non vulgare, neque factitatum esse, ne ab audacissimis quidem hominibus, id maleficium, de quo agitur [14]: atque id a feris quoque hominibus, et a barbaris gentibus, et immanibus bestiis remotum esse. Haec erunt, quae in parentes, liberos, coniuges, consanguineos, supplices, crudeliter facta dicentur; et deinceps si qua proferantur in maiores natu, in hospites, in vicinos, in amicos, in eos, quibuscum vitam egeris, in eos, apud quos educatus sis, in eos, a quibus eruditus, in mortuos, in miseros et misericordia dignos, in homines claros, nobiles et honore usos, in eos, qui neque laedere alium, nec se defendere potuerint [15],

---

([1]) Sic T. alii Cdd. L. 1. 2. — *aut diis* Iu. 3. ([2]) ∞ *ex* omittunt L. Sch. 2. ([3]) ∞ *et* om. T. ([4]) ∞ *ex* om. T. — *a maioribus* C3d. ([5]) — *locus* om. L. ([6]) — *an* om. L. (*7*) Sic L. 1. 2. e Cdd. — *an* Iu. 3. ([8]) Sic T. Iu. L. 3. 2. — Ern. ex Edd. vett. ter *aut* v. Schuetz. et Ochsn. *Eclog.* p. 123. ([9]) — *commutatas* om. C1d. prob. Oud. — *commutari aut corrigi* Sch. E. 2. ([10]) ∞ om. T. ([11]) = *nonnunquam concedi* L. — verb. *concedi* om. C1d. prob. Oud. ([12]) e Palat. sec. Sch. 2. Multi etiam Turic. om. *per* ante v. *manum*. — *per vim, per manum opulentam* Iu. L. 1. 3. ([13]) Sic Turic. Optime: quae res scil. vis, manus armatorum, opulentia ab aequabili (*aequali* T. al.) iure remotissimae sint, non vero: tyrannicum factum, quod ab aeq. iure remotissimum sit. — *remotissima sit* Pleriq. Iu. L. 1. 2. 3. ([14]) Exspectabas: *quo de agitur*, ut mox editur. ([15]) Sic Ern. E. 1. 2. In Cdd. est in compendio. — *potuerunt* Iu. L. 3.

ut in pueros, senes, mulieres: quibus omnibus [1] acriter excitata indignatio, summum in eum, qui violarit horum aliquid [2], odium commovere poterit. 104. Nonus locus est, per quem cum aliis, quae constat esse peccata, hoc, quo de [3] quaestio est, comparatur; et ita per contentionem, quanto atrocius et indignius sit illud, quo de [4] agitur, ostenditur. Decimus locus est, per quem omnia, quae in negotio gerendo acta sunt, quaeque post negotium consecuta [5] sunt, cum uniuscuiusque indignatione et criminatione colligimus, et rem verbis quam maxime ante oculos eius, apud quem dicitur, ponimus, ut id, quod indignum est, perinde [6] illi videatur indignum, ac si ipse interfuerit, ac praesens viderit. Undecimus locus est, per quem ostendimus, ab eo factum, a quo minime oportuerit, et a quo, si alius faceret, prohiberi conveniret. Duodecimus locus est, per quem indignamur, quod nobis hoc primis acciderit, nec alicui unquam usu venerit [7]. 105. Tertius decimus locus est, si cum iniuria contumelia iuncta demonstratur, per quem locum in superbiam et arrogantiam odium concitatur. Quartus decimus locus est, per quem petimus ab iis, qui audiunt, ut ad suas res nostras iniurias referant: si ad pueros pertinebit, de liberis suis cogitent: si ad mulieres, de uxoribus: si ad senes, de patribus aut parentibus [8]. Quintus decimus locus est, per quem dicimus, inimicis quoque et hostibus ea, quae nobis acciderint, indigna videri solere. Et indignatio quidem his fere de locis gravissime sumetur.

LV. 106. Conquestionis autem huiusmodi de rebus partes petere oportebit [9]. Conquestio est oratio, auditorum misericordiam captans. In hac primum animum auditoris mitem et misericordem conficere [10] oportet, quo facilius conquestione commoveri possit. Id locis communibus efficere oportebit, per quos fortunae vis in omnes, et hominum infirmitas ostenditur: qua oratione habita graviter et sententiose, maxime demittitur animus hominum [11], et ad misericordiam comparatur; quum in alieno malo suam infirmitatem considerabit. 107. Deinde primus locus est misericordiae, per quem [12], quibus [13] in bonis fuerint, et nunc quibus in malis sint, ostenditur. Secundus, qui in tempora tribuitur [14], per quem, quibus in malis fuerint, et sint, et futuri sint, demonstratur. Tertius, per quem unumquodque deploratur incommodum, ut in morte filii, pueritiae delectatio, amor, spes, solatium, educatio, et, si qua simili in genere, quolibet de incommodo [15] per conquestionem dici poterunt. Quartus, per quem res turpes, et humiles, et illiberales proferentur [16], et indignae aetate, genere,

---

([1]) ∞ *quibus ex omnibus* T. Cdd. alii. Sch. in Ed. mai. ([2]) — *qui horum aliquem violarit* e C1d. Sch. 2. Videtur tamen a correctore profectum. ([3]) — *de quo* L. ([4]) — *de quo* T. Pleriq. Iu. L. ([5]) — *post negotium gestum cons.* Oud. suspicio. — *negotium consecuta*, omisso *post* Ern. suspicio. Neuter scil. viderat, *post* esse adverbium. ([6]) — *proinde* C2d. L. ([7]) Sic T. alii. (O3x.) Sch. 2. — *evenerit* ex solito errore Iu. L. 1. 3. ([8]) = *aut de parentibus* T. ([9]) — *Conqu. autem partes* cet. L. Haec omnia *Conquestionis* — *oportebit* expunxit Sch. €. 2. ([10]) — *efficere* O2x. ([11]) — *auditoris* L. ([12]) — add. *rei* Sch. €. 2. sine ulla causa. ([13]) — *et quibus* L. ([14]) ∞ *distribuitur* T. O3x. ([15]) — *in genere quolibet incommoda* Sch. €. 2. ([16]) ∞ *proferuntur* L.

fortuna, pristino honore, beneficiis; quas [1] passi perpessurive sint. Quintus [2], per quem omnia ante oculos singillatim incommoda ponentur [3], ut videatur is, qui audit, videre, et re quoque ipsa, quasi adsit, non verbis solum, ad misericordiam ducatur. 108. Sextus, per quem [4] praeter spem in miseriis demonstratur esse; et, quum aliquid [5] exspectaret, non modo id non [a] adeptus [6] esse, sed in summas miserias incidisse. Septimus, per quem ad ipsos, qui audiunt, similem casum convertimus, et petimus, ut de suis liberis, aut parentibus, aut aliquo, qui illis carus debeat esse, nos quum videant, recordentur. Octavus, per quem aliquid dicitur esse factum, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit, hoc modo: Non affui, non vidi, non postremam eius vocem audivi, non extremum [eius] [7] spiritum excepi. Item: Inimicorum in manibus mortuus est, hostili in terra turpiter iacuit insepultus, a feris diu vexatus, communi quoque honore in morte caruit. 109. Nonus, per quem oratio ad mutas et expertes animi res [8] refertur: ut, si ad equum, domum, vestem, sermonem alicuius accommodes, quibus animus eorum, qui audiunt et aliquem dilexerunt, vehementer commovetur. Decimus, per quem inopia, infirmitas, solitudo demonstratur. Undecimus, per quem aut liberorum, aut parentum, aut sui corporis sepeliendi, aut alicuius eiusmodi rei commendatio fit. Duodecimus, per quem disiunctio deploratur ab aliquo, quum diducaris ab eo, quicum libentissime vixeris, ut a parente, filio, fratre, familiari. Tertius decimus, per quem cum indignatione conquerimur, quod ab iis, a quibus minime conveniat, male tractemur, propinquis, amicis, quibus benigne fecerimus [9], quos adiutores fore putaverimus [10], aut a quibus indignum sit [11], ut servis, libertis, clientibus, supplicibus. LVI. Quartus decimus, qui per obsecrationem sumitur: in quo orantur modo illi, qui audiunt, humili et supplici oratione, ut misereantur. Quintus decimus, per quem non nostras, sed eorum, qui cari nobis debent esse, fortunas conqueri nos demonstramus. Sextus decimus [12], per quem animum nostrum in alios misericordem esse ostendimus: et tamen amplum, et excelsum, et patientem incommodorum [13] esse, et futurum esse [14], si quid acciderit, demonstramus. Nam saepe virtus et magnificentia, in quo [15] gravitas et auctoritas est, plus proficit ad misericordiam commovendam, quam humilitas et obsecratio. Commotis autem

---

([1]) ∞ *indigna — quae* T. O1x. Non male. ([a]) Sic T. L. neque erat cur huic numero adderetur verbum. — *Quintus est* Iu. 1. 2. 3. Mox *singulatim* h. l. T. ([3]) ∞ *ponuntur* O6x. L. ([4]) — add. *aliquis* Sch. €. in Ed. mai. ([5]) — *boni aliquid* Sch. €. 2. Sed *boni* notio inest in v. *adeptus*. ([6]) Sic L. 1. 2. ∞ *adeptum* Cdd., ut videtur, omnes, etiam T. Iu. 3. ([7]) ∞ om. O1x. L. Sch. 2. Nos [ ]. *Eius* ante *vocem* om. Cld. ap. Oud. Transponit T. ([8]) ∞ *mutas res et exp. anim* O2x. Sch. in Ed. mai. ([9]) Sic T. alii Cdd. Rectissime. v. *pro Plancio*. C. 19. Ed. nostrae p. 111. Formula est antiquior, quod genus, sicubi in iuvenili hoc Ciceronis scripto a codd. praebentur, non sunt aspernandae. — *benefecerimus* Pleriq. Iu. L. 1. 2. 5. ([10]) — *putaremus* T. Volebat ∞ *putarimus*. ([11]) Sic Cdd. aliq. L. 1. 2. — *est* T. Iu. 3. ([12]) Sic T. alii. Sch. in Ed. mai. — *Sextus dec. est* Iu. L. 1. 2. 3. ([13]) — om. *incommodorum* Cld. prob. Oud. ([14]) Sic T. alii. 1. 2. — om. *esse* Iu. L. 3. ([15]) Sic T. Cdd. omnes Oud. O7x. Iu. Sch. 2. — *in qua* L. 1. 3.

animis, diutius in conquestione morari non oportebit. Quemadmodum enim dixit rhetor Apollonius, lacrima nihil citius arescit. Sed quoniam et satis videmur [1] de omnibus partibus orationis dixisse [2], et huius voluminis magnitudo longius processit; quae sequuntur deinceps, in secundo libro dicemus.

M. TULLII CICERONIS
RHETORICORUM
SEU DE
INVENTIONE RHETORICA
LIBER SECUNDUS.

I. 1. Crotoniatae quondam, quum florerent omnibus copiis, et in Italia cum primis [3] beati numerarentur, templum Iunonis, quod religiosissime colebant, egregiis picturis locupletare voluerunt. Itaque Heracleotem Zeuxin, qui tum longe ceteris excellere pictoribus existimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt. Is et ceteras complures tabulas pinxit, quarum nonnulla pars usque ad nostram memoriam propter fani religionem remansit: et, ut excellentem muliebris formae pulchritudinem muta in sese imago contineret, Helenae se pingere simulacrum velle [4] dixit: quod Crotoniatae, qui eum muliebri in corpore pingendo plurimum aliis praestare saepe accepissent, libenter audierunt. Putaverunt enim, si, quo [5] in genere plurimum posset, in eo magno opere [6] elaborasset, egregium sibi opus illo in fano relicturum. 2. Neque tum [7] eos illa [8] opinio fefellit. Nam Zeuxis illico quaesivit ab eis [9], quasnam virgines formosas haberent. Illi autem statim hominem deduxerunt [10] in palaestram, atque ei pueros ostenderunt multos, magna praeditos dignitate. Etenim quodam tempore Crotoniatae multum omnibus corporum viribus et dignitatibus antesteterunt, atque honestissimas ex gymnico certamine victorias domum cum maxima laude retulerunt. Quum puerorum igitur formas et corpora [11] magno hic opere miraretur: Horum, inquiunt illi [12], sorores sunt apud

---

(1) Sic Cdd. aliq. Iu. L. 1. 2. — *qu. satis, ut videmur* T. alii. Grut. 3. (2) Sic Cdd. aliq. Iu. L. 1. 2. — *diximus* T. al. Grut. 3. (3) Sic T. alii v. c. O3x. L. 1. 2. — *cum in primis* Iu. 3. (4) = *pingere se sim. velle* T. — *ping. sim. velle se* Alt. Unde fortasse del. *se*. (5) Sic T. 1. 2. 3. — *cum si quo* Iu. L. (6) Sic T. al. — *magnopere* Iu. L. 1. 2. 3. (7) — *tum* om. L. (8) ∞ om. *illa* Cld. Sch. 2. (9) — *his* Iu. L. (10) Sic T. alii Cdd. L. 1. 2. — *duxerunt* Iu. 3. (11) ∞ e Cd. Grevenb. (qui passim singularia habet) e correctione, ut videtur: *corpora et formas* Sch. 2. quo quidem devitatur versus heroicus. (12) Sic T. Iu. L. 1. 2. — om. *illi* Grut. 3.

nos virgines. Quare, qua sint illae dignitate, potes ex his suspicari. Praebete igitur mihi, quaeso, inquit, ex istis virginibus formosissimas, dum pingo id, quod pollicitus sum vobis, ut mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas transferatur. 3. Tum [1] Crotoniatae, publico de consilio [2], virgines unum in locum conduxerunt, et pictori, quas vellet, eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinque delegit; quarum nomina multi poëtae memoriae tradiderunt [3], quod eius essent iudicio probatae [4], qui verissimum pulchritudinis habere iudicium debuisset. Neque enim putavit, omnia, quae quaereret ad venustatem, uno in corpore se [5] reperire posse; ideo quod nihil, simplici in genere, omnibus ex partibus [6] perfectum natura expolivit. Itaque [7], tanquam ceteris non sit habitura quod largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alii commodi, aliquo adiuncto incommodo, muneratur.

II. 4. Quod quoniam nobis quoque voluntatis accidit, ut artem dicendi perscriberemus, non unum aliquod proposuimus exemplum, cuius omnes partes, quocunque essent in genere, exprimendae nobis necessario viderentur: sed, omnibus unum in locum coactis scriptoribus, quod quisque commodissime praecipere videbatur, excerpsimus, et ex variis ingeniis excellentissima quaeque libavimus. Ex iis [8] enim, qui nomine et memoria digni sunt, nec nihil optime, nec omnia praeclarissime quisquam dicere nobis videbatur. Quapropter stultitia visa [9] est, aut a bene inventis alicuius recedere, si quo in [10] vitio eius offenderemur, aut ad vitia quoque eius accedere, cuius aliquo bene praecepto duceremur. 5. Quod si in ceteris quoque studiis a multis [11] eligere homines commodissimum quodque [12], quam sese uni alicui certo vellent [13] addicere, minus in arrogantia [14] offenderent; non tanto opere [15] in vitiis perseverarent; aliquanto levius ex inscientia [16] laborarent. Ac si par in nobis huius artis, atque in illo picturae, scientia fuisset, fortasse magis hoc suo in genere opus nostrum, quam ille in sua pictura nobilis eniteret [17]. Ex maiore enim copia nobis, quam illi, fuit exemplorum eligendi potestas. Ille una ex urbe, et ex eo [18] numero virginum, quae tum erant, eligere potuit: nobis omnium, quicunque fuerunt, ab ultimo principio huius praeceptionis usque ad hoc tempus, expositis copiis, quodcunque placeret, eligendi potestas fuit.

([1]) Sic T. al. 1. 2. — *Tunc* Iu. L. 3. ([2]) — *communi de consilio* Grevenb. ([3]) — *prodiderunt* C1d. Lambini. ([4]) ∞ *comprobatae* L. ([5]) = *uno se in corp.* T. L. ([6]) Sic T. et Cdd. pleriq. vide Gronov. Sch. 2. — *omni ex parte* Iu. L. 1. 3. ([7]) — *Ita* C1d. prob. Ern. ([8]) Sic T. Iu. L. — *his* 1. 2. 3. ([9]) — *stultitia nobis visa* Iu. L. ([10]) — *in* om. Cdd. pauci L. ([11]) Sic T. et omnes mihi noti. Iu. 1. 2. 3. agnoscit Forcellin. in *eligo*. ∞ *e multis* L. ut infra semper. ([12]) — *quidque* L. ([13]) Sic T. Iu. 1. 2. 3. — *mallent* Omnib. L. ([14]) Sic Cdd. aliq. Gruteri 1. 2. 3. ∞ *arrogantiam* T. Pleriq. Iu. L. Dubitanter agnoscit Forcellin. in *ostendo*. ([15]) Sic T. C1d. ap. Oud. — *tantopere* Iu. L. 1. 2. 3. ([16]) Sic T. L. (*ex inscientia levius* cum C1d. Rob. Steph.) 1. 2. ∞ *inscitia* Cdd. aliq. Iu. Sch. 2. Sed quum opponantur *vitia*, hic potius de involuntaria paene melioris ignorantia cogitandum est. ([17]) — *quam illius in suo pict. nobilis; eniteret* Ern. suspicio. — *quam illius pictura nobilis enit.* L. Vide Wetzel. ([18]) — *earum* L.

6. Ac veteres quidem scriptores artis, usque a principe illo atque inventore Tisia repetitos, unum in locum conduxit Aristoteles, et nominatim cuiusque praecepta magna conquisita cura perspicue conscripsit, atque enodata diligenter [1] exposuit: ac [2] tantum inventoribus ipsis suavitate et brevitate dicendi praestitit, ut nemo illorum praecepta ex ipsorum libris cognoscat, sed omnes, qui, quod [3] illi praecipiant, velint intelligere, ad hunc, quasi ad quendam multo commodiorem explicatorem, revertantur. 7. Atque hic quidem ipse, et sese ipsum nobis, et eos, qui ante se fuerant, in medio posuit, ut et [4] ceteros, et se ipsum per se cognosceremus: ab hoc autem qui profecti sunt, quamquam in maximis philosophiae partibus operae plurimum consumpserunt [5], sicut et ipse [6], cuius instituta sequebantur, fecerat; tamen permulta nobis praecepta dicendi reliquerunt. Atque alii quoque alio ex fonte praeceptores dicendi emanaverunt, qui item permultum ad dicendum, si quid ars proficit, opitulati sunt. Nam fuit tempore eodem, quo Aristoteles, magnus et nobilis rhetor Isocrates: cuius ipsius quam constet esse artem, non invenimus. 8. Discipulorum autem atque eorum, qui protinus ab hac sunt disciplina profecti, multa de arte praecepta reperimus. III. Ex his duabus diversis sicuti familiis, quarum altera quum versaretur in philosophia, nonnullam rhetoricae quoque artis sibi curam assumebat, altera vero omnis in dicendi erat studio et praeceptione occupata, unum quoddam est conflatum genus a posterioribus, qui ab utrisque ea, quae commode dici videbantur, in suas artes contulerunt [7]: quos ipsos simul, atque illos superiores, nos nobis omnes, quoad facultas tulit, proposuimus, et ex nostro [8] quoque nonnihil in commune contulimus. 9. Quod si ea, quae in his libris exponuntur, tanto opere [9] eligenda fuerunt, quanto studio electa sunt, profecto neque nos, neque alios industriae nostrae poenitebit. Sin autem temere [10] aliquid alicuius praeterisse, aut non satis eleganter secuti videbimur, docti ab aliquo, facile et libenter sententiam commutabimus. Non enim parum cognosse, sed in parum cognito stulte et diu perseverasse, turpe est: propterea quod alterum communi hominum infirmitati, alterum singulari uniuscuiusque [11] vitio est attributum. 10. Quare nos quidem sine ulla affirmatione, simul quaerentes, dubitanter unumquodque [12] dicemus, ne, dum parvulum hoc consequimur, ut satis commode haec perscripsisse videamur, illud amittamus, quod maximum est, ut [13] ne cui rei temere atque arroganter assenserimus. Verum hoc quidem nos [14], et in hoc tem-

(1) — *enodate et dilig.* Omnib. (2) Sic T. Pleriq. Iu. L. 2. 3. — *at* e C1d. Ern. 1. sed nulla in his est oppositio. (3) — *quid* L. (4) Habent hoc *et* O1x. L. Ern. C. 1. 2. — om. T. Pleriq. Iu. 3. (5) — *consumpserint* C1d. prob. Oud. (6) ∞ *sicuti ipse* T. lectio placitura eis, qui huic *et* apud Ciceronem bellum internecivum indixerunt. (7) — *retulerunt* C1d. ap. Oud. (8) — *nostra* Cdd. aliq. prob. Grut. (9) Sic T. alii. *tantopere* ceteri. Sed L. — *quantopere elig. fuerunt, tanto studio electa sunt*, contra totius loci sensum. (10) *Sin autem aut temere* L. (11) — *cuiusque* Cdd. aliq. (12) Sic T. Iu. 1. 2. — *unumquidque* L. 3. (13) — om. *ut* L. (14) — om. *nos* C2d. Gronovii. O1x. Sch. 2. Sed praestabat retinere, quum se Cicero aliis tum artium scriptoribus, tum philosophis praeter Academicos opponat.

pore [1], et in omni vita studiose, quoad facultas feret, consequemur. Nunc autem, ne longius oratio progressa videatur, de reliquis, quae praecipienda videntur esse, dicemus.

11. Igitur primus liber, exposito genere huius artis, et officio, et fine, et materia, et partibus, genera controversiarum, et inventiones, et constitutiones, et iudicationes [2] continebat, deinde partes orationis, et in eas omnes omnia praecepta. Quare quum in eo ceteris de rebus distinctius dictum sit, disperse autem de confirmatione et de reprehensione: nunc certos confirmandi et reprehendendi in singula causarum genera locos tradendos arbitramur. Et quia, quo pacto tractari conveniret argumentationes, in libro primo non indiligenter expositum est, hic tantum ipsa inventa unamquamque in rem exponentur simpliciter, sine ulla exornatione, ut ex hoc inventa ipsa, ex superiore autem expolitio inventorum petatur. Quare haec, quae nunc praecipientur, ad confirmationis et reprehensionis partes referre oportebit.

IV. 12. Omnis et demonstrativa, et deliberativa, et iudicialis causa, necesse est in aliquo eorum, quae ante exposita sunt, constitutionis genere, uno pluribusve, versetur. Hoc quamquam ita est [3], tamen quum communiter quaedam de omnibus praecipi possint, separatim quoque aliae sunt cuiusque generis, et diversae [4] praeceptiones. Aliud enim laus aut vituperatio, aliud sententiae dictio, aliud accusatio, aut recusatio, confiecre debet. In iudiciis, quid aequum sit, quaeritur, in demonstrationibus, quid honestum, in deliberationibus, ut nos arbitramur, quid honestum sit, et quid utile. Nam ceteri utilitatis modo finem in suadendo et in dissuadendo exponi oportere arbitrati sunt. 13. Quorum igitur generum fines et exitus diversi sunt, eorum praecepta eadem esse non possunt. Neque nunc [5] hoc dicimus, non easdem [6] incidere constitutiones: verumtamen oratio quaedam ex ipso fine et ex genere [7] causae nascitur, quae pertineat ad [8] vitae alicuius demonstrationem, aut ad sententiae dictionem [9]. Quare nunc in exponendis controversiis, in iudiciali genere causarum et praeceptorum versabimur. Ex quo pleraque in cetera quoque causarum genera, simili implicita [10] controversia, nulla cum difficultate transferentur: post autem separatim de reliquis dicemus.

---

(1) ∞ *tempore* om. Cld. Lambini, prob. Lamb. Otx. (Sch. in Ed. mai. expunxit *in.*) (2) Haec *et constitutt. et iudicatt.* om. Cdd. aliq. delevitque Sch. 2. Alii, ut T. alterum dumtaxat membrum *et iudicatt.* omitt. De Victorino incertum est; in lemmate quidem habet utrumque. (3) — *sit* Cld. prob. Oud. v. ad C. 2. p. 110. Ed. Neapolit. (4) — *generis, diversae* T. al. unde — *generis divisae* Cd. Altorf. (5) — om. Cld. prob. Ern. (6) — *non easdem in unum quodque genus causae incidere* L. e €. ut videtur. — *non in easdem* Ern. suspicio. (7) Sic e Cdd. Ern. 1. (*ex* in Turic. versui superscribitur. — *et genere* T. a m pr. Alii Iu. L. 3. — Delevit *et ex gen.* Sch. €. 2. (8) — *aut ad* L. Sed in primo talium disiunctionum membro plerumque abest *aut* ap. Ciceronem, quod saepenumero intrusit Lambini diligentia. (9) — *dictionem aut ad iudicium* L. 1566. quae lectio in marg. 1584. *aliis* tribuitur, ipsi vero Lambino: *aut sententiae dictionem, aut iudicationem.* (10) Sic Cdd. aliq. Iu. Crat. — *implicata* T. Pleriq. L. 1. 2. 3. Vide L. 1. §. 97.

14. Nunc ab coniecturali constitutione [1] proficiscemur; cuius exemplum sit hoc expositum [2]: In itinere quidam proficiscentem ad mercatum quendam, et secum aliquantum numorum ferentem, est consecutus [3]. Cum hoc, ut fere fit, in via sermonem contulit: ex quo factum est, ut illud iter familiarius facere vellent. Quare quum in eandem [4] tabernam devertissent, simul coenare, et in eodem loco somnum capere voluerunt. Coenati discubuerunt ibidem. Caupo [5] autem (nam ita dicitur post inventum, quum in alio maleficio deprehensus esset) quum illum alterum videlicet qui numos haberet [6], animadvertisset: noctu postquam illos arctius iam [7], ut fit, ex lassitudine dormire sensit, accessit, et alterius eorum, qui sine numis erat, gladium propter appositum e vagina eduxit, et illum alterum occidit, numos abstulit, gladium cruentatum [8] in vaginam recondidit, ipse sese [9] in lectulum [10] suum recepit [11]. Ille autem, cuius gladio occisio erat facta, multo ante lucem surrexit, comitem suum [12] inclamavit semel et [13] saepius. 15. Illum [14] somno impeditum non respondere existimavit: ipse [15] gladium, et cetera, quae secum attulerat, sustulit, solus profectus est. Caupo non multo post conclamat [16], hominem esse [17] occisum, et cum quibusdam deversoribus illum qui ante exierat, consequitur. In itinere hominem comprehendit, gladium eius e [18] vagina educit, reperit cruentatum [19], homo in urbem ab illis deducitur [20], ac reus fit. In hac [21] intentio est criminis, Occidisti. Depulsio, Non occidi. Ex quibus constitutio est. Quaestio eadem in coniecturali, quae iudicatio, Occideritne [22].

V. 16. Nunc exponemus locos, quorum pars aliqua in omnem coniecturalem incidit controversiam. Hoc autem et in horum locorum expositione, et in ceterorum, oportebit attendere, non omnes in omnem causam convenire. Ut enim omne nomen ex aliquibus, non ex

---

([1]) Sic Cdd. aliq. T. a m. pr. Iu. 1. 2. 3. (*a* Iu. 3.) — *ad coniecturalem constitutionem* T. a m. 2. Edd. vett. aliq. L. ([2]) — om. *expositum* Cdd. aliq. prob. Oud. Contra T. a m. pr. omittit *hoc*: neque tamen utrumque delendum censeam. ([3]) Sic T. 1. 2. 3. — *comitatus* Iu. L. — *continuatus* Oudendorpii suspicio Appuleiana. ([4]) Sic T. 1. 2. 3. — *quandam* Iu. L. ([5]) = *Copo* T. ([6]) — *alterum numos habere* Lambini suspicio. — *videlicet - haberet* suspectum Ern. sine causa, in huiusmodi narratione. Iunta et Sch. distinguunt: *alterum videlicet, qui n. h.* ([7]) Sic Cdd. fere omnes, etiam T. Grut. 3. ∞ *arctius* (= *artius* T. al.) *ut fit, iam ex lass.* Iu. L. — *iam* om. Ern. 1. 2. ([8]) Sic C1d. apud Lamb. Grut. 3. Cdd. pauci. ∞ *cruentum* T. Plerique Iu. L. ([9]) Sic Iu. 1. 3. ∞ *ipse se* T. alii Sch. 2. — *et ipse sese* L. ([10]) Sic T. O3x. quae lectio huiusmodi narrationi quam maxime convenit: — *lectum* Iu. L. 1. 2. 3. ([11]) — *recipit* L. ([12]) Sic ex Edd. vett. Ern. 1. 2. ∞ *illum suum* T. Cdd. pleriq. Iu. L. 3. Nec damnanda omnino grata ista negligentia. ([13]) ∞ *ac* L. ([14]) — om. *illum* C1d. prob. Oud. ([15]) — *ipsum* L. ([16]) Sic T. O3x. Recte, quum hinc incipiat praesenti tempore narrare. Idque senserunt etiam Iunt. Lamb. male tamen scribentes *clamat*: — *conclamavit* 1. 2. 3. ([17]) — om. *esse* C1d. Sch. 2. ([18]) ∞ *de* T. ([19]) Sic iterum Cdd. aliq. v. c. O4x. — *cruentum* T. Iu. L. 1. 2. 3. ([20]) Sic T. Iu. 1. 3. = *homo ab illis in urbem deducitur* L. — *ducitur* e C1d. Sch. 2. ([21]) — add. *causa* e C1d. Sch. 2. ([22]) Haec corrupta. Sic Iu. L. 1. 3. Sed Turic. *Ex quibus constitutio est, id est quaestio eadem in conlecturali, quae iudicatio* — unde fortasse, si *id est quaestio*, quae gloss. speciem habent, expunxeris, in hac lectione poteris acquiescere. Ern. suspic: *Ex quibus quaes io eadem est, quae iudicatio, Occideritne.* — *Ex quibus quaestio est eadem in coniect. constitutione, quae iudicatio, O.* Sch. C. 2.

omnibus literis scribitur: sic omnem in causam non omnis argumentorum copia, sed eorum necessario [1] pars aliqua conveniet. Omnis igitur, ex causa, ex persona, ex facto ipso, coniectura capienda est.

17. Causa distribuitur [2] in impulsionem, et in [3] ratiocinationem. Impulsio est, quae sine cogitatione per quandam affectionem animi facere aliquid hortatur, ut amor, iracundia, aegritudo, vinolentia, et omnino omnia, in quibus animus ita videtur affectus fuisse, ut rem perspicere cum consilio et cura non potuerit: et id, quod fecit, impetu quodam animi [4] potius, quam cogitatione fecerit. 18. Ratiocinatio autem est diligens et considerata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio. Ea dicitur interfuisse tum [5], quum aliquid [faciendum, aut non faciendum [6]], certa de causa vitasse, aut secutus esse animus [7] videtur, ut, si amicitiae quid causa factum dicetur, si inimici ulciscendi, si metus, si gloriae, si pecuniae, si denique, ut omnia generatim amplectamur, alicuius retinendi, augendi, adipiscendive commodi, aut contra reiiciendi, deminuendi, devitandive incommodi causa. Nam horum in genus [8] alterutrum illa quoque incident, in quibus aut incommodum aliquod maioris vitandi incommodi causa, aut [9] maioris adipiscendi commodi, suscipitur, aut commodum aliquod maioris adipiscendi commodi, aut [10] maioris vitandi incommodi, praeteritur [11].

19. Hic locus sicut aliquod fundamentum est huius constitutionis. Nam nihil factum esse cuiquam probatur, nisi aliquid, quare factum sit, ostenditur. Ergo accusator, quum impulsione aliquid [12] factum esse dicet, illum impetum, et quandam commotionem animi, affectionemque verbis et sententiis amplificare debebit, et ostendere, quanta vis amoris sit, quanta animi perturbatio ex iracundia fiat, aut ex aliqua [13] causa earum, qua impulsum aliquem id fecisse dicet. Hic et exemplorum commemoratione, qui simili impulsu aliquid commiserint, et similitudinum collatione, et ipsius animi affectionis explicatione [14], curandum est, ut non mirum videatur, si quod ad facinus tali perturbatione commotus animus [15] accesserit. VI. 20. Quum autem non impulsione, verum ratiocinatione aliquem commisisse quid dicet, quid commodi sit secutus, aut quid incommodi fugerit, demonstrabit, et id augebit, quam maxime poterit, ut, quoad eius [16] fieri possit, idonea quam maxime causa ad peccandum hortata videatur. Si gloriae causa; quantam gloriam consecuturam existimarit: item si dominationis, si pecuniae, si amicitiae, si inimicitiarum; et

---

(1) Sic Cdd. plurimi. Sch. 2. — *necessaria* T. Iu. L. 1. 3. (2) ∞ *tribuitur* T. O2x. (3) — om. *in* L. (4) — *animi* om. Sch. €. 2. Male. Quis enim hoc intrusisset? (5) Sic T. al. L. 1. 2. — *tum interfuisse* Iu. 3. — *intercessisse* sine causa suspic. Ern. (6) — *faciendi aut non faciendi* T. unde patet haec e proxime praecedentibus esse intrusa. Recte, puto, delevit Sch. €. 2. Nos [ ] (7) — *quis* O1x. e correctione. (8) = *in horum genus* T. L. (9) ∞ *vel* L. e. €. ut videtur. (10) ∞ *vel* L. — (11) Haec ita exhibet Turic.. *in quibus aut commodi aliquid maioris adipiscendi causa, aut maioris vitandi incommodi suscipitur, aut commodum maioris aliquod adipiscendi commodi aut vitandi maioris incommodi praeteritur.* (12) Sic T. O1x. L. idemque Sch. 2. qui Lambino usus non est, coniectura est assecutus. — *aliquid impulsione* Iu. 1. 3. (13) — *alia aliqua* L. ut saepe sic correctum est. (14) — *explanatione* C1d. prob. Oud. — *exemplificatione* O1x. (15) — *animus* suspectum sine causa Ern. del. Sch. €. 2. (16) — *eius* omitt. multi v. c. O7x.

omnino quicquid erit, quod causae fuisse dicet [1], id summe augere debebit. 21. Et hoc cum magno opere [2] considerare oportebit, non quid in veritate modo, verum etiam vehementius, quid in opinione eius, quem arguet, fuerit. Nihil enim refert, non fuisse, aut non esse aliquid commodi, aut incommodi, si ostendi potest, ei visum esse, qui arguatur. Nam opinio dupliciter fallit homines; quum aut res aliusmodi est, ac putatur, aut non is eventus est, quem arbitrati sunt. Res aliusmodi est tum, quum aut id, quod bonum est, malum putant: aut contra, quod malum est, bonum: aut quod nec malum est, nec bonum, malum, aut bonum: aut quod malum, aut bonum est, nec malum, nec bonum. 22. Hoc intellecto, si qui [3] negabit, ullam esse pecuniam [4], fratris aut amici vita, aut denique officio [suo] [5] antiquiorem, aut suaviorem, non erit hoc accusatori negandum. Nam in eum culpa, et summum odium transferretur, qui id, quod tam vere et pie dicetur, negabit. Verum illud dicendum erit, illi non esse ita visum: quod sumi oportet [6] ex iis, quae ad personam pertinent, de quo post dicendum est. VII. 23. Eventus autem tum [7] fallit, quum aliter accidit, atque ii, qui arguuntur, arbitrati esse dicuntur: ut, si qui [8] dicatur alium occidisse, ac voluerit, quod aut similitudine, aut suspicione, aut demonstratione falsa deceptus sit: aut cum necasse, cuius testamento non sit heres, quod eius testamento se heredem arbitratus sit. Non enim ex eventu cogitationem spectari oportere [9]; sed qua cogitatione et spe [10] ad maleficium profectus sit, considerari [11]; [et] quo animo quid quisque faciat [12], non quo casu utatur, ad rem pertinere. 24. In hoc autem loco, caput illud erit accusatori, si demonstrare poterit, alii nemini causam fuisse faciendi: secundarium, si tantam, aut tam idoneam nemini. Sin fuisse aliis quoque causa faciendi videbitur; aut potestas aliis defuisse demonstranda est, aut facultas, aut voluntas. Potestas, si aut nescisse, aut non affuisse, aut conficere aliquid non potuisse dicetur. Facultas, si ratio, adiutores, adiumenta, et cetera [13], quae ad rem pertinebunt, defuisse alicui demonstrabuntur. Voluntas, si animus a talibus factis vacuus, et integer esse dicetur. Postremo, quas ad defensionem rationes reo dabimus, iis accusator ad alios ex culpa eximendos abutetur. Verum id brevi [14] faciendum est, et in unum multa sunt conducenda, ut ne [15] alterius defendendi causa hunc accusare, sed huius accusandi causa defendere alterum [16] videatur. VIII. 25. Atque accusatori quidem haec fere sunt in causa faciendi consideranda [17]. Defensor autem ex contrario primum

(1) ∞ *dicetur* T. (2) Sic T. al. — *magnopere* Iu. L. 1. 2. 3. (3) Sic T. alii. — *si quis* Iu. L. 1. 2. 3. (4) — *esse ullam pec.* T. — *ullam pec. esse* L. (5) Cum C1d. Ern. 1. Sch. 2. deleverunt *suo*. Habent T. Iu. L. 3. Nos [ ] (6) ∞ *oportebit* L. (7) ∞ *autem tum* om. C1d. prob. Oud. (8) e Cdd. 1. 2. — *si quis* L. 3. (9) — *oportet* C1d. prob. Ern. (10) Sic Iu. L. 1. 2. 3. ∞ *cogitatione animus et spe* Cdd. fere omnes. (Oxonn. aliq.) ∞ *cogitatione animi et spe* Lamb. suspicio, confirmata nunc a Turicensi Cd. (11) Sic C2d. L. Sch. 2. — *considerare* T. Pleriq. Iu. 1. 3. (12) *et* abest a plerisque, etiam T. Nos [ ]. Omnia haec *quo animo, quid qu. fac.* suspecta erant Oud. (13) — *ceteraque* T. L. (14) — *breviter* L. (15) — *ut non* L. (16) = *alterum def.* L. (17) Egregiam plane lectionem e Sch. a m. pr. ap. Oud. et Olx. recepi: — *faciendi et considerandi* T. Pleriq. Iu. L. 1. 2. 3.

impulsionem aut nullam fuisse dicet, aut, si fuisse concedet, extenuabit, et parvulam quandam fuisse demonstrabit, aut non ex ea solere huiusmodi facta nasci docebit. Quo erit [1] in loco demonstrandum, quae vis et natura eius sit affectionis, qua impulsus aliquid reus commisisse dicetur: in quo et exempla, et similitudines erunt proferendae, et ipsa diligenter natura eius affectionis quam lenissime quietissimam [2] ad partem explicanda, ut et res ipsa a facto crudeli et [3] turbulento ad quoddam mitius et tranquillius traducatur, et oratio tamen [4] ad animum eius, qui audiet, et ad animi quendam intimum sensum accommodetur [5]. 26. Ratiocinationis autem suspiciones infirmabit, si aut commodum nullum fuisse, aut parvum, aut aliis magis [6] fuisse, aut nihilo sibi magis [7], quam aliis, aut incommodum sibi maius, quam commodum dicet: ut nequaquam fuerit illius commodi, quod expetitum dicatur, magnitudo aut cum eo incommodo, quod accederit, aut cum illo periculo, quod subeatur, comparanda: qui omnes loci similiter in incommodi [8] quoque vitatione tractabuntur. 27. Sin accusator dixerit, ° reum [9] id esse secutum, quod ei visum sit commodum, aut id fugisse, quod putarit esse incommodum, quamquam in falsa fuerit opinione: demonstrandum erit defensori, neminem tanta esse stultitia [10], qui tali in re possit veritatem ignorare. Quod si id concedatur [11], illud non concessum iri: ne dubitasse quidem hunc, † quid eius iuris esset, sed id, quod falsum fuerit, sine ulla dubitatione [pro falso, quod verum,] pro vero probasse. [12]. Quod si dubitarit [13], summae fuisse amentiae, dubia spe impulsum, certum in periculum se committere. 28. Quemadmodum autem accusator, quum ab aliis culpam demovebit [14], defensoris locis utetur: sic iis locis, qui accusatori dati sunt, utetur reus, quum in alios ab se crimen volet transferre.

IX. Ex persona autem coniectura capietur, si eae res, quae personis attributae sunt, diligenter considerabuntur, quas omnes in primo libro exposuimus. Nam et de nomine nonnunquam aliquid suspicionis nascitur. Nomen autem quum dicimus, cognomen quoque [15] intelligatur oportet. De hominis enim certo et proprio vocabulo agitur [16]: ut si

([1]) Sic Iu. L. — *quo et erit* T. Cdd. fere omnes. 1. 2. 3. Sed fulcrum istud (*et*) etiam in Turic. bis terve vidi praeter necessitatem intrusum. Desiderabant h. l. coniunctionem cum prioribus, quae inest in ipso pronomine relativo. ([2]) *levissimae* scriptum vidi in omnibus fere. Iu. Crat. Carol. Steph. L. sed *lenissime* laudatur ex O2x., estque primum in Grut. 1. 3. notaturque iam in Lambini adnotatione. — *lenissimam et quietissimam* Lambini €. Sch. 2. Perperam. ([3]) ∞ *ac* L. ([4]) Sic T. Pleriq. Iu. 1. 2. 3. — *tamen* om. L. (e €, ut videtur) — *tum* Cdd. aliq. prob. Oud. ([5]) Schuetzii suspiciones de loco sanissimo hae sunt: *tamen ad eius, qui audiet, intimum sensum* - vel *tamen ad mentem eius, qui audiet, et ad animi.* ([6]) — *maius* Cdd. aliq. L. ([7]) — *maius* T. alii. L. Utrumque perperam. ([8]) Sic T. alii. 1. 2. — om. *in* Iu. L. 3. ([9]) Ex egregia Sch. €. 2. — *eum* Cdd. omnes. Iu. 1. L. 3. ([10]) Sic pauci. L. Grut. 3. 1. 2. — *in tanta esse stultitia* Cdd. aliq. — *tantae esse stultitiae* T. multi. Iu. Edd. vett. ([11]) ∞ *hoc concedatur* Cld. ap. Oud. L. ([12]) Locus corruptus. Pro *eius iuris* T. habet *ei iuris*, et omittit *pro falso quod verum*, egregie confirmans Sch. €. 2. ∞ *quid verius esset, sed id, quod falsum fuerit sine ulla dubitatione pro vero probasse.* ([13]) Sic T. = *dubitaverit* L. 1. 2. 3. ([14]) e Cdd. L. 1. 2. — *dimovebit* Iu. 3. ([15]) Sic T. 1. 2. 3 ∞ *et agnomen* addunt multi: v. c. O6x. Iu. L. Lallem. cfr. Maffei *Osservaz. letterarie* T. 2. p. 316. et Voss. *Analog.* 1, 7. p. 399. Mihi tamen videtur posteriore tempore, sub Imperatoribus multiplicatis nominibus, a magistro aliquo insertum esse. ([16]) — Haec *De hominis - agitur.* del. Sch. €. 2. utpote ex *Invent.* I, 14. huc intrusa.

dicamus, idcirco aliquem Caldum [1] vocari, quod temerario et repentino consilio sit: aut si, ea re [2] hominibus Graecis imperitis verba dedisse, quod Clodius, aut Caecilius [3], aut Mucius, vocaretur [4]. 29. Et de natura licet aliquantulum [5] dicere suspicionis. Omnia enim haec, vir, an mulier; huius an illius civitatis sit; quibus sit maioribus, quibus consanguineis, qua aetate, quo animo, quo corpore, quae naturae sunt attributa, ad aliquam coniecturam faciendam pertinebunt. Et ex victu multae trahuntur suspiciones, quum, quemadmodum, et apud quos, et a quibus educatus et eruditus sit, quaeritur, et quibuscum vivat [6], qua ratione vitae, quo more domestico vivat [7]. 30. Et ex fortuna saepe argumentatio nascitur, quum servus an liber, pecuniosus an pauper, nobilis an ignobilis, felix an infelix, privatus an in potestate [8] sit, aut fuerit, aut futurus sit, consideratur: aut denique aliquid eorum quaeritur, quae fortunae esse attributa intelliguntur. Habitus autem, quoniam in aliqua perfecta et constanti animi aut corporis absolutione consistit, quo in genere est virtus, scientia, et quae contraria sunt; res ipsa, causa posita, docebit, ecquid hic quoque locus suspicionis ostendat. Nam affectionis quidem ratio perspicuam solet prae se gerere coniecturam, ut amor, iracundia, molestia: propterea quod et ipsorum vis intelligitur, et quae res harum aliquam rem consequuntur [9], faciles cognitu sunt. 31. Studium autem quoniam est assidua et vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio, facile ex eo ducetur argumentatio, quam res ipsa desiderabit in causa. Item ex consilio sumetur aliquid suspicionis. Nam consilium est, aliquid faciendi non faciendive excogitata ratio. Iam [10] facta, et casus, et orationes, quae sunt omnia (ut in [11] confirmationis praeceptis dictum est) in tria tempora distributa, facile erit videre, ecquid afferant ad coniecturam confirmandam suspicionis.

X. 32. Ac personis quidem res eae [12] sunt attributae, ex quibus omnibus unum in locum coactis, accusatoris erit improbatione hominis uti. Nam causa facti parum firmitudinis habet, nisi animus eius, qui insimulatur, in eam suspicionem adducatur, ut a tali culpa non videatur abhorruisse. Ut enim animum alicuius improbare nihil attinet, quum causa, quare peccarit [13], non intercessit [14]: sic causam peccati intercedere leve est, si animus nulli minus honestae rationi affinis ostenditur. Quare vitam eius, quem arguit, ex ante factis accusator improbare debebit, et ostendere, si quo in pari ante peccato convictus sit. Si id [15] non poterit; si quam in similem

---

([1]) ∞ *Calidium* L. ([2]) e Cdd. 1. 2. — *ea de re* Iu. L. 3. — *ob eam rem* T. 1. ([3]) — *Caelius* Cdd. aliq. ∞ *Cascellius* Sch. suspicio, „ut sint tria nomina ICtorum clarissimorum." ([4]) Sic T. O1x. alii. Sch. 2. — *vocarentur* Iu. L. 1. 3. ([5]) ∞ *aliquantum* T. ([6]) — om. *vivat* L. ([7]) ∞ *utatur* egregia Sch. C. 2. ([8]) Sic T. 1. 2. 3. ∞ *cum potestate* Multi Cdd. Iu. L. Utrumque recte dicitur. ([9]) Sic T. L. — *consequantur* Iu. 1. 2. 3. ([10]) Sic T. alii Cdd. 1. 2. 3. — *Item* Iu. L. ([11]) — om. *in* 3. Ed. Neapolit. Habet Grut. ([12]) = *eae res* L. ([13]) Sic T. alii. prob. Oud. et Sch. = *peccaverit* Iu. L. 1. 2. 3. ([14]) Sic T. L. 1. 2. — *intercesserit* Iu. 3. ([15]) Sic omnes L. 2. 3. — *Sed id* Ern. 1. errore typogr. diu propagato.

ante suspicionem venerit, ac maxime, si fieri poterit, simili aliquo in genere eiusdemmodi[1] causa aliqua commotum peccasse, aut in aeque magna re, aut in maiore, aut in minore: ut si, quem[2] pecunia dicat inductum fecisse, possit demonstrare aliqua in re eius[3] aliquod factum avarum. 33. Item in omni causa naturam, aut victum, aut studium, aut fortunam, aut aliquid eorum, quae personis attributa sunt, ad eam causam, qua commotum peccasse dicet, adiungere, atque ex dispari quoque genere culparum, si ex pari sumendi facultas non erit, improbare animum adversarii oportebit: ut si avaritia inductum arguas fecisse, et avarum eum, quem accuses, demonstrare non possis; aliis affinem esse vitiis doceas, et ea re[4] non esse mirandum, qui in illa re turpis, aut cupidus, aut petulans fuerit, hac quoque in re [eum[5]] deliquisse. Quantum enim de honestate et auctoritate eius, qui arguitur, detractum est, tantundem[6] de facultate totius est defensionis deminutum. 34. Si nulli affinis poterit vitio reus ante admisso[7] demonstrari; locus inducetur ille, per quem hortandi iudices erunt, ut veterem famam hominis nihil ad rem putent[8] pertinere. Nam cum ante eclasse, nunc manifesto teneri; quare non oportere hanc rem ex superiori vita spectari, sed superiorem vitam ex hac re improbari, et aut potestatem ante peccandi non fuisse, aut causam: aut, si haec dici non poterunt, dicendum erit illud extremum, non esse mirum, si nunc primum deliquerit: nam necesse esse[9], eum, qui velit peccare, aliquando primum delinquere. Sin vita ante acta ignorabitur, hoc loco praeterito, et cur praetereatur, demonstrato, argumentis accusationem statim confirmare oportebit.

XI. 35. Defensor autem primum, si poterit, debebit vitam eius, qui insimulabitur, quam honestissimam demonstrare. Id faciet, si ostendet aliqua eius nota et communia officia: quod genus, in parentes, cognatos, amicos, affines, necessarios: etiam quae[10] magis rara et eximia sunt, si ab eo cum magno aliquo labore, aut periculo, aut utraque re, quum necesse non esset, officii causa, aut in rem publicam, aut in parentes, aut in aliquos eorum, qui modo expositi sunt, facta esse[11] dicet: deinde si[12] nihil deliquisse, nulla cupiditate impeditum ab officio recessisse. Quod eo confirmatius erit, si, quum potestas impune aliquid faciendi minus honeste fuisse dicetur, voluntas ei faciendi demonstrabitur abfuisse. 36. Hoc autem ipsum genus[13] erit eo firmius, si eo ipso in genere, quo arguetur, integer ante[14] fuisse demonstrabitur: ut si, quum

---

(1) — *eiusmodi* T. a m. pr. Iu. L. (2) Sic T. L. 1. 2. 3. — *ut si quis* Iu. al. (3) — *eius* ante v. *aliqua in re* posuit Sch. 2. de Ern. C. (4) e C1d. Sch. 2. — *ex ea re* T. L. 1. 3. (5) Recte hoc omittit T. Nos [ ]. — *eundem* Sch. 2. de Purgoldi C. (6) e Cdd. laudatur *tantundem* v. c. in marg. 1581. et O1x. Sic 1. 2. 3. — *tantum* T. Plerique Cdd. Iu. L. — *tantundem ei* Sch. 2. de Oud. C. Scil. C1d.: *de facultate ei*; alii: *totius est eius def.* sed *ei*, et *eius* e gloss. sunt. (7) Haec *reus ante admisso* de Gruteri sententia expunxit Sch. 2. ∞ *ante admisso* suspect. iam Lamb. (8) = *putent ad rem* L. (9) Sic habet L. Iterum coniecit Ern. Recepit Sch. 2. — *est* T. Iu. 1. 3. (10) — *quaeque* L. (11) Sic Cdd. multi Iu. L. 2. 3. — *factum aliquid esse* e Cdd. prob. Oud. Ern. 1. — *factum esse* T. multi Cdd. (12) — *se* T. L. perperam. — om. *si* Iu. (13) — *genus* del. Sch. C. (14) Sic T. — *antea* Iu. L. 1. 2. 3.

avaritiae causa fecisse arguatur, minime omni in vita pecuniae cupidus fuisse doceatur. Hic illa magna cum gravitate inducetur indignatio, iuncta conquestioni, perquam miserum facinus esse, et indignum [1], quum animus omni in [2] vita fuerit a vitiis remotissimus, eam causam, putare, quae homines audaces in fraudem rapere soleat, castissimum quoque hominem ad peccandum potuisse impellere: aut iniquum esse, et optimo cuique perniciosissimum, non vitam honeste actam tali in tempore quam plurimum prodesse, sed subita ex criminatione, quae confingi quamvis [3] facile possit, non ex ante acta vita, quae neque ad tempus fingi, neque ullo modo immutari possit, facere [4] iudicium. 37. Sin autem in ante acta vita aliquae turpitudines inerunt [5]: aut falso venisse in eam existimationem dicetur [6], ex [7] aliquorum invidia, aut obtrectatione, aut falsa opinione; aut imprudentiae, necessitudini, persuasioni, adolescentiae [8], aut alicui non malitiosae animi affectioni attribuentur, aut dissimili in genere [9] vitiorum, ut animus non omnino integer, sed a tali [10] culpa remotus esse videatur. Ac si nullo modo vitae turpitudo, aut infamia leniri poterit oratione; negare oportebit de vita eius et de moribus [11] quaeri, sed de eo crimine, quo de arguatur [12]: quare, ante factis omissis, illud, quod instet, agi oportere.

XII. 38. Ex facto autem ipso suspiciones ducentur, si totius administratio negotii ex omnibus partibus pertentabitur: atque hae suspiciones partim ex negotio separatim, partim communiter ex personis atque ex negotio proficiscentur. Ex negotio duci poterunt, si eas res, quae negotiis attributae sunt, diligenter considerabimus. Ex iis igitur in hanc constitutionem convenire videntur genera earum [13] omnia, partes generum pleraeque. 39. Videre igitur primum oportebit, quae sint continentia cum ipso negotio, hoc est, quae ab re separari non possint [14]. Quo in loco satis erit diligenter considerare [15], quid sit ante rem factum, ex quo spes perficiendi nata, et faciendi facultas quaesita videatur; quid in ipsa re gerenda, quid postea consecutum sit. Deinde ipsius est negotii gestio pertractanda. Nam hoc genus earum rerum, quae negotio sunt attributae [16], secundo in loco nobis est expositum. 40. Hoc ergo in genere spectabitur locus, tempus, occasio, facultas: quorum uniuscuiusque vis diligenter in

---

(1) Ex egregia Grut. C. Sch. 2. — *per quam miserum facinus esse et ind. demonstrabitur* Cdd. Iu. L. 1. 3. Sed interpolatio manifestior etiam fit e Turic. qui ante sequens *quum* inserit: *ut*. (2) — *in omni* L. (3) Sic T. alii. 1. 2. — om. *quamvis* Iu. L. 3. (4) — *fieri* Ern. suspic. (5) e Cdd. prob. Oud. Sch. 2. — *erunt* T. Iu. L. 1. 3. (6) Sic Cdd. aliq. Edd. vett. L. Sch. in Ed. mai. Rectissime. — *dicentur* T. Iu. 1. 2. 3. (7) e Cdd. (T.) Sch. 2. — *aut ex* Iu. L. 1. 3. (8) Sic dedi e Leid. sec. Olx. — *aut persuasioni adolescentiae* L. 1566. 1. 2. 3. quasi vero *adolescentiae* genitivus esset. Rectius Iu. Crat. L. 1584.: *aut persuasioni, adolescentiae;* sed Turic.: *et persuasioni adolescentiae*, unde colligitur tum *aut*, tum *et* ex interpol. esse. (9) ∞ *dissimili generi* Cld. Sch. 2. (10) ∞ *tali ab* T. (11) Sic Cdd. aliq. T. Sch. 2. — *et moribus* Iu. L. 1. 3. (12) Sic T. Iu. 3. 1. — *de quo arg.* Cld. L. unde: *quo arg.* Sch. C. 2. (13) Sic Sch. C. 2. — *eorum* Cdd. etiam T. Iu. L. 1. 3. (14) Sic Cdd. aliq. T. Iu. L. ut mox §. 41. *hoc est, quid maius sit.* — *possunt* Crat. Lamb. 1584. 1. 2. 3. (15) — *considerasse* Olx. (16) Sic T. L. Sch. 2. = *attributae sunt* Iu. 1. 3.

confirmationis praeceptis explicata est. Quare, ne aut hic non admonuisse, aut ne [1] eadem iterum dixisse videamur, breviter demonstrabimus [2], quid quaque in parte considerari oporteat. In loco igitur opportunitas, in tempore longinquitas, in occasione commoditas ad faciendum idonea, in facultate copia et potestas earum rerum, propter [3] quas aliquid facilius fit, aut sine quibus omnino confici non potest, consideranda est. 41. Deinde videndum est, quid adiunctum sit negotio, hoc est, quid maius, quid minus, quid aeque magnum sit, quid simile: ex quibus coniectura quaedam ducitur, si, quemadmodum res maiores, minores, aeque magnae similesque agi soleant, diligenter considerabitur. Quo in genere eventus quoque videndus erit, hoc est, quid ex unaquaque [4] re soleat evenire, magno opere considerandum est [5]; ut metus, laetitia, titubatio. 42. Quarta autem pars erat [6] ex iis, quas negotiis dicebamus esse attributas, consecutio. In ea quaeruntur ea, quae gestum negotium confestim, aut ex intervallo consequuntur. In qua videbimus ecqua consuetudo sit, ecqua lex [7], ecqua actio [8], ecquod eius rei artificium sit, aut usus, aut exercitatio, hominum aut approbatio [9], aut offensio; ex quibus nonnunquam elicitur aliquid suspicionis.

XIII. Sunt autem aliquae [10] suspiciones, quae communiter et ex negotiorum, et ex personarum attributionibus sumuntur. Nam et ex fortuna, et ex natura, et ex victu, studio, factis, casu, orationibus, consilio, et ex habitu animi, aut corporis pleraque pertinent ad easdem res, quae rem credibilem, aut incredibilem facere possunt, et cum facti suspicione iunguntur. 43. Maxime enim quaeri oportet in hac constitutione, primum potueritne aliquid fieri: deinde ecquo [11] ab alio potuerit: deinde facultas, de qua ante diximus: deinde utrum id facinus sit, quod [12] poenitere fuerit necesse: item [13] quod spem celandi non [14] haberet: deinde necessitudo; in qua, num necesse fuerit id aut fieri, aut ita fieri, quaeritur. Quorum pars ad consilium pertinet, quod personis attributum est, ut in ea causa, quam exposuimus. Ante rem erit, quod in itinere se tam familiariter applicaverit [15], quod sermonis causam quaesierit, quod simul deverterit [16], coenarit [17]. In re, nox, somnus. Post rem, quod solus exierit, quod illum tam familiarem comitem [18]

([1]) ∞ om. *ne* T. ([2]) Sic T. Pleriq. Iu. L. 1. 3. — *iniecimus* C2d. ap. Oud. et O3x. unde Sch. 2. de Ern. €. ∞ *initiemus*. ([3]) — *per* C2d. prob. Oud. et sic L. 1566. ([4]) Sic T. 1. 2. 3. — *ex quaque re* Cdd. aliq. etiam O2x. L. — *ex qua re* Cdd. alii. prob. Oud. ([5]) *magno op. cons. est* suspecta haec Ern. del. Sch. 2. *magno opere* (T.) tamen haud facile a gloss. profectum videtur. ([6]) — *restat* T. margo Crat. ([7]) Excidit *ecqua lex* post Gruterum in 1. 3. Habent Cdd. omnes. Iu. L. 2. ([8]) — *pactio* T. alii. prob. Oud. vide Sch. (*ecqua* utrobique T. Sch. 2. *ecquae* Iu. L. 1. 3.) ([9]) Exciderunt haec *aut exerc.-approbatio* in 3. ([10]) Sic T. Iu. L. 1. 3. — *et aliae* Cdd. aliq. ∞ *et aliquae* alii, v. c. O2x. Sch. 2. Mirum quod nemo hinc dederit *sunt autem aliae aliquae*. ([11]) — *deinde hoc quo modo ab alio* T. — *si hoc quo ab alio* O1x. — *hoc si quo ab a.* alii. unde Oud. Sch. 2. €. — *dein si quo ab alio*. Sed omnes illae non sunt nisi corruptelae voc. rarioris *ecquo*. — *ecquid ab alio* L. ([12]) — *cuius* Lambini suspic. ([13]) ∞ om. *item* T. ([14]) e Cdd. fere omnibus, etiam T. O8x. L. 1. 2. — om. *non* Iu. 3. ([15]) — *applicuerit* C1d. ([16]) — *diverterit* T. L. 3. ([17]) Sic 1. 2. 3. ∞ *dein c.* T. = *deinde c.* al. prob. Oud. ∞ *dehinc coenarit* Iu. Crat. L. ([18]) Sic T. alii (O3x) Iu. L. 1. 2. — *comitatum* Grut. 3.

tam aequo animo reliquerit, quod cruentatum [1] gladium habuerit. 44. Horum pars ad consilium pertinet. Quaeritur enim [2], utrum videatur diligenter ratio faciendi esse habita et excogitata, an ita temere [3], ut non veri simile sit, quemquam tam temere ad maleficium accessisse. In quo quaeritur, num quo alio modo commodius potuerit fieri, vel a fortuna administrari. Nam saepe, si pecuniae, si [4] adiumenta, si adiutores desint, facultas fuisse faciendi non videtur. Hoc modo si diligenter attendamus [5], apta inter se esse intelligimus [6] haec, quae negotiis, et illa, quae personis sunt attributa.

Hic neque facile est, neque necessarium distinguere, ut in superioribus partibus, quo pacto quidque accusatorem, et quomodo defensorem tractare oporteat. Non necessarium, propterea quod, causa posita, quid in quamque conveniat, res ipsa docebit eos, qui non omnia hic se inventuros putabunt, sed [ad ea, quae praecepta sunt, comparationis [7]] modo [8] quandam in commune mediocrem intelligentiam conferent: 45. non facile autem, quod et infinitum est tot de rebus utramque in partem singillatim de unaquaque explicare, et alias aliter haec in utramque partem causae solent convenire. XIV. Quare considerare haec, quae exposuimus, oportebit [9]. Facilius autem ad inventionem animus incedet [10], si gesti negotii et suam, et adversarii narrationem saepe et diligenter pertractabit, et quod [11] quaeque pars suspicionis habebit, eliciens, considerabit, quare, quo consilio, qua spe perficiendi quidque factum sit: cur hoc modo potius, quam illo: cur ab hoc potius, quam ab illo: cur nullo adiutore, aut cur hoc: cur nemo sit conscius, aut cur sit, aut cur hic sit; cur hoc ante factum sit: cur hoc ante factum non sit: cur hoc in ipso negotio: cur hoc post negotium: aut quid factum de industria, aut quid rem ipsam consecutum sit: constetne oratio aut cum re, aut ipsa secum: hoc huiusne rei sit signum, an illius, an et [12] huius et illius, et utrius potius: quid factum sit, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit. 46. Quum animus hac intentione omnes totius negotii partes considerabit, tum illi ipsi in medium conservati [13] loci procedent, de quibus ante dictum est: et tum [14] ex singulis, tum ex

---

([1]) e Leid. tert. Otx. recepi: ut supra C. 4. — *cruentum* T. Pleriq. Iu. L. 1. 2. 3. ([2]) Absunt haec a Voss. cum Schol. qui pro his habet a m. pr. *Rursum utrum*, id quod recepit Sch. 2. et a m. secunda: *Quaeritur ergo*, sed utrumque arbitrarium est defectus supplementum. Nota a Turic. abesse: ∞ *Quaeritur enim.* ([3]) Expunxit *temere* Sch. €. in Ed. mai. Lamb. malebat: *an temere ad malef. access.* quum a C3d. absint v.: *ut non veri s. s. q. t. temere.* ([4]) Sic T. alii. Crat. L. 1. 2. — om. *si* Iu. 3. ut iungatur *si pecuniae* (genit.) *adiumenta.* ([5]) ∞ *attendemus* Sch. €. 2. ([6]) ∞ *intelligemus* Sch. 2. de Ern. €. ([7]) Absunt haec a Turic. Voss. cum Schol. Ern. [ ]. Del. Sch. 2. Recte. ([8]) male *modo* quoque del. Sch. 2. ([9]) *quare-oportebit* suspecta haec Sch. in Ed. mai. ([10]) Sic Iu. Crat. L. 1. 2. 3. — *incidit* T. — *incidet* Cdd. pleriq. — *animo incident* Sch. suspicio perversa: *incedere* h. l. dictum fere est, ut alibi v. c. *de Rep.* l. p. 21. *Heinrich. ingredi in aliquid.* ([11]) Sic T. Ern. €. 1. 2. — *quid* Pleriq. Iu. L. 3. ([12]) e Cdd. (T.) 1. 2. — om. *et* Iu. L. 3. ([13]) — *universi* Sch. suspic. Mihi leg. videtur *conserte.* ([14]) Sic T. alii. L. 1. 2. — *cum* 3.

coniunctis argumenta certa nascentur. Quorum argumentorum pars probabili, pars necessario in genere versabitur. Accedunt autem ad coniecturam saepe quaestiones, testimonia, rumores: quae contra [1] omnia uterque simili via praeceptorum torquere ad suae causae commodum debebit. Nam et ex quaestione suspiciones, et ex testimonio, et ex rumore aliquo pari ratione, ut ex causa, et ex persona, et ex facto duci oportebit.

47. Quare nobis et ii videntur errare, qui hoc genus suspicionum artificii non putant indigere, et ii, qui aliter hoc de genere, ac de omni coniectura praecipiendum putant. Omnis enim iisdem ex locis coniectura sumenda est [2]. Nam et eius, qui [3] in quaestione aliquid dixerit, et eius, qui [4] in testimonio, et ipsius rumoris causa et veritas ex iisdem attributionibus reperietur. Omni autem in causa pars argumentorum est adiuncta ei causae solum, quae dicetur [5], et ab ipsa ita ducta, ut ab ea [6] separatim in omnes eiusdem generis causas transferri non satis commode possit: pars autem est pervagatior, et aut in omnes eiusdem generis, aut in plerasque causas accommodata. XV. 48. Haec ergo argumenta, quae transferri in multas causas possunt, locos communes nominamus. Nam locus communis aut certae rei quandam continet amplificationem: ut si qui hoc [7] velit ostendere: cum, qui parentem necarit, maximo supplicio esse dignum; quo loco, nisi perorata [et probata [8]] causa, non est utendum: aut dubiae, quae ex contrario quoque habeat probabiles rationes argumentandi: ut suspicionibus credi oportere, et contra: suspicionibus credi non oportere. Ac pars locorum communium, per [9] indignationem, aut per conquestionem inducitur, de quibus ante dictum est; pars per aliquam probabilem utraque ex parte rationem. 49. Distinguitur autem oratio atque illustratur maxime, raro inducendis locis communibus, et aliquo [10] loco, iam certioribus illis argumentis [11] confirmatis. Nam et tum conceditur commune quiddam dicere, quum diligenter aliquis proprius [12] causae locus tractatus est, et auditoris animus aut renovatur ad ea, quae restant, aut omnibus iam dictis exsuscitatur. Omnia enim ornamenta elocutionis, in quibus et suavitatis et gravitatis plurimum consistit, et omnia, quae in inventione [13] verborum [14] et sententiarum aliquid habent dignitatis, in communes locos conferuntur. 50. Quare, non ut causarum, sic oratorum quoque multorum communes loci sunt. Nam nisi ab iis,

---

([1]) Habent *contra* Cdd. Iu. 1. 3. — om. L. suspectum Ern. Iterum del. Sch. 2. Agnoscit Victorin. Recte: est enim adverbium. ([2]) = *omnis enim coni. iisdem ex locis s. est.* L. ([3]) — *quod-aliquis* Sch. C. in Ed. mai. (In minore haesit *aliquid*). ([4]) — *quod* Sch. C. 2. ([5]) ∞ *dicitur* T. multi. Iu. L. Sch. 2. ([6]) — *ab ea*, *in qua est* T. Omnib. ([7]) *qui* e T. = *quis* L. 1. 2. 3. — *hoc* om. C1d. ap. Oud. L. ([8]) ∞ om. Voss. cum Sch. O1x. Del. Sch. 2. Nos [ ]. ([9]) Sic T. alii. 1. 2. — *aut per* Iu. L. 3. ([10]) — *apto* Purgoldi C. sed v. Schuetz. Vide tamen, ne *aliquo* e gloss. sit. ([11]) — *illis auditoribus et argumentis* Iu. 3. 1. — *illis auditoribus argumentis* T. alii multi. — *illis argumentis auditoribus* L. Sed est glossa e Victorino: „*certioribus illis*] *auditoribus scilicet.*" Perperam sane. Cum Sch. 2 delevi *auditoribus et.* ([12]) ∞ om. *proprius* O1x. ([13]) — *quae invent.* T. L. ([14]) ∞ *rerum* T.

qui multa exercitatione [1] magnam sibi verborum [2] et sententiarum copiam comparaverint, tractari non poterunt ornate, et graviter, quemadmodum natura ipsorum desiderat. Atque hoc sit nobis dictum communiter de omni genere locorum communium. XVI. Nunc exponemus, in coniecturalem constitutionem qui loci communes incidere soleant: suspicionibus credi oportere, et non oportere: rumoribus credi oportere, et non oportere: testibus credi oportere, et non oportere: quaestionibus credi oportere, et non oportere: vitam ante actam spectari oportere, et non oportere: eiusdem esse, qui in illa re [3] peccarit, [et] [4] hoc quoque admisisse, et non esse eiusdem: maxime spectari causam oportere, et non oportere. Atque hi quidem, et si qui eiusmodi ex proprio argumento communes loci nascentur, in contrarias partes deducentur [5]. 51. Certus autem locus est accusatoris, per quem auget facti atrocitatem; et alter, per quem negat malorum misereri oportere: defensoris, per quem calumnia accusatorum cum indignatione ostenditur; et per quem cum conquestione misericordia captatur. Hi et ceteri omnes loci communes, ex iisdem praeceptis sumuntur, quibus ceterae argumentationes: sed illae tenuius, et acutius, et subtilius tractantur; hi autem gravius, et ornatius, et quum verbis, tum etiam sententiis excellentibus. In illis enim finis est, ut id, quod dicitur, verum esse videatur: in his, tametsi hoc quoque videri oportet, tamen finis est amplitudo. Nunc ad aliam constitutionem transeamus.

XVII. 52. Quum est nominis controversia, quia vis vocabuli definienda verbis est, constitutio definitiva dicitur. Eius generis exemplo nobis posita sit haec causa: C. Flaminius is, qui consul rem publicam [6] male gessit bello Punico secundo, quum tribunus plebis [7] esset, invito senatu, et omnino contra voluntatem omnium optimatum, per seditionem ad populum legem agrariam ferebat. Hunc pater suus concilium plebis habentem de templo deduxit: arcessitur maiestatis. Intentio est: Maiestatem minuisti, quod tribunum plebis de templo deduxisti. Depulsio est: Non minui maiestatem. Quaestio est: Maiestatemne minuerit. Ratio: In filium enim quam habebam potestatem, ea usus sum. Rationis infirmatio: At enim, qui patria potestate, hoc est, privata [quadam], tribuniciam [potestatem] [8] hoc est, populi potestatem infirmat, minuit is [9] maiestatem. Iudicatio est: Minuatne is maiestatem, qui in tribuniciam potestatem patria potestate utatur. Ad hanc iudicationem argumentationes omnes afferri oportebit.

53. Ac ne qui [10] forte arbitretur, nos non intelligere, aliam quoque incidere constitutionem in hanc causam; eam nos partem solam sumimus, in quam [11] praecepta nobis danda sunt. Omnibus autem partibus hoc in libro explicatis, quivis omni in causa, si diligenter attendet, omnes videbit constitutiones, et earum partes, et controversias,

---

([1]) — *multa in exerc.* Pleriq. etiam T. Obx. prob. Oud. ([2]) Sic T. al 1. 2. — *et verb.* Iu. L. 3. ([3]) — *in illo* L. ([4]) Recte *hoc* om. L. Nos [ ]. Natum est ex interpol. Cdd. aliq. *et hoc qu. adm. dicitur.* ([5]) e Cdd. Victorin. L. 1. 2. ∞ *deducuntur* T. ut mox est *sumuntur* — *diducentur* Iu. 3. ([6]) — *rem* Cdd. aliq. ([7]) = *plebi* T. ([8]) Quae uncis includuntur, del. censuere Oud. Ern. Delevit Sch. 3. Cdd. turbant. ([9]) ∞ *is minuit* L. ([10]) Sic T. = *quis* L. 1. 2. 3. ([11]) Sic T. 1. 2. 3. Laubino tribuitur in Ed. 1584. — *in qua* Iu. L.

si quae forte in eas incident. Nam de omnibus praescribemus [1]. Primus ergo accusatoris locus est, eius nominis, cuius de vi quaeritur, brevis, et aperta, et ex hominum opinione definitio, hoc modo: Maiestatem minuere, est de dignitate, aut amplitudine, aut potestate populi aut eorum, quibus populus potestatem dedit, aliquid derogare. Hoc sic breviter expositum, pluribus verbis est et rationibus confirmandum, et ita esse, ut descripseris, ostendendum. Postea ad id, quod definieris, factum eius, qui accusabitur, adiungere oportebit, et ex eo, quod ostenderis esse: verbi causa [2], maiestatem minuere, docere, adversarium maiestatem minuisse, et hunc locum totum communi loco confirmare, per quem ipsius facti atrocitas, aut indignitas, aut omnino culpa cum indignatione augeatur. Post erit infirmanda adversariorum descriptio. 54. Ea autem infirmabitur, si falsa demonstrabitur. Hoc ex opinione hominum sumetur, quum, quemadmodum, et quibus in rebus homines in consuetudine scribendi, aut sermocinandi eo verbo uti soleant, considerabitur. Item infirmabitur, si turpis, aut inutilis esse ostendetur eius descriptionis approbatio, et si, quae incommoda consecutura sint, eo concesso [3], ostendetur [4]; id autem ex honestatis et ex utilitatis [5] partibus sumetur, de quibus in deliberationis praeceptis exponemus. Et si cum definitione nostra adversariorum definitionem conferemus, et nostram veram, honestam, utilem esse demonstrabimus, illorum, contra. 55. Quaeremus autem res, aut maiori, aut minori [6], aut pari in negotio similes, ex quibus affirmetur nostra descriptio. XVIII. Iam si res plures erunt definiendae: ut, si quaeratur, Fur sit, an sacrilegus, qui vasa ex privato sacra surripuerit; erit utendum pluribus definitionibus: deinde simili ratione causa tractanda. Locus autem communis in eius malitiam, qui non modo rerum, verum etiam verborum potestatem sibi arrogare conetur, ut et faciat quod velit, et id, quod fecerit, quo velit nomine appellet. Deinde defensoris primus locus est, item nominis brevis, et aperta, et ex opinione hominum descriptio, hoc modo: Maiestatem minuere, est aliquid de re publica, quum potestatem non habeas, administrare. Deinde huius confirmatio similibus et exemplis, et rationibus. Postea sui facti ab illa definitione separatio. Deinde locus communis, per quem facti utilitas, aut honestas adaugetur. 56. Deinde sequetur [7] adversariorum definitionis reprehensio, quae iisdem ex locis omnibus, quos accusatori praescripsimus, conficietur [8]: et cetera post eadem praeter communem locum inducentur. Locus autem communis erit defensoris is, per quem indignabitur, accusatorem sui [9] periculi causa non res solum convertere, verum etiam verba commutare conari. Nam illi quidem communes loci, qui aut calumniae ac-

(1) Sic Cdd. Oud. omnes. T. — *perscribemus* Iu. L. 1. 2. 3. (2) ∞ Haec *verbi causa* del. censuit L. Delevit Sch. 2. (3) ∞ *ea concessa* Lambini suspic. prob. Ern. recepit. Sch. 2. — *eis concessis* Cdd. aliq. — *eius concessu* Oud. E. (4) — *demonstrabitur* Cid. prob. Oud. Sch. 2. (5) Sic Cdd. aliq. T. L. Sch. 2. — om. *ex* Iu. 3. Ern. 1. (6) *aut minori* Exciderunt haec in Ed. Ern. 1. Sch. 2. errore typogr. (7) Sic T. L. Sch. E. 2. — *sequitur* 1. 3. (8) Sic Sch. E. 2. necessaria siquidem e Cdd. habemus *sequetur* et *inducentur* — *conficitur* T. Cdd. puto, omnes. Iu. L. 1. 3. (9) — *in sui* L. (E)

cusatorum demonstrandae, aut misericordiae captandae, aut facti indignandi, aut a misericordia deterrendi causa sumuntur, ex periculi magnitudine, non ex causae genere, ducuntur. Quare non in omnem causam, sed in omne causae genus incidunt [1]. Eorum mentionem in coniecturali constitutione fecimus. Inductione autem [2], quum causa postulabit, utemur.

XIX. 57. Quum autem actio translationis aut commutationis indigere videtur, quod non aut is agit, quem oportet, aut cum [3] eo, quicum oportet, aut apud quos, qua lege [4], qua poena, quo crimine, quo tempore oportet, constitutio translativa appellatur. Huius nobis exempla permulta opus sunt, si singula translationum genera quaeramus: sed quia ratio praeceptorum similis [5] est, exemplorum multitudine supersedendum est. Atque in nostra quidem consuetudine multis de causis fit, ut rarius incidant translationes. Nam et praetoriis exceptionibus multae excluduntur actiones, et ita ius civile habemus constitutum, ut causa cadat is, qui non, quemadmodum oportet, egerit. 58. Quare in iure plerumque versantur. Ibi enim et exceptiones postulantur, et quodammodo agendi potestas datur, et omnis conceptio privatorum iudiciorum [6] constituitur. In ipsis autem iudiciis rarius incidunt, et tamen si quando incidunt, eiusmodi sunt, ut per se minus habeant firmitudinis, confirmentur [7] autem assumpta alia aliqua constitutione: ut in quodam iudicio, quum venefici cuiusdam nomen esset delatum, et, quia parricidii causa subscripta esset, extra ordinem esset acceptum, quum in accusatione alia quaedam crimina testibus et argumentis confirmarentur, parricidii autem solum mentio facta esset: defensor [8] in hoc ipso multum oportet et [9] diu consistat: quum de nece parentis nihil demonstratum sit, indignum facinus esse, ea poena afficere eum, qua parricidae afficiuntur [10]: id autem, si damnaretur [11], fieri necesse esse [12], quoniam et id causae subscriptum, et ea re [13] nomen extra ordinem sit acceptum. 59. Ea igitur poena si affici reum non oporteat, damnari quoque non oportere, quoniam ea poena damnationem necessario consequatur. Hic defensor poenae commutationem ex translativo genere inducendo, totam infirmabit accusationem. Verum tamen ceteris quoque criminibus defendendis coniecturali constitutione translationem confirmabit. XX. Exemplum autem translationis in causa nobis positum [14] sit huiusmodi: Quum ad vim faciendam quidam armati venissent, armati contra praesto fue-

(1) — *Quare non in omne genus causae incidunt* L. (2) Sic T. alii 1. 2 — *autem eorum* Iu. L. 3. (3) — *non cum* Cld. (4) — *aut qua lege, aut qua p. aut quo cr. aut quo t.* L. (5) — *facilis* Purgoldi C. — *simplex* Iacobsii C. v. Schuetz. in Ed. mai. (6) — *privatarum actionum* Sch. C. 2. (7) ∞ *firmitudinis: confirmantur* Olx. L. (8) ∞ *esset. Defensor* sic distinxit Sch. 2. Alii, v. c. Lamb. a verbis *ut in quodam* novam periodum incipiunt. Sed *ἀνακόλουθον* h. l. agnoscendum. Quod si eiusmodi causa, inquit, in iudicio versetur, qualis hic exposita est, defensor cet. (9) Sic T. L. 1. 2. — *ut* Iu. 3. (10) — *afficiantur* Ern. suspicio. (11) Sic. Cdd. Iu. L. 3. id quod recte refertur ad unam illam causam supra memoratam, et in facto positam. — *damnetur* Ern. C. 1. 2. (12) Sic pleriq. Cdd. L. 1. 2. 3. — *esset* Iu. prob. Gronov. (13) Sic T. alii prob. Oud. Sch. 2. — *ex ea re* Iu. L. 1. 3. (14) — *in causa positae sit nobis* Sch. suspic.

runt, et cuidam equiti Romano, quidam ex armatis, resistenti, gladio manum praecidit. Agit is, cui manus praecisa est, iniuriarum. Postulat is, quicum agitur, a praetore exceptionem, EXTRA QVAM IN REVM CAPITIS PRAEIVDICIVM FIAT. 60. Hic is, qui agit, iudicium purum postulat: ille, quicum agitur, exceptionem addi[1] ait oportere. Quaestio est: Excipiendum sit, an non. Ratio: Non enim oportet, in recuperatorio iudicio, eius maleficii, de quo inter sicarios quaeritur, praeiudicium fieri. Infirmatio rationis: Eiusmodi sunt iniuriae, ut de his indignum sit non primo quoque tempore iudicari. Iudicatio: Atrocitas iniuriarum satisne causae sit, quare, dum de ea iudicetur[2], de aliquo maiore maleficio, de quo iudicium comparatum sit, praeiudicetur. Atque exemplum quidem hoc est. In omni autem causa ab utroque quaeri oportebit, a quo, et per quos, et quo modo, et quo tempore aut agi, aut iudicari, aut quid statui de ea re conveniat. 61. Id ex partibus iuris, de quibus post dicendum est, sumi oportebit, et ratiocinari, quid in similibus rebus fieri soleat, et videre, utrum malitia aliud[3] agatur, aliud simuletur, an stultitia, an necessitudine, quod alio modo agi non possit, an occasione agendi sic sit iudicium aut actio constituta, an recte sine ulla re eiusmodi res[4] agatur. Locus autem communis contra eum, qui translationem inducet: fugere iudicium ac poenam, quia causae diffidat. A translatione autem: omnium[5] fore perturbationem, si non ita res agantur, et in iudicium veniant, quo pacto oporteat; hoc est, si aut cum eo agatur, quicum non oporteat, aut alia poena, alio[6] crimine, alio tempore; atque hanc rationem ad perturbationem iudiciorum omnium pertinere. Tres igitur eae constitutiones, quae partes non habent, ad hunc modum tractabuntur. Nunc generalem constitutionem, et partes eius consideremus.

XXI. 62. Quum et facto, et facti nomine concesso, neque ulla actionis illata controversia, vis et natura et genus negotii ipsius quaeritur, constitutionem generalem appellamus. Huius primas esse partes duas nobis videri diximus, negotialem, et iuridicialem. Negotialis est, quae in ipso negotio iuris civilis habet implicitam[7] controversiam. Ea est huiusmodi: Quidam pupillum heredem fecit; pupillus autem ante mortuus est[8], quam in suam tutelam veniret[9]. De hereditate ea, quae pupillo venit, inter eos, qui patris pupilli heredes secundi sunt, et inter agnatos pupilli controversia est. Possessio heredum secundorum est. Intentio est agnatorum: Nostra pecunia est, de qua is, cuius agnati sumus, testatus non est. Depulsio est: Immo nostra, qui heredes secundi testamento patris sumus. Quaestio est: Utrorum sit? Ratio est: Pater enim et sibi, et filio testamentum scripsit,

---

(1) — *except. illam addi.* L. (2) — *iudicatur* L. (3) Sic T. alii Ern. 1. 2. — *quid aliud* Iu. L. 3. (4) — del. *res* Sch. C. 2. (5) Sic T. Pleriq. Iu. L. 1. 3. — *rerum omnium* Sch. C. 2. Sed longe praestat Ox. lectio cum *omnium fore perturbationem iudiciorum. Iudiciorum* etiam Ern. ante *omnium* excidisse ratus est. (6) — *aut alio cr. aut alio t.* L. (7) Sic Iu. L. 3. — *implicatam* T. 1. 2. (8) — *mortuus est ante* L. (9) Sic Cdd. omnes. Iu. L. 2. 3. — *venisset* Ern. C. 1.

dum is pupillus esset. Quare, quae filii fuerunt, testamento patris nostra fiant necesse est. Infirmatio est[1] rationis: Immo pater sibi scripsit, et secundum heredem non filio, sed sibi iussit esse. Quare, praeterquam quod ipsius fuit, testamento illius[2] vestrum esse non potest. Iudicatio: Possitne quispiam[3] de filii pupilli re testari: an heredes secundi, ipsius patrisfamilias, non filii quoque eius pupilli heredes sint? 63. Atque hoc[4] non alienum est, quod ad multa pertineat, ne aut nusquam, aut usquequaque dicatur, hic admonere. Sunt causae, quae plures habent rationes in simplici constitutione: quod fit, quum id, quod factum est, aut quod defenditur, pluribus de causis rectum, aut probabile videri potest, ut in hac ipsa causa. Supponatur enim ab heredibus haec ratio: Unius enim pecuniae plures, dissimilibus de causis, heredes esse non possunt, nec unquam factum est, ut eiusdem pecuniae alius testamento, alius lege heres esset; infirmatio haec[5] erit: 64. Non est una pecunia: propterea, quod altera iam erat pupilli adventicia; cuius heres non, illo tempore[6], testamento[7] quisquam scriptus erat, si quid pupillo accidisset: et de altera, patris etiam nunc mortui voluntas plurimum valebit[8], quae iam[9] mortuo pupillo suis heredibus concedebat[10]. Iudicatio est: Unane pecunia fuerit: ac, si[11] hac erunt usi infirmatione: Posse plures esse unius pecuniae heredes dissimilibus de causis; de eo ipso iudicatio nascitur: Possintne eiusdem pecuniae plures dissimilibus generibus esse heredes[12]. XXII. Ergo una in constitutione intellectum est, quomodo et rationes, et rationum infirmationes, et praeterea[13] iudicationes plures fiant.

65. Nunc huius generis praecepta videamus. Utrisque, aut etiam omnibus, si plures ambigent, ius ex quibus rebus constet, est considerandum. Initium ergo eius ab natura ductum videtur: quaedam autem ex utilitatis ratione aut perspicua nobis, aut obscura, in consuetudinem venisse: post autem, approbata quaedam, a consuetudine[14] aut a vero[15] utilia visa, legibus esse firmata: ac naturae quidem ius esse[16], quod nobis non opinio, sed quaedam innata vis afferat, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem. 66. Religionem, eam, quae in metu et caerimonia deorum sit, appellant: pietatem, quae erga patriam, aut parentes, aut alios sanguine coniunctos officium conservare moneat: gratiam, quae in[17] memoria, et remuneratione officiorum, et honoris[18], et amicitiarum,

---

(1) ∞ om. *est* L. Hinc usque ad Cap. 36. §. 109. *Quoniam igitur* folia complura e Cod. Turic. evulsa sunt. (2) e Cdd. prob. Oud. 1. 2. — *fuit testamento, ullius* L. — *fuit in testamento, ullius* Iu. 3. (3) — *quisquam* Iu. L. (4) — *hic*, omisso *hic* ante v. *admonere* Sch. suspic. (5) e Cdd. 1. 2. — *esset. Infirmatio autem haec* Iu. L. 3. (6) Sic Crat. L. Ern. 1. 2. — *illo in temp.* Iu. — *in illo t.* 3. (7) e Cdd. 1. 2. — *in test.* Iu. L. 3. (8) e Cdd. prob. Ern. Sch. 2. — *valebat* Iu. L. 1. 3. (9) ∞ *quam iam* L. — *quae illam* Sch. E. 2. Fortasse *qui* (sic Olx.) *eam*. (10) — *cedebat* Cdd. aliq. ut *pecunia* sit subiectum. Sed *suis hered.* repugnat. (11) — *aut si* L. (12) = *heredes esse* L. (13) — *propterea* margo Crat. (14) Sic Cdd. aliq. L. Sch. 2. — *aut a cons.* Iu. 1. 3. (15) Sic Cdd. etiam Oxonn. 1. 3. *a vero* id est, a iusto. — *aut vero* (coniunctio) Iu. L. Sch. 2. (16) e Cdd. 1. 2. — *esse videtur* Cdd. aliq. — *est* Iu. L. 3. (17) — om. *in* L. (18) Sic Cdd. pleriq. L. 1. 2. — *honorum* Iu. 3.

observantiam teneat: vindicationem, per quam vim, et contumeliam, defendendo, aut ulciscendo, propulsamus a nobis, et a nostris, qui nobis esse cari debent, et per quam peccata punimus: observantiam, per quam aetate, aut sapientia, aut honore, aut aliqua dignitate antecedentes veremur [1], et colimus: veritatem, per quam damus operam, ne quid aliter, quam confirmaverimus, fiat, aut factum aut futurum sit. 67. Ac naturae quidem iura minus ipsa quaeruntur ad hanc controversiam, quod neque in hoc civili iure versantur, et a vulgari intelligentia remotiora sunt: ad similitudinem vero aliquam, aut ad rem amplificandam saepe sunt inferenda. Consuetudinis autem ius esse putatur id, quod voluntate omnium sine lege vetustas comprobarit. In ea autem iura sunt quaedam ipsa iam certa propter vetustatem. Quo in genere et alia sunt multa, et eorum multo maxima pars, quae praetores edicere consuerunt [2]. Quaedam autem genera iuris, iam certa, consuetudine facta sunt: quod genus, pactum, par, iudicatum. 68. Pactum est, quod inter aliquos convenit, quod iam [3] ita iustum putatur, ut iure praestare [4] dicatur. Par, quod in omnes aequabile est. Iudicatum, de quo iam ante sententia alicuius, aut aliquorum constitutum est. Iam iura legitima ex legibus cognosci oportebit. His ergo ex partibus iuris, quidquid aut ex ipsa re, aut ex simili, aut ex maiore minoreve [5] nasci videbitur, attendere [6], atque elicere pertentando unamquamque partem iuris oportebit. Locorum autem communium quoniam (ut ante dictum est) duo sunt genera, quorum alterum dubiae rei, alterum certae continet amplificationem, quid ipsa causa det, et quid augeri per communem locum possit et oporteat, considerabitur. Nam certi, qui in omnes [7] incidant, loci, praescribi [8] non possunt: in plerisque fortasse ab [9] auctoritate iurisconsultorum, et contra auctoritatem dici [10] oportebit. Attendendum est autem et in hac, et in omnibus, num quos locos communes, praeter eos, quos exposuimus, ipsa res ostendat. Nunc iuridiciale genus et partes eius consideremus.

XXIII. 69. Iuridicialis est, in qua aequi et iniqui natura, et praemii aut poenae ratio quaeritur. Huius partes sunt duae, quarum alteram absolutam, assumptivam alteram nominamus. Absoluta est, quae ipsa in se, non ut negotialis implicite et abscondite, sed patentius et expeditius recti et non recti quaestionem continet. Ea est huiusmodi: Quum Thebani Lacedaemonios bello superassent [11], et fere mos esset Graiis, quum inter se bellum gessissent, ut ii, qui vicissent, tropaeum aliquod in finibus statuerent, victoriae modo in praesentia declarandae causa, non ut in perpetuum belli memo-

---

(1) — *veneramur* Cdd. aliq. Edd. vett. Unus Ox. *veneremur*, quemadmodum volebat Ern. ita scil. ut post *vindicationem* omnes illi indicativi in coniunctivos mutarentur. — *reveremur* Iu. Crat. L. (2) = *consueverunt* Iu. L. (3) — om. *iam* L. (4) Sic Cdd. multi: Ox. Sch. 2. — *iuri praestare* Iu. L. 3. — *iure praestari* Ern. C. 1. (5) — *aut ex minore* Cdd. aliq. Iu. L. (6) Sic Orut. e Cdd. 1. 2. 3. — *quisque attendere* Iu. al. — *quemquam att.* Oxonn. aliq. L. Videtur tamen correctio glossematis *quisque*. (7) — addit *causas* Cld. ut volebat Lamb. (8) — *perscribi* Victorin. Vide C. 17. (9) — *pro* L. C. (10) — *duci* Cdd. aliq. (Ox.) prob. Oud. Vide Ern. (11) Sic L. = *superavissent* Iu. 1. 2. 3.

ria maneret; aeneum statuerunt tropaeum. Accusantur apud Amphictyonas, id est, apud commune Graeciae concilium[1]. 70. Intentio est: Non oportuit. Depulsio est: Oportuit. Quaestio est: Oportueritne. Ratio est: Eam enim ex bello gloriam virtute peperimus, ut eius aeterna insignia posteris nostris relinquere vellemus. Infirmatio est: Attamen aeternum inimicitiarum monumentum Graios de Graiis statuere non oportet. Iudicatio est: Quum summae virtutis concelebrandae[2] causa Graii de Graiis aeternum inimicitiarum monumentum statuerint[3], rectene, an contra fecerint. Hanc ideo rationem subiecimus, ut hoc causae genus ipsum, de quo agimus, cognoscerctur[4]. Nam si eam supposuissemus, qua fortasse usi sunt: Non enim iuste, neque pie bellum gessistis; in relationem criminis delaberemur, de qua post loquemur. Utrumque autem causae genus in hanc causam incidere perspicuum est. In hanc argumentationes ex iisdem locis sumendae sunt, atque in causam negotialem, qua de ante dictum est. 71. Locos autem communes et ex causa ipsa, si quid inerit indignationis aut conquestionis, et ex iuris utilitate, et natura multos et graves sumere licebit, et oportebit, si causae dignitas videbitur postulare. XXIV. Nunc assumptivam partem iuridicialis consideremus.

Assumptiva igitur tum[5] dicitur, quum ipsum ex se factum probari non potest, aliquo autem foris adiuncto argumento defenditur. Eius partes sunt quatuor: comparatio, relatio criminis, remotio criminis, concessio. 72. Comparatio est, quum aliquod factum, quod per se ipsum non sit probandum, ex[6] eo, cuius id causa factum est, defenditur. Ea est huiusmodi: Quidam imperator, quum ab hostibus circumsideretur, neque effugere ullo modo posset, depactus est cum eis, ut arma et impedimenta relinqueret, milites educeret[7]: itaque fecit: armis et impedimentis amissis, praeter spem milites conservavit. Accusatur maiestatis. Incurrit huc definitio. Sed nos hunc locum, de quo agimus, consideremus. 73. Intentio est: Non oportuit arma et impedimenta relinquere. Depulsio est: Oportuit. Quaestio est: Oportueritne? Ratio est: Milites enim omnes periissent. Infirmatio est, aut coniecturalis[8]: Non periissent: aut altera coniecturalis: Non ideo fecisti. Ex quibus sunt indicationes: Periissentne? et: Ideone fecerit? aut haec comparativa, cuius nunc indigemus: At enim satius fuit amittere milites, quam arma et impedimenta hostibus concedere. Ex qua indicatio nascitur: Quum omnes perituri milites essent, nisi ad hanc pactionem venissent[9], utrum satius fuerit amittere milites, an ad hanc conditionem venire? 74. Hoc causae genus ex suis locis[10]

---

(1) Suspecta haec *id est – concilium* Lambino del. Sch. €. 2. Vide Ern. (2) Hoc e C2d. Gronov. O5x. et marg. Crat. recepi. — *celebrandae* Iu. L. 1. 2. 3. (3) — *statuerunt* L. (4) — *demonstraretur* Cdd. aliq. (5) — *tunc* Iu. L. (6) Sic omnes. Iu. L. 3. 2. — *et ex eo* Ern. 1. errore typogr. (7) — *abduceret* L. (8) — *haec coniecturatis* L. Vide Sch. in Ed. mai. (9) — *venisset* Sch. €. 2. sed satis refutatur a §. 76. verbis similibus, ubi singularis num. locum non habet. — *venissem* Gronovii suspic. (10) Sic dedi e Grevenb. et O3x. (— *et ex suis locis* Sch. €. 2. Sed *et* hic locum vix habet, quum sequatur *quoque.*) — *ex his locis* Iu. L. 1. 3.

tractari oportebit, et adhibere [1] ceterarum quoque constitutionum rationem atque praecepta; ac maxime coniecturis faciendis infirmare illud, quod cum eo, quod crimini dabitur, ii, qui accusabuntur, comparabunt. Id fiet, si aut id, quod dicent defensores futurum fuisse, nisi id factum esset, quo de facto iudicium est, futurum fuisse negabitur: aut si alia ratione, et aliam ob causam, ac dicet se reus fecisse, demonstrabitur esse factum. Eius rei confirmatio, et item contraria de parte infirmatio ex coniecturali constitutione sumetur. Sin autem certo nomine maleficii vocabitur in iudicium, sicut in hac causa (nam maiestatis arcessitur), definitione et definitionis praeceptis uti oportebit. XXV. Atque hoc quidem plerumque in hoc [2] genere accidit, ut et [3] coniectura et definitione utendum sit. Sin aliud quoque aliquod genus incidet, eius generis praecepta licebit huc pari ratione transferre. Nam accusatori maxime est in hoc elaborandum, ut id ipsum factum, propter quod sibi reus concedi putat oportere, quam plurimis infirmet rationibus. Quod facile est [4], si quam plurimis constitutionibus aggredietur [5] id improbare. 75. Ipsa autem comparatio, separata a ceteris generibus controversiarum, sic ex sua vi considerabitur, si illud, quod comparabitur, aut non honestum, aut non utile, aut non necessarium fuisse, aut non tanto opere utile, aut non tanto opere honestum, aut non tanto opere necessarium fuisse demonstrabitur [6]. Deinde oportet accusatorem, illud, quod ipse arguat [7], ab eo, quod defensor comparat [8], separare. Id autem faciet, si demonstrabit, non ita fieri solere, neque oportere, neque esse rationem, quare hoc propter hoc fiat, ut, propter salutem militum, ea, quae salutis causa comparata sunt, hostibus tradantur. Postea comparare oportebit cum beneficio maleficium, et omnino id, quod arguitur, cum eo, quod factum ab defensore laudatur [9], aut faciendum fuisse demonstratur [10], contendere, et hoc extenuando, maleficii magnitudinem simul adaugere. Id fieri poterit, si demonstrabitur, honestius, utilius, magis necessarium fuisse id [11], quod vitarit reus, quam illud, quod fecerit. 76. Honesti autem et utilis et necessarii vis et natura in deliberationis praeceptis cognoscetur. Deinde oportebit ipsam illam [12] comparativam iudicationem exponere, tamquam causam deliberativam, et de ea ex deliberationis praeceptis deinceps dicere. Sit

---

([1]) e Cdd. 1. 2. (= *tractare* Cdd. aliq. Sch. 2.) — *tractari conveniet. Oportebit adhib.* Iu. L. 3. ([2]) Sic Omnib. Sch. 2. plane ut §. 93. ∞ *hoc* ante v. *genere* expunxit Grut. 3. Ern. 1. e Lamb. C. Sed Cdd. pleriq. *Atque haec qu. pl. in hoc gen. accidunt* ∞ *Atque haec - in hoc gen. incidunt* Iu. Crat. L. ([3]) e Cdd. 1. 2. — om. *et* Iu. L. 3. ([4]) — *erit* Sch. C. 2. ([5]) Sic pleriq. Grut. 3. Sch. 2. — *aggrediatur* Iu. L. — *aggreditur* e C1d. Ern. 1. Neutrum necesse est, neque ut propter fut. *aggredietur* scribatur *erit*, nec propter *est*, *aggreditur*. ([6]) — *demonstrabitur* abest a plerisq. vide Ern. qui *fuisse*, quod omnes habent, expunxit. Ita et Sch. 2. ([7]) ∞ *arguit* Sch. C. 2. ([8]) — *comparet* L. ([9]) Sic Cdd. aliq. Iu. L. 1. 2. ∞ *laudabitur* Cdd. pleriq. Grut. 3. ([10]) Sic Cdd. aliq. Iu. L. Sch. 2. — *demonstrabitur* 1. 3. ∞ praestet fortasse: *arguetur - laudabitur - demonstrabitur*. ([11]) e Cdd. 1. 2. — *illud* Iu. L. 3. ([12]) Huic horum vocab. ordini infestus L. hic quoque correxit — *illam ipsam*. Non correxit v. c. §. 107.

enim haec indicatio, quam ante exposuimus: Quum omnes perituri milites essent, nisi ad hanc pactionem venissent[1], utrum satius fuerit perire milites[2], an ad hanc pactionem venire. Hoc ex locis deliberationis, quasi aliquam in consultationem res veniat, tractari oportebit. XXVI. Defensor autem, quibus in locis ab accusatore aliae constitutiones erunt inductae, in iis ipse quoque ex iisdem constitutionibus defensionem comparabit: ceteros autem omnes locos[3], qui ad ipsam comparationem pertinebunt, ex contrario tractabit. 77. Loci communes[4] erunt[5], accusatoris, in eum, qui quum de facto turpi aliquo, aut inutili, aut utroque[6] fateatur, quaerat tamen aliquam defensionem, et[7] facti inutilitatem, aut turpitudinem cum indignatione proferre; defensoris[8], nullum factum inutile, neque turpe, neque item utile, neque honestum putari oportere, nisi, quo animo, quo tempore, qua de causa factum sit, intelligatur: qui locus ita communis est, ut bene tractatus in hac causa, magno ad persuadendum momento futurus sit: et alter locus, per quem magna cum amplificatione, beneficii magnitudo ex utilitate, aut honestate, aut facti necessitudine demonstratur: 78. et tertius, per quem res expressa verbis, ante oculos eorum, qui audiunt, ponitur, ut ipsi se quoque idem facturos fuisse arbitrentur, si sibi illa res, atque ea[9] faciendi causa per idem tempus accidisset.

Relatio criminis est, quum reus id, quod arguitur, confessus, alterius se inductum peccato, iure fecisse demonstrat. Ea est huiusmodi: Horatius occisis tribus Curiatiis[10], et duobus amissis fratribus, domum se victor recepit. Is animadvertit sororem suam de fratrum morte non laborantem: sponsi autem nomen appellantem identidem Curiatii[11] cum gemitu et lamentatione. Indigne[12] passus, virginem occidit. Accusatur. 79. Intentio est: Iniuria sororem occidisti. Depulsio est: Iure occidi. Quaestio est: Iurene occiderit. Ratio est: Illa enim hostium mortem lugebat, fratrum negligebat: me et populum Romanum vicisse moleste ferebat. Infirmatio est: Tamen a fratre indemnatam necari non oportuit. Ex qua indicatio fit: Quum Horatia fratrum mortem negligeret, hostium lugeret, fratris et populi Romani victoria non gauderet, oportueritne eam a fratre indemnatam necari? XXVII. Hoc in genere causae, primum si quid ex ceteris dabitur constitutionibus, sumi oportebit[13], sicut[14] in comparatione praeceptum est: postea si qua facultas erit, per aliquam constitutionem illum, in quem crimen transfertur[15], defendere: 80. deinde, levius esse illud, quod in alterum peccatum[16] reus transferat, quam

---

(1) — *venisset* Sch. C. 2. v. supra §. 73. (2) = *milites perire* L. (3) = *locos omnes* L. (4) Sic L. 1. 2. — *Loci autem comm.* Iu. 3. (5) — *inerunt* O1x. (6) — *utrumque* Cd. Cass. (7) Sic O2x. Iu. 3. 1. 2. ∞ om. *et* Cdd. aliq. L. (8) e Cdd. 1. 2. — *Defensoris est* Iu. L. 3. De interpunctione v. Ern. (9) ∞ *eadem* L. (10) Cum paucis Cdd. L. 2. 3. — *Curiatibus* Pleriq. Iu. Ern. 1. (11) e paucis L. 2. 3. — *Curiatis* Pleriq. Iu. Ern. 1. Inauditae istae formae ortae sunt ex script. *Curiatls. Curiatl.* (12) — *hoc indigne* L. (13) — *sumi ab accusatore oport.* L. (C. ni fallor.) Sch. 2. (14) = *sicuti* L. (15) ∞ *transferetur* Pleriq. etiam Oxonn. (16) Cum C1d. sine causa Ern. 1. Sch. 2. expunxerunt *illud* (— *illuc* L.) — *levius esse illud peccatum, quod in alterum reus* O1x. unde suspectum potius fit v. *peccatum.*

quod ipse susceperit: postea translationis partibus uti, et ostendere a quo, et per quos, et quo modo, et quo tempore aut agi, aut iudicari, aut statui de ea re convenerit; ac simul ostendere, non oportuisse ante supplicium, quam iudicium, interponere. Tum leges quoque et iudicia demonstranda sunt, per quae potuerit id peccatum, quod sponte sua reus punitus sit, moribus et iudicio vindicari. Deinde negare debebit, audiri oportere id, quod in eum criminis conferatur, de quo is ipse, qui conferat, iudicium fieri noluerit: et id, quod iudicatum non sit, pro infecto haberi oportere: 81. postea impudentiam demonstrare eorum, qui eum nunc apud iudices accusent, quem sine iudicibus ipsi condemnarint: et de eo iudicium faciant, de quo iam ipsi supplicium sumpserint. Postea perturbationem iudicii futuram [dicemus[1]], et iudices longius, quam potestatem habeant, progressuros, si simul et de reo, et de eo, quem reus arguat, iudicarint: deinde, hoc si constitutum sit, ut peccata homines peccatis, et iniurias iniuriis ulciscantur, quantum incommodorum consequatur: ac si idem facere ipse, qui nunc accuset[2], voluisset, ne hoc quidem ipso quidquam opus fuisse iudicio: si vero ceteri quoque idem faciant, omnino iudicium nullum futurum. 82. Postea demonstrabitur, ne, si iudicio quidem illa damnata esset, in quam id crimen ab reo conferatur, potuisse hunc ipsum de illa supplicium sumere: quare esse indignum, eum, qui ne de damnata quidem poenas sumere potuisset[3], de ea supplicium sumpsisse, quae ne adducta quidem sit in iudicium. Deinde postulabit, ut legem, qua lege fecerit, proferat. Deinde quemadmodum in comparatione praecipiebamus, ut illud quod comparabatur[4], extenuaretur ab accusatore quam maxime: sic in hoc genere oportebit illius culpam, in quem[5] crimen transferetur, cum huius maleficio, qui se iure fecisse dicat, comparare. Postea demonstrandum est, non esse illud eiusmodi, ut ob id hoc fieri conveniret[6]. Extrema est, ut in comparatione, assumptio iudicationis, et de ea per amplificationem ex deliberationis praeceptis dictio. XXVIII. 83. Defensor autem, quae per alias constitutiones inducentur, ex iis locis, qui traditi sunt, infirmabit: ipsam autem relationem comprobabit, primum augendo eius, in quem refert[7] crimen, culpam et audaciam, et quam maxime per indignationem, si res feret, iuncta conquestione, ante oculos ponendo. Postea levius demonstrando reum punitum, quam sit ille promeritus[8], et suum[9] supplicium cum illius iniuria conferendo. Deinde oportebit eos locos, qui ita erunt ab accusatore tractati, ut refelli, et contrariam in partem converti possint, quo in genere sunt tres extremi, contrariis rationibus infirmare. 84. Illa autem acerrima accusatorum criminatio, per quam perturbationem fore

---

(1) ∞ del. L. Sch. 2. Nos [ ] — *dicet* Otx. quod satis confirmat illorum suspicionem. (2) Ern. C. 1. 2. — *accusat* Iu. L. 3. (3) ∞ *sumere ipse potuisset* Cdd. aliq. (Otx.) (4) Ita pleriq. Iu. L. 3. Sch. 2. — *comparabitur* e Cld. Ern. 1. — *comparetur* alii pauci (5) — *quam* L. (6) — *convenerit* vel *conveniat* Ern. suspiciones. (7) ∞ *referet* L. (8) Sic Iu. L. 1. 3. — *quam sit illius pro meritis* Cld. apud Oud. unde Sch. 2. de Oud. C. — *quam illius pro meritis.* Cod. tamen illius lectio errori videtur tribuenda. Lamb. suspic. *meritus.* (9) — *sumptum* Sch. suspicio.

omnium iudiciorum demonstrant, si de indemnato supplicii sumendi potestas data sit, levabitur[1], primum si eiusmodi demonstrabitur iniuria, ut non modo viro bono, verum omnino homini libero videatur non fuisse toleranda: deinde ita perspicua, ut ne ab ipso quidem, qui fecisset, in dubium vocaretur: deinde eiusmodi, ut in eam[2] is maxime debuerit animadvertere, qui animadverterit; ut non tam rectum, non tam fuerit honestum, in iudicium illam rem pervenire, quam eo modo, atque ab eo vindicari[3], quo modo et a quo sit vindicata: postea sic rem fuisse apertam, ut iudicium de ea re fieri nihil attinuerit. 85. Atque hic demonstrandum est rationibus, et rebus similibus, permultas ita atroces, et perspicuas res esse, ut de his non modo non necesse sit, sed ne utile quidem, quam[4] mox iudicium fiat, exspectare. Locus communis accusatoris[5] in eum, qui quum id, quod arguitur, negare non possit, tamen aliquid sibi spei comparet ex iudiciorum perturbatione. Atque hic utilitatis iudiciorum demonstratio, et de eo conquestio, qui supplicium dederit indemnatus; in eius autem, qui sumpserit, audaciam et crudelitatem, indignatio. 86. Ab defensore, in eius, quem ultus sit, audaciam sui conquestio[6]: rem non ex nomine ipsius negotii, sed ex consilio eius, qui fecerit, et causa, et tempore considerari oportere: quid mali futurum sit, aut ex iniuria, aut ex scelere alicuius, nisi tanta, et tam perspicua audacia ab eo, ad cuius famam, aut ad parentes, aut ad liberos pertinuerit, aut ad aliquam rem, quam caram esse[7] omnibus, aut necesse est, aut oportet esse, fuerit vindicata.

XXIX. Remotio criminis est, quum eius[8] intentio facti, quod ab adversario infertur, in alium, aut in aliud demovetur[9]. Id fit bipartito. Nam tum causa, tum res ipsa removetur. 87. Causae remotionis hoc nobis exemplo sit: Rhodii quosdam legarunt Athenas. Legatis quaestores sumptum, quem oportebat dari, non dederunt. Legati profecti non sunt. Accusantur. Intentio est: Proficisci oportuit. Depulsio est: Non oportuit. Quaestio est: Oportueritne. Ratio est: Sumptus enim qui de publico dari solet, is ab[10] quaestore non est datus. Infirmatio est: Vos tamen id, quod publice vobis datum erat negotii, conficere oportebat. Iudicatio est: Quum iis, qui legati erant, sumptus, qui de publico debebatur[11], non daretur, oportueritne eos conficere nihilominus legationem. Hoc in genere primum, sicut in ceteris, si quid aut ex coniecturali[12], aut ex alia constitutione summi possit, videri[13] oportebit. Deinde pleraque et[14] ex

---

([1]) — *levabitur sic* L. Videtur tamen glossema, quum Olx. habeat: — *alieniabitur hoc modo.* ([2]) ∞ *eum* L. solus. Desiderabat is aliud exemplum formulae *animadvertere in rem aliquam;* nec sine causa, opinor. ([3]) Sic Iu. L. 1. 2. — *vindicare.* Grut. 3. ([4]) Sic Ed. mea s. l. et a. Ern. C. 1. 2. — *quin* Iu. L. 3. ([5]) — *ab accusatore* L. ([6]) Sic dedi ex Olx. — *audaciam conquestio* L. Sch. 2. — *aud. conquestione* Iu. 3. ([7]) ∞ om. *esse* L. propter sequens: *oportet esse.* ([8]) — om. *eius* L. ([9]) Sic Cdd. aliq. 1. 2. — *dimonetur* Iu. 3. ∞ *removetur* L. ([10]) = *abs* L. ([11]) = *debebatur de publico* L. ([12]) — add. *aut ex definitiva* Crat. L. (Non habent Cdd. Omnib. Iu. 1. 2. 3.) ([13]) ∞ *videre* Ern. suspicio recepta a Sch. 2. Sed sic iam habet L. ([14]) Sic L. 1. 2. — om. Iu. 3.

comparatione, et ex relatione criminis in hanc quoque causam convenire poterunt [1]. 88. Accusator autem illum, cuius culpa id factum reus dicet, primum defendet, si poterit; sin minus poterit, negabit, ad hoc iudicium, illius, sed huius [2], quem ipse [3] accuset, culpam pertinere. Postea dicet, suo quemque officio consulere oportere: nec, si ille peccasset, hunc oportuisse peccare: deinde si ille [4] deliquerit, separatim illum, sicut hunc, accusari oportere, et non cum huius defensione coniungi illius accusationem. Defensor autem quum cetera, si qua ex aliis incident constitutionibus, pertractarit, de ipsa remotione sic argumentabitur: 89. Primum, cuius acciderit culpa, demonstrabit: deinde, quum id aliena culpa accidisset, ostendet se aut non potuisse, aut non debuisse id facere, quod accusator dicat oportuisse: quod non potuerit, ex utilitatis partibus, in quibus est necessitudinis vis implicita [5]: quod non debuerit, ex honestate [6] considerabitur. De utroque distinctius in deliberativo genere dicetur. Deinde omnia facta esse ab reo, quae in ipsius fuerint potestate; quod minus, quam convenerit, factum sit, culpa id alterius accidisse. 90. Deinde in alterius culpa exponenda demonstrandum est, quantum voluntatis et studii fuerit in ipso: et id signis confirmandum huiusmodi: ex cetera diligentia, ex ante factis, aut dictis; atque hoc ipsi utile fuisse facere, inutile autem non facere, et cum cetera vita [7] magis hoc fuisse [8] consentaneum, quam quod propter alterius culpam non fecerit. XXX. Sin autem [9] non in hominem certum, sed in rem aliquam causa demovebitur [10], ut in hac eadem re, si quaestor mortuus esset, et ideirco legatis pecunia data non esset: accusatione alterius, et culpae depulsione dempta ceteris similiter uti locis oportebit, et ex concessionis partibus, quae convenient, assumere; de quibus post nobis dicendum erit [11]. 91. Loci autem communes iidem utrisque [12] fere, qui superioribus assumptivis, incident: hi tamen certissime [13]: accusatoris, facti indignatio: defensoris, quum in alio culpa sit, in ipso [14] non sit, supplicio se [15] affici non oportere.

Ipsius autem rei fit remotio, quum id, quod datur crimini, negat neque ad se, neque ad officium suum reus pertinuisse: nec, si quid in eo sit delictum [16], sibi attribui oportere. Id genus causae est huiusmodi: In eo foedere, quod factum est quondam cum Samnitibus, quidam adoleseens nobilis porcam sustinuit iussu imperatoris. Foedere autem ab senatu improbato, et imperatore Samnitibus dedito, quidam in senatu cum quoque dicit, qui porcam tenuerit, dedi oportere.

([1]) Sic omnes. — *potuerunt* Ern. 1. errore typogr.? ([2]) — *hoc ad iudicium illius, sed ad huius* L. ([3]) — *ipse* del. censebat Ern. ([4]) = *ille si* L. ([5]) Sic Cdd. aliq. — *implicata* Iu. L. 1. 2. 3. — addunt *demonstrabit* Iu. 3. Delevit iam L. ([6]) ∞ *honestatis* C1d. ut repetatur cogitatione *partibus*, non male. ([7]) — *ut ceterae vitae* C1d. prob. Oud. Est tamen e correctione. ([8]) = *hoc fuisse magis* L. ([9]) e Cdd. — *si autem* L. 1. 2. 3. ([10]) Sic C1d. L. — *dimovebitur* Iu. 1. 2. 3. ([11]) = *erit dicendum* L. ([12]) ∞ *utrique* Cdd. aliq. L. ([13]) e Cdd. Oud. omnibus, et C2d. — *certissimi* Iu. 1. 2. 3. — *hi autem certissimi* L. ([14]) — *et in ipso* L. — *aut in ipso* Iu. ([15]) e Cdd. 1. 2. — *reum* Iu. L. 3. — *se reum* Cdd. aliq. ([16]) e Cdd. prob. Ern. Sch. 2. ut *delictum* sit participium. ∞ *si quid - delicti* C2d. prob. Oud. — *si quod - delictum* Iu. L. 1. 3.

92. Intentio est: Dedi oportet. Depulsio est[1]: Non oportet. Quaestio est[2]: Oporteatne? Ratio est: Non enim meum fuit officium, nec mea potestas, quum et id aetatis[3], et privatus essem, et esset summa cum auctoritate et potestate imperator, qui videret, ut satis honestum foedus feriretur. Infirmatio est: At enim quoniam tu particeps factus[4] es in turpissimo foedere summae religionis, dedi te convenit. Iudicatio est: Quum is, qui potestatis nihil habuerit, iussu imperatoris in foedere, et in tanta religione interfuerit, dedendus[5] sit hostibus, necne? Hoc genus causae cum[6] superiore hoc differt, quod in illo concedit se reus oportuisse facere id, quod fieri dicat accusator oportuisse, sed alicui rei, aut homini causam attribuit, quae voluntati suae fuerit impedimento, sine concessionis partibus; nam earum maior quaedam vis est; quod paullo post intelligetur: 93. In hoc autem non accusare alterum, nec culpam in alium transferre debet, sed demonstrare, eam rem nihil[7] ad se, neque[8] ad potestatem, neque ad officium suum pertinuisse aut pertinere. Atque in hoc genere hoc accidit novi, quod accusator quoque saepe ex remotione criminationem conficit. Ut, si quis cum accuset[9], qui, quum praetor esset, in expeditionem ad arma populum vocarit, quum consules adessent. Nam ut in superiore exemplo reus ab suo officio et a sua[10] potestate factum demovebat[11]; sic in hoc ab eius officio ac potestate, qui accusatur, ipse accusator factum removendo, hac ipsa ratione confirmat accusationem. 94. In hac ab utroque ex omnibus honestatis et utilitatis partibus, exemplis, signis, ratiocinando, quid cuiusque officii, iuris, potestatis sit, quaeri oportebit, et fueritne ei, quo de agitur, id iuris, officii, potestatis attributum, necne. Locos autem communes ex ipsa re, si quid indignationis ac conquestionis habebit, sumi oportebit.

XXXI. Concessio est, per quam non factum ipsum probatur[12] ab reo: sed ut ignoscatur, id petitur[13]. Cuius partes sunt duae, purgatio et deprecatio. Purgatio est, per quam eius, qui accusatur, non factum ipsum, sed voluntas defenditur. Ea habet partes tres, imprudentiam, casum, necessitudinem[14]. 95. Imprudentia est, quum scisse aliquid is, qui arguitur, negatur: ut apud quosdam lex erat: Ne quis Dianae vitulum immolaret. Nautae quidam, quum adversa tempestate in alto iactarentur, voverunt, si eo portu[15], quem conspiciebant, potiti essent, ei deo, qui ibi esset, se vitulum immolaturos. Casu erat[16] in eo portu fanum Dianae eius, cui vitulum immolari non licebat. Imprudentes legis, quum exissent, vitulum immolaverunt. Accusantur. Intentio est: Vitulum immolastis ei deo,

---

(1) — om. *est* L. (2) — om. *est* L. (3) — *id aetatis non haberem* Crat. L. improbante Lamb. Abest *non haberem* a Iu. 1. 2. 3. (4) *factus* excidit in 3. Ed. Neap. (5) Sic Cdd. aliq. L. 1. 2. — *dedendusne* Iu. 3. (6) e Cdd. 1. 2. — *a* Iu. L. 3. (7) e Cdd. 1. 2. — *nec* Iu. L. 3. (8) = *nec* Iu. L. 3. (9) Sic Cdd. aliq. Iu. L. 1. 2. — *accusat* 3. (10) e Cdd. 1. 2. — *officio ac pot.* Iu. L. 3. (11) Cdd. aliq. L. 1. 2. — *dimovebat* Iu. 3. (12) Sic Cdd. multi Iu. Crat. L. 1. 2. — *improbatur* Grut. 3. (13) Oud. distinguit: *ignoscatur id, petitur.* (14) — *necessitatem* Oudendorpii omnes. (15) ∞ *cum portum* C. Langius ap. Beier *Off.* T. 2. p. 116. non male. (16) — *Casu autem erat* L.

cui non licebat. Depulsio est in concessione posita. Ratio est: Nescivi non licere. Infirmatio est: Tamen, quoniam feeisti quod non licebat, ex lege supplicio dignus es. Iudicatio est: Quum id fecerit, quod non oportuerit, et id non oportere nescierit, sitne supplicio dignus? 96. Casus autem inferetur in concessionem, quum demonstrabitur aliqua fortunae vis [1] voluntati obstitisse, ut in hac: Quum Lacedaemoniis lex esset, ut [2], hostias nisi ad sacrificium quoddam redemptor praebuisset, capitale [3] esset, hostias is, qui redemerat, quum sacrificii dies instaret, in urbem ex agro coepit agere. Tum subito magnis commotis [4] tempestatibus fluvius Eurotas is, qui propter Lacedaemonem fluit, ita magnus et vehemens factus est, ut eo [5] traduci victimae nullo modo possent. 97. Redemptor, suae voluntatis ostendendae causa, hostias constituit omnes in litore, ut, qui trans flumen essent, videre possent. Quum omnes studio eius subitam fluminis magnitudinem scirent fuisse impedimento, tamen quidam [6] capitis arcessierunt. Intentio est: Hostiae, quas debuisti ad sacrificium, praesto non fuerunt. Depulsio est, concessio. Ratio: Flumen enim subito accrevit, et ea re traduci non potuerunt. Infirmatio est [7]: Tamen, quoniam, quod lex iubet, factum non est, supplicio dignus es. Iudicatio est [8]: Quum in ea re redemptor contra legem fecerit [9], qua in re studio eius subita fluminis obstiterit magnitudo, supplicione dignus sit? XXXII. 98. Necessitudo autem infertur, quum vi quadam reus id, quod fecerit, fecisse defenditur, hoc modo: Lex est apud Rhodios, ut, si qua rostrata in portu navis deprehensa sit, publicetur. Quum magna in alto tempestas esset; vis ventorum, invitis nautis, Rhodiorum in portum navim coëgit [10]. Quaestor navim populi vocat. Navis dominus negat publicari oportere. Intentio est: Rostrata navis in portu deprehensa est. Depulsio est, concessio. Ratio: Vi et necessario sumus in portum coacti. Infirmatio est: Navim ex lege tamen populi esse oportet. Iudicatio est: Quum rostratam navim in portu deprehensam lex publicarit [11], quumque haec navis, invitis nautis, vi tempestatis in portum coniecta [12] sit; oporteatne eam publicari. 99. Horum trium generum idcirco unum in locum contulimus exempla, quod similis in ea praeceptio argumentorum [13] traditur. Nam in his omnibus primum, si quid res ipsa dabit facultatis, coniecturam induci ab accusatore oportebit, ut id, quod voluntate factum negabitur, consulto factum, suspicione aliqua demonstretur: deinde inducere definitionem necessitudinis, aut casus, aut imprudentiae, et exempla ad eam definitionem adiungere, in quibus imprudentia fuisse videatur, aut casus, aut necessitudo, et ab his id,

---

([1]) = *vis fortunae* L. ([2]) Sic Cdd. aliq. Iu. L. 1. 2. om. *ut* Grut. 3. ([3]) ∞ *capitale* C2d. Gronovii prob. Oud. ([4]) ∞ *commotus* Multi Cdd. (O4x) Iu. L. ([5]) — *ea* Lambini suspic. non recepta. Sed *eo* est *ideo*, ut mox; *et ea re traduci*. ([6]) — *tamen enim quidam* L. ([7]) — om. *est* Sch. in Ed. mai. cum C1d. ([8]) — om. *est* Sch. in Ed. mai. cum C1d. ([9]) e Cdd. 1. 2. ∞ *aliquid fecerit* Pleriq. Iu. 3. = *contra legem redemptor aliquid fec.* L. ([10]) — *coniecit* C1d. ([11]) Sic Iu. Lamb. 1566. 1. 2. 3. — *iubeat publicari* In marg. 1581. tribuitur libro veteri et Lambino ipsi. ([12]) ∞ *coacta* Cod. Sch. a m. pr. apud Oud. ([13]) — *argumentorum* om. C1d. = *traditur argumentorum* L.

quod reus inferat, separare, [id est, ostendere dissimile [1],] quod levius, facilius, non ignorabile, non fortuitum, non necessarium fuerit: postea demonstrare, potuisse vitari; et hac ratione provideri potuisse, si hoc, aut illud fecisset; aut nisi [2] fecisset, praecaveri: et definitionibus ostendere, non hanc imprudentiam, aut casum, aut necessitudinem, sed inertiam, negligentiam, fatuitatem nominari oportere. 100. Ac si qua necessitudo turpitudinem videbitur habere, oportebit per locorum communium implicationem redarguentem demonstrare, quidvis perpeti, mori denique satius fuisse, quam eiusmodi necessitudini obtemperare. Atque tum ex iis [3] locis, de quibus in negotiali parte dictum est, iuris et aequitatis naturam oportebit quaerere, et, quasi in absoluta iuridiciali, per se hoc ipsum ab rebus omnibus separatim considerare. Atque hoc in loco, si facultas erit, exemplis uti [4] oportebit, quibus in simili excusatione non sit ignotum: et contentione, magis illis ignoscendum fuisse: et ex deliberationis partibus, turpe aut inutile esse concedi eam rem, quae ab adversario commissa sit; permagnum esse et magno [5] futurum detrimento, si ea res ab iis, qui potestatem habent [6] vindicandi, neglecta sit. XXXIII. 101. Defensor autem conversis omnibus his partibus poterit uti. Maxime autem in voluntate defendenda commorabitur, et in ea re adaugenda, quae voluntati fuerit impedimento: et se plus, quam fecerit, facere non potuisse: et in omnibus rebus voluntatem spectari oportere: et se [7] convinci non posse, quod non absit a culpa: et suo [8] nomine communem hominum infirmitatem damnari [9]. Deinde nihil indignius esse, quam eum, qui culpa careat, supplicio non carere. Loci autem communes, accusatoris, unus in confessionem [10], et alter [11], quanta potestas peccandi relinquatur, si semel institutum sit, ut non de facto, sed de facti causa quaeratur: 102. defensoris [12], conquestio calamitatis eius, quae non culpa, sed vi maiore quadam acciderit, et de fortunae potestate, et hominum infirmitate, et uti suum animum, non eventum considerent. In quibus omnibus conquestionem suarum acrumnarum, et crudelitatis adversariorum indignationem inesse oportebit. Ac neminem mirari conveniet, si aut in his, aut in aliis exemplis scripti quoque controversiam adiunctam videbit. Quo de genere post erit nobis separatim dicendum, propterea quod quaedam genera causarum simpliciter et ex sua vi considerantur: quaedam autem sibi aliud quoque aliquod controversiae genus assumunt. 103. Quare omnibus cognitis, non erit difficile in unamquamque causam transferre, quod

---

([1]) Ern. C. [ ]. Del. Sch. 2. ([2]) Sic O2x. si fides collatori. Ald. Iu. 3. idque omnino simplicissimum est. ∞ *aut ni sic* e Cld. prob. Oud. Sch. 2. Sed apud Ciceronem scribendum saltem *nisi sic*, quod nec ipsum reprobo. — *aut ne sic fecisset* Cdd. pleriq. Crat. Ern. 1. contra leges grammaticas. — *ne sic faceret* L. C. ut videtur, in quam inclinabat etiam Ern. ([3]) Sic Iu. L. — *his* 1. 2. 3. ([4]) *uti eorum hominum* O2x. L. Sch. 2. Mihi videtur gloss. ([5]) — *permagno* Omnib. ([6]) ∞ *habeant* Sch. C. 2. ([7]) ∞ *se* suspectum Ern. ([8]) e Cdd. Sch. 2. — *et ex suo* Iu. L. 1. 3. ([9]) e Cdd. Sch. 2. — *inf. posse damnari* L. 1. 3. ([10]) Sic iam Lamb. Ex omnibus fere Cdd. Sch. 2. — *confessione* Iu. 1. 3. An *concessionem*? ([11]) Sic Cdd. Iu. L. 1. 3. et sic §. 109. 114. — *et* cum Cld. prob. Oud. del. Sch. 2. ([12]) *defensoris autem* Iu. L.

ex eo quoque [1] genere conveniet: ut in his exemplis concessionis inest omnibus [2] scripti controversia ea, quae ex scripto et sententia nominatur: sed quia de concessione loquebamur, in eam praecepta dedimus. Alio autem loco de scripto et sententia dicemus. Nunc in alteram concessionis partem iam contendemus [3].

XXXIV. 104. Deprecatio est, in qua non defensio facti, sed ignoscendi postulatio continetur. Hoc genus vix in iudicio probari potest, ideo quod concesso peccato, difficile est ab eo, qui peccatorum vindex esse debet, ut ignoscat, impetrare. Quare parte eius generis, quum causam non in eo constitueris, uti licebit [4]. Ut si pro aliquo claro, aut forti viro, cuius in rem publicam multa sint [5] beneficia, dixeris; possis, quum videaris non uti deprecatione, uti tamen, ad hunc modum: Quod si, iudices, hic pro suis beneficiis, pro suo studio, quod in vos habuit semper, tali suo tempore, multorum suorum recte factorum causa, uni delicto ut ignosceretis postularet, tam dignum [6] vestra mansuetudine, quam virtute huius esset, iudices, a vobis hanc rem, hoc postulante, impetrari. Deinde augere beneficia licebit, et iudices per locum communem ad ignoscendi voluntatem deducere [7]. 105. Quare hoc genus, quamquam in iudiciis non versatur, nisi quadam ex parte: tamen quia et pars ipsa inducenda nonnunquam est, et in senatu, aut in [8] consilio saepe omni in genere [9] tractanda, in id quoque praecepta ponemus. Nam in senatu, et in consilio de Syphace diu deliberatum est; et de Q. Numitorio Pullo apud L. Opimium [10] et eius consilium diu dictum est. Et magis in hoc quidem ignoscendi, quam cognoscendi postulatio valuit. Nam semper [11] animo bono se in populum Romanum fuisse non tam facile probabat, quum coniecturali constitutione uteretur, quam ut, propter posterius beneficium, sibi ignosceretur, quum deprecationis partes adiungeret. XXXV. 106. Oportebit igitur eum, qui sibi ut ignoscatur, postulabit, commemorare, si qua sua poterit beneficia, et si poterit, ostendere, ea maiora esse, quam haec, quae deliquerit; ut plus ab eo boni quam mali profectum esse videatur: deinde maiorum suorum beneficia, si qua exstabunt, proferre: deinde ostendere, non odio, neque crudelitate fecisse, quod fecerit, sed aut stultitia, aut impulsu alicuius, aut aliqua honesta aut probabili causa: postea polliceri, et confirmare, se et hoc peccato doctum, et beneficio eorum, qui sibi ignoverint, confirmatum, omni tempore a tali ratione afuturum [12]: deinde spem ostendere, aliquo se

---

([1]) — *ex unoquoque* e C1d. L. ([2]) = *omnibus inest* L. ([3]) Secutus sum Cd. Sch. a m. pr. cuius lectioni innixus Sch. C. 2. ita dedit: *Nunc ad* (quod necesse non est) *alteram c. p. contendemus*, omisso *iam.* — *Nunc in alt. c. p. considerationem intendemus* Omnib. Iu. L. 1. 3. — *Nunc in alt. c. p. aciem tendemus* O1x. — *Nunc alteram c. p. considerabimus.* Vides glossematum catervam. ([4]) — *Quare parce eo genere, quum causam in eo constitueris, ut deprecaris*, (sic Oxonn.) *uti licebit* L. ([5]) — *sunt* Oud. omnes. ([6]) — *tamen dignum v. mans., dignum* L. ([7]) Sic Cdd. aliq. L. 1. 2. — *ducere* Iu. 3. — *perducere* O1x. ([8]) e Cdd. 1. 2. — *aut consilio* L. 3. (*aut concilio* Iu. Repetitio L. 158/4. Oliv.) ([9]) = *in omni genere* L. Id est, demonstrativo, deliberativo, iudiciali. Sic Cdd. — *omnino tractandum* Sch. C. 2. ([10]) — Sch. C. 2. addit *Praetorem*, ut Ursini amicus voluerat. ([11]) = *nam se semper* cet. L. ([12]) ∞ *ratione cautum futurum* Cdd. aliq. apud Lamb. et Oud. ∞ *sibi a tali ratione cauturum* Amicus Lamb.

in loco, magno iis, qui sibi concesserint, usui futurum: 107. † postea[1], si facultas erit, se, aut consanguineum, aut iam a maioribus inprimis amicum esse demonstrabit; et amplitudinem suae voluntatis, et nobilitatem generis eorum, qui se salvum velint, et dignitatem ostendere, et cetera [ea][2], quae personis ad honestatem et amplitudinem sunt attributa, cum conquestione, sine arrogantia, in se esse demonstrabit[3], ut honore potius aliquo, quam ullo supplicio dignus esse videatur: deinde ceteros proferre, quibus maiora delicta concessa sint. Ac multum proficiet, si se misericordem in potestate, et propensum ad ignoscendum fuisse ostendet. Atque ipsum illud peccatum erit extenuandum, ut quam minimum obfuisse videatur; et aut turpe, aut inutile demonstrandum, tali de homine supplicium sumere. 108. Deinde locis communibus misericordiam captare oportebit ex iis praeceptis, quae in primo libro sunt exposita. XXXVI. Adversarius autem malefacta augebit: nihil imprudenter, sed omnia ex crudelitate et malitia facta dicet[4]; ipsum immisericordem, superbum[5] fuisse: et, si poterit, ostendet, semper inimicum fuisse, et amicum fieri nullo modo posse. Si beneficia proferet[6]: aut aliqua de causa facta, non propter benevolentiam demonstrabit; aut postea odium esse acre susceptum; aut illa omnia maleficiis esse delcta; aut leviora beneficia, quam maleficia; aut, quum beneficiis[7] honos habitus sit, pro maleficio poenam sumi oportere. 109. Deinde turpe esse, aut inutile, ignosci. Deinde, de quo ut potestas esset, saepe optarint, in eum potestate non uti, summam esse stultitiam, et cogitare oportere, quem animum in eum, vel quale odium habuerint. Locus autem communis erit[8], indignatio maleficii, et[9] alter, eorum misereri oportere, qui propter fortunam, non propter[10] malitiam in miseriis sint. Quoniam igitur in generali constitutione tamdiu propter eius partium multitudinem commoramur, ne forte varietate et dissimilitudine rerum diductus[11] alicuius animus in quendam errorem deferatur, quid etiam nobis ex eo genere restet, et quare restet, admonendum videtur.

Iuridicialem causam esse dicebamus, in qua aequi et iniqui natura, et praemii[12] aut poenae ratio quaereretur. Eas causas, in quibus de aequo et iniquo quaeritur, exposuimus. XXXVII. 110. Restat nunc, ut de

---

(1) Locum hunc inde a v. *postea, si* usque ad v. *in se esse demonstrabit* corruptum esse, neque ullius ἀναχολουθον excusatione vindicari posse, recte vidit acutissimus Lambinus: nullo enim modo continuatur oratio inter *demonstrabit - ostendere - demonstrabit - proferre.* Codd. nihil iuvant, nisi quod pro priore *demonstrabit* O1x: *demonstrare oportebit.* Lamb. C. ita locum constituit: *aut consanguineum maioribus inprimis eorum, qui se salvum velint, aut amicum esse demonstrare; et amplitudinem suae voluntatis, et nobilitatem generis, et dignitatem ostendere.* At verior ratio haec videtur: *aut consang. aut iam a maioribus inprimis amicum esse* [*demonstrare*] *eorum, qui se salvum velint: et amplitudinem suae voluntatis, et nobilitatem generis, et dignitatem ostendere.* (2) ∞ delevit Sch. C. 2. Recte, puto. (3) ∞ *demonstrare* L. Vere: omnes enim hi infinitivi pendent ab *Oportebit igitur illum* §. 106. (4) — *facta esse dicet* L. (5) — *et sup.* L. (6) — *beneficia sua reus prof.* L. (7) — *pro benef.* L. (8) — *erit hic* L. (9) — om. *et* L. (10) — *non qui propter* Sch. C. 2. (11) — *deductus* T. al. — *ductus* L. (12) Sic T. Pleriq. Sch. 2. — om. *et* Iu. L. 1. 3.

praemio et de poena explicemus. Sunt enim multae causae, quae ex praemii alicuius petitione constant. Nam et apud iudices de praemio saepe accusatorum quaeritur, et a senatu, aut a [1] consilio aliquod praemium saepe petitur. Ac neminem conveniet arbitrari, nos, quum aliquod exemplum ponamus, quod in senatu agatur, ab [2] iudiciali genere exemplorum recedere. Quidquid enim de homine probando, aut improbando dicitur, quum ad eam dictionem sententiarum quoque ratio accommodetur [3], id non, etsi [4] per sententiae dictionem agitur, deliberativum est: sed quia de homine statuitur, iudiciale est habendum. Omnino autem qui diligenter omnium causarum vim et naturam cognoverit, tum genere [5], tum etiam forma eas intelliget [6] dissidere. Ceteris autem partibus aptas inter se omnes, et aliam in aliam implicitam [7] videbit. 111. Nunc de praemiis consideremus. L. Licinius Crassus consul quosdam in citeriore Gallia, nullo illustri, neque certo duce, neque eo nomine, neque numero praeditos, ut digni essent, qui hostes populi Romani dicerentur [8], quod tamen excursionibus et latrociniis infestam provinciam redderent, consectatus [9] est, et confecit: Romam redit [10]: triumphum ab senatu postulat. Hic, et [11] in deprecatione, nihil [ad nos [12]] attinet, rationibus et infirmationibus rationum supponendis, ad iudicationem pervenire: propterea quod, nisi alia quoque incidet [13] constitutio, aut pars constitutionis, simplex erit iudicatio, et in quaestione [14] ipsa continebitur. In deprecatione, huiusmodi: Oporteatne poena affici? in hac, huiusmodi: Oporteatne praemium dari? 112. Nunc ad praemii quaestionem appositos locos exponemus. XXXVIII. Ratio igitur praemii quatuor est in partes distributa [15]; in beneficia, in hominem, in praemii genus, in facultates. Beneficia ex sua vi, ex tempore, ex animo eius, qui fecit, ex casu considerantur. Ex sua vi quaerentur [16] hoc modo: magna, an parva; facilia, an difficilia; singularia sint, an vulgaria; vera, an falsa quadam exornatione [17] honestentur; ex tempore autem, si tum, quum indigeremus; quum ceteri non possent, aut nollent opitulari; si tum, quum spes deseruisset [18]: ex animo, si non sui commodi causa, sed eo consilio fecit omnia, ut hoc conficere posset: ex casu, si non fortuna, sed industria factum videbitur, aut si industriae fortuna [19] obstitisse [20]. 113. In hominem autem: quibus rationibus vixerit, quid sumptus in eam rem aut laboris insumpserit; ecquid aliquando tale fecerit, num alieni laboris, aut deorum bonitatis prae-

---

([1]) Sic T. al. 1. 2. — om. *a* Iu. 3. — *aut a concilio* L. ([2]) = *a* L. ([3]) Sic T. Iu. 1. 2. 3. — *accommodatur* O1x. L. ([4]) e Cdd. 1. 2. ∞ *si* T. Iu. L. 3. ([5]) e Cdd. 1. 2. — *cum genere primo* Iu. L. 3. e gloss. (— *cognoverit, genere et prima confirmatione* T.) ([6]) = *intelliget eas* L. ([7]) Sic C4d. = *implicatam* T. Iu. L. 1. 2. 3. ([8]) Sic O1x. L. 1. 2. — *po. Ro. esse dic.* T. Iu. 3. ([9]) — *insectatus* L. ([10]) Sic T. Pleriq. 1. 2. — *rediit* Iu. L. 3. ([11]) Sic T. O1x. — *hic, ut et* Iu. 1. 2. 3. — *hic, ut nec* L. ([12]) ∞ Delevit L. Recte; nos [ ]. ([13]) Sic T. Iu. L. 3. — *incidit* Ern. 1. ([14]) — *et quaestione* Cdd. aliq. L. ([15]) = *in partes quatuor est distr.* L. ([16]) — *considerantur* O1x. — *considerabuntur* L. ([17]) e Cdd. Sch. 2. (— *ex ornatione* O1x.) — *ex oratione* Iu. L. 3. — *ex ratione* T. Ern. 1. ([18]) Sic T. alii. 1. 2. 3. — *deseruisset, opitulatus sit* Cdd. multi. Iu. L. vide Oud. ([19]) = *fortuna industriae* L. ([20]) Sic Cdd. aliq. L. 1. 2. 3. — *obstitisset* T. Pleriq. — *obstiterit* Iu. Oliv.

mium sibi postulet; num aliquando ipse talem ob causam praemio aliquem [1] affici negarit oportere; aut num iam satis pro eo, quod fecerit, honos [2] habitus sit; aut num necesse fuerit ei facere id, quod fecerit; aut num eiusmodi [3] sit factum, ut, nisi fecisset, supplicio dignus esset, non, quia fecerit, praemio; aut num ante tempus praemium petat, et spem incertam certo venditet pretio; aut num, quo [4] supplicium aliquod vitet, eo praemium postulet, uti de se praeiudicium factum esse videatur. XXXIX. In praemii autem genere, quid, et quantum, et quamobrem postuletur, et quo, et quanto quaeque res praemio digna sit, considerabitur: deinde, apud maiores quibus hominibus, et quibus de causis talis honos sit habitus, quaeretur: deinde, ne is honos nimium pervagetur [5]. 114. Atque hic eius, qui contra aliquem praemium postulantem dicet, locus erit communis: Praemia virtutis et officii sancta et casta esse oportere, neque ea aut cum improbis communicari, aut in mediocribus hominibus pervulgari; et [6] alter: Minus homines virtutis cupidos fore, virtutis praemio pervulgato; quae enim rara et ardua sint, ea experiendo [7] pulchra et iucunda hominibus videri: et tertius: Si exsistant, qui apud maiores nostros ob egregiam virtutem tali honore dignati [8] sunt: nonne de sua gloria, quum pari praemio tales homines affici videant, delibari [9] putent? et eorum enumeratio, et cum eis, quos contra dicet [10], comparatio. Eius autem, qui praemium petet, facti sui amplificatio, et eorum, qui praemio affecti sunt, cum suis factis contentio. 115. Deinde ceteros a virtutis studio repulsum iri, si ipse praemio non sit affectus. Facultates autem considerantur, quum aliquod pecuniarum praemium postulatur: in quo utrum copia [11] sit agri, vectigalium, pecuniae, an penuria, consideratur. Loci communes: Facultates augere, non minuere oportere, et: Impudentem esse, qui pro beneficio non gratiam, verum mercedem postulet: contra autem de pecunia ratiocinari, sordidum esse, quum de gratia referenda deliberetur: et se non pretium pro facto, sed honorem ita, uti factitatum sit [12], pro beneficio postulare. Ac de constitutionibus quidem satis dictum est: nunc de iis controversiis, quae in scripto versantur, dicendum videtur.

XL. 116. In scripto versatur controversia, quum ex scriptionis ratione aliquid dubii nascitur. Id fit ex ambiguo, ex scripto et sententia, ex contrariis legibus, ex ratiocinatione, ex definitione. Ex

---

([1]) = *aliquem praemio* L. ([2]) — *honoris* L. €. in marg. 1584. ([3]) Sic T. alii. Recte. — *huiusmodi* Iu. L. 1. 2. 3. ([4]) — *quod* L. ([5]) — *pervulgetur* €. nescio cuius ap. Lamb. ([6]) ∞ om. *et* C2d. ut alii supra §. 109. ([7]) Sic T. cum plerisque Cdd. etiam O7x. Nec video, quid in hac lectione improbari queat: *eo ipso quod experiantur, an eo pervenire possint, pulchra ea videri.* (*sint* habent T. Iu. L. Grut. 3. Sch. 2. *sunt* Ern. 1.) *sint ea ex praemio pulchra* Iu. L. 3. — *sint, ea ex praemiis pulchra* Sch €. in Ed. mai. — *ardua sint ex praemiis, ea pulchra* Sch. €. 2. ([8]) Iniuria suspectum hoc erat Ern. — *donati* O4x. ([9]) Sic Cdd. pauci. Iu. Crat. 1. 2. — *delibrari* L. ut in Lucretio saepe idem correxit. — *deliberari* T. alii. 3. ([10]) Sic Sch. €. 2. — *dicat* Cdd. aliq. Iu. L. 1. 3. — *dicas* T. aL ([11]) Sic T. alii. 1. — *utrum copiane* Iu. 3. 2. — *utrumne copia* L. ([12]) Spuria haec *ita uti factit. sit* visa sunt Ern. 1. qui [ ]. Del. Sch. €. 2. sine ulla causa. Sensus est: *quemadmodum saepenumero hac in rep. factum sit:* neque *factitare* verbum est glossatorum. *uti* dedi e C2d. = *ut* Iu. L. 1. 3.

ambiguo autem nascitur controversia, quum quid senserit scriptor, obscurum est, quod scriptum duas pluresve res significat, ad hunc modum: Paterfamilias, quum filium heredem faceret, vasorum argenteorum pondo centum [1] uxori suae sic legavit: HERES MEVS VXORI MEAE VASORVM ARGENTEORVM PONDO CENTVM, QVAE VOLET, DATO. Post mortem eius vasa magnifica et pretiose caelata [2] petit a filio mater. Ille se, quae ipse vellet [3], deberę dicit. Primum, si fieri poterit, demonstrandum est, non esse ambigue scriptum; propterea quod omnes in consuetudine sermonis sic uti soleant [4] eo verbo uno pluribusve in eam sententiam, in quam [5] is, qui dicet, accipiendum esse demonstrabit. 117. Deinde ex superiore et ex inferiore scriptura docendum, id, quod quaeratur, fieri perspicuum. Quare si ipsa separatim ex se verba considerentur, omnia, aut pleraque, ambigua visum iri; quae autem ex omni considerata scriptura perspicua fiant, haec ambigua non oportere existimari. Deinde, qua in sententia scriptor fuerit, ex ceteris eius scriptis, factis, dictis, animo, atque vita eius [6] sumi oportebit, et eam ipsam scripturam, in qua inerit illud ambiguum, de quo quaeretur [7], totam omnibus ex partibus pertentare, si quid, aut ad id appositum sit, quod nos interpretemur, aut ei, quod adversarius intelligat, adversetur. Nam facile, quid veri simile sit eum voluisse, qui scripsit, ex omni scriptura, et ex persona scriptoris, atque iis [8] rebus, quae personis attributae sunt, considerabitur. 118. Deinde erit demonstrandum, si quid ex ipsa re dabitur facultatis, id, quod adversarius intelligat, multo minus commode fieri posse, quam id, quod nos accipimus [9], quod illius rei neque administratio, neque exitus ullus exstet; nos quod dicamus, facile et commode transigi posse. Ut in hac lege (nihil enim prohibet fictam [10] exempli loco ponere, quo facilius res intelligatur): MERETRIX CORONAM AVREAM NE HABETO; SI HABVERIT, PVBLICA ESTO, contra eum, qui meretricem publicari dicat ex lege oportere, possit [11] dici, neque administrationem esse ullam publicae meretricis, neque exitum legis in meretrice publicanda. At in auro publicando et administrationem et exitum facilem [12] esse, et incommodi nihil inesse. XLI. 119. Ac diligenter illud quoque attendere oportebit, num, illo probato, quod adversarius intelligat, utilior res [13], aut honestior, aut magis necessaria, ab scriptore neglecta videatur. Id fiet, si id, quod nos demonstrabimus [14], honestum, aut utile, aut necessarium demonstrabimus [15]; et, si id, quod ab adversario dicetur, minime eiusmodi dicemus esse [16].

(1) Sic T. L. neque h. l. variare quidquam attinet. — *centum pondo* Iu. 1. 2. 3. (2) Sic T. Cdd. omnes. Iu. (cui Ern. perperam tribuit *magnifice*) L. 1. 3. ∞ *vasa pretiosa et magnifice caelata* Sch. C. 2. e *Lib.* 1. *ad Her.* C. 12. (3) — *velit* Ern. suspicio recepta a Sch. 2. Quod tamen formula testamenti a filio per orationem obliquam recitati, vix concedit. — *volet* T. (4) e Cld. 1. 2. — *solent* T. Iu. L. 3. (5) Sic T. alii. 1. 2. — *in eam s., in qua* Iu. L. 3. (6) ∞ *om. eius* L. (7) Sic T. L. — *quaeritur* Iu. 1. 2. 3. (8) ∞ *ex iis* L. (9) — *accepimus* Orx. ∞ *accipiamus* Sch. C. 2. (10) — *fictum* T. ∞ *fictam decem* Iu. L. (11) Sic Lamb. Sch. C. uterque ut videtur, ut infra §. 120. — *potest* T. Iu. 1. 3. (12) — *exitum legis fac.* L. (13) — *res utilior* L. (14) — *dicimus* E. unde — *dicemus* Sch. C. 2. (15) — *nec. esse demonstrabimus* L. ∞ *necessarium demonstrabitur* Orx. quo satis variatur oratio. (16) ∞ *esse dicemus* T. L.

Deinde si in lege erit ex ambiguo controversia, dare operam oportebit, ut de eo, quod adversarius intelligat, alia in lege cautum esse doceatur. 120. Permultum autem proficiet, illud demonstrare, quemadmodum scripsisset, si id, quod adversarius accipiat, fieri, aut intelligi voluisset: ut in hac causa, in qua de vasis argenteis quaeritur, possit mulier dicere, nihil attinuisse adscribi, QVAE VOLET, si heredis voluntati permitteret. Eo enim non adscripto, nihil inesse dubitationis, quin heres, quae ipse vellet, daret. Amentiam [1] igitur fuisse, quum heredi vellet cavere, id adscribere, quo non adscripto, nihilominus heredi caveretur. 121. Quare hoc genere magno opere talibus in causis uti oportebit: si hoc modo scripsisset, isto verbo usus non esset, non isto loco verbum istud collocasset. Nam ex his sententia scriptoris maxime perspicitur. Deinde quo tempore scriptum sit, quaerendum est, ut, quid eum voluisse in eiusmodi tempore veri simile sit, intelligatur. Post ex deliberationis partibus: quid utilius, et quid honestius, et illi ad scribendum, et his ad comprobandum sit, demonstrandum: et ex his, si quid amplificationis dabitur, communibus utrinque [2] locis uti oportebit.

XLII. Ex scripto et sententia controversia consistit: quum alter verbis ipsis, quae scripta sunt, utitur, alter ad id, quod scriptorem sensisse dicet, omnem adiungit dictionem. 122. Scriptoris autem sententia ab eo, qui sententia se defendet, tum semper ad idem spectare, et idem velle demonstrabitur: tum aut ex facto, aut ex eventu aliquo ad tempus id, quod instituit [3], accommodabitur. Semper ad idem spectare, hoc modo: Paterfamilias quum liberorum nihil haberet, uxorem autem haberet, in testamento ita scripsit: SI MIHI FILIVS GENITVR [4] VNVS, PLVRESVE, IS MIHI HERES ESTO. Deinde quae assolent. Postea, SI FILIVS ANTE MORITVR, QVAM IN TVTELAM SVAM VENERIT, TV MIHI, dicebat [5], SECVNDVS HERES ESTO. Filius non est natus [6]. Ambigunt agnati cum eo, qui est heres [7], si filius ante, quam in suam tutelam venerit [8], mortuus sit. 123. In hoc genere non potest hoc dici, ad tempus, aut ad eventum aliquem sententiam scriptoris oportere accommodari, propterea, quod ea sola demonstratur [9], qua fretus ille, qui contra scriptum dicit, suam esse hereditatem defendit. Alterum autem genus est, eorum, qui sententiam inducunt, in quo [10] non simplex voluntas scriptoris ostenditur, quae in omne tempus, et in omne factum idem valeat: sed ex

---

([1]) e Cdd. 1. 2. Recte ut §. 134. — *amentia* T. — *amentiae* Iu. L. 3. ([2]) Sic T. alii meliores. L. neque vero hoc glossatorum vocab. est. Abiit in — *utrisque* O1x. — *utrunque* Iu. — *utrumque* Grut. 3. quod rursus correxerunt in Cdd. aliq. Ern. 1. 2 — *utrosque*. ([3]) — *instituerit* Omnib. ([4]) Sic dedi cum Lamb. cuius lectio satis firmatur a Cdd. in *Lib. 2. de Orat.* C. 32. — *genitus* soloece Ern. 1. 2. 3. — *genitus fuerit* Iu. — *gignitur* T. O1x al. ([5]) *dicebat* omnino est suspectum tum per se, tum quia in Turic. aliisque est *dicet*, plane omittitur in O1x. Egregie L. TVM MIHI ILLE SECVNDVS cet. cfr. *de Orat.* 2, 32. ([6]) ∞ *natus non est* T. ([7]) — *qui est secundus heres* Iu. L. e gloss. uti liquet ex Victorino p. 310. Ed. Neap. ([8]) Sic Victorin. (ibid.) O1x. — *veniat* Iu. L. 1. 3. ∞ *veniret* Sch. C. 2. ([9]) — *sola esse demonstratur* L. ([10]) Sic Sch. 2. — L. 1. 2. distinguunt: *est eorum, qui sententiam inducunt. In quo.* —

quodam facto, aut eventu ad tempus interpretanda dicitur. Ea partibus iuridicialis assumptivae maxime sustinetur. Nam tum inducitur comparatio, ut in eo [1], qui, quum lex aperiri portas noctu vetaret, aperuit quodam in bello, et auxilia quaedam in oppidum recepit, ne ab hostibus opprimerentur, si foris essent, quod prope muros hostes castra haberent: 124. tum relatio criminis, ut in eo milite [2], qui, quum communis lex omnium [3] hominem occidere vetaret [4], tribunum † militum [5] suum, qui vim sibi afferre [6] conaretur [7], occidit: tum remotio criminis, ut in eo, qui, quum lex, quibus diebus in legationem proficisceretur, praestituerat [8], quia sumptum quaestor non dedit [9], profectus non est: tum concessio per purgationem, et per imprudentiam, ut in vituli immolatione, et per vim, ut in navi rostrata: et per casum, ut in Eurotae [fluminis [10]] magnitudine. Quare aut ita sententia inducetur, ut unum quiddam voluisse scriptor demonstretur: aut sic, ut in eiusmodi re et tempore, hoc voluisse doceatur.

XLIII. 125. Ergo is, qui scriptum defendet [11], his locis plerumque omnibus, maiore autem parte [12] semper poterit uti: Primum scriptoris collaudatione, et loco communi, nihil eos, qui iudicent, nisi id, quod scriptum sit, spectare oportere: et hoc eo magis, si legitimum scriptum proferetur, id est, aut lex ipsa, aut ex lege aliquid [13]. Postea quod vehementissimum est, facti, aut intentionis adversariorum cum ipso scripto contentione, quid scriptum sit, quid factum, quid iuratus iudex: quem locum multis modis variare oportebit, tum [14] ipsum secum admirantem, quidnam contra dici possit, tum ad iudicis officium revertentem, et ab eo quaerentem, quid praeterea audire, aut exspectare [15] debeat: tum ipsum adversarium, quasi intentantis loco [16], producendo, hoc est, interrogando, utrum scriptum neget esse eo modo, an ab se contra factum esse, aut contra contendi neget [17]: utrum negare ausus sit, se dicere desiturum. 126. Si neutrum neget, et contra tamen dicat: nihil esse, quod [18] hominem impudentiorem quisquam se

---

([1]) Sic Olx. Iu. L. Rectissime, ut mox §. 124. ubi ab eodem v. *inducitur* pendet constructio. — *in eum* T. Pleriq. 1. 2. 3. ([2]) Sic T. al. L. 1. 2. — om. *milite* Iu. 3. ([3]) — om. *omnium* Sch. in Ed. mai. cum Cld. ([4]) ∞ *vetet* L. quod primo adspectu verum videtur. Sed vulgata interpretatione potest defendi, ut sit, quum accusator diceret, communem legem omnium vetare cet. ([5]) *militum* omnino corruptum. Ern. [ ]. Del. Sch. 2. Sed – *militem* T. alii complures: unde Lambini suspicionem amplector, *militarem* legentis. ([6]) e Cdd. (T.) 1. 2. — *inferre* Iu. L. 3. ([7]) ∞ *conabatur* Cdd. aliq. Iu. L. ([8]) ∞ *praestituerat* L. Sch. in Ed. mai. ([9]) = *non dedit quaestor* L. — *dederat* Ern. suspicio. ([10]) ∞ om. T. Cld. ap. Oud. Olx. del. Sch. 2. Nos [ ]. ([11]) e Cdd. Sch. 2. — *defendit* T. Iu. L. 1. 3. ([12]) ∞ *maiorem autem partem* L. Sch. 2. Recte, opinor. ([13]) = *aliqui ex lege* T. L. ([14]) Sic distinguunt Iu. L. Sch. 2. Vulgo (1. 3.) *oportebit. Tum.* ([15]) ∞ *aut quid exspect.* Cld. prob. Ern. Sch. 2. ([16]) Sic T. Iu. L. 1. 3 = *intendentis* Cdd. aliq. Utrumque rectum. Scil: quasi eius qui actionem intendat s. intentet alteri, loco assumpto. *Intentantis*, ut rarius praefero. Turbant Cdd. v. c. Oxonn. *minitantis*, *tentantis*, *in testis loco*: Altorf. *intentantis locum*, unde Sch. C. 2. — *quasi in intentionis locum* (*intentantis loco* del. censebat L.) ([17]) Sic Iu. L. 1. 2. 3. — *contra contendi posse neget* Olx. Crat. — *aut contra dici posse contendat.* Lambini suspicio nata ex loco parum intellecto. ([18]) Sic L. — *quo* T. Cdd. omnes. 1. 2. 3.

visurum arbitretur. In hoc ita commorari conveniet, quasi nihil praeterea dicendum sit, et quasi contra dici nihil [1] possit, saepe id, quod scriptum est, recitando; saepe cum scripto factum adversarii conligendo [2]; atque interdum acriter ad iudicem ipsum revertendo. Quo in loco iudici demonstrandum est, quid iuratus sit, quid sequi debeat: duabus de causis iudicem dubitare oportere, si aut scriptum sit obscure, aut neget aliquid adversarius: XLIV. 127. quum et scriptum aperte sit [3], et adversarius omnia confiteatur, tum iudicem legi parere, non interpretari legem oportere. Hoc loco confirmato, tum diluere ea, quae contra dici poterunt [4], oportebit. Contra autem dicetur, si aut prorsus aliud sensisse scriptor, et scripsisse aliud demonstrabitur: ut in illa de testamento, quam posuimus, controversia, aut causa assumptiva inferetur, quamobrem scripto non potuerit, aut non-oportuerit [5] obtemperari. 128. Si aliud sensisse scriptor, aliud scripsisse dicetur, is, qui scripto utetur, hoc [6] dicet non oportere de eius voluntate nos argumentari, qui, ne id facere possemus, iudicium [7] nobis reliquerit suae voluntatis: multa incommoda consequi, si instituatur, ut a scripto recedatur. Nam et eos, qui aliquid scribant, non existimaturos, id, quod scripserint, ratum futurum: et eos, qui iudicent, certum, quod sequantur, nihil habituros, si semel a scripto recedere consueverint. Quod si voluntas scriptoris conservanda sit, se, non adversarios, a voluntate eius stare. Nam multo propius accedere ad scriptoris voluntatem cum, qui ex ipsius eam literis interpretetur, quam illum, qui sententiam scriptoris non ex ipsius scripto spectet, quod ille suae voluntatis quasi imaginem reliquerit, sed domesticis suspicionibus perscrutetur. 129. Sin causam afferet is, qui a sententia stabit, primum erit contra dicendum: quam absurdum [8], non negare contra legem fecisse, sed quare fecerit, causam aliquam invenire: deinde conversa esse omnia [9]: ante solitos esse accusatores iudicibus persuadere, affinem esse alicuius culpae eum, qui accusaretur; causam proferre, quae eum ad peccandum impulisset: nunc ipsum reum causam inferre [10], quare deliquerit. 130. Deinde hanc inducere partitionem, cuius in singulas partes multae convenient argumentationes: primum nulla in lege ullam causam contra scriptum accipi convenire: deinde si in ceteris legibus conveniat, hanc esse huiusmodi [11] legem, ut in ea non oporteat: postremo si in hac quoque lege oporteat, hanc quidem causam accipi minime oportere. XLV. Prima pars his fere locis confirmabitur: scriptori neque ingenium, neque operam, neque ullam facultatem defuisse,

---

([1]) = *nihil contra dici* L. ([2]) — *comparando* Cdd. aliq. e gloss. ([3]) Sic T. 1. 2. 3. ∞ *quum autem et scriptum sit aperte* L. (*sit aperte* etiam Iu.) ([4]) Sic T. 1. L. Sch. 2. — *poterant* Iu. 1. 3. ([5]) Ita Cdd. Iu. L. 2. 3. — *aut oportuerit* Ern. 1. errore typogr. ([6]) — *haec* L. ([7]) Sic T. alii. L. 1. 2. — *iudicium* Iu. 3. ([8]) Sic Cdd. aliq. (Ox.) (plane ut §. 113. *quam indignum sit*) — *quam absurdum* 1. Iu. 1. 3. — *quam esse absurdum* C2d. ap. Oud. Hinc — *absurdum esse*, omisso *quam* L. ([9]) Sic T. alii. L. Sch. 2. = *omnia esse* Iu. 1. 3. ([10]) e Cdd. prob. Oud. Sch. 2. = *afferre* T. Iu. L. 1. 3. ([11]) *eiusmodi* L.

quo minus posset aperte [1] perscribere id, quod cogitaret: non fuisse ei grave, nec difficile, eam causam excipere, quam adversarii proferant, si quidquam excipiendum putasset: consuesse [2] eos, qui leges scribant, exceptionibus uti. 131. Deinde oportet recitare leges cum exceptionibus scriptas, et maxime videre, si qua in ea ipsa lege, qua de agitur [3], sit exceptio aliquo in capite, aut apud eundem legis scriptorem, quo magis eum probetur [4] fuisse excepturum, si quid excipiendum putaret: et ostendere, causam accipere, nihil aliud esse, nisi legem tollere: ideo quod, quum semel causa considerctur, nihil attineat eam ex lege considerare, quippe quae in lege scripta non sit. Quod si sit institutum, omnibus causam dari [5] et potestatem peccandi, quum intellexerint, vos ex ingenio eius, qui contra legem fecerit, non ex lege, in quam iurati sitis, rem iudicare: deinde et ipsis iudicibus iudicandi, et ceteris civibus vivendi rationes perturbatum iri, si semel a legibus recessum sit: 132. nam et iudices neque quid [6] sequantur, habituros, si ab eo, quod scriptum sit, recedant: neque, quo pacto † aliis improbare [7] possint, quod contra legem iudicarint; et ceteros cives, quid agant, ignoraturos, si ex suo quisque consilio, et ex ea ratione, quae in mentem, aut in libidinem venerit, non ex communi praescripto civitatis unamquamque rem [8] administrarit [8]; postea quaerere ab iudicibus ipsis, quare in alienis detineantur negotiis: cur rei publicae munere impediantur, quo secius suis [9] rebus et commodis servire possint: cur in certa verba iurent: cur certo tempore conveniant, certo [10] discedant: nihil quisquam afferat causae, quo minus frequenter operam rei publicae det, nisi quae causa in lege [11] excepta sit: an se legibus obstrictos in tantis molestiis esse aequum censeant, adversarios nostros leges negligere concedant: 133. deinde item quaerere ab iudicibus, si eius rei [causam] [12], propter quam se reus contra legem fecisse dicat, exceptionem ipse in lege adscribat, passurine sint: postea hoc, quod faciat, indignius et impudentius esse, quam si adscribat: age porro, quid si [13] ipsi velint [14] iudices adscribere, passurusne sit populus? atque hoc esse indignius, quam rem verbo et literis mutare non possint, eam re ipsa, et iudicio maxime, commutare: 134. deinde indignum esse de lege aliquid derogari, aut legem abrogari, aut aliqua ex parte commutari, quum populo cognoscendi, et probandi, aut improbandi pot-

---

([1]) = *aperte posset* T. L. ([2]) — *consuevisse* Iu. L. ([3]) — *de qua agatur* T. ([4]) = *probetur eum* T. L. ([5]) = *dari causam* T. L. ([6]) Sic T. Iu. 1. 2. 3. Recte. v. Beier ad *Offic.* T. 2. p. 18. — *quod* L. ([7]) Ita 1. 3. Sed hoc sane corruptum. ∞ *alios improbare* Iu. Crat. Victorius. O1x. — *in aliis improbare* L. Sch. 2. — *aliis probare* T. — *alios probare* C1d. ap. Oud. et O1x. Sed vera est Gruteri suspicio *aliis exprobrare*, corrupta mox, ut in Turic. *in aliis probare*, tum correcta *aliis* s. *in aliis improbare*. Ita in fragm. *de aere al. Milon.* 2. 6. *exprobrare* corruptum est in *exprobare* cfr. Beier ad *Orat. in P. Clodium* p. 31. ([8]) Ern. C. 1. 2. — *administrabit* Cdd. (T.) Iu. L. 3. ([9]) e Sch. 2. egregia C. confirmata nunc a Tur. etsi corrupte exhibet: *quo saepius secius suis r.* — *quum saeptius sertis suis r.* Grut. 3. — *quum saepius suis r.* Iu. L. 1. ([10]) — *certoque* L. ([11]) Sic T. alii pleriq. 1. 2. — *ex lege* Iu. 3. ∞ *lege* L. ([12]) — *eius rei causam* Iu. 3. 1. — *eius rei causa* T. et *causam* et *causa* spurium esse vidit Ern. Nos [ ]. — *eius causae* C1d. ap. Oud. L. Sch. 2. ([13]) ∞ *quid* de Ern. suspic. del. Sch. 2. Sed praestat fortasse O1x. lectio: *quod si.* (∞ *si quid* altera Ern. suspic.) — *quid si velint ipsi* L. ([14]) — *vellent* T. multi.

estas nulla fiat: hoc ipsis iudicibus invidiosissimum futurum: non hunc locum esse, neque hoc tempus legum corrigendarum: apud populum hoc, et per populum agi convenire: quod si nunc id agant, velle se scire, qui lator sit, qui sint accepturi: se *captiones[1] videre[2], et dissuadere velle: quod si haec quum summe inutilia, tum multo turpissima sint, legem, † cuiuscemodi[3] sit, in praesentia conservari[4] ab[5] iudicibus, post, si displiceat, a populo corrigi convenire: deinde[6], si scriptum non exstaret, magno opere quaereremus, neque isti, ne si extra periculum quidem esset, crederemus. Nunc quum scriptum sit, amentiam esse, eius, qui peccarit potius, quam legis ipsius verba cognoscere. His et huiusmodi[7] rationibus ostenditur, causam extra scriptum accipi non oportere. XLVI. 135. Secunda pars est, in qua est[8] ostendendum, si in ceteris legibus oporteat, in hac non oportere. Hoc demonstrabitur, si lex aut ad res maximas, utilissimas, honestissimas, religiosissimas videbitur pertinere: aut inutile, aut turpe, aut nefas esse tali in re non diligentissime legi obtemperare: aut ita[9] lex diligenter perscripta demonstrabitur[10], ita cautum unaquaque de re, ita[11] quod oportuerit, exceptum, ut minime conveniat quidquam in tam diligenti scriptura praeteritum arbitrari. Tertius locus est ei, qui pro scripto dicet, maxime necessarius, per quem ostendat oportet, si conveniat causam contra scriptum accipi, eam tamen minime oportere, quae ab adversariis afferatur. 136. Qui locus ideirco est huic necessarius, quod semper is, qui contra scriptum dicit[12], aequitatis aliquid afferat oportet. Nam summa impudentia sit[13], eum, qui contra quam quod[14] scriptum sit, aliquid probare velit, non aequitatis praesidio id facere conari. Si quid[15] igitur ex hac ipsa [quidpiam][16] accusator deroget, omnibus partibus iustius et probabilius accusare videatur[17]. Nam superior oratio hoc[18] omnis faciebat, uti iudices, etiamsi nollent, necesse esset; haec autem, etiamsi necesse non esset, ut vellent contra iudicare. 137. Id autem fiet, si, quibus ex locis culpa demonstrabitur inesse[19] in eo, qui comparatione aut remotione, aut relatione criminis, aut concessionis partibus se defendit, (de quibus ante, ut potuimus, diligenter perscripsimus) de iis[20] locis, quae res postulabit, ad causam adversariorum improbandam transferemus: aut causae[21] et rationes

(1) Sic. Sch. C. 2, cui favet Victorinus. — *actiones* T. Cdd. fere omnes. Iu. L. 1. 3. — *accessiones* Cld. prob. Grut. — *actionem* Ern. suspic. — *eam se rationem* Lamb. suspic. (2) — *ostendere* Sch. C. 2. qua nihil opus: sed distingue: *se captiones videre. et* (eas) *dissuadere velle*, ita ut v. *videre* non pendeat a v. *velle*. (3) Sic T. Cdd. Iu. 1. 3. Sed corruptum est, etsi defendit Oud. ∞ *cuicuimodi* e Lamb. C. Sch. 2. — *cuiuscuiusmodi* L. — *cuiuscunquemodi* Omnib. (4) = *conservari in praesentia* L. (5) = *a* L. 3. (6) — *deinde quod si* Sch. suspic. (7) — *eiusmodi* T. (8) — om. *est* Cld. prob. Oud. (9) — *aut si ita* L. (10) — *ostendetur* L. (11) — *et ita* Iu. L. (12) ∞ *dicet* T. (13) Sic T. alii 1. 2. — *est* Iu. L. 3. (14) Sic T. al. 1. 2. — *contra quod* Iu. 3. — *contra id quod* L. (15) ∞ *si quidem* Victorinus. Iu. quocum locum haberet *quidpiam*. (16) Habent T. alii v. c. O2x. Abest ab aliis. Del. Sch. 2. Nos [ ]. — *quipiam* i. e. *quispiam* volebat Oud. — *ipsa causa quidpiam* L. (17) Sic T. Iu. L. 2. 3. — *videtur* Ern. 1. errore typogr? (18) Sic T. Cdd. tantum non omnes. ∞ *hunc* de Ern. C. Sch. 2. — *haec* Omnib. = *omnis oratio hoc* L. (19) e Cdd. Sch. 2. — *demonstrabitur esse* T. L. — *dem. non esse* Iu. Grut. 1. 3. (20) Sic L. — *his* T. Iu. 1. 2. 3. (21) — *aut si c.* L.

afferentur, quare, et quo consilio ita sit in lege, aut in testamento scriptum; ut sententia quoque, et voluntate scriptoris, non ipsa solum scriptura [1] causa confirmata [2] esse videatur: aut aliis [3] quoque constitutionibus factum coarguetur.

XLVII. 138. Contra scriptum autem qui dicet, primum cum inducet [4] locum, per quem aequitas causae demonstretur: aut ostendet, quo animo, quo consilio, qua de causa fecerit: et, quamcumque causam assumet, assumptionis partibus se defendet, de quibus ante dictum est. Atque hoc in [5] loco quum diutius commoratus, sui facti rationem et aequitatem causae exornaverit, tum ex his locis fere contra adversarios dicet oportere causas accipi. Demonstrabit, nullam esse legem, quae aliquam rem inutilem, aut iniquam fieri velit: omnia supplicia, quae a legibus proficiscantur, culpae ac malitiae vindicandae causa constituta esse: 139. scriptorem ipsum, si exsistat, factum hoc probaturum; et idem ipsum, si ei talis res accidisset, facturum fuisse: et ea re legis scriptorem certo ex ordine iudices, certa aetate praeditos constituisse, ut essent, non qui scriptum suum recitarent, quod quivis puer facere posset, sed qui cogitationem assequi possent, et voluntatem interpretari: deinde illum scriptorem, si scripta sua stultis hominibus et barbaris iudicibus committeret, omnia summa diligentia perscripturum fuisse: nunc vero, quod intelligeret, quales viri iudicaturi [6] essent, ideireo eum, quae perspicua videret esse [7], non adscripsisse: neque enim vos scripti sui recitatores, sed voluntatis interpretes fore putavit: 140. postea quaerere [8] ab adversariis, quid si hoc fecissem? quid si hoc accidisset? eorum aliquid, in quibus aut causa sit honestissima, aut necessitudo certissima; tumne accusaretis? Atqui hoc lex nusquam excepit: non ergo omnia scriptis, sed quaedam, quae perspicua sint [9], tacitis exceptionibus caveri: deinde nullam rem neque legibus, neque scriptura ulla, denique ne in sermone [10] quidem quotidiano atque imperiis domesticis recte posse administrari, si unusquisque velit verba spectare, et non ad voluntatem eius, qui ea verba [11] habuerit, accedere: XLVIII. 141. deinde ex utilitatis et honestatis partibus ostendere, quam inutile, aut quam turpe sit id, quod adversarii dicant fieri oportuisse, aut oportere [12]: et id, quod nos fecerimus, aut postulemus, quam utile, aut quam honestum sit: deinde leges nobis caras esse non propter literas, quae tenues et obscurae notae sint [13] voluntatis, sed propter earum rerum, quibus de scriptum est [14], utilitatem, et earum, qui scripserint [15], sapientiam et diligentiam: postea, quid sit lex, describere, ut ea videatur in sententiis, non in verbis consistere; et iudex is videatur legi obtemperare, qui sententiam eius, non qui scri-

(1) Sic Sch. C. 2. — *scripturae* Cdd. Iu. L. 1. 3. (2) Sic T. alii L. Sch. 2. — *confirmatum* Iu. 1. 3. Lambinus ita dedit: *voluntas scriptoris, non ipsa solum scripturae causa confirmata esse v.* (3) — *aut si aliis* L. (4) = *inducet cum* T. L. (5) = *in hoc* L. (6) ∞ *viri res iud.* T. O3x. alii. Sch. in Ed. mai. (7) — om. *esse* Iu. L. (8) ∞ *quaeret – ostendet – describet* Sch. C. 2. Recte: idemque fere senserunt O x. ultimo loco scribentes: *describere debet.* (9) Sic T. alii 1. 2. — *sunt* Iu. L. 3. (10) — *ne sermone* L. (11) Sic T. alii L. Sch. 2. — *qui verba* Iu. 3. 1. (12) — *potuisse aut oportuisse* L. (13) — *sunt* L. (14) Sic T. Iu. 1. 2. 3. ∞ *quibus de rebus scriptum est* L. Sch. in Ed. mai. Recte, puto. (15) ∞ *scripserunt* Iu. L.

pturam sequatur: deinde, quam indignum sit, eodem affici supplicio eum, qui propter aliquod scelus et audaciam contra legem [1] fecerit, et eum, qui honesta, aut necessaria de causa, non ab sententia, sed ab literis legis recesserit: atque his, et huiusmodi rationibus, et accipi causam, et in hac lege accipi, et eam causam, quam ipse afferat, oportere accipi demonstrabit. 142. Et quemadmodum ei dicebamus, qui a scripto diceret, hoc fore utilissimum, si quid de aequitate ea, quae cum adversario staret, derogasset: sic huic, qui contra scriptum dicet, plurimum proderit, ex ipsa scriptura, aliquid ad suam causam convertere, aut ambigue aliquid [2] scriptum ostendere: deinde ex illo ambiguo eam partem, quae sibi prosit, defendere, aut verbi definitionem inducere, et illius verbi vim, quo urgeri videatur, ad suae causae commodum traducere, aut ex scripto non scriptum aliquod [3] inducere per ratiocinationem, de qua post dicemus. 143. Quacunque autem in re [4], quamvis leviter probabili, scripto ipso se defenderit, etiam quum aequitate causa abundabit, necessario multum proficiet, ideo quod, si id, quo nititur adversariorum causa, subduxerit, omnem eius [5] vim et acrimoniam lenierit ac diluerit. Loci autem communes ceteris [6] ex assumptionis partibus in utramque partem convenient. Praeterea eius, qui a scripto dicet: leges ex se, non ex eius, qui contra commiserit, utilitate spectari oportere, et legibus antiquius haberi nihil oportere. Contra scriptum: leges in consilio scriptoris, et utilitate communi, non in verbis consistere; quam indignum sit, aequitatem literis urgeri, quae voluntate eius, qui scripserit, defendatur.

XLIX. 144. Ex contrariis autem legibus controversia nascitur, quum inter se duae videntur leges, aut plures discrepare, hoc modo: Lex est [7]: QVI TYRANNVM OCCIDERIT, OLYMPIONICARVM PRAEMIVM CAPITO, ET QVAM VOLET SIBI REM A MAGISTRATV DEPOSCITO, ET MAGISTRATVS EI CONCEDITO. Et altera lex: TYRANNO OCCISO, QVINQVE EIVS PROXIMOS COGNATIONE, MAGISTRATVS NECATO. Alexandrum, qui apud Pheraeos in Thessalia tyrannidem occuparat, uxor sua, cui Thebe [8] nomen fuit, noctu, quum simul cubaret [9], occidit. Haec filium suum, quem ex tyranno habebat, sibi in [10] praemii loco deposcit. Sunt, qui ex lege puerum occidi dicant oportere. Res in iudicio est. In hoc genere utramque in [11] partem iidem loci, atque eadem praecepta convenient, ideo quod uterque suam legem confirmare, contrariam infirmare debebit. 145. Primum igitur leges oportet contendere, considerando, utra lex ad maiores, hoc est, ad utiliores, ad honestiores

---

([1]) — *leges* T. ([2]) = *aliquid amb.* L. ([3]) — *aliquid non scr.* L. ([4]) — *autem re* T. — *autem ratione* Sch. C. 2. Locum ita constituit Lamb. 1566. *quacunque autem in re, scripto ipso, quamvis leviter probabili se defenderit*, sed ita sane explicandum est, non vero corrigendum. ([5]) e Cdd. prob. Ern. Sch. 2. — *omnem illam eius* T. Iu. L. 1. 3. (— *omnem illius vim* Olx.) ([6]) Sic T. alii. Victorini Edd. antiquiores. Rectissime. Ita enim semper in his *locos communes* absolute ponit sine adi. *ceteri* vel simili §. 147. 152. — *ceteri* e Cdd. 1. 2. — *certis* Iu. L. 3. ([7]) ∞ om. *est* T. ut C. 51. ([8]) — *Thebae* Iu. ([9]) — *cubarent* Olx. L. ([10]) Sic T. alii multi. Ern. 1. 2. — om. *in* Iu. L. 3. ([11]) = *in utramque* L.

ac magis necessarias res pertineat: ex quo conficitur, ut, si leges duae, aut si plures[1], aut, quotquot erunt, conservari non possint, quia discrepent[2] inter se, ea maxime conservanda putetur, quae ad maximas res pertinere videatur: deinde, utra lex posterius lata sit: nam postrema quaeque gravissima est: deinde, utra lex iubeat aliquid, utra permittat; nam id, quod imperatur, necessarium: illud, quod permittitur, voluntarium est: deinde, in utra lege, si non obtemperatum sit, † poena afficiatur[3], aut in utra maior poena statuatur: 146. nam maxime conservanda est ea, quae diligentissime sancta[4] est: deinde, utra lex iubeat, utra vetet: nam saepe ea, quae vetat, quasi exceptione quadam corrigere videtur illam, quae iubet: deinde, utra lex de genere omni; utra de parte quadam; utra communiter in plures; utra in aliquam certam rem scripta videatur: nam quae in partem aliquam, et quae in certam quandam rem scripta est, propius[5] ad causam accedere videtur, et ad iudicium magis[6] pertinere: deinde, ex lege utrum statim[7] fieri necesse sit: utrum habeat[8] aliquam moram et sustentationem: nam id, quod statim faciendum sit, perfici prius oportet: 147. deinde operam dare, ut sua lex ipso scripto videatur niti: contraria autem aut per ambiguum, aut per ratiocinationem, aut per definitionem induci; quo sanctius et firmius id videatur esse, quod apertius scriptum[9] sit: deinde suae legis ad scriptum, ipsam[10] sententiam quoque adiungere, contrariam legem item ad aliam sententiam traducere, ut, si fieri poterit, ne discrepare quidem videantur inter se: postremo facere, si causa dabit facultatem[11], ut nostra ratione utraque lex conservari videatur, adversariorum[12] ratione, altera sit necessario negligenda. Locos autem communes, et quos ipsa causa det, videre oportebit[13], et ex utilitatis et honestatis amplissimis partibus sumere, demonstrantem per amplificationem, ad utram potius legem accedere oporteat.

L. 148. Ex ratiocinatione nascitur controversia, quum ex eo, quod uspiam est, ad id, quod nusquam scriptum est, pervenitur[14], hoc pacto: Lex est[15]: SI FVRIOSVS EST[16], AGNATVM[17] GENTILIVMQVE

---

(1) — *aut plures* L. (2) — *discrepant* Carol. Steph. L. (3) hoc sane corruptum. *afficiatur* del. Sch. €. 2. (Lamb. 1566. ita: *deinde utra lege, si non obtemp. sit, poena statuatur, aut utra maior p. statuatur*, id quod haud minus displicet.) Pro *afficiatur* — *adiiciatur* Oud. suspicio parum probabilis. Fuitne: *utra lege, si non obt. sit, poenâ* (ablativ.) *sanciatur*? Videsis, antequam condemnes, *pro Plancio* C. 34. p. 193. Ed. nostrae. (4) Sic 1. 2. 3. = *diligentissime sancita* Turic. L. v. Beier. *Offic.* T. 2. p. 277. 299. 308. — *diligentissima, et sancta* Cdd. pleriq. Iu. (5) Sic Turic. L. Sch. 2. — *propinquius* O2x. — *promptius* Pleriq. Iu. 1. 3. (6) = *magis ad iudicium* L. (7) — *utra ex lege statim* Sch. €. 2. (8) — *utra habeat*. Sch. €. 2. Utrumque sine necessitate: male etiam Lamb. 1566: *an habeat*. (9) Sic T. Pleriq. L. 1. 2. — *descriptum* Iu. 3. (10) — *ad scriptum ipsum, sententiam* L. et ita O2x. quod innumerabilibus illis argumentis accensendum est, quibus probamus, Lambinum, etsi erroribus interdum obnoxium, talia non sine Cdd. novasse. (11) = *facult. dabit* T. L. (12) Sic T. alii Cdd. 1. 2. — *et adv.* Iu. L. 3. (13) = *oportebit vid.* L. (14) ∞ *venitur* T. Permulti. (15) ∞ om. *est* T. al. v. supra §. 144. (16) Probabiliter leg. est: ESCIT. v. Dirksen. XII. *Tafeln.* p. 374. (17) Quum sic habeant optimus Turic. aliique ap. Oud. h. l. sic scribere nullus dubitavi cum Grutero 3. — *agnatorum* Iu. L. 1. 2. uti est extra legis carmen *de Rep.* 3. p. 78. Heinrich. s. p. 264. Mai.

IN EO PECVNIAQVE EIVS POTESTAS ESTO. Et lex: PATERFAMILIAS VTI SVPER FAMILIA PECVNIAQVE SVA LEGASSIT[1], ITA IVS ESTO. Et lex: SI PATERFAMILIAS INTESTATO MORITVR, FAMILIA PECVNIAQVE EIVS AGNATVM[2] GENTILIVMQVE ESTO. 149. Quidam iudicatus est parentem occidisse. Ei statim, quod effugiendi potestas non fuit, ligneae soleae in pedes indutae[3] sunt: os autem obvolutum est folliculo[4] et praeligatum: deinde est in carcerem deductus, ut ibi esset tantisper[5], dum culeus, in quem coniectus in profluentem deferretur, compararetur. Interea quidam eius familiares in carcerem tabulas afferunt, et testes adducunt: heredes, quos ipse iubet, scribunt: tabulae obsignantur. De illo post supplicium sumitur. Inter eos, qui heredes in tabulis scripti sunt, et inter agnatos, de hereditate controversia est. Hic certa lex, quae testamenti faciendi iis, qui in eo loco sint[6], adimat potestatem, nulla profertur. Ex ceteris legibus, et quae hunc ipsum supplicio huiusmodi[7] afficiunt, et quae ad testamenti faciendi potestatem pertinent, per ratiocinationem veniendum est ad eiusmodi rationem, ut quaeratur, habueritne testamenti faciendi potestatem. 150. Locos autem communes[8] hoc in[9] genere argumentandi, hos, et huiusmodi quosdam esse arbitramur: primum, eius scripti, quod proferas, laudationem et[10] confirmationem: deinde eius rei, qua de quaeratur[11], cum eo, de quo constat[12], collationem eiusmodi, ut id, de quo quaeritur, rei, de qua constet[13], simile esse videatur: postea admirationem cum percontatione[14], qui fieri possit, ut, qui hoc aequum esse concedat, illud neget, quod aut aequius, aut eodem sit in genere: deinde idcirco hac de re[15] nihil esse scriptum, quod, quum de illa esset scriptum, de hac re[16] is, qui scribebat, neminem dubitaturum arbitratus sit: 151. postea multis in legibus multa esse praeterita, quae idcirco praeterita nemo arbitretur, quod[17] ex ceteris, de quibus scriptum sit, intelligi possint: deinde aequitas rei demonstranda est, ut in iuridiciali absoluta. Contra autem qui dicet, similitudinem infirmare debebit: quod faciet, si demonstrabit, illud, quod conferatur,

---

(1) Sic L. 3. Sch. 2. — *legaverit* T. Iu. 1. — *legasset* Cdd. aliq. id quod satis probat *legassit* non ab antiquariis Ciceroni esse obtrusum. (2) Sic iterum T. 3. — *agnatorum* Iu. L. 1. 2. (3) Sic Cdd. aliq. v. omnino *ad Her.* 1. 13. — *inductae* T. Iu. 1. 2. 3. — *inditae* L. (4) — add. *lupino* Olx. (5) = *tantisper esset* L. (6) — *sunt* L. (7) — *eiusmodi* T. L. (8) — Abest *comm.* a paucis, non improb. Ern. sed contra Ciceronis in his consuetudinem. (9) — *in hoc* Iu. L. (10) ∞ *atque* T. (11) ∞ *qua de re quaeritur* L. (12) ∞ *constet* T. (13) — *ei, de quo constet* L. (14) Sic L. — *percunctatione* s. *percontatione.* Multi. Cdd. Iu. Crat. 3. qua ex lectione Lambini videtur fluxisse emendatio. — *percunctationem* — *per contemptionem* alii. Hinc tandem: *per contentionem* T. Multi. margo Crat. Ern. 1. Delevit Sch. E. 2. Sed nullus est nexus inter *admirationem*, *qui fieri possit.* (15) ∞ *de hac re* T. Iu. L. quod magis fere placet. Ita in legibus Romanis, quarum sermonem quidni in talibus secutus fuerit Cicero? simplicior semper ordo praefertur. v. c. *de ea re hac lege nihil rogatur.* (16) ∞ *re* om. T. multi. L. Sch. 2. in Ed. mai. neque tolerari potest, nisi supra scripseris *de hac re.* (17) Sic Cdd. etiam T. Iu. 1. 2. 3. qua in lectione *idcirco* cum v. *praeterita* iungi nequit, sed durius utique construendum est, *quae* revera esse *praeterita nemo arbitretur*, *idcircoque id arbitretur*, *quod* cet. Speciosa est Lamb. lectio: *nemo non arbitretur.*

ab eo, cui conferatur, diversum esse genere, natura, vi, magnitudine, tempore, loco[1], persona, opinione: si, quo in numero illud, quod per similitudinem affertur, et quo in loco illud, cuius causa affertur, haberi conveniat, ostendetur: deinde, quid res cum re differat, demonstrabitur, ut non idem videatur de utraque existimari oportere. 152. Ac, si ipse quoque poterit ratiocinationibus uti, iisdem [ratiocinationibus[2]], quibus ante praedictum est[3], utetur: si non poterit, negabit oportere quidquam, nisi quod scriptum sit, considerare; periclitari omnia iura, si similitudines accipiantur; nihil esse paene[4], quod non alteri simile esse videatur[5]; multas de similibus[6] rebus, in unamquamque rem tantum[7] singulas esse leges: omnia posse inter se vel similia vel dissimilia demonstrari. Loci communes: a ratiocinatione, oportere coniectura ex eo, quod scriptum sit, ad id, quod non scriptum sit[8], pervenire: et neminem posse omnes res per scripturam amplecti, sed eum commodissime scribere, qui curet, ut quaedam ex quibusdam intelligantur: 153. contra ratiocinationem, huiuscemodi[9]: coniecturam divinationem esse, et stulti scriptoris esse, non posse omnibus de rebus cavere, quibus velit.

LI. Definitio est, quum in scripto verbum aliquod est positum, cuius de vi quaeritur, hoc modo: Lex[10]: QVI IN ADVERSA TEMPESTATE NAVIM RELIQVERINT, OMNIA AMITTVNTO: EORVM NAVIS ET ONERA SVNTO, QVI IN NAVI REMANSERINT. Duo quidam, quum iam in alto navigarent, et quum[11] eorum alterius navis, alterius onus esset, naufragum quendam natantem, et manus ad se tendentem animadverterunt[12]: misericordia commoti, navim ad eum applicarunt[13]: hominem ad se sustulerunt. 154. Postea aliquanto, ipsos quoque tempestas vehementius iactare coepit, usque adeo, ut dominus navis, quum idem gubernator esset, in scapham confugeret, et inde funiculo, qui a puppi religatus scapham annexam trahebat, navim[14], quoad posset, moderaretur; ille autem, cuius merces erant, in gladium ibidem[15] incumberet. Hic ille naufragus ad gubernaculum accessit, et navi, quoad potuit, est opitulatus. Sedatis autem fluctibus, et tempestate iam

---

(1) = *loco, temp.* L. (2) ∞ *iisdem rationibus* T. Oxonn. aliq. ∞ *iis ratiocinationibus* L. ∞ *ratiocinationibus* omittunt Cdd. aliq. del. Sch. 2. Fuitne: *si ipse quoque poterit ratiocinatione uti, iisdem rationibus* cet.? (3) Sic T. alii. Recte, et ex more Ciceronis, vide nos ad Orat. *pro Plancio* p. 126. — *quibus ante dictum est* Iu. 1. 2. 3. — *de quibus ante dictum est* L. (4) Haec omnia *periclitari-videatur* absunt ab optimo Turic. O5x. aliis. Alii (O1x.) transponunt post *dissimilia demonstrari*. Totidem autem verbis leguntur in Victorini commentario: unde triplex prodit iudicium: nam is ea aut mutuatus est e Cicerone ipso, aut ipsius sunt, non Ciceronis, quae fuit Ern. sententia, haec omnia [ ] includentis, (eoque ipse quoque propendeo propter Turic. maxime auctoritatem), aut Victorini sunt posteriora dumtaxat *nihil esse-videatur*, quae del. Sch. 2. (5) — *paene esse* L. (6) e Cdd. prob. Oud. Sch. 2. — *multis dissimilibus rebus* T. Iu. 1. 3. — *videatur multis de dissimil. reb.* L. contra Cdd. ac Victorin. (7) Sic Cdd. pleriq. Iu. L. 1. 3. ∞ *tamen* T. alii. Sch. 2. (8) = *sit scriptum* T. L. (9) — *huiusmodi* T. L. (10) — *Lex est* L. (11) Sic T. alii L. 1. 2. — om. *quum* Iu. 3. (12) ∞ *animum adverterunt* T. Sic hodie quoque legitur sine offensione *de Offic.* 2, 19, 68. cet. (13) Sic T. al. Sch. 2. = *applicaverunt* 1. 3. — *applicuerunt* Iu. L. (14) ∞ *navi* T. multi. (15) e Cdd. 1. 2. *ibidem in navi* T. L. — *in navi ibidem* Iu. 3. e glossa.

commutata, navis in portum pervehitur[1]. Ille autem, qui in gladium incubuerat, leviter saucius facile est ex vulnere recreatus. Navim cum onere horum trium suam quisque esse dicit. Hic omnes scripto ad causam accedunt, et ex nominis vi nascitur controversia. Nam et relinquere navim, et remanere in navi, denique navis ipsa quid sit, definitionibus quaeritur[2]. Iisdem autem ex locis omnibus, quibus definitiva constitutio, tractabitur.

155. Nunc, expositis iis argumentationibus, quae in iudiciale causarum genus accommodantur, deinceps in deliberativum genus et demonstrativum argumentandi locos et praecepta dabimus, non quo[3] non in aliqua constitutione omnis semper causa versetur; sed quia proprii tamen[4] harum causarum quidam loci sunt, non a constitutione separati, sed ad fines horum generum accommodati. 156. Nam placet, in iudiciali genere finem esse aequitatem, hoc est, partem quandam honestatis. In deliberativo autem Aristoteli placet utilitatem; nobis et honestatem, et utilitatem. In demonstrativo[5], honestatem. Quare in hoc quoque genere causae quaedam argumentationes communiter, ac similiter tractabuntur: quaedam separatius ad finem, quo referri omnem orationem[6] oportet, adiungentur. Atque uniuscuiusque constitutionis exemplum supponere non gravaremur, nisi illud videremus, quemadmodum res obscurae dicendo fierent apertiores, sic res apertas, obscuriores fieri oratione. Nunc ad deliberationis praecepta pergamus.

LII. 157. Rerum expetendarum tria genera sunt: par autem numerus vitandarum ex contraria parte. Nam est quiddam, quod sua vi nos allicit[7] ad sese, non emolumento captans aliquo, sed trahens sua dignitate: quod genus, virtus, scientia, veritas est. Aliud autem non propter suam vim et naturam, sed propter fructum, atque utilitatem, petendum[8]: quod genus[9] pecunia est. Est porro quiddam ex horum partibus iunctum, quod et sua vi, et dignitate nos illectos[10] ducit, et prae se quandam gerit utilitatem, quo magis expetatur, ut amicitia, bona existimatio. Atque ex his horum contraria facile, tacentibus nobis, intelligentur. 158. Sed ut expeditius ratio tradatur, ea, quae posuimus, brevi[11] nominabuntur. Nam in primo[12] genere quae sunt, honesta appellabuntur. Quae autem in secundo, utilia. Haec autem tertia, quia partem honestatis continent, et quia maior est vis honestatis, iunctae res omnino ex duplici genere intelligentur: sed in meliorem partem[13] vocabuli conferantur, et honesta nominentur. Ex his illud conficitur, ut appetendarum rerum partes sint,

---

(1) Sic T. alii. v. Oud. 1. 2. — *provehitur* Iu. L. 3. (2) — *quaeretur* T. (3) = *quod* Cld. ap. Oud. (4) Sic T. alii. 1. 2. — *tantum* Iu. L. 3. (5) Sic T. Pleriq. 1. 2. = add. *autem* Iu. L. 3. (6) Sic T. Pleriq. 1. 2. — *rationem* Iu. L. 3. (7) Ern. E. 1. 2. — *alliciat* Cdd. etiam T. Iu. L. 3. (8) ∞ *expetendum* L. (E.) Sch. 2. (9) — om. *genus* multi; sine causa prob. Oud. (10) Sic Sch. 2. e Cld. (*vi illicere* dixit etiam Plinius maior: et hic mitigatur interposito voc. *dignitate*) — *inductos* T. Cdd. tantum non omnes. Iu. 1. 3. — *quod et sua dignitate nos ducit, et quandam utilitatem prae se gerit, quo* L. (11) — *breviter* L. (12) — *in primo quidem* L. (13) Haec cum L. ita dedit Sch. 2: *quia partes honestatis et utilitatis continent, omnino iuncta* (= *iunctae res omnino* L.) *esse ex duplici genere intelligentur, sed quia maior vis est honestatis, in meliorem p.*

honestas et utilitas; vitandarum, turpitudo et inutilitas. His igitur duabus rebus duae res grandes sunt attributae, necessitudo et affectio: quarum altera ex vi, altera ex re et personis consideratur. De utraque post apertius perscribemus. Nunc honestatis rationes primum explicemus.

LIII. 159. Quod aut totum, aut aliqua ex parte propter se petitur, honestum nominabimus. Quare quum eius duae partes sint [1], quarum altera simplex, altera iuncta sit, simplicem prius consideremus. Est igitur in eo genere omnes res una vi atque uno nomine amplexa virtus. Nam virtus est animi habitus naturae modo, atque rationi [2] consentaneus. Quamobrem omnibus eius partibus cognitis, tota vis erit simplicis honestatis considerata. Habet igitur partes quatuor: prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. 160. Prudentia est rerum bonarum, et malarum, neutrarumque [3] scientia. Partes eius, memoria, intelligentia, providentia. Memoria est, per quam animus repetit illa, quae fuerunt. Intelligentia est, per quam ea perspicit, quae sunt. Providentia est, per quam futurum aliquid videtur [4], ante quam factum sit [5]. Iustitia est habitus animi, communi utilitate conservata, suam cuique tribuens dignitatem. Eius initium est ab natura profectum: deinde quaedam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt: postea res et ab natura profectas, et ab consuetudine probatas, legum metus et religio sanxit. 161. Natura ius est, quod non opinio genuit, sed quaedam innata vis inseruit [6], ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem. Religio est, quae superioris cuiusdam naturae (quam divinam vocant) curam caerimoniamque affert: pietas, per quam sanguine coniunctis, patriaeque † benevolis officium [7] et diligens tribuitur cultus: gratia, in qua amicitiarum et officiorum alterius memoria et remunerandi [8] voluntas continetur: vindicatio [9], per quam vis et iniuria, et omnino omne, quod obfuturum est, defendendo, aut ulciscendo propulsatur: observantia, per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam et honore dignantur: 162. veritas, per quam immutata ea, quae sunt, aut ante [10] fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. LIV. Consuetudine ius est, quod aut leviter a natura tractum aluit et maius fecit usus, ut religionem: aut si quid eorum, quae ante diximus, ab natura profectum, maius factum propter consuetudinem videmus [11], aut quod in morem vetustas vulgi approbatione perduxit [12]: quod genus, pactum, par, iudicatum. Pactum est,

---

([1]) — *sunt* C2d. ([2]) Sic T. C1d. Lambini. Egregie. — *naturae modo, rationi* 1. 3. — *naturae, modo, rat.* Iu. — *habitus naturae; modo, rat.* Sch. 2. — *naturae, moderationi.* margo Crat. ([3]) Sic margo L. 1584. 1. 2. — *utrarumque* L. 1566. — *et utrarumque* Iu. Grut. 3. — *utrarum* T. ([4]) — *videt* (scil. animus) Sch. €. 2. sed non obliterandus est usus hic pass. v. *videre.* ([5]) — *est* T. Pleriq. Cdd. ([6]) — *insevit* L. (€.) Sch. 2. ([7]) — *per quam patriae, et sanguine coniunctis, officium* cet. L. 1566. — *per quam patriae sanguineque coniunctis benevolentia, officium* cet. L. in marg. 1584. prob. Lallem. Sed unum voc. *benevolis* corruptum est, legendumque *benevolum officium.* ([8]) Sic T. alii. 1. 2. — *et alterius rem.* Iu. L. 3. ([9]) Cum Cdd. aliq. (T.) Ern. 1. 2. ter del. *est* post substantiva ista. Habent Iu. L. 3. ([10]) ∞ om. *ante* Sch. 2. cum Cdd. aliq. ([11]) ∞ Del. haec: *aut si quid-videmus* Sch. €. 2. ∞ *ut si quid* T. — *si quid* L. ([12]) — *produxit* C1d. ap. Lamb. (— *provexit* Lamb. suspicio.)

quod inter aliquos convenit: par, quod in omnes aequabile est; indicatum, de quo alicuius, aut aliquorum iam sententiis constitutum est. Lege ius est, quod in eo scripto, quod populo expositum est, ut observet, continetur. 163. Fortitudo est considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio. Eius partes, magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia. Magnificentia est rerum magnarum, et excelsarum cum animi ampla quadam et splendida propositione agitatio, atque administratio: fidentia est, per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciae certa cum spe collocavit: patientia est honestatis, aut utilitatis causa rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, ac diuturna perpessio: 164. perseverantia est in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio. Temperantia est rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi, firma et moderata dominatio. Eius partes sunt, continentia, clementia, modestia. Continentia est, per quam cupiditas consilii gubernatione regitur: clementia, per quam animi, temere in odium alicuius * concitati invectio comitate retinetur [1]: modestia, per quam pudor honestus, caram [2] et stabilem comparat auctoritatem. Atque haec omnia propter se solum, ut nihil adiungatur emolumenti, petenda sunt. Quod ut demonstretur, neque ad hoc nostrum institutum pertinet, et a brevitate praecipiendi remotum est. 165. Propter se autem vitanda sunt, non ea modo, quae his contraria sunt, ut fortitudini ignavia, et iustitiae iniustitia: verum etiam illa, quae propinqua videntur et finitima esse [3], absunt autem longissime [4]: quod genus, fidentiae contrarium, est diffidentia, et ea re vitium est; audacia non contrarium, sed appositum est [5] ac propinquum, et tamen vitium est [6]. Sic unicuique virtuti finitimum vitium reperietur, aut certo iam nomine appellatum; ut audacia, quae fidentiae; pertinacia, quae perseverantiae finitima est; superstitio, quae religioni propinqua est: aut sine ullo certo nomine. Quae omnia item uti contraria rerum bonarum, in rebus vitandis reponemus [7]. Ac de eo quidem genere honestatis, quod omni ex parte propter se petitur, satis dictum est.

LV. 166. Nunc de eo, in quo utilitas quoque adiungitur, quod tamen honestum vocamus, dicendum videtur. Sunt igitur multa, quae nos quum dignitate, tum fructu quoque suo ducunt [8]: quo in genere est gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. Gloria est frequens de aliquo fama cum laude: dignitas, alicuius honesta, et cultu, et honore, et verecundia digna auctoritas: amplitudo [9], potentiae, aut maiestatis, aut aliquarum copiarum magna abundantia: amicitia, voluntas erga ali-

---

(1) Sic Ern. C. 1. 2. ∞ *invectio concitata com. retinetur* Cld. ap. Grut. Osx. Mich. Brutus. — *al. invectionis concitati, comitate retinentur* T. Pleriq. Iu. 3. unde Garaton. ad *Plancianam* p. 274. Lips. C. ∞ *animi concitati invectiones com. retinentur.* At non nimis placet plural. num. *invectiones.* Et *retinentur* in Cdd. ortum est ex v. *animi* pro nomin. plur. perperam habito. (— *in odium al. inferioris concitati com. retinentur* L.) (2) Sic T. Pleriq. 1. 2. — *claram* Iu. L. 3. (3) = *prop. et fin. vid. esse* L. (4) ∞ *autem quam long.* Cdd. aliq. prob. Oud. (5) ∞ *est* om. L. (6) ∞ *est* om. L. (7) — *reponuntur* Cdd. aliq. L. (8) Sic T. alii. L. 1. 2. — *ducunt ad se* Iu. 3. (9) — *amplit. est* L.

quem rerum bonarum, illius ipsius causa, quem diligit, cum eius pari voluntate. 167. Hic, quia de civilibus causis loquimur, fructus ad amicitiam adiungimus, ut eorum quoque causa petenda videatur: ne forte qui nos de omni amicitia dicere existimans reprehendere incipiat[1]. Quamquam sunt, qui propter utilitatem modo petendam putent[2] amicitiam: sunt qui propter se solum: sunt qui propter se, et utilitatem. Quorum quid verissime constituatur, alius locus erit considerandi. Nunc hoc sic ad usum oratorium relinquatur, utramque propter[3] rem amicitiam esse expetendam. 168. Amicitiarum autem ratio, quoniam partim sunt religionibus iunctae, partim non sunt, et quia partim veteres sunt[4], partim novae, partim ab illorum[5], partim ab nostro beneficio profectae, partim utiliores, partim minus utiles; ex causarum dignitatibus, ex temporum opportunitatibus, ex officiis, ex religionibus, ex vetustatibus habebitur. LVI. Utilitas autem aut in corpore posita est, aut in extrariis[6] rebus: quarum tamen rerum multo maxima pars ad corporis commodum revertitur, ut in re publica quaedam sunt, quae (ut sic dicam) ad corpus pertinent civitatis, ut agri, portus, pecunia, classes, nautae, milites, socii; quibus rebus incolumitatem ac libertatem retinent civitates: alia vero[7], quae iam quiddam magis amplum, et minus necessarium conficiunt, ut urbis egregia exornatio atque amplitudo, ut quaedam excellens pecuniae magnitudo, amicitiarum ac societatum multitudo. 169. Quibus rebus non illud solum conficitur, ut salvae et incolumes, verum etiam, ut amplae atque potentes sint civitates. Quare utilitatis duae partes videntur esse, incolumitas et potentia. Incolumitas est salutis tuta[8] atque integra conservatio: potentia est ad sua conservanda, et alterius obtinenda, idonearum rerum facultas. Atque in iis omnibus, quae ante dicta sunt, quid difficulter[9] fieri et quid facile fieri possit, oportet considerare. Facile fieri[10] id dicimus, quod sine magno, aut sine ullo labore, sumptu, molestia, quam brevissimo tempore confici potest. † Difficile[11] autem fieri, quod quamquam laboris, sumptus, molestiae, longinquitatis indiget, atque aut omnes, aut plurimas, aut maximas causas habet difficultatis, tamen, his susceptis difficultatibus[12], compleri, atque ad exitum perduci potest.

170. Quoniam ergo de honestate, et de utilitate diximus, nunc restat, ut de iis rebus, quas his attributas esse dicebamus, necessitudine,

---

(1) Sic egregie T. *qui* pro *quis* non intellectum errori ansam dedit; *ne quis* et *ne qui* promiscue usurpantur *in Fragm. Legis Servitiae* ed. *Klenze.* pag. 82. et 99. — *ne forte, qui nos de o. a. d. existimant*, (Iu. L. 3. = *existiment*, e Cdd. 1. 2.) *reprehendere incipiant* Iu. L. 1. 2 3. (2) e C1d. Ern. 1. — *putant* Iu. L. 2. 3. (3) = *propter utramque* L. (4) = *sunt vet.* L. (5) ∞ *aliorum* O1x., ut suspicatus erat Ern. (6) e Cdd. prob. Oud. et sane hic et in seqq. vel una, vel altera vocabuli forma ubique erat retinenda; *extrarius* autem et antiquior forma mihi videtur et saepius obliterata. In Lucret. 4, 277. est sine varietate. — *extraneis* T. Iu. L. 1. 2. 3. (7) — *aliae vero* Cdd. aliq. L. (8) ∞ *rata* C1d. margo Crat. prob. Oud. (9) ∞ om. *difficulter* T. C1d. ap. Oud. Nec sine causa probat Oud. Maxime mirum, plerisque in Cdd. postea legi *D fficile.* Hinc forsitan L. *quid difficile, et quid facile fieri.* (10) Hoc *fieri* om. T. al. prob. Ern. = *facile id fieri* L. (11) ∞ *Posse autem fieri* C1d. Omnib. prob. Oud. ∞ *Ea autem fieri* T. Latet hic aliquid corrupti. (12) = *diff. susc.* L.

et affectione, perscribamus. LVII. Puto igitur esse hanc necessitudinem, cui nulla vi resisti potest, quo ea secius id, quod facere potest, perficiat[1]; quae neque mutari, neque leniri potest. Atque, ut apertius hoc sit, exemplis licet vim rei, qualis et quanta sit, cognoscamus. Uri posse flamma ligneam materiam necesse est. Corpus mortale aliquo tempore interire necesse est; atque ita necesse, ut vis postulat ea[2], quam modo describebamus, necessitudinis, [cui nulla vi resisti potest, quo ea secius id, quod facere potest, perficiat; quae[3] neque mutari, neque leniri potest]. Huiusmodi [necessitudines] quum [in] dicendi rationes incident[4], recte necessitudines appellabuntur: sin aliquae res incident difficiles, in illa superiori, possitne fieri, quaestione considerabimus. 171. Atque etiam hoc[5] mihi videor videre, esse quasdam eum adiunctione necessitudines, quasdam simplices et absolutas. Nam aliter dicere solemus, necesse est Casilinenses[6] se dedere Annibali: aliter autem, necesse est Casilinum venire in Annibalis potestatem. Illic, in superiore[7], adiunctio est haec: Nisi si malunt[8] fame perire: si enim id malunt, non est necesse[9]: hoc inferius[10] non item, propterea quod, sive velint Casilinenses se dedere, sive famem perpeti atque ita perire, necesse est Casilinum venire in Annibalis potestatem. Quid igitur perficere potest haec necessitudinis distributio? Prope dicam, plurimum, quum [is][11] locus necessitudinis videbitur incurrere. Nam quum simplex erit necessitudo, nihil erit quod multa dicamus, quum eam nulla ratione leniri possimus: 172. quum autem ita necesse erit, si[12] aliquid effugere, aut adipisci velimus, tum adiunctio illa quid habeat utilitatis, aut quid honestatis, erit considerandum. Nam si velis attendere, (ita tamen, ut id quaeras, quod conveniat ad usum civitatis,) reperias nullam esse rem, quam facere necesse sit[13], nisi propter aliquam causam, quam adiunctionem nominamus: praeter haec autem esse multas [invenias] res

---

([1]) Sic, et infra rursus T. (Cld. ap. Oud. h. l. admodum corrupte, infra sine errore. Sed male scriptum est priore loco etiam in T. *quod ea secius id facere potest perficiat.*) Mihi quidem glossema non videtur, vel propter v. *quo secius*, et, si Verburgio fides, habent etiam Edd. aliq. Excidisse videtur in Cdd. plerisq. Iu. L. 1. 2. 3. tum propter triplex v. *potest*, librario a primo ad tertium aberrante, tum propter corruptelam antiquitus iam contractam. ([2]) = *ea postulat* L. ([3]) ∞ *cui nulla - leniri potest.* Haec cur statim sic repetuntur? Equidem [ ]. ([4]) ∞ *necessitudines* suspectum Ern. [ ] del. Sch. 2. e Purgoldi €. edens: — *huiusmodi, quum in dicendo rationes.* Praeter v. *necessitudines* ego [ ] etiam *in.* ∞ *ratione* non male Iu. — *rationem* Crat. ([5]) ∞ *hoc etiam* L. ([6]) *Cassilinenses* — *Cassilinum* Mss. pleriq. *Casilini* in Inscript. dubia ap. Murat: 129, 12. ([7]) — *Illo in sup.* L. Fortasse *in superiore* est e gloss. ([8]) Sic T. al. 1. 2. — *nisi malint* Iu. L. 3. ([9]) Sic T. Pleriq. Iu. L. Sch. 2. — *non necesse* 1. 3. ([10]) — *in hoc inferiore* Sch. 2. de Lamb. suspic. — *hic, in inferiori* Ern. suspic. ([11]) *is* om. T. al. Recte: nos [ ]. ([12]) Sic optime Turic. ut *de N. D.* 1, 2. *tribuenda - deorum - numini ita sunt, si animadvertuntur ab iis*; — *ut* Pleriq. Iu. L. 1. 2. 3. ([13]) Speciosa, sed prava est €. Sch. 2. *reperias nonnullam esse rem, quam facere necesse non sit.* Scil. Cicero de rebus dumtaxat iis loquitur, quae civilem ad usum remque iudicialem pertinent: in talibus, inquit, de nulla necessitate (*absoluta*) disputari reperias, sed semper de aliqua *hypothetica*, quam nunc dicunt. Etenim extra iudicia et deliberationes versatur omnis necessitas *absoluta*. (∞ *aut honestatis* L. — *atque hon.* Iu.)

[necessitudinis][1], ad quas similis adiunctio non accedit. Quod genus, [ut][2] homines mortales necesse est interire, sine adiunctione: ut cibo utantur, non necesse est, nisi cum illa exceptione: Extra quam, si nolint[3] fame perire. 173. Ergo, ut dixi, illud, quod adiungitur, semper, cuiusmodi sit, erit considerandum. Nam omni tempore id pertinebit, [aut ad honestatem] ut hoc modo exponenda necessitudo sit: Necesse est, si honeste volumus vivere: [aut ad incolumitatem, hoc modo:] Necesse est, si incolumes volumus esse; [aut ad commoditatem, hoc modo:] Necesse est, si sine incommodo volumus vivere[4]. LVIII. Ac summa quidem necessitudo videtur esse honestatis: huic proxima, incolumitatis: tertia ac levissima, commoditatis: quae cum his nunquam poterit duabus contendere. 174. Hasce autem inter se saepe necesse est comparari[5], ut, quamquam praestet honestas incolumitati, tamen, utri potissimum consulendum sit, deliberetur. Cuius rei certum quoddam praescriptum videtur in perpetuum dari posse. Nam, qua in re fieri poterit, ut, quum incolumitati consuluerimus, quod sit in praesentia de honestate delibatum[6], virtute aliquando et industria recuperetur, incolumitatis ratio videbitur habenda: quum autem id non poterit, honestatis. Ita in eiusmodi[7] quoque re, quum incolumitati videbimur consulere, vere poterimus dicere, nos honestatis rationem habere, quoniam sine incolumitate eam nullo tempore possumus adipisci. Qua in re vel concedere alteri, vel ad conditionem alterius descendere, vel[8] in praesentia quiescere, atque aliud tempus exspectare oportebit. 175. In commoditatis vero ratione modo illud attendatur, dignane causa videatur ea, quae ad utilitatem pertinebit, quare aut de magnificentia, aut de honestate quiddam[9] derogetur. Atque in hoc loco mihi caput illud videtur esse, ut quaeramus, quid sit illud, quod si adipisci, aut effugere velimus, aliqua res nobis sit necessaria, hoc est, quae sit adiunctio, ut proinde, uti quaeque res erit, laboremus, et gravissimam quamque causam vehementissime necessariam iudicemus.

---

(1) Sic dedi e Cdd. aliq. Victorino et Iunta. Fluctuant Cdd. inter *praeter*, *praeterea*, *pariter*, *partim* (— *partem autem esse multas res necessitatis* T. *invenias*, quod abest a multis [ ]. al. *invenies*; *necessitudinis* glossema videtur: nam al. *necessitatis* et Victorin. *praeter haec autem esse multas invenias res*] *Id est*, *necessitudines*. — *pariter autem esse multas res necessitudinis* Grut. 1. 3. — *praeter has autem invenias esse multas necessitudines* L. — *praeter haec autem esse multas necessitudines* Sch. 2. partim e €. (2) In hac T. Iu. 1. 3. lectione, de Ern. suspic. *ut* [ ]. ∞ *quod genus*, *ut hom. mort. intereant*, *necesse est* L. Sch. 2. et si fides collatoribus, Oxonn. aliq. (3) ∞ *nolunt* Cdd. aliq. — *velint* L. (4) Sic Sch. 2. nisi sine [ ] nostris. — *N. o. t. id p. aut ad h. ut h. m. e. n. sit: N. est hoc faciamus, si h. v. v.: aut ad i. h. c. N. est hoc faciamus, si i. v. e.: aut ad c. h. m. N. est hoc faciamus si* — L. *N. o. t. id. p. ut aut ad hon. hoc m. e. n. sit: N. est hoc fac. si h. v. v. aut ad inc. h. n. necesse est, si i. v. e. aut ad c. h. m. nec. est, si* Iu. Grut. 3. — *N. o. t. id p. ut* [*ad honestatem*] *h. m. e. n. sit: necesse est, si h. v. vivere: necesse est s. i. v. esse: necesse est, si sine* — Ern. 1. Pro vv. *aut ad honestatem:* Cdd. *ad hon.* om. *aut* — *ad honestatis* — *ad honestam partem* — *honestam ad partem* quibus satis se prodit gloss. Reliqua vero omnia, quae delevit Ern. a Turic. Otx. et aliis absunt. Eiectis autem v. *aut ad honestatem*, *id pertinebit* tolerari vix potest, sed leg. *ad id pert.* (5) = *saepe nec. est inter se comp.* L. (6) — *deliberatum* T. alii; unde L. ut solebat, — *delibratum*. (7) ∞ *huiusmodi* T. L. (8) — *et* Iu. L. (9) — *quidquam* L.

176. Affectio est quaedam ex tempore [1], aut ex negotiorum eventu aut administratione, aut hominum studio [2], commutatio rerum, ut non tales, quales ante habitae sint, aut plerumque haberi soleant, habendae videantur esse: ut, ad hostes transire turpe videtur esse; at non illo animo, quo Ulixes [3] transiit: et pecuniam in mare deiicere, inutile; at non eo consilio, quo Aristippus deiecit [4]. Sunt igitur res quaedam ex tempore, et ex consilio, non ex sua natura considerandae: quibus in omnibus, quid tempora petant, aut quid personis dignum sit, considerandum est, et non quid, sed quo quidque animo, quicum, quo tempore, quamdiu fiat, attendendum est. His ex partibus ad sententiam dicendam locos sumi oportere arbitramur. LIX. 177. Laudes autem, et vituperationes ex iis [5] locis sumentur, qui loci personis sunt attributi, de quibus ante dictum est. Sin distributius tractare quis volet, partiatur in animum, et corpus, et extrarias [6] res licebit. Animi est virtus, cuius de partibus paullo ante dictum est: corporis, valetudo, dignitas, vires, velocitas: extrariae [7], honos, pecunia, affinitas, genus, amici, patria, potentia, et cetera, quae simili esse in genere intelligentur [8]. Atque in his, id, quod in omnia valet [9], valere oportebit: contraria quoque, quae et qualia sint, intelligentur [10]. 178. Videre autem in laudando et in vituperando oportebit, non tam quae in corpore, aut in extrariis [11] rebus habuerit is, de quo agetur, quam quo pacto his rebus usus sit. Nam fortunam quidem et laudare, stultitia, et vituperare, superbia est; animi autem, et laus honesta, et vituperatio vehemens est. Nunc quoniam omne in causae genus argumentandi ratio tradita est, de inventione, prima ac maxima parte rhetoricae, satis dictum videtur. Quare, quoniam et una pars ad exitum hoc ac superiore [12] libro perducta est, et hic liber non parum continet literarum, quae restant, in reliquis dicemus.

([1]) ∞ *temporum* C1d. prob. Oud. Sch. 2. ([2]) = *aut ex adm. aut ex hom. st.* L. — *aut ex adm. hominum, aut studio* Sch. €. 2. ([3]) Sic e Cdd. Sch. 2. — *Ulysses* Iu. L. 1. 3. ([4]) e Cdd. (etiam Oxonn.) 1. 2. (— *deiecit cadavera* T. mire.) — *fecit* Iu. L. 3. Utrumque pro gloss. habebat Grut. ([5]) Sic Iu. L. — *his* 1. 2. 3. ([6]) = *extraneas* T. al. O5x. Iu. L. ([7]) = *extraneae* O6x. Iu. L. — *extranea* T. ([8]) — *esse* om. C1d. Hinc et ex *L.* 1. *de Inv.* 27. Sch. €. 2. — *quae simili in genere versantur.* ([9]) ∞ *valet* om. T. et C1d. ap. Oud. Sch. 2. ([10]) — *ut contrariis cognitis, contraria quoque, et quae* (sic Iu. 3. sed: *quae* omisso *et* T. al. 1. 2.) *et qualia sint, intelligantur* L. (— *intelligemus* Iu.) ([11]) Sic C1d. ap. Oud. quod constantiae causa adsciscendum erat. — *extraneis* T. Iu. L. 1. 2. 3. ([12]) Sic T. egregie. = *hoc et superiore* L. prob. Lallem. — *hunc ab superiore* Pleriq. Iu. L. 1. 2. 3.

M. TULLII CICERONIS

DE

ORATORE

LIBRI TRES.

(Ex recensione potissimum Muelleriana passim correcta ac repurgata ab inutilibus coniecturis: subiuncta integra varietate Lambiniana (L.), Ernestiana (1.) Lallemandiana, Schuetziana (2.) et Muelleriana (3.): habita quoque ratione editionis Iuntinae a Luca Robio curatae (Iu.), Cratandrinae (Crat.), Manutianae (M. vel Man.), Caroli Stephani, cuius in his libris praecipua est auctoritas, (St. vel Steph. quae in ipsius recensione novata sunt), Gruterianae, Pearcio-Harlessianae, Leclerquianae, Muelleri curarum secundarum (Misc. crit. 2, 3. p. 503.) varietatis denique Ed. Hahnianae 1468. (Misc. crit. 1, 2. p. 344.) et Ed. s. l. et a. a Muellero excerptae, quae quidem postrema editio cum Hahniana plerumque consentit. (Edd. vett. et Ed. s. l. et a.) Iu. — L. significat: Iuntam, Cratandrum, Manutium, Stephanum, Lambinum in lectionem aliquam conspirare. Ubi Victorius laudatur, intelligenda proprie est Camerarii editio, quam ex illa mihi nondum visa expressam dicunt. Vidi tamen lectiones tamquam Victorii memorari in Camerariana non reperiendas.)

LIBER PRIMUS.

I. 1. Cogitanti mihi saepenumero, et memoria vetera repetenti, perbeati fuisse, Quinte frater, illi videri solent, qui in optima re publica, quum et honoribus, et rerum gestarum gloria florerent, cum vitae cursum tenere potuerunt, ut vel in negotio sine periculo, vel in otio cum dignitate esse possent. Ac fuit quidem, quum[1] mihi quoque initium requiescendi, atque animum ad utriusque nostrum praeclara studia referendi fore iustum[2] et prope ab omnibus concessum arbitrarer, si infinitus[3] forensium rerum labor, et ambitionis occupatio, decursu[4] honorum, et iam[5] aetatis flexu[6] constitisset. 2. Quam spem cogitationum et consiliorum meorum, quum[7] graves communium temporum, tum varii nostri casus fefellerunt. Nam, qui locus quietis et

(1) Sic e vestigiis Cdd. 1. 2. 3. Fluctuant Cdd. — *ac nunc quidem mihi quoque* Hahn. Iu. — *ac fuit tempus illud, quum* Crat. — *ac fuit quidem tempus illud, quum* M. L. (2) *referendi, fore i. 1. 2. 3.* ∞ *referendi fore, iust.* Iu. Cr. M. L. Sch. in Ed. mai. (3) — *finitus* (C.) *rerum forensium* L. (4) — *cursu* Cdd. aliq. (5) Sic dedi e C. Anonymi ad marg. mei Cratandrinae exemplaris, ut ingratissimum vitaretur ἀσυνδέτον. — *etiam* Omnes. (6) Sic Cdd. Iu. M. L. 2. 3. — *fluxu* cum Cdd. aliq. Ern. 1. (7) Sic Iu. Cr. M. 1 ∞ *tum* Olx. L. 2. 3.

tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maximae moles [1] molestiarum, et turbulentissimae tempestates exstiterunt. Neque vero nobis cupientibus atque exoptantibus fructus otii datus est ad eas artes, quibus a pueris dediti fuimus, celebrandas, inter nosque [2] recolendas. 3. Nam prima aetate incidimus in ipsam perturbationem disciplinae veteris: et consulatu [3] devenimus in medium rerum omnium certamen atque discrimen: et hoc tempus omne post consulatum obiecimus iis fluctibus, qui, per nos a communi peste [4] depulsi, in nosmet ipsos redundarunt [5]. Sed tamen in his vel asperitatibus rerum, vel angustiis temporis, obsequar studiis nostris, et, quantum mihi vel fraus inimicorum, vel causae amicorum, vel res publica tribuet otii, ad scribendum potissimum conferam. 4. Tibi vero, frater, neque hortanti deero, neque roganti. Nam neque auctoritate quisquam [6] apud me plus valere te potest, neque voluntate. II. Ac mihi repetenda est veteris cuiusdam memoriae non sane satis explicata recordatio, sed, ut arbitror, apta ad id, quod requiris, ut cognoscas, quae [7] viri omnium eloquentissimi clarissimique senserint de omni ratione dicendi. 5. Vis enim, ut mihi saepe dixisti, quoniam quae [8] pueris, aut adolescentulis nobis ex commentariolis nostris inchoata ac rudia exciderunt, vix hac aetate [9] digna et hoc usu, quem ex causis, quas diximus, tot tantisque consecuti sumus; aliquid iisdem de rebus politius a nobis perfectiusque proferri: solesque nonnunquam hac de re a me in disputationibus nostris dissentire, quod ego prudentissimorum [10] hominum artibus eloquentiam contineri statuam; tu autem illam ab elegantia doctrinae segregandam putes, et in quodam ingenii atque exercitationis genere ponendam.

6. Ac mihi quidem saepenumero in summos homines ac summis ingeniis praeditos intuenti, quaerendum esse visum est, quid esset, cur plures in omnibus rebus [11], quam in dicendo admirabiles exstitissent. Nam, quocunque te animo et cogitatione converteris, permultos excellentes [12] in quoque genere videbis, non mediocrium artium, sed prope maximarum. 7. Quis est enim [13], qui, si clarorum hominum scientiam rerum gestarum vel utilitate vel magnitudine metiri velit, non anteponat oratori imperatorem? Quis autem dubitet, quin belli duces praestantissimos ex hac una civitate [14] paene innumerabiles, in dicendo autem excellentes vix paucos proferre possimus? 8. Iam vero, consilio ac sapientia qui regere ac [15] gubernare rem publicam possent, multi nostra, plures patrum memoria, atque etiam maiorum exstiterunt, quum boni perdiu nulli, vix autem singulis aetatibus singuli tolerabiles oratores invenirentur. Ac, ne qui [16] forte cum aliis studiis, quae recon-

([1]) — om. *moles* Cdd. aliq. Iu. Cr. M. prob. Voss. et F. C. Wolfio. ([2]) Sic Cdd. Iu. Cr. M. L. 1. 2. 3. — *interque nos* (Lamb. 1584.) Grut. ([3]) — *et a c.* Hahn. St. — *et in c.* L. ([4]) — *peste* del. censebat L. non tamen delevit. ([5]) ∞ *redundarent* Cdd. aliq. Iu. Haud spernenda lectio. ([6]) Sic H. Iu. Cr. M. L. Grut. 3. — *quispiam* 1. 2. ([7]) — *quid* L. ([8]) Sic Iu. Cr. M. 1. 2. 3. — *quaedam* L. — om. *quae* Olx. ([9]) — *hac sint aetate* Sch. C. 2. Sed *ἀναζοϊοῦσθαι* hic statuendum. ([10]) Sic Cdd. aliq. Grut. 1. 3. — *eruditissimorum* Cdd. aliq. Iu. Cr. M. L. Sch. 2. ([11]) Sic 1. 2. 3. ∞ *artibus* Cdd. aliq. Iu. Cr. M. L. ([12]) ∞ *permultos et excellentes* St. L. ([13]) Sic H. 3. — *quis enim est* Iu. L. 1. 2. ([14]) = *ex hac una civitate praestant.* Iu. Cr. M. L. ([15]) — *et* L. ([16]) e Cdd. — *ne quis* Omnes Edd.

ditis in artibus, atque in quadam varietate literarum versentur, magis hanc dicendi rationem, quam cum imperatoris laude, aut cum boni senatoris prudentia comparandam putet; convertat animum ad ea ipsa artium genera, circumspiciatque [1], qui in iis floruerint, quamque multi: sic [2] facillime, quanta oratorum sit, semperque fuerit paucitas, iudicabit. III. 9. Neque enim te fugit, omnium laudatarum artium [3] procreatricem quandam, et quasi parentem eam, quam φιλοσοφίαν Graeci vocant, ab hominibus [4] doctissimis iudicari: in qua difficile est enumerare, quot viri, quanta scientia, quantaque in suis studiis varietate et copia fuerint, qui non una aliqua in re separatim elaborarint [5], sed omnia, quaecunque possent [6], vel scientiae pervestigatione [7], vel disserendi ratione comprehenderint [8]. 10. Quis ignorat, ii, qui mathematici vocantur, quanta in obscuritate rerum, et [9] quam recondita in arte et multiplici subtilique versentur? quo tamen in genere ita multi perfecti [10] homines exstiterunt, ut nemo fere studuisse ei scientiae [11] vehementius videatur, quin, quod voluerit, consecutus sit. Quis musicis, quis huic studio literarum, quod profitentur ii, qui grammatici vocantur, penitus se dedidit [12], quin omnem illarum artium paene infinitam vim et materiem [13] scientia et cognitione [14] comprehenderit? 11. Vere mihi hoc videor esse dicturus, ex omnibus iis, qui in harum artium studiis liberalissimis [15] sint doctrinisque versati, minimam copiam poëtarum egregiorum exstitisse. Atque [16] in hoc ipso numero, in quo perraro [17] exoritur aliquis excellens, si diligenter, et ex nostrorum, et ex Graecorum copia comparare voles, multo tamen pauciores oratores, quam poëtae boni reperientur. 12. Quod hoc [18] etiam mirabilius debet videri, quia ceterarum artium studia fere reconditis atque abditis e fontibus hauriuntur: dicendi autem omnis ratio in medio posita, communi quodam in usu, atque in hominum more [19] et sermone versatur; ut in ceteris id maxime excellat, quod longissime sit ab imperitorum intelligentia sensuque disiunctum, in dicendo autem vitium vel maximum est [20] a vulgari genere orationis atque a consuetudine communis sensus abhorrere. IV. 13. Ac ne illud quidem vere dici potest, aut plures ceteris artibus inservire, aut maiore delectatione, aut spe uberiore, aut praemiis ad perdiscendum amplioribus commoveri. Atque, ut omittam

---

([1]) Sic St. L. 1. 2. 3. — *convertat animum, et ea ipsa a. g. circumspiciat.* Iu. Cr. M. ([2]) Sic Iu. Cr. M. L. 1. 2. 3. — *quamque multi sint: facill.* Ed. vett. ([3]) Sic Cdd. aliq. Hahn. L. Sch. 2. — *laudatarum artium omnium* Grut. — *artium omnium laudatarum* e Cdd. Ern. 1. — *laudandarum* (gloss.) *art. omn.* Iu. Cr. M. Muell. 3. ([4]) — *omnibus* Cdd. multi prob. Harless. Sed solita est aberratio. ([5]) — *elaborassent* St. — *elaborarunt* L. ([6]) Sic Steph. 1. 2. 3. — *essent* Iu. Cr. M. L. ([7]) — *scientia et pervest.* Sch. €. 2. 3. Sed longe concinnior est vulgata, significatque pervestigationem rerum, scientiae qua pollebant, ope susceptam. ([8]) — *comprehenderunt* St. L. ([9]) — om. *et* cum C2d. Sch. 2. ([10]) — *perfectique* St. ([11]) *scientiae* del. Sch. €. 2. ([12]) — *dedit* Cdd. aliq. H. Iu. ([13]) Sic C1d. H. L. = *materiam* Iu. Cr. M. 1. 2. 3. ([14]) Sic Cdd. aliq. H. Iu. Cr. M. L. Muell. 3. — *scientia et cogitatione* Sch. 2. — *scientiae cogitatione* Grut. 1. ([15]) = *liberaliss. stud.* L. ([16]) — *atqui* F. C. Wolfii €. ([17]) — *numero quamquam perraro* €. nescio cuius. v. Ochsner *Eclog. Cic.* p. 151. ([18]) — *hinc* Oliv. ([19]) — *ore* variorum €. v. c. Osann. Sed v. Mueller. *Misc. Crit.* 2, 3. p. 505. ([20]) Sic Cdd. aliq. Edd. vett. Grut. prob. Heusing. Matthiae *Misc. Crit.* 1, 4, p. 676. — *sit* Iu. Cr. M. L. 1. 2. 3.

Graeciam, quae semper eloquentiae princeps esse voluit, atque illas omnium doctrinarum inventrices Athenas, in quibus summa [1] dicendi vis et inventa est et perfecta: in hac ipsa civitate profecto nulla unquam vehementius, quam eloquentiae studia viguerunt. 14. Nam postcaquam, imperio omnium gentium constituto, diuturnitas pacis otium confirmavit, nemo fere laudis cupidus adolescens non sibi ad dicendum studio omni [2] enitendum putavit. Ac primo quidem totius rationis ignari, qui neque exercitationis [3] ullam viam [4], neque aliquod praeceptum artis esse arbitrarentur, tantum, quantum ingenio et cogitatione poterant, consequebantur. Post autem, auditis oratoribus Graecis, cognitisque eorum literis, adhibitisque doctoribus, incredibili quodam nostri homines dicendi studio flagraverunt. 15. Excitabat eos magnitudo et [5] varietas, multitudoque in omni genere causarum, ut ad eam doctrinam, quam suo quisque studio assecutus [6] esset, adiungeretur usus frequens, qui omnium magistrorum praecepta superaret. Erant autem huic studio maxima, quae nunc quoque sunt, exposita [7] praemia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem. Ingenia vero (ut multis rebus possumus iudicare) nostrorum hominum multum ceteris hominibus [8] omnium gentium praestiterunt. 16. Quibus de causis, quis [9] non iure miretur, ex omni memoria aetatum, temporum, civitatum, tam exiguum oratorum numerum inveniri?

Sed nimirum [10] maius est hoc quiddam, quam homines opinantur, et pluribus ex artibus studiisque collectum. V. Quid enim quis aliud [11], in maxima discentium multitudine, summa magistrorum copia, praestantissimis hominum ingeniis, infinita causarum varietate, amplissimis eloquentiae propositis praemiis, esse causae putet, nisi rei quandam incredibilem [12] magnitudinem, ac difficultatem? 17. Est enim et scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis, atque irridenda est: et ipsa oratio conformanda, non solum electione, sed etiam constructione verborum: et omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura [13] tribuit, penitus pernoscendi: quod omnis vis ratioque dicendi, in eorum, qui audiunt, mentibus aut sedandis, aut excitandis expromenda [14] est. Accedat eodem oportet lepos quidam facetiaeque, et eruditio libero digna, celeritasque et brevitas et [15] respondendi et lacessendi, subtili venustate atque urbanitate coniuncta. 18. Tenenda praeterea est omnis antiquitas exemplorumque vis: neque legum, ac [16] iuris civilis scientia negligenda est. Nam quid ego de actione ipsa [17] plura [18]

([1]) — *in qu. etiam d. vis* Sch. C. 2. ([2]) = *omni studio* L. ([3]) Sic omnes praeter Ern. 1. qui errore typr. *exercitationibus*. ([4]) Sic M. L. 1. 2. 3. — *viam* Iu. Crat. ([5]) ∞ *ac* Cdd. aliq. H. ([6]) *consecutus* Cdd. aliq. L. ([7]) e Cdd. Grut. 1. 2. 3. — *proposita* Iu. Cr. M. L. ([8]) — *hominibus* [ ] Ern. 1. sine causa v. Schuetz. et *Eclog. Cic.* p. 153. ([9]) — *qui* Sch. 2. ([10]) — *enim* C1d. ([11]) e Cdd. 2. 3. — *Quis enim aliud* Iu. — L. 1. ([12]) = *incredibilem quandam* Mu(l. 3. C. minime necessaria. Infra C. 19. *quadam incredibili varietate. pro Mil.* 37. *est quodam incred. robore animi* (— *incredibilem quand. rei magn.* L.) ([13]) = *natura rer.* L. ([14]) e Cdd. St. L. 1. 2. 3. — *exprimenda* Iu. Cr. ([15]) — om. *et* St. L. ([16]) e Cdd. 2. 3. ∞ *aut* Iu. — L. 1. ([17]) — *ipsa actione* L. ([18]) *plura* suspect. Ern. sine causa.

dicam? quae motu corporis, quae gestu, quae vultu, quae vocis conformatione ac varietate moderanda est: quae sola per se ipsa quanta sit, histrionum levis ars et scena declarat: in qua quum omnes in oris, et vocis, et motus moderatione elaborent, quis ignorat, quam pauci sint, fuerintque, quos animo aequo spectare possimus? Quid dicam de thesauro rerum omnium, memoria? quae nisi custos inventis cogitatisque [1] rebus et verbis adhibeatur, intelligimus, omnia, etiamsi praeclarissima fuerint in oratore, peritura [2]. 19. Quamobrem mirari desinamus, quae causa sit eloquentium paucitatis, quum ex iis rebus universis eloquentia constet, quibus in singulis elaborare permagnum est, hortemurque potius liberos nostros, ceterosque, quorum gloria nobis et dignitas cara est, ut animo rei magnitudinem complectantur, neque iis aut praeceptis, aut magistris, aut exercitationibus, quibus utuntur omnes, sed aliis quibusdam, se id, quod expetunt, consequi posse confidant. VI. 20. Ac mea quidem sententia nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus. Etenim ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio: quae, nisi subest res [3] ab oratore percepta et cognita, inanem quandam habet elocutionem et paene puerilem. 21. Neque vero ego hoc tantum [4] oneris imponam, nostris praesertim oratoribus in hac tanta occupatione urbis, ac vitae, nihil ut iis putem licere neseire: quamquam vis oratoris, professioque ipsa bene dicendi, hoc suscipere ac polliceri videtur [5], ut omni de re, quaecunque sit proposita [6], ornate ab eo [7], copioseque dicatur. 22. Sed quia non dubito, quin hoc plerisque immensum infinitumque videatur, et quod Graecos homines non solum ingenio et doctrina, sed etiam otio studioque abundantes, partitionem quandam artium [8] fecisse video, neque in universo genere singulos elaborasse, sed seposuisse a ceteris dictionibus eam partem dicendi, quae in forensibus disceptationibus iudiciorum, aut [9] deliberationum [10] versaretur, et id unum genus oratori reliquisse; non complectar in his libris amplius, quam quod huic generi, re quaesita et multum disputata, summorum hominum prope consensu est tributum: 23. repetamque, non ab incunabulis nostrae veteris puerilisque doctrinae quendam ordinem praeceptorum, sed ea, quae quondam accepi in nostrorum hominum eloquentissimorum, et

---

([1]) Sic pleriq. Cdd. Iu. — L. 1. 3. ∞ *cognitisque* C2d. prob. Pearc. ∞ *ordinatisque* ex Augustino *Princ. Rhet.* p. 295. prob. Burmann. Sch. 2. Sed non est nisi gloss. ([2]) Ante Ern. distinguebant: *fuerint*, *in or. per.* ([3]) Perverse disting. Ern. al. *quae nisi subest*, *res* — *quae nisi sit* H. unde Lamb. 1566. prob Klein. *quae*, *nisi subsit res.* ([4]) Sic Iu. M. 1. 3. ∞ *hoc ego tantum* Edd. vett. — *hoc* del. L. Sch. 2. ([5]) ∞ *videatur* Cdd. complures. Edd. vett. Quintil. 2, 21. L. prob. Pearc. ([6]) ∞ *posita* St. L. prob. Lallem. Sch. in Ed. mai. Cfr. tamen 3, 21, 8. 3, 28, 109. ∞ *res sit proposita* Edd. vett. ([7]) e Cdd. Edd. vett. 2. 3. — *ab eo ornate* Iu. — L. 1. ([8]) ∞ *partitionem iam qu. artium* St. L. — *artium* del. Sch. € 2. ([9]) ∞ *ac* e C2d. Pearc. ([10]) — *deliberatione* Maioragii €. — *deliberationibus* I. H. Vossii €. Verba *aut deliberationum* suspecta sunt Ern. et Matthiae *Misc. Crit.* 1, 4, p. 476. Non accedo: *ceteris dictionibus* Cicero significat demonstrativi generis varias partes, v. c. laudationes, vituperationes, ac disputationes etiam philosophicas, elegantius, quam ut vulgo fieri solet, et oratorie institutas.

omni dignitate principum, disputatione[1] esse versata: non quod[2] illa contemnam, quae Graeci dicendi artifices et doctores reliquerunt; sed, quum illa[3] pateant, in promptuque sint omnibus, neque ea[4] interpretatione mea aut ornatius explicari, aut planius exprimi possint, dabis hanc veniam, mi[5] frater, ut opinor, ut eorum, quibus summa dicendi laus a nostris hominibus concessa est, auctoritatem Graecis anteponam.

VII. 24. Quum[6] igitur vehementius inveheretur in causam principum consul Philippus, Drusique tribunatus, pro senatus auctoritate susceptus, infringi iam debilitarique[7] videretur; dici mihi memini[8], ludorum Romanorum diebus, L. Crassum, quasi colligendi sui causa, se in Tusculanum contulisse: venisse eodem socer eius, qui fuerat, Q. Mucius, dicebatur[9], et M. Antonius, homo et consiliorum in re publica socius, et summa cum Crasso familiaritate coniunctus. 25. Exierant autem cum ipso Crasso duo adolescentes[10], et Drusi[11] maxime familiares, et[12] in quibus magnam tum spem maiores natu dignitatis suae[13] collocarant, C. Cotta, qui tum tribunatum plebis petebat, et P. Sulpicius, qui deinceps cum magistratum peturus putabatur. 26. Hi primo die de temporibus illis[14], deque universa re publica, quam ob causam venerant, multum inter se usque ad extremum tempus diei collocuti sunt. Quo quidem in sermone multa divinitus a tribus illis consularibus Cotta[15] deplorata et commemorata narrabat, ut nihil incidisset postea civitati mali, quod non impendere illi tanto ante vidissent: 27. eo autem omni[16] sermone confecto, tantam in Crasso humanitatem fuisse, ut, quum lauti accubuissent, tolleretur omnis illa superioris tristitia sermonis, eaque esset in homine iucunditas, et tantus[17] in iocando[18] lepos, ut dies inter eos curiae fuisse videretur, convivium Tusculani. 28. Postero autem die, quum illi maiores natu satis quiessent, et in ambulationem ventum esset, [dicebat[19]] tum, Scaevolam, duobus spatiis tribusve factis, dixisse: Cur non imitamur, Crasse, Socratem illum, qui est in Phaedro Platonis? nam me haec tua platanus admonuit, quae non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis, quam illa, cuius umbram secutus est Socrates, quae mihi videtur non tam ipsa[20] aquula, quae de-

---

(1) — *disputationibus* Edd. vett. (2) = *non quo* Iu. Crat. M. (3) — *ea* Sch. €. 2. (4) — del. *ea* Sch. €. 2. (5) ∞ *mihi* St. (6) — *Dum* St. (7) ∞ *ac debilitari* Iu. Cr. M. (8) Sic Cdd. aliq. St. L. 1. 2. — *memini dici mihi* Edd. vett. — *dici memini* Iu. Cr. M. Grut. (9) Sic Cdd. aliq. Iu. — I. Grut. Sch. 2. 3. (*fuerit* Cdd. aliq. *fuerat* significat, L. Crassi coniugem id temporis iam decessisse.) — *socerum eius, qui fuisse Q. Mucius, dicebatur* Edd. vett. Ern. 1. — *venisse eodem socer eius, Q. Mucius dicebatur* Bremii et F. C. Wolfii €. (10) Sic Iu. Cr. L. — *adolescentes duo* Ern. 1. 2. *duo* om. Cdd. aliq. M. Grut. Muell. [ ]. (11) *et Drusi* Cdd. omnes. Iu. Cr. L. Grut. Del. *et* Ern. €. 1. 2. 3. male. Est enim: *tum Drusi familiares, tum in quibus* cet. (12) hoc quoque *et* del. censebat Bremius: nec sane, priore utcunque abiecto, potest tolerari. Illud autem hoc quoque defendit. (13) — *futurae* Muell. €. 3. sed *dign. suae* id est optimatium, per eos retinendae scil. ac defendendae, posteaquam uterque trib. pl. factus esset. (14) — *illis* om. St. L. (15) ∞ *C. Cotta* L. (16) — del. *omni* Sch. €. 2. (17) ∞ *tantus* om. *et* L. (18) — *loquendo* C2d. ap. St. Edd. vett. (19) *dicebat* om. L. Sch. 2. 3. Nos [ ]. Lectio Ern. est a St. nam Iu. Cr. M. *quiessent, in amb. ventum esse dicebat: tum.* (20) — *ista* Sch. €. 2. v. Beier *Off.* T. 2. p. 189.

scribitur, quam Platonis oratione crevisse: et quod ille durissimis pedibus fecit, ut se abiiceret in herba [1], atque ita illa [2], quae philosophi divinitus ferunt esse dicta, loqueretur, id meis pedibus certe concedi est aequius. 29. Tum Crassum: Immo vero commodius etiam: pulvinosque poposcisse, et omnes in iis sedibus, quae erant sub platano, consedisse dicebat [3].

VIII. Ibi, ut ex pristino sermone relaxarentur animi omnium, solebat Cotta narrare, Crassum sermonem quendam de studio dicendi intulisse. 30. Qui quum ita esset exorsus: Non sibi cohortandum Sulpicium et Cottam, sed magis utrumque collaudandum videri, quod tantam iam essent facultatem adepti, ut non aequalibus suis solum [4] anteponerentur, sed cum [5] maioribus natu compararentur; neque vero mihi quidquam, inquit [6], praestabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velit: unde autem velit [7], deducere. Haec una res in omni libero populo, maximeque [8] in pacatis tranquillisque civitatibus, praecipue semper floruit, semperque dominata est. 31. Quid est enim [9] aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum [10] existere unum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis [11] facere possit? aut tam iucundum cognitu atque auditu, quam sapientibus [12] sententiis gravibusque verbis ornata oratio et perpolita [13]? aut tam potens, tamque magnificum, quam populi motus, iudicum religiones, senatus gravitatem, unius oratione converti? 32. Quid tam porro [14] regium [15], tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse [16] esse possis, vel provocare improbos [17], vel te ulcisci lacessitus? Age vero, ne semper forum, subsellia, rostra, curiamque meditere [18], quid esse potest in otio aut iucundius, aut magis proprium humanitatis, quam sermo facetus ac nulla in re rudis? Hoc enim uno praestamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos, et quod exprimere dicendo [19] sensa possumus. 33. Quamobrem quis hoc non iure miretur, summeque in eo elaborandum esse arbitretur, ut, quo uno homines maxime bestiis praestent, in hoc hominibus ipsis antecellat? Ut vero iam ad illa summa veniamus; quae vis alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare, aut a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum civilemque deducere, aut, iam constitutis civi-

---

([1]) Sic Cdd. Edd. vett. Iu. Cr. M. Sch. 2. 3. — *herbam* L. Grut. 1. ([2]) ∞ om. *illa* cum C1d. et Iu. Sch. in Ed. mai. — *atque illa quae* St. ([3]) ∞ del. *dic.* L. Sch. 2. 3. ([4]) ∞ om. *solum* Codex Arntzenii in *Add. ad Plin. Paneg.* ([5]) — *sed etiam mai.* St. — *sed etiam cum mai.* L. ([6]) = *inquit, mihi qu.* L. ([7]) — *velis* bis Ern. suspic. Sed vide *Eclog. Cic.* p. 142. Beier *Off.* T. 1. p. 256. T. 2. p. 76. ([8]) — *maxime* e C1d. Sch. 2. ([9]) Sic Sch. 2. 3. = *quid enim est* Iu. L. 1. ([10]) = *hom. mult.* L. ([11]) ∞ *perpaucis* Cdd. aliq. ([12]) Sic St. L. 1. 2. 3. — *sapientissimis* Iu. Cr. M. ([13]) Sic Edd. vett. Iu. Cr. M. St. Sch. in Ed. mai. Muell. 3. — *polita* L. 1. 2. ([14]) ∞ *porro tam* Cdd. aliq. L. ([15]) — *egregium* Muelleri C. ab ipso repudiata in *Misc. Crit.* 2, 3. p. 507. ([16]) = *ipse tectus* L. ([17]) Sic Cdd. aliq. Edd. vett. Iu. Cr. M. L. Ern. 1. 2. — *integros* Cdd. aliq. Grut. ∞ *integer improbos* egregia Muell. C. 3. ([18]) = *meditetis* Iu. Cr. M. ([19]) — *exprim. in dic.* C1d.

tatibus, leges, iudicia, iura describere? 34. Ac, ne plura, quae sunt paene[1] innumerabilia, consecter, comprehendam brevi[2]; sic enim statuo, perfecti oratoris moderatione et sapientia non solum ipsius dignitatem, sed et privatorum plurimorum, et universae rei publicae salutem maxime contineri. Quamobrem pergite, ut facitis, adolescentes: atque in id studium, in quo estis, incumbite, ut et vobis honori, et amicis utilitati, et rei publicae emolumento esse possitis. IX. 35. Tum Scaevola comiter, ut solebat, Cetera, inquit, assentior Crasso, ne aut de C. Laelii, soceri mei, aut de huius, generi, aut arte, aut gloria detraham: sed illa[3] duo, Crasse, vereor, ut tibi possim concedere; unum, quod ab oratoribus civitates et initio[4] constitutas, et saepe conservatas esse dixisti, alterum, quod, remoto foro, concione, iudiciis, senatu, statuisti, oratorem in omni genere sermonis et humanitatis esse perfectum. 36. Quis enim tibi hoc concesserit, aut initio genus hominum in montibus ac silvis dissipatum, non prudentium consiliis compulsum potius, quam disertorum oratione delenitum[5], se oppidis moenibusque saepsisse? aut vero reliquas utilitates, aut in constituendis[6], aut in[7] conservandis civitatibus non a sapientibus et fortibus viris, sed a disertis et ornate[8] dicentibus esse constitutas[9]? 37. An vero[10] tibi Romulus ille aut pastores et convenas congregasse, aut Sabinorum connubia coniunxisse, aut finitimorum vim repressisse eloquentia videtur, non consilio et sapientia singulari? Quid? in[11] Numa Pompilio; quid? in Servio Tullio[12], quid? in ceteris regibus, quorum multa sunt eximia ad constituendam rem publicam, num quod eloquentiae vestigium apparet? Quid? exactis regibus, (tametsi ipsam exactionem mente, non lingua, perfectam L. Bruti esse cernimus,) sed deinceps omnia, nonne plena consiliorum, inania verborum videmus? 38. Ego vero si velim et nostrae civitatis exemplis uti, et aliarum, plura proferre possim detrimenta publicis rebus, quam adiumenta, per homines eloquentissimos importata: sed, ut reliqua praetermittam, omnium mihi videor, exceptis, Crasse, vobis duobus, eloquentissimos audisse Ti. et C. Sempronios, quorum pater, homo prudens et gravis, haudquaquam eloquens, et saepe alias, et maxime censor, saluti rei publicae fuit. Atque is non accurata quadam orationis copia, sed nutu[13] atque verbo libertinos in urbanas tribus transtulit; quod nisi fecisset, rem publicam, quam nunc vix tenemus, iam diu nullam haberemus. At vero eius filii diserti, et omnibus vel naturae, vel doctrinae praesidiis ad dicendum parati, quum civitatem

---

(1) — om. *paene* Edd. vett. Muell. 3. lectore non monito. (2) — *breviter* L. v. Charis. p. 176. Putsch. (3) — om. *illa* L. (4) e Cdd. L. 1. 2. 3. — *ab initio* Iu. Cr. M. Grut. (5) Sic scripsi cum Huldrico. v. Drakenb. ad Liv. 5, 31, 1. — *delinitum* omnes. (6) Sic Cdd. aliq. L. 1. 2. 3. — *aut in instituendis* Ox. Pearc. — *aut instituendis* Iu. Cr. M. Grut. (7) Sic Cdd. aliq. L. Muell. 3. — om. *in* Iu. 1. 2. (8) Sic Iu. Cr. M. 1. 2. 3. ∞ *ornateque* Edd. vett. Victor. L. (9) ∞ *institutas* L. Sch. 2. (10) — om. *vero* cum Cdd. aliq. Edd. vett. Sch. in Ed. mai. (11) Sic Cdd. aliq. Iu. Cr. M. L. Sch. 2. 3. — *Quid enim in* Grut. Ern. 1. (12) Sic L. Muell. 3. — *Tullo* Iu. 1. 2. (13) — *nuda* Cdd. aliq. unde Muell. 3. recepit Beckii C. *nude*. Sed *nude* nec est vocab. Ciceronianum, nec congruit cum v. *atque verbo*, nec dici potest *nude transtulit*.

vel paterno consilio, vel avitis armis florentissimam accepissent, ista praeclara gubernatrice, ut ais, civitatum, eloquentia, rem publicam dissipaverunt. X. 39. Quid? leges veteres, mosque [1] maiorum; quid? auspicia, quibus et [2] ego, et tu Crasse, cum magna rei publicae salute praesumus; quid? religiones et caerimoniae; quid? haec [3] iura civilia, quae iam pridem in nostra familia sine ulla eloquentiae laude versantur; num aut inventa sunt, aut cognita, aut omnino ab oratorum genere tractata? 40. Equidem et Ser. Galbam, memoria teneo, divinum hominem in dicendo, et M. Aemilium Porcinam, et Caium ipsum [4] Carbonem, quem tu adolescentulus perculisti [5], ignarum legum, haesitantem in maiorum institutis, rudem in iure civili: et haec aetas nostra, praeter te, Crasse, qui tuo [6] magis studio, quam proprio munere aliquo disertorum, ius a nobis civile didicisti, quod interdum pudeat, iuris ignara est.

41. Quod vero in extrema oratione, quasi tuo iure sumpsisti, oratorem in omnis sermonis [7] disputatione copiosissime posse versari, id, nisi hic in tuo regno essemus, non tulissem, multisque praecessem [8], qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex iure manum [9] conserturn vocarent, quod in alienas possessiones tam temere irruisses. 42. Agerent enim tecum lege [10] primum Pythagorei omnes atque Democritici, ceterique, † suo iure [11], physici vindicarent [12], ornati homines in dicendo et graves, quibuscum tibi iusto sacramento contendere non liceret. Urgerent praeterea philosophorum greges, iam ab illo fonte, et capite Socrate, nihil te de bonis rebus in vita, nihil de malis, nihil de animi permotionibus, nihil de hominum moribus, nihil de ratione vitae didicisse, nihil omnino quaesisse, nihil scire convincerent: et quum universi in te impetum fecissent, tum singulae familiae litem tibi intenderent. 43. Instaret Academia, quae, quidquid dixisses, id te ipsum negare cogeret [13]. Stoici vero nostri disputationum suarum, atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent. Peripatetici autem etiam [14] haec ipsa, quae propria oratorum putas esse [15] adiumenta, atque ornamenta dicendi, ab se peti vincerent [16] oportere: ac non solum meliora, sed etiam multo plura Aristotelem Theophrastumque de his rebus, quam omnes dicendi magistros, scripsisse ostenderent.

([1]) Sic Cdd. aliq. Iu. Sch. 2. — *moresque* Crat. M. L. 1. 3. ([2]) ∞ *quibus ego, et tu* e Cdd. Sch. 2. 3. quae lectio defendi potest ex L. 1. *de Nat. Deor.* 6. *auspiciis, quibus nos* (id est, Cicero) *praesumus.* ([3]) — om. *haec* L. ([4]) Sic M. L. 1. 2. 3. — *Cn. ipsum* Iu. Cr. Grut. ([5]) Sic M. L. 1. 2. 3. — *perpulisti* Iu. Cr. St. ([6]) — *pro tuo* L. ([7]) — *in omni sermonis* Cdd. aliq. — *in omni sermone ac disputatione* Sch. suspicio non recepta. — *in omni sermone copiosissime* L. 1566. ([8]) ∞ *praecissem* Cdd. aliq. L. Muell. 3. ([9]) Sic L. Sch. 2. 3. — *manu* Iu. Cr. M. Ern. 1. ([10]) — om. *lege* cum C1d. Sch. 2. ([11]) Sic Cdd. pauci. prob. Lamb. Sch. 2. — *iure suo* Pearc. Lallem. *in suo iure* C1d. ap. Pearc. ∞ *in suo* omisso et *iure* et *genere* Cdd. haud pauci. prob. antea Pearc. (*in suo* scil. solo, s. fundo. Sic *de Orat.* 3, 31. *consistere in suo*, et in Inscriptt. *in suo sibi posuit.*) — *in suo genere* Iu. Cr. M. L. Ern. 1. — *suo generi* Muell. €. 3. quod omnium longe pessimum est. ([12]) — *physici; vindicarentque* Iu. Cr. M. L. ([13]) Sic Iu. Cr. M. 1. 2. 3. — *te ipsum scire negaret.* St. L. Grut. ([14]) *etiam* omitt. Edd. vett. Sch. 2. Habent Iu. L. 1. 3. ([15]) Sic pleriq. Cdd. Iu. Cr. M. Grut. Sch. 2. — *putasses adi.* Cdd. aliq. St. L. Pearc. — *putares esse adi.* Ern. €. 1. ([16]) — *dicerent* Edd. vett. margo Crat.

44. Missos facio mathematicos, grammaticos, musicos, quorum artibus vestra ista[1] dicendi vis ne minima quidem societate contingitur[2]. Quamobrem ista tanta, tamque multa profitenda, Crasse, non censeo. Satis id est magnum, quod potes praestare, ut in iudiciis ea causa, quamcunque tu dicis, melior et probabilior esse videatur: ut in concionibus et in sententiis[3] dicendis ad persuadendum tua plurimum valeat oratio: denique ut[4] prudentibus diserte, stultis etiam vere dicere videaris[5]. Hoc amplius si quid poteris, non id mihi videbitur orator, sed Crassus sua quadam propria, non communi oratorum facultate, posse.

XI. 45. Tum ille, Non sum, inquit, nescius, Scaevola, ista inter Graecos dici et disceptari solere. Audivi enim summos homines, quum quaestor ex Macedonia venissem Athenas, florente Academia, ut temporibus illis ferebatur, quod eam Charmadas[6], et Clitomachus, et Aeschines obtinebant. Erat etiam Metrodorus, qui cum illis una ipsum[7] illum Carneadem[8] diligentius audierat, hominem omnium in dicendo, ut ferebant, acerrimum et copiosissimum. Vigebat[9] auditor Panaetii illius tui Mnesarchus; et Peripatetici Critolai Diodorus[10]; 46. multi erant[11] praeterea clari[12] in philosophia et nobiles, a quibus omnibus una paene voce repelli[13] oratorem a gubernaculis civitatum, excludi ab omni doctrina rerumque maiorum scientia, ac tantum in iudicia et conciunculas, tamquam in aliquod pistrinum, detrudi et compingi videbam. 47. Sed ego neque illis assentiebar, neque harum disputationum inventori et principi longe omnium in dicendo gravissimo et eloquentissimo[14], Platoni, cuius tum Athenis diligentius legi cum Charmada Gorgiam[15]: quo in libro in hoc[16] maxime admirabar Platonem, quod mihi in oratoribus irridendis ipse esse orator summus videbatur. Verbi enim controversia iam diu torquet Graeculos homines, contentionis[17] cupidiores, quam veritatis. 48. Nam si quis hunc statuit[18] esse oratorem, qui tantummodo in iure[19], aut in iudiciis possit, aut apud populum, aut in senatu copiose loqui[20], tamen huic ipsi multa tribuat et concedat necesse est. Neque enim sine multa pertractatione omnium rerum publicarum, neque sine legum, moris[21],

---

(1) — *ipsa* Muell. 3. errore typogr.? (2) Sic Grut. 1. 2. 3. e Cdd. ∞ *coniungitur* Iu. Cr. M. L. (3) e C1d. Sch. 2. 3. ∞ *ut in sentent.* Iu. Cr. M. — *et sentent.* L. Grut. Ern. 1. (— *ad persuadendum* del. Steph.) (4) — *ut denique* L. (5) ∞ *videare dicere* Cdd. aliq. Edd. vett. (6) e Cdd. Pearc. 1. 2. 3. — *Carneades* Iu. — L. Grut. (7) — *ipse* Sch. C. 2. (8) Sic Cdd. Edd. omnes praeter Ern. 1. qui male scripsit: — *Charmadam.* (9) ∞ *vigebatque* e C3d. Sch. 2. (10) e Cdd. 1. Lallem. 2. 3. — *Critolaus et Diodorus* Iu. — L. Grut. (11) *erant* [ ] Muell. 3. — *multi etiam praeterea* Cdd. aliq. Grat. M. (12) e Cdd. St. L. 2. 3. — *praeclari* Iu. Cr. (13) Sic pleriq. L. 1. 2. 3. — *repelli voce* Iu. Cr. M. Grut. (14) *et eloq.* suspecta sunt sine ulla causa Matthiae *Misc. crit.* 1, 4. p. 676. (15) Hunc ordinem praebent Iu. Cr. M. L. — *cum Charmada dilig. legi Gorgiam* Grut. 1. 2. 3. Nescio qua auctoritate. (*Charmada* Cdd. aliq. Victor. 1. 2. 3. — *Carneade* Iu. Cr. M. L. Grut.) Sequentia *Verbi enim* cogitatione refer ad superiora illa *compingi videbam*, non vero ad Platonem. (16) Sic Iu. Cr. 1. 2. 3. — om. *in* ante *hoc* L. Grut. (17) In Ed. mai. Sch. distinxit cum Pearc. *Graeculos, homines cont.* (18) Sic St. L. 1. 2. 3. — *statuet* Iu. Cr. M. (19) = *possit in iure* cet. L. (20) ∞ *eloqui* mavult Beier *Off.* T. 1. p. 308. ut mox. (21) Sic Cdd. aliq. Iu. Cr. M. 2. 3. — *morum* St. L. Ern. 1.

iuris scientia, neque natura hominum incognita, ac moribus, in his[1] ipsis rebus satis callide versari, et perite potest. Qui autem haec cognoverit, sine quibus ne illa quidem minima in causis quisquam recte tueri potest, quid huic abesse poterit de maximarum rerum scientia? Sin oratoris nihil vis esse, nisi composite, ornate, copiose eloqui: quaero, id ipsum qui possit assequi[2] sine ea scientia, quam ei non conceditis[3]? Dicendi enim virtus, nisi ei, qui dicit, ea, de quibus dicit, percepta sint, exstare non potest. 49. Quamobrem, si ornate locutus est, sicut et fertur[4], et mihi videtur, physicus ille Democritus: materies[5] illa fuit physici, de qua dixit: ornatus vero ipse verborum, oratoris putandus est. Et, si Plato de rebus a civilibus controversiis remotissimis, divinitus est locutus, quod ego concedo: si item Aristoteles, si Theophrastus, si Carneades in rebus iis, de quibus disputaverunt, eloquentes, et in dicendo suaves, atque ornati fuerunt: sint haec res, de quibus disputant, in aliis quibusdam studiis: oratio quidem ipsa, propria est huius unius rationis, de qua loquimur, et quaerimus. 50. Etenim videmus, iisdem de rebus iciunc quosdam et exiliter, ut eum, quem acutissimum ferunt, Chrysippum, disputavisse, neque ob eam rem philosophiae non satisfecisse, quod non habuerit[6] hanc dicendi ex[7] arte aliena facultatem. XII. Quid ergo interest? aut qui discernes eorum, quos nominavi[8], ubertatem in dicendo[9], et copiam, ab eorum exilitate, qui hac dicendi[10] varietate, et elegantia non utuntur? Unum erit profecto, quod ii, qui bene dicunt, afferent[11] proprium, compositam orationem, et ornatam, et artificio quodam, et expolitione distinctam. Haec autem oratio, si res non subest ab oratore percepta et cognita, aut nulla sit necesse est, aut omnium irrisione ludatur. 51. Quid est enim tam furiosum, quam verborum, vel optimorum atque ornatissimorum, sonitus inanis, nulla subiecta sententia, nec scientia[12]? Quicquid erit igitur quacunque ex arte, quocunque de genere, id orator, si tamquam clientis causam, didicerit, dicet melius et ornatius, quam ipse ille[13] eius rei inventor, atque artifex. 52. Nam si quis erit, qui hoc dicat, esse quasdam oratorum proprias sententias atque causas, et certarum rerum forensibus cancellis[14] circumscriptam scientiam; fatebor equidem in his[15] magis assidue versari hanc nostram dictionem: sed tamen in his ipsis rebus permulta sunt, quae isti magistri, qui rhetorici vocantur, nec tradunt, nec tenent. 53. Quis enim nescit, maximam vim exsistere oratoris in hominum mentibus vel ad iram, aut ad odium, aut ad

---

([1]) ∞ om. *his* St. L. ([2]) — om. *assequi* O1x. v. Arntzen. ad Plin. Paneg. Add. ([3]) Sic Cdd. Iu. — L. Grut. 2. 3. — *concedis* Ern. 1. ([4]) Sic e Cdd. Edd. vett. Muell. 3. — *sicut et ferunt* O2x. Edd. vett. — *sicut fertur* Iu. — L. 1. 2. ([5]) = *materia* Edd. vett. ([6]) — *habuerint* Walkeri €. ([7]) Sic Cdd. aliq. Iu. — L. Sch. 2. 3. — *in arte* Grut. Ern. 1. ([8]) — *nominavimus* St. ([9]) = *in dic. ub.* Edd. vett. ([10]) ∞ om. *dicendi* St. L. ([11]) e Sch. €. 2. 3. ∞ *afferant* Ern. €. 1. — *afferunt* Cdd. Edd. ante Ern. (— *proprium afferunt* L.) ([12]) ∞ om. *nec sc.* Victor. et potest esse ex *διττογραφία*. ([13]) Sic Edd. vett. — *ille ipse* Iu. — L. 1. 2. 3. ([14]) ∞ *et quasi certarum* Edd. vett. Iu. Cr. M. quo tamen loco *quasi* vix recte se habet; unde Lamb. *forens. quasi canc.* Pro *certarum* Muell. €. 3. — *certam.* Sed de *certa* scientia h. l. sermo non est. ([15]) ∞ *in iis* Iu. l.

dolorem [1] incitandis, vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem, misericordiamque revocandis? quae [2], nisi qui naturas hominum, vimque omnem humanitatis, causasque eas, quibus mentes aut incitantur, aut reflectuntur, penitus perspexerit, dicendo, quod volet, perficere non poterit. 54. Atque [3] totus hic locus philosophorum putatur proprius [4]: neque orator, me auctore, unquam repugnabit: sed, quum illis cognitionem rerum concesserit, quod in ea solum illi voluerint [5] elaborare: tractationem orationis, quae sine illa scientia nulla est, sibi assumet: hoc enim est [6] proprium oratoris, quod saepe iam dixi, oratio gravis, et ornata, et hominum sensibus ac mentibus accommodata. XIII. 55. Quibus de rebus Aristotelem et Theophrastum scripsisse fateor. Sed vide, ne hoc, Scaevola, totum sit a me. Nam ego, quae sunt oratori cum illis communia, non mutuor ab illis: isti, quae de his rebus disputant, oratorum esse concedunt. Itaque ceteros libros, artis suae [7] nomine, hos rhetoricos et [8] inscribunt, et appellant. 56. Etenim [9] quum illi in dicendo inciderint loci (quod persaepe evenit) ut de diis immortalibus, de pietate, de concordia, de amicitia, de communi civium, de hominum [10], de gentium iure, de aequitate, de temperantia, de magnitudine animi, de omni virtutis genere sit dicendum, clamabunt, credo, omnia gymnasia, atque omnes philosophorum scholae, sua haec esse omnia [11] propria; nihil omnino ad oratorem pertinere. 57. Quibus ego, ut de his rebus omnibus [12] in angulis, consumendi otii causa, disserant, quum concessero, illud tamen oratori tribuam et dabo, ut eadem [13], de quibus illi tenui quodam exsanguique sermone disputant, hic cum omni gravitate et iucunditate explicet. Haec ego cum ipsis [14] philosophis tum Athenis disserebam. Cogebat enim me M. Marcellus hic noster, qui nunc aedilis curulis est, et profecto, nisi ludos nunc [15] faceret, huic nostro sermoni interesset; ac iam tum [16] erat adolescentulus his studiis mirifice deditus. 58. Iam vero de legibus instituendis [17], de bello, de pace, de sociis, de vectigalibus, de iure civili [18] generatim in ordines aetatesque descripto, dicant vel Graeci [19], si volunt, Lycurgum, aut Solonem (quamquam illos quidem censemus in numero eloquentium reponendos) scisse melius,

---

([1]) e C1d. Sch. 2. — *aut dolorem* Iu. — 1. 3. Utrumque *ad* ante *odium* et *dolor.* om. M. L. ([2]) Sic Cdd. Edd. vett. Iu. — M. v. Matthiae *Misc. Crit.* 2, 3, 85. (*quod volet* in levi hoc ἀνακολουθῳ quasi per parenthesin accipiend.) — *quare* e Passeratii C. L. 1. 2. 3. ([3]) c Cdd. Edd. vett. Muell. 3. — *Atqui* Iu. — L. 1. 2. ([4]) Sic Cdd. aliq. Edd. vett. Iu. Cr. M. L. 2. 3. — *proprius videtur* St. Grut. Ern. 1. Goerenzio ad *Acad.* 1, 6. utrumque *put.* et *vid.* e gloss. esse videbatur. ([5]) — *voluerunt* L. ([6]) ∞ *hoc est enim* volebat e vestigiis Cdd. Edd. vett. Klein. ([7]) Sic Cdd. aliq. Edd. vett. M. L. 2. 3. — *artis isti suae* Iu. Cr. Grut. Ern. 1. ([8]) — om. *et* Sch. 2. errore typogr.? ([9]) ∞ *At enim* Muell. C. 3. ([10]) — *hominum* suspect. Lambino. ([11]) ∞ om. *omnia* Sch. 2. cum C2d. — *esse haec omnia proprie* L. ([12]) — om. *omnibus* C3d. ap. Sch. Wyttenb. Bibl. Crit. 1. p. 23. disting. *de his reb. omnibus, in ang.* — *his de rebus in ang. omnibus* L. ([13]) — *ea* L. ([14]) — *istis* de Ern. C. Sch. in Ed. mai. ([15]) — del. *nunc* Sch. in Ed. mai. ([16]) — *at tum* L. ([17]) — *tuendis* Cdd. haud pauci. ([18]) e Cdd. 1. 2. 3. — *civium* Ald. Iu. — L. Grut. ([19]) = *vel Graeci dicant* L.

quam Hyperidem, aut Demosthenem, perfectos iam homines in dicendo, et perpolitos: vel nostri[1] decemviros, qui XII tabulas perscripserunt, quos necesse est fuisse prudentes, anteponant in hoc[2] genere et Ser. Galbae, et socero tuo C. Laelio, quos constat dicendi gloria praestitisse. 59. Nunquam enim negabo, esse quasdam artes proprias eorum, qui in his cognoscendis atque tractandis studium suum omne[3] posuerunt: sed oratorem plenum atque perfectum esse eum dicam, qui de omnibus rebus possit varie copioseque dicere. XIV. Etenim saepe in iis causis, quas omnes proprias esse oratorum confitentur, est aliquid, quod non ex usu forensi, quem solum oratoribus concediti s, sed ex obscuriore aliqua scientia sit promendum atque assumendum[4]. 60. Quaero enim, num possit aut contra imperatorem, aut pro imperatore dici, sine rei militaris usu, aut saepe etiam sine regionum terrestrium aut maritimarum scientia: num apud populum de legibus iubendis, aut vetandis: num in senatu de omni rei publicae genere[5] dici[6] sine summa rerum civilium cognitione, et prudentia: num admoveri possit oratio ad sensus animorum atque motus vel inflammandos, vel etiam exstinguendos, (quod unum in oratore[7] dominatur,) sine diligentissima pervestigatione earum omnium rationum, quae de naturis humani generis ac moribus a philosophis explicantur. 61. Atque haud scio, an minus hoc vobis sim probaturus: equidem non dubitabo[8], quod sentio, dicere: physica ista ipsa, et mathematica, et quae paullo ante ceterarum artium[9] propria posuisti, scientiae sunt eorum, qui illa profitentur; illustrare autem oratione si quis istas ipsas artes velit, ad oratoris ei[10] confugiendum est facultatem. 62. Neque enim, si Philonem illum architectum, qui Atheniensibus armamentarium fecit, constat, perdiserte populo rationem operis sui reddidisse, existimandum est, architecti potius artificio disertum, quam oratoris, fuisse. Nec, si huic M. Antonio pro Hermodoro fuisset de navalium opere dicendum, non, quum ab illo causam didicisset, ipse ornate de alieno artificio copioseque dixisset[11]. Neque vero Asclepiades is, quo nos medico amicoque usi sumus, tum, quum eloquentia vincebat ceteros medicos, in eo ipso, quod ornate dicebat, medicinae facultate utebatur, non eloquentiae[12]. 63. Atque illud est probabilius, neque tamen verum, quod Socrates dicere solebat, omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes: illud verius[13], neque quemquam in eo disertum esse posse, quod nesciat, neque, si id[14] optime sciat, ignarusque si sit[15] faciundae ac poliendae orationis, diserte id ipsum posse [de quo sciat] dicere[16]. XV. 64. Quamob-

(1) Sic M. L. 2. 3. — *nostros* Cdd. Edd. vett. Iu. Cr. 1. (2) — om. *in* Grut. (3) = *omne suum* L. (4) Sic Cdd. aliq. L. 2. 3. = *et assum.* Iu. Cr. M. Grut. — *atque sumendum* e Cdd. aliq. Ern. 1. Lallem. (5) ∞ *de omni re publica* St. L. (6) *dici* [ ] Ern. 1. (7) ∞ *oratione* St. L. (8) Sic M. St. L. 1. 3. — *dubito* Edd. vett. Iu. Cr. Sch. 2. (9) e Cdd. Pearc. 1. 2. 3. — *ista ipsa, quae paullo ante, et ceter. art.* Edd. vett. Iu. — L. Grut. (10) — *eis* L. errore typogr.? (11) Cum signo interrog. *dixisset?* Ern. 1. male. (12) — *non eloq.* del. Sch. €. 2. (13) — *est verius* L. (14) — *quid* Sch. €. 2. 3. V. Goerenz ad l. *de Fin.* p. 118. (15) e Cdd. Goerenz. Muell. 3. — *ignarusque sit* Iu. — L. 1. 2. (16) Cum Heusing. *de quo sciat* [ ]. Glossema hoc illatum turbas illas Cdd. concivit: v. c. *ipsum sciat posse de quo dicere.* Hahn. ∞ *posse, quod sciat, dic.* Ascens. Sch. 2. — *ipsum, quod sciat, posse dic.* Muell. €. 3.

rem, si quis universam et propriam oratoris vim definire, complectique vult, is orator erit, mea sententia, hoc tam gravi dignus nomine, qui, quaecunque res inciderit, quae sit dictione explicanda, prudenter, et composite, et ornate, et memoriter dicet[1], cum quadam actionis etiam[2] dignitate. 65. Sin cuipiam nimis infinitum videtur, quod ita proposui[3], *quacunque de re*, licet hinc, quantum cuique videbitur, circumcidat atque amputet: tamen illud tenebo, si, quae ceteris in artibus aut studiis sita sunt, orator ignoret, tantumque ea teneat, quae sint[4] in disceptationibus, atque[5] in usu forensi; tamen his de rebus ipsis si sit ei dicendum, quum cognoverit ab iis, qui tenent, quae sint in quaque re, multo oratorem melius, quam ipsos illos, quorum eae sunt artes, esse dicturum. 66. Ita si de re militari dicendum huic erit[6] Sulpicio, quaeret a C. Mario affini nostro, et, quum acceperit, ita pronuntiabit, ut ipsi C.[7] Mario paene hic melius, quam ipse, illa[8] scire videatur: sin de iure civili, tecum communicabit, teque hominem prudentissimum, et peritissimum in iis ipsis rebus, quas abs te didicerit, dicendi arte superabit: 67. sin quae[9] res inciderit, in qua de natura, de vitiis hominum, de cupiditatibus, de modo, de continentia, de dolore, de morte dicendum sit, forsitan, si ei sit visum, (etsi haec quidem nosse debet orator,) cum Sex. Pompeio, erudito homine in philosophia, communicarit[10]: hoc profecto efficiet, ut quamquam rem a quoquo[11] cognorit, de ea multo dicat ornatius, quam ille ipse, unde[12] cognorit. 68. Sed si me audierit, quoniam philosophia[13] in tres partes est tributa[14], in naturae obscuritatem, in disserendi subtilitatem, in vitam atque mores; duo illa relinquamus, atque[15] largiamur inertiae nostrae: tertium vero, quod semper oratoris fuit, nisi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus esse possit, relinquemus. 69. Quare hic locus de vita et moribus totus est oratori perdiscendus: cetera si non didicerit, tamen poterit, si quando opus erit[16], ornare dicendo, si modo erunt[17] ad eum delata, et tradita[18]. XVI. Etenim si constat inter doctos, hominem ignarum astrologiae, Aratum[19], ornatissimis atque optimis versibus de caelo stellisque dixisse: si de rebus rusticis hominem ab agro remotissimum, Nicandrum Colophonium, poëtica quadam facultate, non rustica, scripsisse praeclare: quid est,

---

(1) e Cdd. Sch. in Ed. mai. Muell. 3. — *dicat* Iu. — L. 1. 3. (2) e Cdd. Edd. vett. Muell. 3. ∞ *etiam actionis* Ceteri. (3) e Cdd. Edd. vett. Iu. Cr. M. prob. Wyttenb. *Eclog. hist.* p. 418. — *posui* L. 1. 2. 3. (4) ∞ *sunt* Huldrici suspic. (5) Sic Cdd. aliq. L. 1. 2. 3. — *aut* Iu. Cr. M. Grut. (6) = *erit huic* L. (7) Praenom. *C.* hic recte om. L. (8) e Cdd. Ern. 1. Lallem. 2. 3. — *ipse ille sc.* Edd. vett. Iu. Cr. M. Grut. — *ille ipse* L. (— *illa* om. Muell. 3. errore typogr.) (9) Sic Cdd. aliq. Iu. M. 1. 2. 3. = *qua* L. Grut. (10) e Cdd. 1. 2. 3. — *communicabit* Iu. — L. Grut. (11) e Goerenzii Codice. — *quamcunque rem a quoque* Iu. — L. 1. 2. — *quamcunque rem a quocunque* St. — *quamcunque rem a quoquo* O1x. Muell. 3. (12) — *a quo ante* pro *unde* Ascens. Margo Crat. (13) ∞ *philosophia ipsa* O1x. St. L. (14) e Cdd. 1. 2. 3. ∞ *distributa* Iu. Cr. M. L. Grut. (15) e Cdd. 1. 2. 3. — *idque* Iu. — L. Grut. (16) Sic St. L. 1. 2. 3. ∞ *si quando volet* Iu. Cr. M. (17) Sic St. L. 1. 2. 3. — *quum erunt* Iu. Cr. M. (18) Sic Iu. Cr. M. Grut. Ern. 1. ∞ *et ei tradita* Cdd. aliq. L. 2. 3. (19) Hoc l. Ern. C. 1. 2. 3. posuit v. *Aratum*, quod in Cdd. Edd. omnib. etiam L. legitur post v. *versibus*.

cur non orator de rebus iis eloquentissime dicat, quas ad certam causam tempusque cognorit? 70. Est enim finitimus oratori poëta, numeris adstrictior paullo, verborum autem licentia liberior, multis vero ornandi generibus socius, ac paene par: in hoc quidem certe prope [1] idem, nullis ut terminis circumscribat aut definiat ius suum, quo minus ei liceat eadem illa facultate et copia vagari, qua velit. 71. Namque illud quare, Scaevola, negasti te fuisse laturum, nisi in meo regno esses, quod in omni genere sermonis, in omni parte humanitatis dixerim oratorem perfectum esse debere? Nunquam mehercule hoc dicerem, si eum, quem fingo, me ipsum esse arbitrarer. 72. Sed, ut solebat C. Lucilius saepe [2] dicere, homo tibi subiratus, mihi propter eam ipsam causam minus, quam volebat [3], familiaris, sed tamen et doctus, et perurbanus: sic sentio, neminem [4] esse in oratorum numero habendum, qui non sit omnibus iis artibus, quae sunt libero [5] dignae, perpolitus: quibus ipsis si in dicendo non utimur [6], tamen apparet, atque exstat, utrum simus earum rudes, an didicerimus. 73. Ut, qui pila ludunt, non utuntur in ipsa lusione artificio proprio palaestrae, sed indicat ipse motus, didicerintne palaestram, an nesciant: et qui [7] aliquid fingunt, etsi tum pictura nihil utuntur, tamen, utrum sciant pingere, an nesciant, non obscurum est: sic in orationibus hisce ipsis iudiciorum, concionum, senatus, etiam si propriae [8] ceterae non adhibeantur [9] artes, tamen facile declaratur, utrum is, qui dicat, tantummodo in hoc declamatorio sit opere iactatus, an ad dicendum omnibus ingenuis artibus instructus accesserit.

XVII. 74. Tum ridens Scaevola: Non luctabor, inquit, tecum, Crasse, amplius. Id enim ipsum, quod [10] contra me locutus es, artificio quodam es consecutus, ut et mihi, quae ego vellem, non esse oratoris, concederes: et ea ipsa nescio quomodo rursus detorqueres, atque oratori propria traderes. 75. Hace [11], quum ego praetor Rhodum venissem, et cum summo illo doctore istius disciplinae Apollonio ea, quae a Panaetio acceperam, contulissem: irrisit ille quidem, ut solebat, philosophiam atque contempsit, multaque non tam graviter dixit, quam facete; tua autem fuit oratio eiusmodi, non ut ullam artem doctrinamve contemneres, sed ut omnes comites ac ministras [12] oratoris esse diceres. 76. Quas ego, si quis sit unus complexus omnes, idemque si ad eas facultatem [13] istam ornatissimae orationis adiunxerit; non possum dicere, eum non egregium quendam hominem

---

([1]) — om. *prope* L. ([2]) Pro *saepe* Ern. suspic. *de poëtis*. ([3]) Sic Cdd. Iu. L. 1. ∞ *volebam* de Ern. C. 2. 3. ([4]) ∞ *hominem neminem* St. L. ([5]) ∞ *libero homine* Iu. Cr. M. Primus, puto, omisit Steph. quum recepisset *hominem nem.* ([6]) — *utamur* C. nescio cuius ap. Muell. ([7]) — *et ut qui* L. ([8]) Sic Iu. Cr. L. Grut. ∞ *proprie* Cdd. aliq. Edd. vett. M. 1. 2. 3. Sed dictum est, ut supra, *artif. proprio*. ([9]) Sic Cdd. pleriq. Edd. vett. L. Grut. 2. 3. — *adhibentur* Iu. Cr. M. Ern. 1. ([10]) — *quoad* Sch. C. in Ed. mai. ([11]) — *Quae* Cdd. aliq. — om. *Haec* L. metu anacoluthi. Alio modo hoc sublatum est in Iu. Victor. Sch. 2. ita distinguentibus: *Haec–irrisit ille quidem, ut solebat philosophiam, atque.* (*philosophiam* del. suadet Censor Lips.) — *ut solebat, philosophiamque contempsit* Muell. C. 3. ([12]) ∞ *ministratrices* Nonius in *ministratrix*. ([13]) e Cdd. Pearc. 1. 2. 3. ∞ *facultates* Iu. — L. Grut.

atque admirandum fore: sed is, si qui [1] esset, aut si etiam unquam fuisset, aut vero si esse posset, tu esses unus profecto, qui et meo iudicio, et omnium, vix ullam ceteris oratoribus (pace horum dixerim) laudem reliquisti. 77. Verum si tibi ipsi nihil deest, quod in forensibus rebus civilibusque versetur, quin scias, neque eam tamen scientiam, quam adiungis oratori, complexus es; videamus, ne plus ei tribuas [2], quam res et veritas ipsa concedat.

78. Hic Crassus, Memento, inquit, me non de mea, sed de oratoris facultate dixisse. Quid enim nos aut didicimus, aut scire potuimus? qui ante ad agendum, quam ad cognoscendum venimus: quos in foro, quos in ambitione, quos in re publica, quos in amicorum negotiis, res ipsa ante confecit, quam possemus aliquid de rebus tantis suspicari. 79. Quod si tibi tantum in nobis videtur esse, quibus etiamsi ingenium, ut tu putas, non maxime defuit, doctrina certe, et otium, et hercule etiam studium illud discendi [3] acerrimum defuit: quid censes, si ad alicuius ingenium vel maius illa, quae ego non attigi, accesserint? qualem illum oratorem, et quantum [4] futurum?

XVIII. 80. Tum Antonius, Probas mihi, inquit, ista, Crasse, quae dicis: nec dubito, quin multo locupletior in dicendo futurus sit, si quis omnium rerum atque artium rationem naturamque comprehenderit. 81. Sed primum id difficile est factu [5], praesertim in hac nostra vita, nostrisque occupationibus: deinde illud etiam verendum est [6], ne abstrahamur ab hac exercitatione, et consuetudine dicendi populari, et forensi. Aliud enim mihi quoddam genus orationis esse videtur eorum hominum, de quibus paullo ante dixisti, quamvis illi ornate et graviter, aut de natura rerum, aut de humanis rebus loquantur. Nitidum quoddam genus est verborum et laetum, sed palaestrae magis et olei [7], quam huius civilis turbae ac fori. 82. Namque egomet, qui sero, ac leviter Graecas literas attigissem, tamen quum pro consule [8] in Ciliciam proficiscens Athenas venissem, complures tum ibi dies sum propter navigandi difficultatem commoratus: sed, quum quotidie mecum haberem homines doctissimos, eos fere ipsos, qui abs te modo sunt nominati, quumque hoc, nescio quomodo, apud eos increbuisset [9], me in causis maioribus, sicuti te, solere versari, pro se quisque ut poterat [10], de officio et ratione [11] oratoris disputabat. 83. Horum alii, sicut iste ipse Mnesarchus, hos, quos nos oratores vocaremus, nihil esse dicebat, nisi quosdam operarios, lingua celeri et exercitata; oratorem autem, nisi qui sapiens esset, esse neminem: atque ipsam eloquentiam, quod ex bene dicendi scientia constaret, unam quandam esse virtutem, et, qui unam virtutem haberet, omnes habere, easque esse [12] inter se aequales et pares: ita, qui esset eloquens,

(1) e Cdd. 1. 2. 3. = *quis* Iu. L. Grut. Sed sic sexcenties rescribi poterat vel sine Cdd. v. c. supra *si qui sit*, mox §. 80. *si qui omnium* cet. (2) — *tribuamus* Cdd. aliq. (— *vide*, *ne plus* Sch. suspic. — *vide iam*, *ne plus* Muell. suspic. Sed *videamus* h. l. longe urbanius.) (3) Ex Hotom. C. probata Lamb. in marg. 1581. 1. 2. 3. — *dicendi* Cdd. Iu. — L. 1566. Grut. (4) e Cdd. Edd. vett. Sch. 2. 3. — *illum*, *et quantum or. fut.* Iu. — L. Grut. 1. (5) = *factu est* L. (6) *est* del. Sch. 2. cum Cld. (7) — *otii* Sch. 2. e Cd. Dresd. qui tamen in marg. habet *olei*. (8) — *proconsul* Iu. Crat. (9) Sic Iu. al Ern. 1. = *increbruisset* L. 2. 3. (10) Sic St. Grut. 1. 2. 3. — *quisque eorum ut quisque poterat*. Iu. Cr. M. L. (11) ∞ *et de rat.* Cdd. aliq. Edd. vett. (12) F Cdd. St. L. 1. 2. 3. — *easque ipsas esse* Iu. Cr. M. Grut.

eum virtutes omnes habere, atque esse sapientem. Sed haec erat spinosa quaedam et exilis oratio, longeque a nostris sensibus abhorrebat. 84. Charmadas[1] vero multo uberius iisdem de rebus loquebatur: non quo aperiret sententiam suam; hic enim mos erat patrius Academiae, adversari semper omnibus in disputando; sed quum[2] maxime tamen hoc significabat, eos, qui rhetores nominarentur, et qui dicendi praecepta traderent, nihil plane tenere, neque posse quemquam facultatem assequi dicendi, nisi qui philosophorum inventa didicisset. XIX. 85. Disputabant contra diserti homines Athenienses, et in re publica causisque versati, in quibus[3] erat etiam is, qui nuper Romae fuit, Menedemus, hospes meus; qui quum diceret esse quandam prudentiam, quae versaretur in perspiciendis rationibus constituendarum et regendarum rerum publicarum, excitabatur[4] homo promptus ab homine abundanti doctrina, et quadam incredibili varietate rerum et[5] copia. Omnes enim partes illius ipsius prudentiae petendas esse a philosophia[6] dicebat[7], neque ea, quae statuerentur in re publica de diis immortalibus, de disciplina iuventutis, de iustitia, de patientia, de temperantia, de modo rerum omnium, ceteraque, sine quibus civitates aut esse, aut bene moratae esse non possent, usquam in eorum inveniri libellis[8]. 86. Quod si tantam vim rerum maximarum arte sua rhetorici illi doctores complecterentur: quaerebat, cur de[9] prooemiis, et de epilogis, et de huiusmodi nugis (sic enim appellabat) referti essent eorum libri: de civitatibus instituendis[10], de scribendis legibus, de aequitate, de iustitia, de fide, de frangendis cupiditatibus, de conformandis hominum moribus, litera in eorum libris[11] nulla inveniretur. 87. Ipsa vero praecepta sic illudere solebat, ut ostenderet, non modo eos illius expertes esse prudentiae, quam sibi asciscerent[12], sed ne hanc quidem ipsam dicendi rationem ac viam nosse. Caput enim esse arbitrabatur oratoris, ut et ipsis, apud quos ageret, talis, qualem se ipse optaret[13], videretur; id fieri vitae dignitate, de qua nihil rhetorici isti doctores[14] in praeceptis suis reliquissent: et uti eorum, qui audirent, sic afficerentur animi[15], ut eos affici vellet orator: quod item[16] fieri nullo modo posse[17], nisi cognosceret is, qui diceret, quot modis hominum mentes, et quibus rebus, et quo genere orationis in quamque partem moverentur: haec autem esse penitus in media philosophia retrusa atque abdita; quae[18] isti rhetores ne primoribus quidem labris attigissent. 88. Ea Menedemus exemplis magis, quam argumentis, refellere conaba-

---

(1) Necessaria Ern. correctio. 1. 2. 3. — *Carneades* Cdd. Iu. — L. Grut. (2) e Cdd. 1. 2. 3. — *tum* Iu. — L. Grut. (3) Sic Edd. vett. Iu. Cr. M. L. Muell. 3. — *quis* videtur esse a Grutero. 1. 2. (4) ∞ *exagitabatur* egregia Gulielmii C. recepta a Sch. 2. 3. — *excipiebatur* Hotoman. C. In Ed. mai. Sch. (contra scriptoris sententiam) eiicienda censebat v. *ab homine*. (5) ∞ *atque* L. (6) — *a philosophis* Sch. C. 2. (7) e Cdd. 1. 2. 3. — *docebat* Iu. — L. Grut. (8) Sic Cdd. Grut. Ern. 1. 3. — *usquam in eorum libris inveniri* Iu. — L. — *usquam nisi in eorum libris inveniri* Sch. C. 2. perperam. (Pro *eorum*, — *rhetorum* Purgoldi C.) (9) — *de* L. om. et ante *epilogis* et ante *huiusmodi*. (10) ∞ *constituendis* L. (11) *in eor. libr.* [ ] Muell. 3. (12) — *adscriberent* Steph. (13) — *se ipse esse opt.* L. (14) — *rhetorici* et *doctores* del. Sch. C. 2. (15) ∞ *uti qui audirent sic afficerentur animis* Iu. Cr. M. (16) — *idem* Cdd. multi — *ita* St. L. — *quidem* Muell. suspicio. (17) — *posse aiebat* St. L. (18) ∞ *quam* Walkeri C. non prorsus necessaria, recepta a Sch. 2. 3.

tur [1]. Memoriter enim multa ex orationibus Demosthenis praeclare scripta pronuntians, dicebat [2], illum in animis vel iudicum, vel populi, in omnem partem dicendo permovendis, non fuisse ignarum, quibus ea rebus consequeretur, quae negaret ille sine philosophia quemquam scire posse. XX. 89. Hic ille respondebat [3], non se negare, Demosthenem summam prudentiam, summamque vim habuisse dicendi: sed sive ille hoc ingenio potuisset, sive, id quod constaret, Platonis studiosus audiendi fuisset; non, quid ille potuisset, sed quid isti docerent, esse quaerendum. 90. Saepe etiam in eam partem ferebatur oratione, ut omnino [4] disputaret nullam artem esse dicendi: idque quum argumentis docuerat, quod ita nati essemus, ut et blandiri, et suppliciter insinuare iis, a quibus [5] esset petendum, et adversarios minaciter [6] terrere possemus, et rem gestam exponere, et id, quod intenderemus, confirmare, et id, quod contra diceretur, refellere, et [7] ad extremum deprecari aliquid, et conqueri, quibus in rebus omnis oratorum versaretur facultas: et quod [8] consuetudo, exercitatioque et intelligendi prudentiam acueret, et eloquendi celeritatem incitaret: tum etiam exemplorum copia nitebatur. 91. Nam primum, quasi dedita opera, neminem scriptorem artis ne mediocriter quidem disertum fuisse dicebat, quum repeteret usque a Corace, nescio quo, et Tisia, quos artis illius inventores et principes fuisse constaret: eloquentissimos autem homines, qui ista nec didicissent, nec omnino scire [9] curassent, innumerabiles quosdam nominabat: in quibus etiam, (sive ille irridens, sive quod ita putaret [10], atque ita audisset,) me in illo numero [11], qui illa non didicissem, et tamen (ut ipse dicebat) possem aliquid in dicendo, proferebat. Quorum ego illi [12] alterum facile [13] assentiebar, nihil me didicisse; in altero autem me illudi ab eo, aut etiam ipsum errare arbitrabar. 92. Artem vero negabat esse ullam, nisi quae cognitis, penitusque perspectis, et in unum exitum spectantibus, et nunquam fallentibus rebus contineretur. Haec autem omnia, quae tractarentur ab oratoribus, dubia esse et incerta: quum et dicerentur ab iis, qui ea omnia non plane tenerent, et audirentur ab iis, quibus non scientia esset tradenda, sed exigui temporis aut falsa, aut certe obscura opinio [14]. 93. Quid multa? sic mihi tum persuadere videbatur, neque artificium ullum esse dicendi, neque quemquam posse, nisi, qui illa, quae a doctissimis hominibus in philosophia dicerentur, cognosset, aut callide aut copiose dicere. In quibus dicere Charmadas [15]

([1]) Sic Cdd. Edd. vett. L. 2. 3. — *conab. refell.* Iu. M. Grut. 1. ([2]) — *docebat* Iu. — L. ([3]) Sic Olx. Muell. 3. Saepe *hic* adv. pro pronomine habitum, turbas excitavit. ∞ *Hic resp.* Manut. — *Huic resp.* Iu. Cr. L. — *Huic ille resp.* 1. Lallem. Sch. 2. ([4]) — *omnimodo* Olx. — *omnimodis* Olx. prob. Pearc. ([5]) Sic Iu. Cr M. 1. 2. 3. — *blandiri suppliciter iis, a quib.* Cdd. aliq. Edd. vett. L. Pro *suppliciter* ∞ *subtiliter* Cdd. aliq. Steph. ([6]) — *minis* St. ([7]) ∞ om. *et* ante *ad extr.* St. L. non male. ([8]) — *quum* L. ([9]) Sic Cdd. aliq. Edd. vett. L. 1. 3. ∞ *scisse* Cdd. aliq. Edd. vett. aliq. Iu. Cr. M. Grut. (prob. Heusing) Sch. 2. ([10]) — *putasset* Pearc. €. ([11]) = *in eo num.* Cdd. aliq. Delenda censebat L. del. Sch. 2. ([12]) Sic Hahn. Iu. Cr. M. L. — *quorum illi* Grut. 1. 2. 3. ([13]) ∞ *facile alterum* Edd. vett. ([14]) ∞ add. *immittenda* Edd. vett. ([15]) *In quibus* ex Edd. quibusd. vett. Ern. 1. 2. 3. — *Quibus dicere Carneades* Cdd. pleriq. Iu. — L. 1566. Grut. — *quibus adhibere* ex Hotom. €. L. in marg. 1584. prob. Lallem. — *e quibus dic.* Gulielmii €. — *quibus subiicere* Pearcii €.

solebat, ingenium tuum, Crasse, vehementer admirans[1], me sibi perfacilem in audiendo[2], te perpugnacem in disputando esse visum. XXI. 94. Tumque[3] ego, hac eadem opinione adductus, scripsi etiam illud quodam in libello, qui me imprudente et invito excidit, et pervenit in manus hominum, disertos me cognosse nonnullos, eloquentem adhuc neminem: quod cum statuebam disertum, qui posset satis acute atque dilucide, apud mediocres homines, ex communi quadam opinione hominum[4], dicere: eloquentem vero, qui mirabilius et magnificentius augere posset atque ornare, quae vellet, omnesque omnium rerum, quae ad dicendum pertinerent, fontes animo ac memoria contineret. Id si est difficile nobis, qui[5] ante, quam ad discendum ingressi sumus, obruimur ambitione et foro, sit tamen in re positum atque natura. 95. Ego enim, quantum auguror coniectura, quantaque ingenia in nostris hominibus esse video, non despero, fore aliquem aliquando, qui et studio acriore, quam nos sumus atque fuimus, et otio ac facultate discendi maiore ac maturiore, et labore atque industria superiore, quum se ad audiendum, legendum, scribendumque dediderit[6], exsistat talis orator, qualem quaerimus, qui iure non solum disertus, sed etiam eloquens dici possit: qui tamen, mea sententia, aut hic est iam Crassus, aut, si quis pari[7] fuerit ingenio, pluraque quam hic, et audierit, et lectitarit, et scripserit, paullum huic aliquid poterit addere.

96. Hoc loco Sulpicius, Insperanti mihi, inquit, et Cottae, sed valde optanti utrique nostrûm, cecidit, ut in istum sermonem, Crasse, delaberemini. Nobis enim huc venientibus iucundum satis[8] fore videbatur, si, quum vos de rebus aliis loqueremini, tamen nos aliquid ex sermone vestro memoria dignum excipere possemus; ut vero penitus in eam ipsam totius huius vel studii, vel artificii, vel facultatis disputationem paene intimam perveniretis[9], vix optandum nobis videbatur. 97. Ego enim, qui ab ineunte aetate incensus essem studio utriusque vestrûm, Crassi vero[10] etiam amore, quum ab eo nusquam discederem, verbum ex eo nunquam elicere potui de via[11] ac ratione dicendi, quum et per memet ipsum[12] egissem, et per Drusum saepe tentassem: quo in genere tu, Antoni, (vere loquar) nunquam mihi percontanti[13], aut quaerenti aliquid, defuisti, et persaepe me, quae soleres in dicendo observare, docuisti. 98. Nunc quoniam uterque vestrûm patefecit earum rerum ipsarum[14] aditum, quas quaerimus, et quoniam princeps Crassus eius sermonis ordiendi fuit, date nobis hanc veniam, ut ea, quae

---

([1]) — *admirari* Cdd. aliq. St. ([2]) — *in dicendo* Edd. vett. prob. Lamb. ([3]) Sic Iu. — L. 1. 3. — *tum ego* Edd. vett. ∞ *Itaque ego* Cdd. aliq. Sch. 2. ([4]) Sic omnes Edd. vett. Iu. Cr. M. L. Grut. nec novi Cod. qui omittat *hominum*, quod non monito lectore, abest ab Ern. 1. 2. 3. ([5]) — *quod* St. ([6]) ∞ *scrib. maiore opera dediderit* Iu. Crat. M. = *scrib. maiore opera dederit* Edd. vett. L. *dediderit* habent Oxonn. aliq. ∞ *dederit* alii. Sch. 2. *maiore opera* aberat a C2d. Lambini, primusque expunxit Car. Steph. ([7]) ∞ *si quis*, *qui pari* Bremii €. ([8]) = *satis iuc.* L. ([9]) Sic pleriq. etiam Oxonn. Edd. vett. Iu. — L. Muell. 3. *veniretis* Edd. vett. aliq. Grut. 1. 2. ([10]) — *Crasse*, *tuo vero etiam.* Cdd. aliq. Edd. vett. St. ([11]) Sic Cdd. aliq. Manut. (qui hab. *de via*, *ac de rat.*) Markland ad Stat. p. 312. — *vi* Iu. Cr. L. Grut. 1. 2. 3. ([12]) — *per me ipsum* Iu. — L. ∞ *per me ipse* Lamb. suspic. ([13]) Ita Edd. vett. Crat. Sch. 2. 3. = *percunctanti* Iu. M. L. Ern. 1. Semel moneo. ([14]) *ipsarum* om. St. L.

sentitis de omni genere dicendi, subtiliter persequamini[1]. Quod quidem si erit a vobis impetratum, magnam habebo, Crasse, huic palaestrae, et Tusculano tuo gratiam, et longe Academiae illi ac Lyceo[2] tuum hoc suburbanum gymnasium anteponam. XXII. 99. Tum ille, Immo vero[3], inquit, Sulpici, rogemus Antonium, qui et potest facere id[4], quod requiris, et consuevit, ut te audio dicere. Nam me quidem, fateor[5], semper a genere hoc toto sermonis refugisse, et tibi cupienti atque instanti saepissime negasse, ut[6] tute paullo ante dixisti. Quod ego non superbia, neque inhumanitate faciebam, neque quo tuo studio rectissimo atque optimo non obsequi vellem, praesertim quum te unum ex omnibus ad dicendum[7] maxime natum, aptumque cognossem, sed mehercule istius disputationis insolentia, atque earum rerum, quae quasi in arte traduntur[8], inscitia[9]. 100. Tum Cotta: Quoniam id, quod difficillimum nobis videbatur, ut omnino de his rebus, Crasse, loquerere, assecuti sumus; de reliquo iam nostra culpa fuerit, si te, nisi omnia, quae percontati erimus, explicaris, dimiserimus. 101. De iis[10], credo, rebus, inquit Crassus, ut in cretionibus[11] scribi solet, QVIEVS SCIAM, POTEROQVE. Tum ille, Nam quod tu non poteris, aut nescies, quis nostrûm tam impudens est, qui se scire aut posse postulet?

Iam vero, ista conditione[13], dum mihi liceat negare posse quod non potero, et fateri nescire quod nesciam, licet, inquit Crassus, vestro arbitratu percontemini. 102. Atque[14], inquit Sulpicius, hoc primum ex te, de quo modo Antonius exposuit, quid sentias, quaerimus: existimesne artem aliquam esse dicendi. Quid? mihi nunc vos, inquit Crassus, tamquam alicui Graeculo otioso et loquaci, et fortasse docto, atque erudito, quaestiunculam, de qua meo arbitratu loquar, ponitis? Quando enim me ista curasse, aut cogitasse arbitramini, et non[15] semper irrisisse potius eorum hominum impudentiam, qui quum in schola assedissent, ex magna[16] hominum frequentia dicere iuberent, si quis quid quaereret? 103. Quod primum ferunt Leontinum fecisse Gorgiam; qui permagnum quiddam suscipere ac profiteri videbatur, quum se ad omnia, de quibus quisque audire vellet, esse paratum denuntiaret. Postea vero vulgo hoc facere coeperunt, hodieque faciunt, ut nulla sit res, neque tanta, neque tam improvisa, neque tam nova, de qua se non[17] omnia, quae dici possunt[18], profiteantur esse dicturos. 104. Quod si te, Cotta, arbitrarer, aut te, Sulpici, de iis,

---

([1]) *prosequamini* Iu. ([2]) = *Lycio* Iu. — L. ([3]) — *Enimvero* Cdd. aliq. ([4]) Sic Cdd. aliq. Iu. — L. 1. 2. 3. — *id* om. Grut. ([5]) Sic Cdd. aliq. M. St. 1. 2. 3. ∞ *et fateor* L. — om. *fateor* Iu. Crat. Grut. ([6]) Sic Cdd. Crat. M. 1. 2. 3. ∞ om. *ut* Iu. L. Grut. ([7]) Sic Iu. Cr. M. L. Grut. Muell. 3. — *discendum* Ern. 1. Sch. 2. errore typogr.? ([8]) Sic Edd. vett. L. Sch. 2. 3. = *traduntur in arte* Iu. Cr. M. 1. ([9]) ∞ *inscientia* O1x. L. quod h. l. videtur praestare. ([10]) Sic Man. Muell. 3. — *his* Iu. Cr. L. 1. 2. ([11]) Sic L. 1. 2. 3. — *conditionibus* Iu. M. St. alii aliter. ([12]) Sic Cdd. aliq. (O1x.) St. L. 2. 3. — *nam quae tu* O1x. — *namque quod* Pleriq. Iu. Cr. M. Grut. 1. ([13]) Pro *Iam-cond.* Lamb. — *Ista vero cond.* Omnia haec *Iam, vero-percontemini* suspecta erant Sch. in Ed. mai. eiusque Censori Lips. ([14]) — *Atqui* Cdd. aliq. Edd. vett. Iu. ([15]) — *arbitramini, non* Iu. Cr. (*arbitramini? Non* — Man.) ([16]) ∞ *in maxima* Steph. L. (— *in magna* Cld. ap. St.) ([17]) ∞ *non se* Cdd. aliq. L. Muell. 3. (*se* tamen est primaria notio). ([18]) — *possint* e Cdd. Harless.

rebus audire velle, adduxissem huc Graecum aliquem, qui vos[1] istiusmodi disputationibus delectaret: quod ne nunc quidem difficile factu est[2]. Est enim apud M. Pisonem, adolescentem iam[3] huic studio deditum, summo hominem ingenio, nostrique cupidissimum, Peripateticus Staseas, homo nobis sane familiaris, et, ut inter homines peritos constare video, in illo suo genere omnium princeps. XXIII. 105. Quem tu mihi, inquit Mucius[4], Staseam, quem Peripateticum narras? Gerendus est tibi mos adolescentibus, Crasse: qui non Graeci alicuius quotidianam loquacitatem sine usu, neque ex scholis cantilenam requirunt, sed ex homine omnium sapientissimo atque eloquentissimo, atque ex eo, qui non in libellis, sed in maximis causis, et in hoc domicilio imperii et gloriae, sit consilio linguaque princeps, cuius vestigia persequi[5] cupiunt, eius sententiam scisitantur. 106. Equidem te quum in dicendo semper putavi deum, tum vero tibi nunquam eloquentiae maiorem tribui laudem, quam humanitatis: qua nunc te uti vel maxime decet, neque defugere eam disputationem, ad quam te duo excellentis ingenii[6] adolescentes cupiunt accedere.

107. Ego vero, inquit, istis obsequi studeo, neque gravabor breviter meo more, quid quaque de re sentiam, dicere. Ac primum illud (quoniam auctoritatem tuam negligere, Scaevola, fas mihi esse[7] non puto) respondeo, mihi dicendi aut nullam artem, aut pertenuem videri, sed omnem esse contentionem inter homines doctos in verbi controversia positam. 108. Nam si ars ita[8] definitur, ut paullo ante exposuit Antonius, ex[9] rebus penitus perspectis, planeque cognitis, atque ab opinionis arbitrio seiunctis, scientiaque comprehensis; non mihi videtur ars oratoris esse ulla. Sunt enim varia, et ad vulgarem popularemque sensum accommodata omnia genera huius forensis nostrae dictionis. 109. Sin autem ea[10], quae observata sunt in usu ac tractatione[11] dicendi, haec ab hominibus callidis ac peritis animadversa ac notata, verbis designata, generibus illustrata, partibus distributa sunt, (id quod fieri potuisse video): non intelligo, quamobrem non, si minus illa subtili definitione, at hac vulgari opinione, ars esse videatur. Sed sive est ars, sive artis quaedam similitudo, non est ea quidem[12] negligenda: verum intelligendum est, alia quaedam ad consequendam eloquentiam esse maiora. XXIV. 110. Tum Antonius vehementer se assentiri[13] Crasso dixit, quod neque ita amplecteretur artem[14], ut ii solerent, qui omnem vim dicendi in arte ponerent, neque rursum eam totam, sicut plerique philosophi facerent, repudiaret. Sed existimo, inquit, gratum te his esse, Crasse[15], facturum, si ista exposueris, quae putas ad dicendum plus, quam ipsam artem posse prodesse.

(1) Sic Cdd. St. L. 1. 2. 3. — *nos* Iu. Cr. M. (2) = *est diff. factu* Sch. 2. 3. nescio unde. (3) ∞ om. *iam* St. L. (4) Ita Cdd. aliq. Crat. L. 2. 3. — *Quem tu, inquit, mihi, Mucius* Iu. Grut. 1. (5) Sic M. L. 1. 2. 3. — *vest. qui persequi* Edd. vett. Iu. Crat. (6) — *excellentes ingeniis* e Cld. Sch. in Ed. mai. (7) — *esse* om. St. (8) — del. *ita* Sch. C. 2. (9) — del. *ex* Sch. C. 2. (10) — del. Sch. C. 2. (11) e Cdd. Sch. 2. 3. — *ratione* Iu. — L. 1. (12) Ex Omnib. L. Sch. 2. 3. — *quidem ea* Iu. Cr. 1. (13) Sic Edd. vett. Iu. — L. Muell. 3. = *assentire* Grut. 1. 2. (14) = *artem amplect.* L. (15) Sic Edd. vett. Iu. Cr. M. Sch. 2. — *his, Crasse, esse fact.* Muell. 3. qui falso hanc lectionem tribuit Lambino. Is enim cum Steph. Grut. Ern. 1. ∞ *his, Crasse, fact.*

111. Dicam equidem, quoniam institui, petamque a vobis, inquit, ne has meas ineptias efferatis: quamquam moderabor ipse, ne[1], ut quidam magister atque artifex, sed quasi unus e togatorum numero, atque ex forensi usu homo mediocris, neque omnino rudis, videar, non[2] ipse a me aliquid[3] promisisse[4], sed fortuito in sermonem vestrum incidisse. 112. Equidem, quum peterem magistratum[5], solebam in prensando dimittere a me Scaevolam, quum ei ita dicerem, me velle esse ineptum, id erat, petere blandius: quod nisi inepte fieret, bene non posset fieri; hunc autem esse hominem unum[6] ex omnibus, quo praesente ego ineptum me esse[7] minime vellem: quem quidem nunc mearum ineptiarum testem et spectatorem fortuna constituit. Nam quid est ineptius, quam de dicendo dicere, quum ipsum[8] *dicere* nunquam sit non ineptum, nisi quum est necessarium? Perge vero, Crasse, inquit Mucius. 113. Istam enim culpam, quam vereris, ego praestabo.

XXV. Sic igitur sentio, inquit Crassus[9] naturam primum, atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam: neque vero istis, de quibus paullo ante dixit Antonius, scriptoribus artis, rationem dicendi et viam, sed naturam defuisse. Nam et animi atque ingenii celeres quidam motus esse debent, qui et ad excogitandum acuti, et ad explicandum ornandumque sint uberes, et ad memoriam firmi atque diuturni; 114. et[10] si quis est, qui haec putet arte accipi[11] posse, (quod falsum est; praeclare enim se res habeat, si haec accendi, aut[12] commoveri arte possint: inseri quidem, et donari ab arte non possunt; omnia sunt enim illa dona naturae[13]:) quid de illis dicet, quae certe cum ipso homine nascuntur? linguae solutio, vocis sonus, latera, vires[14], conformatio quaedam et figura totius oris et corporis? 115. Neque haec ita dico, ut ars aliquid limare non possit: (neque enim ignoro, et quae bona sint, fieri meliora posse doctrina, et quae non optima, aliquo modo acui tamen et corrigi posse:) sed sunt quidam aut ita lingua haesitantes, aut ita voce absoni, aut ita vultu, motuque corporis vasti atque agrestes, ut etiamsi ingeniis atque arte valeant, tamen in oratorum numerum venire non possint. Sunt autem quidam ita in iisdem rebus habiles, ita naturae muneribus ornati[15], ut non nati, sed ab aliquo deo facti[16]

---

(1) — *ipse mihi, ne* L. (2) *non* suspectum Matthiae; sed excusatur praecedente *sed rudis*, cuius oppositionem facit. (3) Sic L. Muell. 3. auctore Goerenzio. = *aliquid a me* Iu. — 1. 2. (4) e Cdd. Idd. vett. Sch. 2. 3. — *promsisse* Iu. — L. 1. (*aliquid de me promisisse* de Pearcii suspicione Lallem.) (5) e Cdd. 1. 2. 3. — *magistratus* Iu. — L. Grut. (6) *hominem unum* Cdd. aliq. L. Pearc. Muell. 3. — *unum hom.* Iu. — 1. 2. Interpunxi cum Iu. M. *fieri; hunc* — Locum recte explicavit Matthiae in Ed. Harless. Sch. 2. et Muell. 3. miseram interpolationem Codd. Arntzeniani et Erl. 2. receperunt: *fieri. Hunc autem semper iudicavi h. u.* quam quodammodo praeceperat Car. Steph. sic edens: *hunc autem semper esse unum hominem ex omn. iudicavi.* (7) Sic St. L. = *ineptum esse me* e Cld. Sch. 2. — *me ineptum esse* Muell. C. 3. — *ineptus esse* Iu. Cr. M. Grut. 1. (8) e Cdd. 1. 2. 3. — *id ipsum, dicere* Iu. — L. Grut. (9) Sic Iu. — L. Muell. 3. — *Sic igitur, inq. Crass. sentio* 1. 2. — *Sic ig. censeo, inq. Cr.* Grut. (10) — *sed* Cdd. multi. L. Sed sic *et* ante *animi* non habet, quo referatur. (11) — *percipi* O2x. (12) — *ac sic* St. (13) Ita Cdd. Iu. Crat. Muell. 3. — *non possunt omnia; sunt enim* M. L. 1. — *omnia-naturae* del. Sch. C. 2. (14) — *laterum vires* O1x. a m. 2. Pearc. C. (— *aures* Cdd. aliq.) (15) Sic Cdd. aliq. St. L. 1. 2. 3. — *ita naturae muneribus in iisd. reb. habiles, ita ornati.* Iu. Grut. Cr. (16) Sic Iu. Cr. M. 1. 2. 3. ∞ *facti* Cd. Dresd. Gud. 3. St. L. prob. Ern.

esse videantur. 116. Magnum quoddam est onus atque munus, suscipere [1] atque [2] profiteri, se esse, omnibus silentibus, unum maximis de rebus, magno in conventu hominum, audiendum. Adest enim fere nemo, quin acutius atque acrius vitia in dicente, quam recta videat. Ita quidquid est, in quo offenditur, id etiam illa, quae laudanda sunt, obruit. 117. Neque haec in eam sententiam disputo, ut homines adolescentes, si quid naturale forte non habeant, omnino a dicendi studio deterream. Quis enim non videt [3], C. Caelio, aequali meo, magno honori fuisse, homini novo, illam ipsam, quamcunque assequi potuerit [4], in dicendo mediocritatem? Quis vestrum aequalem [5], Q. Varium, vastum hominem atque foedum, non intelligit, illa ipsa facultate, quamcunque habet, magnam esse in civitate gratiam consecutum? XXVI. 118. Sed quia de oratore quaerimus, fingendus est nobis oratione nostra, detractis omnibus vitiis, orator, atque omni laude cumulatus [6]. Neque enim, si multitudo litium, si varietas causarum, si haec turba, et barbaria forensis dat locum vel vitiosissimis oratoribus, idcirco nos hoc, quod quaerimus, omittemus. Itaque in iis artibus, in quibus non utilitas quaeritur necessaria, sed animi libera quaedam oblectatio, quam diligenter, et quam prope fastidiose iudicamus? Nullae enim lites, neque controversiae sunt, quae cogant homines, sicut in foro non bonos oratores, item in theatro actores malos perpeti. 119. Est igitur oratori diligenter providendum, non uti illis satisfaciat, quibus necesse est: sed ut iis admirabilis esse videatur, quibus libere liceat iudicare. Ac, si quaeritis, plane, quid sentiam, enuntiabo apud homines familiarissimos, quod adhuc semper tacui [7], et tacendum putavi. Mihi, etiam qui optime [8] dicunt, quique id facillime atque ornatissime facere possunt, tamen, nisi timide ad dicendum accedunt, et in exordienda [9] oratione perturbantur, paene impudentes videntur: tametsi id accidere non potest. 120. Ut enim quisque optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem, variosque eventus orationis, hominumque exspectationem [10] pertimescit. Qui vero nihil potest dignum re, dignum nomine oratoris, dignum hominum auribus efficere atque edere, is mihi, etiamsi commovetur [11] in dicendo, tamen impudens videtur. Non enim pudendo, sed non faciendo id, quod non decet, impudentiae nomen effugere debemus. 121. Quem vero non pudet (id quod in plerisque video) hunc ego non reprehensione solum, sed etiam poena dignum puto. Equidem et in vobis animadvertere soleo, et in me ipso [12] saepissime experior, ut exalbescam in principiis dicendi, et tota mente, atque omnibus ar-

---

([1]) — *magnum quiddam est, onus* Iu. Cr. Victor. ([2]) = *ac* Nizol. prob. Sch. ([3]) Sic Cdd. aliq. L. 1. 2. 3. — *videat* Iu. Cr. Grut. ([4]) — *potuit* Sch. €. 2. ([5]) e Cdd. (apud St.) 1. 2. 3. *quis vestrûm aequalem meum* Edd. vett. Iu. — L. Grut. ([6]) Sic Iu. — L. 1. 2. 3. — *cumulandus* Edd. vett. Grut. ([7]) ∞ *semper et tacui* de Goerenzii €. 2. 3. ([8]) Sic Cdd. aliq. St. L. Muell. 3. (— *mihi etiam quoque qui o.* O1x. Edd. vett.) — *mihi etiam, qui quam o.* Sch. €. 2. — *mihi etiam, quique o.* Iu. Cr. M. Ern. 1. ([9]) Sic Cdd. pleriq. Iu. — L. 1. 2. 3. — *ordienda* Grut. ([10]) Sic Cdd. aliq. L. 2. 3. — *exspectationemque hominum* Grut. Ern. 1. — om. *exspectationem* Iu. Crat. Hinc fortasse M. €. *hominumque iudicia.* ([11]) — *commoveatur* Edd. vett. ([12]) — *ipse* Pearcii €.

tubus contremiscam. Adolescentulus vero sic initio [1] accusationis exanimatus sum, ut hoc summum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuo consilium dimiserit, simulac me fractum ac debilitatum metu viderit [2].

122. Hic omnes assensi, significare [3] inter sese, et colloqui coeperunt. Fuit enim mirificus quidam in Crasso pudor, qui tamen non modo non obesset eius orationi, sed etiam probitatis commendatione prodesset. XXVII. Tum Antonius, Saepe, ut dicis, inquit, animadverti, Crasse, et te, et ceteros summos oratores, quamquam tibi par, mea sententia, nemo unquam fuit, in dicendi exordio permoveri. 123. Cuius quidem rei quum causam quaererem, quidnam esset, cur, ut in quoque oratore plurimum esset, ita maxime is pertimesceret, has causas inveniebam duas: unam, quod intelligerent ii, quos usus ac natura docuisset, nonnunquam summis oratoribus non satis ex sententia eventum dicendi procedere: ita non iniuria, quotiescunque dicerent, id quod aliquando posset accidere, ne tum accideret [4], timere. 124. Altera est haec, de qua queri saepe solco; ceterarum [5] homines artium spectati et probati, si quando aliquid minus bene fecerunt, quam solent, aut noluisse, aut valetudine impediti non potuisse consequi, id quod scirent, putantur. Noluit, inquiunt, hodie agere Roscius; aut: crudior fuit. Oratoris peccatum, si quod est animadversum, stultitiae peccatum videtur. 125. Stultitia autem excusationem non habet: quia nemo videtur, aut quia crudus fuerit, aut quod ita maluerit, stultus fuisse. Quo etiam gravius iudicium in dicendo subimus. Quoties enim dicimus, toties de nobis iudicatur: et, qui semel in gestu peccavit, non continuo existimatur nescire gestum; cuius autem [6] in dicendo aliquid reprehensum est, aut aeterna in eo, aut certe diuturna valet opinio tarditatis. XXVIII. 126. Illud vero, quod a te dictum est, esse permulta, quae orator nisi a natura haberet, non multum a magistro adiuvaretur: valde tibi assentior, inque eo vel maxime probavi summum illum doctorem, Alabandensem Apollonium, qui, quum mercede doceret, tamen non patiebatur, eos, quos iudicabat non posse oratores evadere, operam apud sese perdere; dimittebatque, et ad quam quemque artem [7] putabat esse aptum, ad eam impellere atque hortari solebat. 127. Satis est enim ceteris [8] artificiis percipiendis, tantummodo similem esse hominis; et id, quod tradatur, vel etiam inculcetur, si qui forte sit tardior, posse percipere animo, et memoria custodire. Non quaeritur mobilitas linguae, non celeritas verborum, non denique ea, quae nobis non possumus fingere, facies, vultus, sonus. 128. In oratore autem acumen dialecticorum, sententiae philosophorum, verba prope poëtarum, memoria iurisconsultorum, vox tragoedorum, gestus paene summorum actorum est requirendus. Quamobrem nihil in hominum genere rarius perfecto oratore inveniri potest. Quae enim sin-

---

(1) Sic St. L. 1. 2. 3. — *in initio* Edd. vett. Iu. Cr. M. quod minime spernendum. (2) — *vidit* Pighii Cod. (3) — *assensum significare* cum C1d. Pearc. — *Hic omnes Crasso assensi significare, et colloqui inter se coep.* L. (*inter se* etiam St.) (4) ∞ *tum illud ipsum acc.* O1x. Edd. vett. St. L. (5) — *quod ceter.* Edd. vett. (6) — om. *autem* Sch. in Ed. mai. cum C2d. (7) e Cdd. 1. 2. 3. — *ad quamcunque artem* Iu. — L. Grut. (8) — *in ceteris* C2d.

gularum rerum artifices singula si mediocriter adepti sunt, probantur, ea, nisi omnia summa[1] sunt in oratore, probari non possunt.

129. Tum Crassus, Atqui vide, inquit, in artificio perquam tenui[2] et levi, quanto plus adhibeatur diligentiae, quam in hac re, quam constat esse maximam. Saepe enim soleo audire Roscium, quum[3] ita dicat, se adhuc reperire discipulum, quem quidem probaret, potuisse neminem: non quo non essent quidam probabiles, sed quia, si aliquid modo esset vitii, id ferre ipse non posset. Nihil est enim tam insigne, nec tam ad diuturnitatem memoriae stabile, quam id, in quo aliquid offenderis. 130. Itaque ut ad hanc similitudinem huius histrionis oratoriam laudem dirigamus, videtisne, quam nihil ab eo, nisi perfecte, nihil nisi cum summa venustate fiat, nihil nisi ita, ut deceat, et uti omnes moveat atque delectet? Itaque hoc iamdiu est consecutus, ut in quo quisque artificio excelleret, is in suo[4] genere Roscius diceretur. Hanc ego absolutionem perfectionemque in oratore desiderans, a qua ipse longe absum, facio impudenter: mihi enim volo ignosci, ceteris ipse non ignosco; nam qui[5] non potest, qui vitiose facit, quem denique non decet, hunc (ut Apollonius iubebat) ad id, quod facere possit, detrudendum puto.

XXIX. 131. Num tu igitur, inquit Sulpicius, me, aut hunc Cottam, ius civile, aut rem militarem iubes discere? Nam quis ad ista[6] summa, atque in omni genere perfecta, potest pervenire? Tum ille, Ego vero, inquit, quod in vobis egregiam quandam ac praeclaram indolem ad dicendum[7] esse cognovi, ideireo haec exposui omnia: nec magis ad eos deterrendos, qui non possent, quam ad vos, qui possetis, exacuendos accommodavi orationem meam: et quamquam in utroque vestrûm summum esse ingenium studiumque perspexi, tamen haec, quae sunt in specie posita, de quibus plura fortasse dixi, quam solent Graeci dicere, in te, Sulpici, divina sunt. 132. Ego enim neminem, nec motu corporis, neque ipso habitu atque forma aptiorem, nec voce pleniorem, aut suaviorem mihi videor audisse; quae quibus a natura minora data sunt, tamen illud[8] assequi possunt, ut iis, quae habent[9], modice et scienter utantur, et ut ne dedeceat. Id enim est[10] maxime vitandum, et de hoc uno minime est facile praecipere, non mihi modo, qui sicut unus paterfamilias, his de rebus loquor, sed etiam ipsi illi Roscio; quem saepe audio dicere, caput esse artis, decere: quod tamen unum id esse[11], quod tradi arte non possit. 133. Sed, si placet, sermonem alio transferamus, et nostro more aliquando, non rhetorico, loquamur.

Minime vero, inquit Cotta. Nunc enim te iam exoremus necesse est, quoniam retines nos in hoc studio, nec ad aliam dimittis artem, ut nobis explices, quidquid est istud, quod tu in dicendo potes; neque enim sumus nimis avidi: ista tua mediocri eloquentia contenti su-

(1) — *summa sint* Edd. vett. ∞ *sunt summa* e C2d. Muell. 3. (— *sunt summa, in or. prob.* distinxit Muell. 3.) (2) — *in artif. et opera quam tenui* Iu. Cr. M. (3) — *qui* St. (4) — *in eo* L. (5) — *tamen qui* Purgoldi €. (6) — *ipsa* Muell. 3. errore typogr. (7) — *discendum* Muell. 3. et mox *possunt* err. typogr. Notanda interdum talia quoque, ne propagentur. (8) — *tamen qui illud* Cdd. aliq. Edd. vett. unde Muell. suspic.: — *tamen si illud.* (9) e Cdd. Edd. vett. 2. 3. — *habeant* Iu. — L. Ern. 1. (10) ∞ *Id est enim* Schaefer. (11) — *esset* St.

mus, idque ex te quaerimus, (ut ne plus nos assequamur, quam quantulum tu in dicendo assecutus es,) quoniam, quae a natura expetenda sunt, ea dicis non nimis deesse nobis, quid praeterea esse assumendum putes? XXX. 134. Tum Crassus arridens, Quid censes, inquit, Cotta, nisi studium, et ardorem quendam amoris? sine quo quum in vita nihil quidquam [1] egregium, tum certe hoc, quod tu expetis, nemo unquam assequetur. Neque vero vos ad eam rem video esse cohortandos: quos, quum mihi quoque sitis molesti, nimis etiam flagrare intelligo cupiditate. 135. Sed profecto studia nihil prosunt perveniendi aliquo, nisi illud, quod eo, quo intendas, ferat deducatque, cognoris. Quare, quoniam mihi levius quoddam onus imponitis, neque ex me de oratoris arte, sed de hac mea, quantulacunque est, facultate quaeritis, exponam vobis quandam, non [2] aut perreconditam, aut valde difficilem, aut magnificam, aut gravem rationem consuetudinis meae, qua quondam solitus sum uti, quum mihi in isto studio [3] versari adolescenti licebat. 136. Tum Sulpicius, O diem, Cotta, nobis, inquit, optatum! quod enim neque precibus unquam, nec insidiando [4], nec speculando assequi potui, ut, quid Crassus ageret, meditandi aut dicendi causa, non modo [5] videre mihi, sed ex eius scriptore et lectore Diphilo suspicari liceret; id spero nos esse adeptos, omniaque iam ex ipso, quae diu cupimus, cognituros.

XXXI. 137. Tum Crassus: Atqui [6] arbitror, Sulpici, quum audieris, non tam te haec admiraturum, quae dixero, quam existimaturum, tum, quum ea audire cupiebas, causam, cur cuperes, non fuisse. Nihil enim dicam reconditum, nihil exspectatione vestra dignum, nihil aut inauditum vobis, aut cuiquam novum. Nam principio illud, quod est homine ingenuo liberaliterque educato dignum, non negabo, me ista omnium communia et contrita [7] praecepta didicisse: 138. primum, oratoris officium esse, dicere ad persuadendum accommodate: deinde, esse omnem orationem aut de infinitae rei quaestione, sine designatione personarum et temporum; aut de re certis in personis ac temporibus locata. 139. In utraque autem re quidquid in controversiam veniat, in eo quaeri solere, aut factumne sit, aut, si est factum, quale sit, aut etiam, quo nomine vocetur, aut, quod nonnulli addunt, rectene factum esse videatur. 140. Exsistere autem [8] controversias etiam ex scripti interpretatione, in quo aut ambigue quid sit scriptum, aut contrarie, aut ita, ut a sententia scriptum dissideat [9]: his autem omnibus partibus subiecta quaedam esse argumenta propria. 141. Sed causarum, quae sint a communi quaestione seiunctae, partim in iudiciis versari, partim in deliberationibus: esse etiam genus tertium, quod in laudandis aut vituperandis hominibus poneretur: certosque esse locos, quibus in iudiciis uteremur, in quibus acquitas quaereretur [10]: alios [11] in deli-

(1) ∞ *quisquam* Huldrici suspic. (2) e Lamb. C. in marg. 1584. Grut. 1. 2. 3. — *non quandam* Cdd. Edd. omnes priores, etiam L. 1566. (3) — *stadio* Spaldingii C. Quintil. T. 1. p. LXXIX. (4) — *insinuando* Bipontina sola (*neque — neque* L.) (5) — *modo* suspectum Muellero. (6) — *Atquin* Lambino trib. in marg. 1584. (*Atqui* 1566.) (7) — *communia contrita* L. errore typogr.? (8) Pro *autem*, *etiam* L. omisso *etiam* post *controversias*. (9) — *dissentiat* Cdd. aliq. Edd. vett. (10) Sic Edd. vett. Crat. 1. 2. 3. — *quaeritur* Iu. M. L. Grut. (11) — *alios*, *quibus in* L.

berationibus, qui omnes ad utilitatem dirigerentur eorum, quibus consilium daremus: alios item[1] in laudationibus, in quibus ad personarum dignitatem omnia referrentur. 142. Quumque esset omnis oratoris vis ac facultas in quinque partes distributa, ut deberet reperire primum, quid diceret: deinde inventa[2] non solum ordine, sed etiam momento quodam atque iudicio dispensare atque componere[3]: tum ea denique vestire atque ornare oratione: post memoria saepire: ad extremum agere cum dignitate ac[4] venustate. 143. Etiam illa cognoram, et acceperam, antequam de re diceremus, initio conciliandos eorum esse animos, qui audirent: deinde rem demonstrandam: postea controversiam constituendam: tum id, quod nos intenderemus, confirmandum: post, quae contra dicerentur, refellenda: extrema autem oratione, ea, quae pro nobis essent, amplificanda et augenda; quaeque essent pro adversariis, infirmanda atque frangenda. XXXII. 144. Audieram etiam quae de orationis ipsius ornamentis traderentur; in qua[5] praecipitur primum, ut pure et Latine loquamur: deinde ut plane et dilucide: tum ut ornate: post ad rerum dignitatem apte et quasi decore: singularumque rerum praecepta cognoram. 145. Quin etiam, quae maxime propria essent naturae, tamen his ipsis[6] artem adhiberi videram. Nam de actione et de memoria quaedam brevia, sed magna cum exercitatione praecepta[7] gustaram. In his enim fere rebus omnis istorum artificum doctrina versatur, quam ego si nihil dicam adiuvare, mentiar. Habet enim quaedam quasi ad commonendum oratorem, quo quidque referat, et quo intuens, ab eo, quodcunque sibi proposuerit, minus aberret. 146. Verum ego hanc vim intelligo esse in praeceptis omnibus, non ut ea secuti oratores, eloquentiae laudem sint adepti, sed, quae sua sponte homines eloquentes facerent, ea quosdam observasse, atque id egisse[8]: sic esse non eloquentiam ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum: quod tamen, ut ante dixi, non eiicio[9]: est enim, etiamsi minus necessarium ad bene dicendum, tamen ad cognoscendum non illiberale. 147. Et[10] exercitatio quaedam suscipienda vobis est: quamquam vos quidem iampridem estis in cursu: sed iis[11], qui ingrediuntur ad[12] stadium, quique ea, quae agenda sunt in foro, tamquam in acie, possunt etiam nunc exercitatione quasi ludicra praedискere ac meditari. 148. Hanc ipsam, inquit Sulpicius, nosse volumus: attamen[13] ista, quae abs te breviter de arte decursa sunt, audire cupimus, quamquam sunt nobis quoque non inaudita. Verum illa mox: nunc, de ipsa exercitatione quid sentias, quaerimus.

XXXIII. 149. Equidem probo ista, Crassus inquit[14], quae vos facere soletis, ut, causa aliqua posita[15] consimili causarum earum, quae

(1) — *item*, *quibus in* L. (2) — *rem inventam* Olx. (3) Sic Hahn. 1. 2. 3. ∞ *disponere* Iu. — L. Oliv. (4) = *et* Iu. — L. (5) — *in quo* editurus erat Sch. in Ed. mai. (6) — *in his ipsis* Vet. ap. St. L. (7) — *percepta praecepta* Pearcii suspic. (8) ∞ *atque digessisse* Sch. €. 2. 3. optime. (— *idem egisse* Pearc.) — *atque delegisse* Man. — *atque in artem redegisse* L. — *ad artem redegisse* Ern. suspic. (9) — *reiicio* L. (10) Sic Strebaeus. Ern. 1. 2. — *Ea exerc.* Omnes fere. Iu. Cr. Grut. — *Eius ex.* Man. — *At ex.* Ed. Thanner. — *Praeterea ex.* L. ∞ *Etiam ex.* Muell. €. 3. (11) Sic Iu. — L. Grut. 2. 3. — *ii* Ern. 1. e Cdd. Edd. vett. (12) Sic Cdd. (Oxonn. omnes.) Edd. vett. Iu. — L. Muell. 3. — *in.* Grut. 1. 2. (13) — *ac tamen* Sch. in Ed. mai. e C2d. (14) ∞ *inquit Crassus* Heindorfii suspic. (15) Sic omnes. — *causa posita* Ern. 1. errore typogr.?

in forum deferuntur, dicatis quam maxime ad veritatem accommodate: sed plerique in hoc vocem modo, (neque eam scienter,) et vires exercent suas, et linguae celeritatem incitant, verborumque frequentia delectantur. In quo fallit eos, quod audierunt, dicendo homines, ut dicant, efficere solere. 150. Vere enim etiam illud dicitur, perverse dicere homines perverse dicendo facillime consequi. Quamobrem in istis ipsis exercitationibus, etsi utile est, etiam subito saepe dicere, tamen illud utilius, sumpto spatio ad cogitandum, paratius atque accuratius dicere. Caput autem est, quod (ut vere dicam) minime facimus: (est enim magni laboris, quem plerique fugimus:) quam plurimum scribere. Stilus optimus, et praestantissimus dicendi effector ac magister: neque [1] iniuria. Nam si subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit; hanc ipsam profecto assidua ac diligens scriptura superabit. 151. Omnes enim, sive artis sunt [2] loci, sive ingenii cuiusdam atque prudentiae, qui modo insunt in ea re, de qua scribimus, anquirentibus [3] nobis, omnique acie ingenii contemplantibus ostendunt se et occurrunt: omnesque sententiae, verbaque omnia, quae sunt cuiusque generis maxime illustria, sub acumen stili subeant et succedant necesse est; tum ipsa collocatio conformatioque verborum perficitur in scribendo, non poëtico, sed quodam oratorio numero et modo. 152. Haec sunt, quae clamores et admirationes in bonis oratoribus efficiunt; neque ea quisquam, nisi diu [4] multumque scriptitarit, etiamsi vehementissime se in his subitis dictionibus exercuerit, consequetur: et qui a scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, ut, etiam subito si dicat, tamen illa, quae dicantur, similia scriptorum esse videantur; atque etiam, si quando in dicendo scriptum attulerit aliquid, quum ab eo discesserit, reliqua similis oratio consequetur. 153. Ut concitato navigio, quum remiges inhibuerunt [5], retinet tamen ipsa navis motum et cursum suum, intermisso impetu pulsuque remorum: sic in oratione perpetua, quum scripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua cursum, scriptorum similitudine et vi concitata. XXXIV. 154. In quotidianis autem commentationibus [6] equidem mihi adolescentulus proponere solebam illam exercitationem maxime, qua C. Carbonem, nostrum illum inimicum, solitum esse uti sciebam, ut aut versibus propositis quam maxime gravibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem [7] memoria possem comprehendere, eam rem ipsam, quam legissem, verbis aliis [8] quam maxime possem lectis, pronuntiarem. Sed post animadverti, hoc esse in hoc vitii, quod ea verba, quae maxime [9] cuiusque rei propria, quaeque essent ornatissima atque optima, occupasset aut Ennius, si ad eius versus me exercerem, aut Gracchus, si eius orationem mihi forte proposuissem [10]: ita, si iisdem verbis

---

([1]) — *non* Edd. vett. ([2]) — *sint* Cdd. aliq. ([3]) Sic L. 1. 2. 3. — *inquirentibus* Cdd. pleriq. Iu Cr. M. St. ([4]) ∞ *nisi qui diu* L. ([5]) — *sustinuerunt* L. Pearc. vide Ern. et Lallem. ([6]) Sic Manut. tum rursus e vestigiis Cd. Erl. 2. 3. — *concitationibus* Cdd. aliq. Edd. vett. — *concertationibus* St. L. — *cogitationibus* Iu. Cr. Grut. Ern. 1. ([7]) ∞ *quo* Bremii suspicio. ([8]) = *aliis verbis* L. ([9]) — *maxime essent* omisso *essent* post *quaeque* L. ([10]) ∞ *posuissem* C2d. prob. Heusing.

uterer, nihil prodesse; si aliis, etiam obesse, quum minus idoneis uti consuescerem. 155. Postea mihi placuit, eoque sum usus adolescens, ut summorum oratorum Graecas orationes explicarem. Quibus lectis hoc assequebar, ut, quum ea, quae legeram[1] Graece, Latine redderem, non solum optimis verbis uterer, et tamen usitatis, sed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae nova nostris essent, dummodo essent idonea. 156. Iam vocis, et spiritus, et totius corporis, et ipsius linguae motus et exercitationes, non tam artis indigent, quam laboris; quibus in rebus habenda est ratio diligenter, quos imitemur, quorum similes velimus esse. Intuendi nobis sunt non solum oratores, sed etiam actores, ne mala consuetudine ad aliquam deformitatem pravitatemque veniamus. 157. Exercenda est etiam memoria, ediscendis ad verbum quam plurimis et nostris scriptis et alienis. Atque in ea exercitatione non sane mihi displicet, adhibere si consueris etiam[2] istam locorum simulacrorumque rationem, quae in arte traditur. Educenda deinde dictio est ex hac domestica exercitatione et umbratili, medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra, atque in aciem forensem: subeundus usus omnium, et periclitandae vires ingenii; et illa commentatio inclusa in veritatis lucem proferenda est. 158. Legendi etiam poëtae, cognoscenda historia, omnium bonarum artium scriptores atque[3] doctores et legendi, et pervolutandi, et exercitationis causa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi; disputandumque de omni re in contrarias partes, et, quicquid erit in quaque re[4], quod probabile videri possit, eliciendum atque dicendum[5]. 159. Perdiscendum ius civile, cognoscendae leges, percipienda omnis antiquitas, senatoria consuetudo, disciplina rei publicae, iura sociorum, foedera, pactiones, causa imperii cognoscenda est: libandus etiam[6] ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos: quo, tamquam sale, perspergatur omnis oratio. Effudi vobis omnia, quae sentiebam, quae fortasse, quemcunque patremfamilias arripuissetis ex aliquo circulo, eadem vobis percontantibus respondisset.

XXXV. 160. Haec quum Crassus dixisset, silentium est consecutum. Sed quamquam satis iis, qui aderant, ad id, quod erat propositum, dictum videbatur, tamen sentiebant celerius esse multo, quam ipsi vellent, ab eo peroratum. Tum Scaevola, Quid est, Cotta? inquit, quid[7] tacetis? nihilne vobis in mentem venit, quod praeterea a Crasso requiratis? 161. Immo id mehercule[8], inquit, ipsum attendo. Tantus enim cursus[9] verborum fuit, et sic evolavit oratio, ut eius vim atque

---

(1) Sic e C1d. (item O2x.) Edd. vett. Sch. in Ed. mai. — *legerim* Crat. Hinc factum — *legerem* Iu. L. 1. 2. 3. sed dum legebat, Latine reddere non poterat: ∞ *quibus lectis, quum ea, quae legeram Graece, Latine redderem, non solum hoc assequebar, ut opt. verbis* — Bremii suspicio. (2) Sic distinxi de Bremii sententia. Vulgo: *displicet adhibere, si consueris, etiam.* (3) e Cdd. Sch. 2. = *ac* Iu. — L. 1. 3. (4) ∞ om. *re* L. (5) ∞ del. *atque dicendum* cum Cdd. aliq. Sch. 2. Retinui tamen cum Iu. — L. 1. Muell. 3. (— *eligendum* pro *eliciendum* Cdd. aliq. St.) (6) ∞ *est etiam* Iu. Cr. M. L. (7) — *quod* St. (8) Sic Cdd. pleriq. Iu. M. Grut. 1. ∞ om. *immo* Cdd. aliq. St. L. Sch. 2. 3. Defendit Matthiae *Misc. crit.* 1. 4, p. 676. neque exputari potest, cur a librariis sit insertum. Nonii in v. *attendere* laudantis *Idem Hercules, inquit* nulla in talibus est auctoritas. (9) — *concursus* St.

incitationem adspexerim, vestigia ingressumque vix viderim, et tamquam in aliquam locupletem ac refertam domum venerim [1], non explicata veste, neque proposito argento, neque tabulis et signis propalam collocatis, sed his omnibus multis magnificisque rebus constructis [2] ac reconditis: sic modo in oratione Crassi divitias atque ornamenta eius ingenii per quaedam involucra atque integumenta perspexi [3]: sed ea quum contemplari cuperem, vix adspiciendi potestas fuit. Ita neque hoc possum dicere, me omnino ignorare, quid possideat, neque plane nosse, ac vidisse [4]. 162. Quin tu igitur facis idem, inquit Scaevola, quod faceres, si in aliquam domum plenam ornamentorum, villamve [5] venisses: si ea seposita, ut dicis, essent, tuque [6] valde spectandi cupidus esses, non dubitares rogare dominum, ut proferri iuberet, praesertim si esset [7] familiaris: similiter nunc petes [8] a Crasso, ut eam [9] copiam ornamentorum suorum, quam constructam [10] uno in loco, quasi per transennam, praetereuntes strictim adspeximus, in lucem proferat, ac [11] suo quidque in [12] loco collocet. 163. Ego vero, inquit Cotta, a te peto, Scaevola: (me enim, et hunc Sulpicium impedit pudor, ab homine omnium gravissimo, qui genus huiusmodi disputationis semper contempserit, haec, quae isti [13] forsitan puerorum elementa videantur, exquirere:) sed tu hoc nobis [14] da, Scaevola, et [15] perfice, ut Crassus haec, quae coarctavit et peranguste refersit in oratione sua, dilatet nobis atque explicet. 164. Ego mehercule, inquit Mucius, antea vestra magis hoc causa volebam, quam mea. Neque enim tanto opere hanc a Crasso disputationem desiderabam, quanto opere eius in causis oratione delector: nunc vero, Crasse, mea quoque etiam [16] causa rogo, ut quoniam [17] tantum habemus otii, quantum iamdiu nobis non contigit [18], ne graveris [19] exaedificare id opus, quod instituisti. Formam enim totius negotii opinione maiorem, melioremque video: quam vehementer probo. XXXVI. 165. Enimvero, inquit Crassus, mirari satis non queo, etiam te haec, Scaevola, desiderare, quae neque ego teneo, uti ii [20], qui docent; neque sunt eius generis, ut, si optime tenerem,

---

([1]) Sic Cdd. aliq. Edd. vett. Iu. — L. Sch. 2. 3. — *venirem* Grut. Ern. 1. ([2]) — *constrictis* L. ([3]) ∞ *prospexi* ex Ed. s. l. et a. (Iu. Crat.) Muell. 3. sed h. l. *perspexi* (etiam l.) recte habet. v. Forcellin. N. 1. ([4]) ∞ *atque invidisse* Cdd. aliq. apud Grut. (— *intro vidisse* Gulielmii suspic.) Fortasse *ac visisse*. ([5]) Sic ex Ed. ant. 1. 2. 3. — *in villam venisses* Iu. — *vel in villam venisses* margo Crat. St. L. — *ornamentorum illam venisses* Crat. Man. (— *ornamentorum venisses* Hahn.) ([6]) Sic Cdd. pleriq. Iu. Cr. M. Grut. Muell. 3. — *tu, qui* Cdd. aliq. St. L. — *tu* cum ed. Waldarf. Ern. 1. 2. ([7]) Sic Iu. Cr. M. L. Grut. — *esses* Cdd. aliq. Ern. 1. 2. 3. Sed illud longe concinnius est. ([8]) Sic Iu. Cr. M. L. 1. 2. 3. — *petis* Grut. — *nunc, quin petis* L. (— *petas* Cdd. aliq. — *pete* Nonius.) Totum locum distinxi de Matthiae sententia. l. l. ([9]) ∞ *illam* St. L. ([10]) — *constrictam* L. ([11]) Sic St. L. e Cdd. procul dubio — *et* Iu. Cr. M. 1. 2. 3. ([12]) ∞ om. *in* Iu. — L. Grut. ([13]) — *ipsi* Man. ([14]) = *nobis hoc* L. ([15]) — om. *et* L. (Scil. Vet. ap. Steph. alii ap. Grut. *sed tu hanc nobis veniam perfice.*) ([16]) ∞ delendum *etiam*, vel eius loco *iam* scribendum. Bremii suspicio. ([17]) ∞ *quando* L. Si e Cdd., praestat. ([18]) Sic Edd. vett. Iu. — L. Sch. 2. 3. — *contingit* Grut. Ern. 1. ([19]) Sic Cdd. aliq. Grut. 1. 2. 3. — *gravere* Edd. vett. Iu. — L. ([20]) ∞ *ego ita teneo, ut ii* L.

digna essent ista sapientia[1] ac tuis auribus. Ain' tu[2]? inquit ille. Si de istis communibus et pervagatis vix huic aetati audiendum putas, etiamne illa negligere possumus, quae tu oratori cognoscenda esse dixisti, de naturis hominum, de moribus, de rationibus iis, quibus hominum mentes et incitarentur et reprimerentur[3], de historia, de antiquitate, de administratione rei publicae, denique de nostro ipso[4] iure civili? Hanc enim ego omnem scientiam, et copiam rerum, in tua prudentia sciebam inesse: in oratoris vero instrumento tam lautam supellectilem nunquam videram.

166. Potes igitur, inquit Crassus, (ut alia omittam innumerabilia[5] et immensa, et ad ipsum tuum ius civile veniam,) oratores putare eos, quos multas horas exspectavit[6], quum in campum properaret[7], et ridens et stomachans Scaevola, quum Hypsaeus maxima voce, plurimis verbis, a M. Crasso praetore contenderet, ut ei, quem defendebat, causa cadere liceret, Cn. autem Octavius, homo consularis, non minus longa oratione recusaret, ne adversarius causa caderet, ac ne is, pro quo ipse diceret, turpi tutelae iudicio, atque omni molestia, stultitia adversarii, liberaretur? 167. Ego vero istos, inquit, (memini enim mihi narrare Mucium,) non modo oratoris nomine, sed ne foro quidem dignos putarim[8]. Atqui non defuit illis patronis, inquit Crassus, eloquentia, neque dicendi ratio aut copia, sed iuris civilis prudentia: quod alter plus, lege agendo, petebat, quam quantum lex in XII tabulis permiserat; quod quum impetrasset, causa caderet: alter iniquum putabat, plus secum agi, quam quod esset[9] in actione; neque intelligebat, si ita esset actum, litem adversarium perditurum. XXXVII. 168. Quid? his paucis diebus, nonne, nobis in tribunali Q. Pompeii, praetoris urbani, familiaris nostri, sedentibus, homo ex numero disertorum postulabat, ut illi, unde peteretur, vetus atque usitata exceptio daretur, CVIVS PECVNIAE DIES FVISSET? quod petitoris causa comparatum esse, non intelligebat: ut, si ille infitiator probasset iudici, ante petitam esse pecuniam, quam esset coepta deberi, petitor, rursus quum peteret, ne exceptione[10] excluderetur, QVOD EA RES IN IVDICIVM ANTEA VENISSET[11]. 169. Quid ergo hoc fieri turpius, aut dici potest, quam eum, qui hanc personam susceperit, ut amicorum controversias causasque tueatur, laborantibus succurrat, aegris medeatur, afflictos excitet, hunc in minimis tenuissimisque rebus ita labi, ut aliis miserandus, aliis irridendus esse videatur? 170. Equidem propin-

---

(1) — *sapientia tua* L. (2) Sic Cdd. aliq. L. Pearc. Ern. 1. Lallem. 2. 3. — *An tu* Iu. Crat. Grut. (3) Sic M. L. 1. 3. — *incitantur et reprimuntur* Edd. vett. Iu. Crat. Sch. 2. (4) Sic omnes, etiam L. et Muell. 3. — *ipso nostro* tacite Sch. 2. (5) Sic Cdd. aliq. Iu. Grut. 1. 2. 3. ∞ *quae sunt innumerabilia et immensa* Cod. Dresd. Man. — *quae sunt immensa, et ut ad* — Margo Crat. St. L. (6) — *exspectavi* Cdd. aliq. Edd. vett. (— *spectavit* Purgoldi €.) (7) — *properarem* Cdd. aliq. Edd. vett. — *properarent* St. (8) Sic Grut. 1. 2. 3. — *putarem* Iu. — L. (9) Sic Cdd. pleriq. Edd. vett. Iu. Cr. M. L. Muell. 3. — *erat* Grut. 1. 2. (10) Ita Cdd. pleriq. (v. c. O5x.) Edd. vett. Iu. — L. Muell. 3. — om. *ne* Grut. cum Cdd. aliq. 1. 2. (11) Ita Cdd. pauci. v. c. U Oxon. si fides collatori. Alii apud Grut. Man. L. 1. 2. 3. — *non venisset* Cdd. pleriq. Edd. vett. Iu. Crat.

quum nostrum, P. Crassum, illum Divitem, quum[1] multis aliis in rebus[2] elegantem hominem et ornatum, tum[3] praecipue in hoc efferendum[4] et laudandum puto, quod, quum P. Scaevolae frater esset[5] solitus est ei[6] persaepe dicere, neque illum in iure civili satis [illi arti[7]] facere posse, nisi dicendi copiam assumpsisset: (quod quidem hic, qui mecum Consul fuit, filius eius, est consecutus:) neque se ante causas amicorum tractare atque agere coepisse, quam ius civile didicisset. 171. Quid vero ille M. Cato? nonne[8] et eloquentia tanta fuit, quantam illa tempora, atque illa aetas in hac civitate ferre maximam potuit, et iuris civilis omnium peritissimus? Verecundius hac de re iamdudum loquor, quod adest vir in dicendo summus, quem ego unum oratorem maxime admiror; sed tamen idem hoc semper[9] ius civile contempsit. 172. Verum, quoniam sententiae atque opinionis meae voluistis esse participes, nihil occultabo, et quoad potero, vobis exponam, quid de quaque re sentiam.

XXXVIII. Antonii incredibilis quaedam, et prope singularis et divina vis ingenii videtur, etiamsi[10] hac scientia iuris nudata sit, posse se[11] facile ceteris armis prudentiae tueri[12] atque defendere. Quamobrem hic nobis sit exceptus: ceteros vero non dubitabo primum inertiae[13] condemnare sententia mea, post etiam impudentiae[14]. 173. Nam volitare in foro, haerere in iure ac praetorum tribunalibus, iudicia privata magnarum rerum obire, in quibus saepe non de facto, sed de aequitate ac iure certetur, iactare se in causis centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum aut ratorum[15] ceterarumque rerum innumerabilium iura versentur, quum omnino, quid suum, quid alienum, quare denique civis aut[16] peregrinus, servus aut[17] liber quispiam sit, ignoret, insignis est impudentiae[18]. 174. Illa vero deridenda arrogantia est, in minoribus navigiis rudem esse se confiteri; quinqueremes, aut etiam[19]

([1]) Sic St. L. 1. 2, — *et multis* Edd. vett. Iu. Crat. M. Muell. 3. Sic mutaverunt, quum *tum* excidisset ante *praecipue*. ([2]) Sic Iu. — L. Muell. 3. — *aliis rebus* Grut. 1. 2. ([3]) — om. *tum* Pleriq. — *et* Iu. Cr. M. Muell. 3. Sed recte L. 1. 2. *quum-tum*. ([4]) Sic Cdd. aliq. Margo Crat. M. L. 2. 3. — *ferendum* Iu. Cr. Grut. 1. ([5]) Sic Cdd. pleriq. Iu. — L. 1. 2. 3. quae lectio satis defenditur *Brut.* 26. 2. — *quum P. Sc. fratri esset*, quae corruptela orta est ex v. *solitus;* exinde altera illa originem traxit, quam e Cod. uno eruit Gulielmius: *quum P. Sc. fratri superesset* (id est, eius tutor esset. Cfr. Sciopp. ad Gell. 1, 22.) Sch. aliisque probata. ([6]) Sic Cdd. Iu. — L. 2. 3. — *solitus ei* Grut. 1. ([7]) Ern. [ ]. Del. Sch. C. 2. 3. ([8]) = *Quid vero? Ille M. Cato nonne* Sch. 2. ([9]) = *idem semper hoc* L. ∞ *idem hic semper* Gulielm. suspic. ([10]) = *etsi* L. ([11]) — om. *se* Iu. — L. ([12]) e Cdd. 1. 2. 3. — *prudentiae causas tueri* Iu. Cr. M. L. Grut. (= *ac def.* L.) ([13]) — *impudentiae* Sch. C. 2. ([14]) — *inertiae* Sch. C. 2. quae transpositio placuerat iam Heusing. ([15]) ∞ *aut ratorum* cum Cdd. aliq. om. Grut. Utrumque suspectum Ern. Del. Sch. C. 2. 3. Pro utroque — *nuptiarum* Schelii C. ([16]) Sic L. Pearc. 1. 2. 3. — *an* Cdd. Edd. vett. Iu. M. Grut. ([17]) — *an* Cdd. Iu. — Grut. ([18]) — *imprudentiae* Grut. ([19]) — *quinq. autem, aut etiam* Cdd. aliq. Edd. vett. Iu. — L. Saepe sic, ubi consulto omissa est particula adversativa, a librariis intruditur. Hic tamen requireretur *vero*. (— *quinq. autem, atque etiam* Muell. C. 3.)

maiores[1], gubernare didicisse. Tu mihi quum in circulo decipiare adversarii stipulatiuncula, et[2] quum obsignes tabellas[3] clientis tui, quibus in tabellis id sit scriptum[4], quo ille capiatur; ego tibi ullam causam maiorem committendam putem? Citius hercule is, qui duorum scalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino ponto Argonautarum navem gubernarit. 175. Quid? si ne parvae quidem causae sunt, sed saepe maximae, in quibus certatur de iure civili; quod tandem os est illius patroni, qui ad eas causas sine ulla scientia iuris audet[5] accedere? Quae potuit igitur esse causa maior, quam illius militis? de cuius morte quum domum falsus ab exercitu nuntius venisset, et pater eius, re credita, testamentum mutasset, et quem ei visum esset, fecisset heredem[6], essetque ipse mortuus: res delata est ad centumviros, quum miles domum revenisset, egissetque lege in hereditatem paternam [testamento exheres filius]. Nempe[7] in ea causa quaesitum est de iure civili, possetne paternorum bonorum exheres esse filius, quem pater testamento neque heredem, neque exheredem scripsisset nominatim? XXXIX. 176. Quid? qua de re inter Marcellos, et Claudios patricios[8] centumviri iudicarunt, quum Marcelli ab liberti filio stirpe, Claudii[9] patricii eiusdem hominis[10] hereditatem, gente ad se rediisse dicerent; nonne[11] in ea causa fuit oratoribus de toto stirpis ac gentilitatis iure dicendum? 177. Quid? quod item[12] in centumvirali iudicio certatum esse accepimus, qui Romam in exsilium venisset, cui Romae exsulare ius esset, si se[13] ad aliquem quasi patronum applicavisset[14], intestatoque esset mortuus: nonne[15] in ea causa ius applicationis, obscurum sane et ignotum, patefactum in iudicio atque illustratum est a patrono? 178. Quid? nuper, quum ego C. Sergii Auratae[16] contra hunc nostrum Antonium iudicio[17] privato causam defenderem; nonne omnis nostra in iure versata defensio est[18]? Quum enim M. Marius[19] Gratidianus aedes Auratae vendidisset, neque, servire quandam earum aedium partem, in mancipii lege dixisset; defendebamus, quidquid fuisset incommodi in mancipio, id si venditor scisset, neque declarasset, praestare debere. 179. Quo quidem in genere familiaris noster M. Bucculeius, homo neque meo iudicio stultus, et suo valde sapiens, et a iuris studio non abhorrens, simili in

---

(1) — *mai. naves* L. (2) Sic Edd. vett. Iu. — L. 2. 3. — om. *et* Grut. 1. (3) — *tabulas* St. 1. (4) — *tabulis* L. (— *quibus id sit scriptum* St.) (5) — *audeat* Ern. suspic. (6) = *her. fec.* L. (7) „Habent fere omnes Cdd. regii." Le Clerc. Iu. — L. Ern. [ ]. Del. Sch. 2. 3. (Muell. 3. insuper expunxit *Nempe*, omissum in Gruteri Cod.) (8) — *inter Claudios, Marcellos et patricios* Sch. C. 2. (— *inter Marcellos Claudios et patr.* Muell. suspic.) (9) — del. Sch. C. 2. (10) Sic Cdd. regii ap. Le Clerc. Iu. Cr. M. Ern. 1. — *nominis* St. E. Grut. (11) ∞ *non* L. sed neglexit in seqq. iterum sic scribere. (12) — *iterum* St. (13) — *et is se* Muell. suspic. (14) ∞ *applicuisset* Edd. vett. Iu. Cr. M. L. Le Clerc e Cdd. Regg. (15) Ante hoc. v. defectus signa posuerunt Ern. 1. Sch. 2. V. de h. l. difficili Arntzenii *Observatt.* in *Actis lit. Soc. Rheno — Traiect.* T. 1. p. 125. (16) = *Oratae.* Beier *Offic.* T. 2. p. 304. (17) — *in iudicio* St. L. (18) = *omn. in i. v. nostra def. est* L. (19) Sic Edd. vett. L. — a Iu. Cr. 1. 2. 3. abest praenomen.

re[1] quodam modo nuper erravit. Nam quum aedes L. Fufio venderet, in mancipio lumina, uti tum essent, ita recepit. Fufius autem[2], simul atque aedificari coeptum est in quadam parte urbis, quae modo ex illis aedibus conspici posset, egit statim cum Bucculeio, quod, cuicunque particulae caeli officeretur, quamvis[3] esset procul, mutari[4] lumina putabat. 180. Quid vero? clarissima M'. Curii causa Marcique[5] Coponii nuper apud centumviros, quo concursu hominum, qua exspectatione defensa est? quum Q. Scaevola, aequalis et collega meus, homo omnium et disciplina iuris civilis eruditissimus, et ingenio prudentiaque acutissimus, et oratione maxime limatus atque subtilis, atque, ut ego soleo dicere, iuris peritorum eloquentissimus, eloquentium iuris peritissimus[6], ex scripto testamentorum iura defenderet negaretque, nisi postumus et natus, et, antequam in suam tutelam venisset[7], mortuus esset, heredem eum esse posse[8], qui esset secundum postumum et natum, et mortuum, heres institutus: ego [autem[9]] defenderem, hac eum [tum[10]] mente fuisse, qui testamentum fecisset, ut, si filius[11] non esset, qui in suam tutelam[12] veniret[13], M'. Curius esset heres. Num destitit uterque nostrûm in ea causa, in auctoritatibus, in exemplis, in testamentorum formulis, hoc est, in medio iure civili versari? XL. 181. Omitto iam plura exempla causarum amplissimarum, quae sunt innumerabilia: capitis nostri saepe potest accidere ut causae versentur in iure. Etenim sic C. Mancinum, nobilissimum atque optimum virum, consularem[14], quum eum[15] propter invidiam Numantini foederis pater patratus ex S. C. Numantinis dedidisset, eumque illi non recepissent, postcaque Mancinus domum revenisset, neque in senatum introire dubitasset; P. Rutilius, M. filius, tribunus plebis, iussit[16] educi, quod eum civem negaret esse; quia memoria sic esset proditum, quem pater suus aut populus vendidisset, aut pater patratus dedidisset, ei nullum esse postliminium. 182. Quam possumus reperire ex omnibus rebus civilibus causam contentionemque maiorem, quam de ordine, de civitate, de libertate, de capite hominis consularis; praesertim quum haec non in crimine aliquo, quod ille

---

([1]) — om. *in re* (cum Vet. ap. St.) L. ([2]) — *enim* Edd. vett. Utrumque suspectum. ([3]) Sic Iu. L. 1. 2. 3. ∞ *ita quamvis* Crat. Man. (— *via quamvis* Edd. vett. — *illa qu.* Camerarii suspic.) ([4]) Sic M. 1. 2. 3. ∞ *mutata* Iu. Cr. L. ([5]) ∞ *et Marci* Iu. Cr. M. L. ([6]) — del. tria verba Sch. €. 2. ([7]) Sic Iu. — L. 1. 2. 3. — *veniret* Edd. vett. Sch. in Ed. mai. ([8]) Sic Cr. Iu. L. 1. 2. 3. — *esse non posse* Iu. prob. Camerario. ([9]) *autem* Pleriq. Edd. vett. Iu. Cr. M. L. Sch. 2. — *ego videlicet* margo Crat. — *ego licet* Cdd. aliq. quae corruptelae satis demonstrant, hic rursus particulam adversativam esse intrusam a sciolo, quocirca ego [] — *voluntatem* e Camerarii €. a nullo Cod. firmata Grut. Ern. 1. Muell. 3. ([10]) ∞ om. *tum* Iu. Cr. M. St. L. et ortum videtur e corruptela Cdd. aliq. *eum hac cum mente*, quocirca ego [ ]. ([11]) ∞ *si ei filius* L. ([12]) Sic L. — *suam* quod vix abesse potest, om. Iu. Cr. M. 1. 2. 3. cfr. *Brut.* C. 53. unde praetuli etiam: ([13]) *veniret* cum Iu. Cr. M. Grut. Muell. 3. — *venisset* L. 1. 2. ([14]) e Cdd. Sch. 2. 3. ∞ *atque consularem* Cdd. aliq. Offendit tamen *atque* sic repetitum. ∞ *ac consul.* Iu. — L. 1566. Ern. 1. Malim cum L. marg. 1581: *et cons.* ut infra C. 54. *homo Romanus, et consularis.* ([15]) — *eum* del. cum Cdd. aliq. Sch. in Ed. mai. ([16]) e Cdd. (etiam O3x.) Sch. 2. 3. — *de senatu iussit* Iu. — L. Ern. 1.

posset infitiari, sed in civili iure consisteret? Similique in genere, inferiore ordine[1], si quis apud nos servisset ex populo foederato, seseque liberasset, ac postea domum revenisset; quaesitum est apud maiores nostros, num is ad suos postliminio rediisset, et amisisset hanc civitatem. 183. Quid? de libertate, quo iudicium gravius esse nullum potest; nonne ex iure civili potest esse contentio, quum quaeritur, is, qui domini voluntate census sit, continuone, an ubi lustrum conditum, liber sit[2]? Quid, quod usu, memoria patrum, venit, ut paterfamilias, qui ex Hispania Romam venisset, quum uxorem praegnantem in provincia reliquisset, Romaeque[3] alteram duxisset, neque nuntium priori remisisset, mortuusque esset intestato[4], et ex utraque filius natus esset; mediocrisne res in controversiam[5] adducta est? quum quaereretur de duobus civium capitibus, et de puero, qui ex posteriore natus erat, et de eius matre; quae, si iudicaretur, certis quibusdam verbis, non novis nuptiis fieri cum superiore divortium[6], in concubinae locum duceretur. 184. Haec igitur, et horum similia iura suae civitatis ignorantem, erectum et celsum[7], alacri et prompto ore ac vultu, huc atque illuc intuentem, vagari magna cum caterva toto foro, praesidium clientibus, atque opem amicis, et prope cunctis civibus lucem ingenii et consilii sui porrigentem atque tendentem, nonne in primis flagitiosum putandum est?

XLI. 185. Et quoniam de impudentia dixi, castigemus etiam segnitiem[8] hominum atque inertiam. Nam si esset ista cognitio iuris magna ac difficilis; tamen utilitatis magnitudo deberet homines ad suscipiendum discendi laborem impellere. Sed, o dii immortales, non dicerem hoc, audiente Scaevola, nisi ipse dicere soleret, nullius artis[9] faciliorem sibi cognitionem videri. 186. Quod quidem certis de causis a plerisque aliter existimatur: primum, quia veteres illi, qui huic scientiae praefuerunt, obtinendae atque augendae potentiae suae causa, pervulgari artem suam noluerunt: deinde, posteaquam est[10] editum, expositis a Cn. Flavio primum actionibus, nulli fuerunt, qui illa artificiose digesta generatim componerent. Nihil est enim, quod ad artem redigi possit, nisi ille prius[11], qui illa tenet, quorum artem instituere vult, habeat[12] illam scientiam, ut ex iis rebus, quarum ars nondum sit, artem efficere possit. 187. Hoc video, dum breviter voluerim dicere, dictum a me esse paullo obscurius: sed experiar, et dicam, si potero, planius. XLII. Omnia fere, quae sunt conclusa nunc

---

(1) — *inferioreque ord.* Cdd. aliq. Edd. vett. — *infer. ex ord.* Muell. C. 3. (2) Sic iam legitur e Cuiacii C. Grut. 1. 2. 3. ∞ *census sit, si non sit conditum lustrum, sitne liber?* Iu. M. L. — *c. sit, si modo sit c. l. sitne l.* Crat. Turbant libri. v. c.: *si non conditum lustrum, sitne liber? Et continuone, an tribus lustris conditis liber sit?* Vetustissimus Camerarii. (3) Fortasse copula in v. *Romaeque* delenda. Bremii suspicio. (4) — *intestatus* L. (O1x. in marg.) (5) — *contentionem* Cdd. aliq. (6) — *devortium* L. (7) — *excelsum* L. (8) = *segnitiam* L. — *segnitatem* Nonius. (9) Sic L. 1. 2. 3. = *nullius sibi artis f. c. v.* Cdd. aliq. Iu. Crat. M. (10) — *posteaquam ius est* Sch. suspic. (11) — *ille prius* suspectum Ern. — *ille* del. Sch. C. 2. (12) Sic Crat. L. 1. 2. 3. ∞ *habet* Cdd. aliq. Edd. vett. Iu. M.

artibus, dispersa et dissipata quondam fuerunt; ut in musicis, numeri, et voces, et modi; in geometria, lineamenta, formae, intervalla, magnitudines; in astrologia, caeli conversio, ortus, obitus, motusque siderum; in grammaticis, poëtarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus; in hac denique ipsa ratione dicendi, excogitare, ornare, disponere[1], meminisse, agere; ignota[2] quondam omnibus, et diffusa late[3] videbantur. 188. Adhibita est igitur ars quaedam[4] extrinsecus ex alio genere quodam, quod sibi totum philosophi assumunt, quae rem dissolutam divulsamque conglutinaret, et ratione quadam constringeret. Sit ergo in iure civili finis hic, legitimae atque usitatae in rebus causisque civium aequabilitatis[5] conservatio. 189. Tum sunt notanda genera, et ad certum numerum paucitatemque revocanda. Genus autem est id[6], quod sui similes communione quadam, specie autem differentes, duas aut plures complectitur partes. Partes autem sunt[7], quae generibus iis, ex quibus emanant, subiiciuntur; omniaque[8], quae sunt vel generum vel partium nomina, definitionibus, quam vim habeant, est exprimendum. Est enim definitio, earum rerum, quae sunt eius rei[9] propriae, quam definire volumus, brevis, et circumscripta quaedam explicatio. 190. Hisce ego rebus exempla adiungerem, nisi, apud quos haec haberetur[10] oratio, cernerem. Nunc complectar quod proposui, brevi[11]. Si enim aut mihi[12] facere licuerit, quod iamdiu cogito, aut alius quispiam, aut, me impedito, occuparit, aut mortuo effecerit, ut primum omne ius civile in genera digerat, quae perpauca sunt; deinde eorum generum quasi quaedam membra dispertiat; tum propriam cuiusque vim definitione declaret, perfectam artem iuris civilis habebitis, magis magnam atque uberem, quam difficilem et[13] obscuram. 191. Atque interea tamen, dum haec, quae dispersa sunt, coguntur[14], vel passim licet carpentem et colligentem undique, repleri iusta[15] iuris civilis scientia. XLIII. Nonne videtis, equitem Romanum, hominem acutissimo omnium ingenio, sed minime ceteris artibus eruditum, C. Aculeonem, qui mecum vivit, semperque vixit, ita tenere ius civile, ut ei, quum ab hoc discesseritis, nemo de iis, qui peritissimi sunt, anteponatur? 192. Omnia sunt enim[16] posita ante oculos, collocata in usu quotidiano, in congressione hominum atque in foro: neque ita multis literis aut voluminibus magnis continentur. Eadem enim sunt elata[17] primum a pluribus:

([1]) ∞ *disponere, ornare* de Pearcii €. Sch. 2. 3. ([2]) — *incondita quondam omnino* Sch. suspic. ([3]) = *late diffusa* L. ([4]) ∞ om. *quaedam* L. Sch. in Ed. mai. cum C1d. ([5]) Sic St. L. 1. 2. 3. — *aequalitatis* Iu. Crat. M. ([6]) = *id est* L. ([7]) ∞ *autem hae sunt* Sch. 2. e C1d. Pro *autem* Vet. ap. Steph. *enim.* Fortasse *autem* h. l. et supra post *genus* inducendum. ([8]) — *omnia* L. ([9]) — *ei rei* St. ([10]) ∞ *habetur* ex Edd. vett. Muell. 3. ([11]) — *brevius* O1x. St. L. ([12]) ∞ *aut id mihi* L. ([13]) Sic Edd. vett. Iu. Cr. M. Muell. 3. ∞ *atque* L. 1. 2. ([14]) ∞ *cogantur* de Ern. €. Sch. 2. Cdd. pleriq. Edd. vett. Iu. Victor. ([15]) *iusta* Crat. Gothofr. Grut. 1. 2. 3. ∞ *ista* Man. L. Difficilis est optio. — *replere istam i. c. scientiam* Cdd. aliq. St. ([16]) e C2d. — *Omnia enim sunt* Iu. — L. 1. 2. 3. ([17]) ∞ *Eadem sunt enim* Beier *Offic.* T. 1. p. 21. ∞ *Eadem enim elata sunt* Beier *Offic.* T. 2. p. 62.

deinde, paucis verbis commutatis, etiam ab iisdem scriptoribus, scripta sunt[1] saepius. 193. Accedit vero, quo facilius percipi cognoscique ius civile possit, (quod minime plerique arbitrantur,) mira quaedam in cognoscendo suavitas et delectatio. Nam, sive quem † aliena[2] studia delectant[3], plurima est, et in omni[4] iure civili, et in pontificum libris, et in XII tabulis, antiquitatis effigies, quod et verborum prisca vetustas cognoscitur, et actionum genera quaedam maiorum consuetudinem vitamque declarant: sive quis civilem scientiam contemplatur[5], quam Scaevola non putat oratoris esse propriam, sed cuiusdam ex alio genere prudentiae; totam hanc, descriptis omnibus civitatis utilitatibus ac partibus, XII tabulis contineri videbit[6]: sive quem ista praepotens et gloriosa philosophia delectat[7], (dicam audacius,) hosce habet[8] fontes omnium disputationum suarum, qui iure civili et legibus continentur. 194. Ex his enim et dignitatem maxime expetendam videmus, quum verus, iustus, atque honestus labor honoribus, praemiis, splendore[9] decoratur; vitia autem hominum atque fraudes, damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exsiliis[10], morte multantur; et docemur non infinitis, concertationumque plenis disputationibus, sed auctoritate, nutuque legum domitas habere libidines, coërcere omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere. XLIV. 195. Fremant omnes licet, dicam quod sentio: bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur XII tabularum libellus, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere, et utilitatis ubertate superare. 196. Ac, si nos, id quod maxime debet[11], nostra patria delectat; cuius rei[12] tanta est vis, ac tanta natura, ut Ithacam illam, in asperrimis saxulis[13], tamquam nidulum, affixam, sapientissimus vir[14] immortalitati anteponeret: quo amore tandem inflammati esse debemus in eiusmodi patriam, quae una in omnibus terris domus est virtutis, imperii, dignitatis? cuius primum nobis mens, mos, disciplina, nota esse debet; vel quia est patria, parens omnium nostrûm, vel quia tanta sapientia fuisse in iure constituendo putanda est, quanta fuit in his tantis opibus imperii comparandis. 197. Percipietis etiam illam ex cognitione iuris laetitiam et voluptatem, quod, quantum praestiterint nostri maiores prudentia ceteris gentibus, tum facillime intelligetis, si

---

(1) — om. *sunt* L. (2) Sic Iu. Cr. L. 1. = *haec aliena* Edd. vett. Man. — *atica* C1d. Reg. Corrupta omnia. Wyttenbachii C. *sive quem antiqua* receptam a Sch. 2. 3. reperio iam a manu saeculi XVI. adscriptam exemplari meo Ed. Manutianae. At non nimis placet hoc positum pro v. *antiquitatis studia*, et in *haec* aliud quid, nomen fortasse proprium, videtur latere v. c. *haec Longiniana* v. §. 256. vel *haec Catoniana*. (3) — *delectent* L. (4) — *est et in ipso iure civ.* St. ∞ *est in ipso i. c.* L. ∞ *et* abest a plurimis Cdd. v. Sch. in Ed. maiore. (5) e C1d. cum Ellendtio *ad Brut.* p. 233. — *contempletur* Iu. — L. 1. 3. — *complectitur* de Wyttenb. C. Sch. 2. (— *consectatur* altera Wyttenb. C.) (6) e Cdd. (Olx.) 1. 2. 3. — *videbitis* Iu. — L. Grut. (7) — *delectet* L. (8) Sic Cdd. Iu. — L. Grut. ∞ *habebit* Ern. C. 1. 2. 3. (9) e Cdd. 1. 2. 3. — *atque spl.* Iu. — L. Grut. (10) — *exsuliis* L. sicque semper. Semel moneo. (11) — *decet* Ern. suspic. (12) — om. *rei* L. (13) — *scopulis* Nescio cuius C. in marg. exempl. mei Manut. Verba poëtae alicuius hic deprehendit Goerenz ad Cic. *de Legg.* 2, 1. (14) — *sap. ille vir* L.

cum illorum [1] Lycurgo, et Draconc, et Solone nostras leges conferre volueritis. Incredibile est enim, quam sit omne ius civile, praeter hoc nostrum, inconditum, ac paene ridiculum: de quo multa soleo in sermonibus quotidianis dicere, quum hominum nostrorum prudentiam ceteris omnibus [2], et maxime Graecis, antepono. His ego [3] de causis dixeram, Scaevola, iis, qui perfecti oratores esse vellent, iuris civilis cognitionem esse necessariam.

XLV. 198. Iam vero ipsa per sese quantum afferat iis, qui ei praesunt, honoris, gratiae, dignitatis, quis ignorat? Itaque, ut [4] apud Graecos infimi homines, mercedula adducti, ministros se praebent in iudiciis oratoribus, ii, qui apud illos *πραγματικοὶ* vocantur: sic, in nostra civitate contra amplissimus quisque et clarissimus vir; ut ille, qui propter hanc iuris civilis scientiam sic appellatus a summo poëta est:

Egregie cordatus homo, catus Aeliu' [5] *Sextus,*

multique praeterea, qui, quum ingenio sibi † auctore dignitatem peperissent [6], perfecerunt, ut in respondendo iure [7], auctoritate plus etiam, quam ipso ingenio, valerent. 199. Senectuti vero celebrandae et ornandae quod honestius potest esse perfugium, quam iuris interpretatio? Equidem mihi hoc subsidium iam inde ab adolescentia [8] comparavi, non solum ad causarum usum forensem [9]; sed etiam ad decus atque ornamentum senectutis, ut, quum me vires (quod fere iam tempus adventat) deficere coepissent, ista ab [10] solitudine domum meam vindicarem. Quid est enim praeclarius, quam honoribus et rei publicae muneribus perfunctum senem posse suo iure dicere idem, quod apud Ennium dicat [11] ille Pythius Apollo, se esse eum, *unde sibi*, si non *populi et reges*, at omnes sui cives *consilium expetant*,

Suarum rerum incerti: quos ego mea ope ex
Incertis certos, compotesque consili
Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

200. Est enim sine dubio domus iurisconsulti totius oraculum civitatis. Testis est huiusce Q. Mucii ianua et vestibulum, quod in eius infirmissima valetudine, affectaque iam aetate, maxima quotidie frequentia civium, ac summorum hominum splendore celebratur.

([1]) — *illarum* Ern. suspic. ([2]) e Cdd. Grut. 1. 2. 3. — *hominibus* Edd. vett. Iu. — L. ([3]) ∞ *ergo* Edd. vett. ([4]) Sic Iu. — L. 1. 3. ∞ *Itaque non ut* Cdd. aliq. Edd. vett. Sch. 2. (Item Le Clerc e Cdd. Reg.) Sch. in seqq. distinguit: *civitate; contra.* Sed vide Matthiae ap. Muell. ([5]) Sic iam Crat. 2. 3. — *Aelius* Ern. 1. al. ([6]) Sic Iu. — L. Grut. corrupte. *auctore* Ern. [ ]. Del. Sch. €. 2. ∞ *sibi auctoritatem* de (Huldrici et) Matthiae €. Muell. 3. tum: *peperissent* Margo Crat. Grut. 1. 2. — *reperissent* Edd. vett. Iu. — L. Muell. 3. ([7]) Sic Cdd. pleriq. Edd. vett. Iu. — L. Grut. Muell. 3. — *resp. de iure* Ern. 1. 2. ([8]) Sic Cdd. Edd. vett. Iu. — L. Sch. 2. 3. — *iam ab adol.* Grut. Ern. 1. ([9]) Sic Iu. — L. Grut. Recte, puto, ut C. 24. §. 111. et alias. ∞ *forensium* Edd. vett. Ern. 1. 2. 3. ([10]) Sic Cdd. aliq. Victor. Grut. Sch. 2. 3. prob. Goerenz. — *isto* scil. praesidio, Cld. unde merito dubites, annon *ista* e gloss. *isto* sit ortum. Omittunt enim *ista* Iu. Crat. M. Ern. 1. — *coepissent*, *tum a sol.* L. ([11]) — *dicit* Sch. 2.

XLVI. 201. Iam vero [1] illa non longam orationem desiderant, quamobrem existimem publica [2] quoque iura, quae sunt propria civitatis atque imperii, tum monumenta rerum gestarum, et [3] vetustatis exempla, oratori nota esse debere. Nam ut in rerum privatarum causis atque iudiciis depromenda saepe oratio est ex iure civili, et idcirco, ut ante diximus, oratori iuris civilis scientia necessaria est: sic in causis publicis iudiciorum, concionum, senatus, omnis haec et antiquitatis memoria, et publici iuris auctoritas, et regendae rei publicae ratio ac scientia, tamquam aliqua [4] materies, iis oratoribus, qui versantur in re publica, subiecta esse debet [5]. 202. Non enim causidicum nescio quem, neque proclamatorem, aut rabulam, hoc sermone nostro conquirimus, sed eum virum, qui primum sit [6] eius artis antistes, cuius quum ipsa natura magnam homini facultatem daret, tamen esse † deus putatur [7], ut et [8] ipsum, quod erat [9] hominis proprium, non partum [10] per nos, sed divinitus ad nos delatum [11] videretur: deinde, qui possit, non tam caduceo, quam nomine oratoris ornatus, incolumis vel inter hostium tela versari: tum, qui scelus fraudemque nocentis possit dicendo subiicere odio civium, supplicioque constringere: idemque ingenii praesidio innocentiam iudiciorum poena liberare: idemque languentem labentemque [12] populum aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut inflammare in improbos, aut incitatum in bonos, mitigare: qui denique, quemcunque in animis hominum motum res et causa postulet, eum dicendo vel excitare possit, vel sedare. 203. Hanc vim si quis existimat, aut ab iis, qui de dicendi ratione scripserunt, expositam esse, aut a me posse exponi tam brevi, vehementer errat: neque solum inscientiam [13] meam, sed ne rerum quidem magnitudinem perspicit. Equidem vobis, quoniam ita voluistis, fontes, unde hauriretis, atque itinera ipsa, ita [14] putavi esse demonstranda; non ut ipse dux essem, (quod et infinitum est [15], et non necesssarium,) sed ut commonstrarem tantum viam, et, ut fieri [16] solet, digitum ad fontes intenderem. XLVII. 204. Mihi vero, inquit Mucius, satis superque abs te videtur istorum studiis, si modo sunt studiosi, esse factum. Nam, ut Socratem illum solitum aiunt dicere, perfectum sibi opus esse, si qui [17] satis esset concitatus [18] cohortatione sua ad studium cognoscendae percipiendaeque virtutis: (quibus enim id persuasum esset, ut nihil mallent esse se [19],

---

([1]) — om. *vero* M. Sch. 2. cum C2d. (Habent Iu. Cr. Victor. L. 1. 3.) ([2]) ∞ *exist. quum publ. iura*, omisso *quoque* L. ([3]) — om. *et* L. ([4]) — *alia* Ern. 1. err. typogr. ([5]) Sic L. 2. — *debent* Iu. Crat. M. Ern. 1. 3. ([6]) ∞ *primum qui sit* L. ([7]) Hoc corruptum. ∞ *tamen effector esse deus putatur.* Walch. *Em. Liv.* p. 176. — *tamen esse Deum putabatur* Ern. €. qui *putabatur* recepit, ut et Muell. 3. (Sch. 2. restituit *putatur*) — *tamen esse Deus putaretur* L. ([8]) — *id* pro *et* de Heus. €. Sch. 2. ([9]) — *est* Edd. vett. ([10]) — *factum* Edd. vett. ([11]) — *perlatum* Edd. vett. ([12]) Sic Iu. Cr. M. Ern. 1. (*labi* affine est verbo *errare:* qui *labitur*, non qui *labat*, *ab errore deducitur.* Cfr. C. 37. §. 169. *de Off.* 1, 6. Huldricus.) — *labantemque* L. Sch. 2. 3. ([13]) — *inscitiam* Victorio tribuitur. Camerarii certe ed. ut Iu. — L. Seqq. *inscientiam.* ([14]) — om. *ita* Sch. 2. haud monito lectore. ([15]) — *esset* Ern. suspic. ([16]) Sic Cdd. Edd. vett. Iu. — L. 1. ∞ *ferri* de Herelii €. Muell. 3. — *dici* de Ern. €. Sch. 2. ([17]) e Cdd. (etiam 3. Regg.) — *quis* Iu. — L. 1. 2. 3. ([18]) — *incitatus* L. ([19]) Sic Cdd. aliq. L. Sch. 2. — *se esse* Iu. Crat. 1. 3.

quam bonos viros, iis reliquam facilem esse doctrinam:) sic ego intelligo, si in haec, quae patefecit oratione sua Crassus, intrare volueritis, facillime vos ad ea, quae cupitis, perventuros ab hoc aditu, ianuaque patefacta. 205. Nobis vero, inquit Sulpicius, ista sunt pergrata perque iucunda: sed pauca etiam requirimus, in primisque ea, quae valde breviter a te, Crasse, de ipsa arte percursa sunt, quum illa te et non contemnere, et didicisse confiterere. Ea si paullo latius dixeris, expleris omnem exspectationem diuturni desiderii nostri. Nam nunc, quibus studendum rebus esset, accepimus, quod ipsum est tamen magnum; sed vias earum rerum rationemque cupimus cognoscere. 206. Quid? si, inquit Crassus, quoniam ego, quo facilius vos apud me tenerem, vestrae potius obsecutus sum voluntati, quam aut consuetudini, aut naturae meae, petimus ab Antonio, ut ea, quae continet, neque adhuc protulit, ex quibus unum libellum sibi excidisse iamdudum questus est, explicet nobis, et illa dicendi mysteria enuntiet? Ut videtur, inquit Sulpicius. Nam Antonio dicente, etiam quid tu sentias, intelligemus [1]. 207. Peto igitur, inquit Crassus, a te, quoniam id nobis, Antoni, hominibus id aetatis, oneris ab horum adolescentium studiis imponitur [2], ut exponas, quid iis de rebus, quas a te quaeri vides, sentias. XLVIII. Deprehensum equidem me, inquit Antonius, plane video atque sentio, non solum quod ea requiruntur a me, quorum sum ignarus atque insolens, sed quia, quod in causis valde fugere soleo, ne tibi, Crasse, succedam, id me [3] nunc isti vitare non sinunt. 208. Verum hoc ingrediar ad ea, quae vultis, audacius, quod idem mihi spero usu esse venturum in hac disputatione, quod in dicendo solet, ut nulla exspectetur ornata oratio. Neque enim sum de arte dicturus, quam nunquam didici, sed de mea consuetudine; ipsaque illa, quae in commentarium meum retuli, sunt eiusmodi, non aliqua mihi doctrina tradita, sed in rerum usu causisque tractata, quae si vobis, hominibus eruditissimis, non probabuntur, vestram iniquitatem accusatote, qui ex me ea quaesieritis, quae ego nescirem: meam facilitatem laudatote, quum vobis, non meo iudicio, sed vestro studio inductus, non gravate respondero. 209. Tum Crassus, Perge modo, inquit, Antoni. Nullum est enim periculum, ne quid tu eloquare, nisi ita prudenter, ut neminem nostrûm poeniteat ad hunc te sermonem impulisse.

Ego vero, inquit, pergam: et id faciam, quod in principio fieri in omnibus disputationibus oportere censeo: ut, quid illud sit, de quo disputetur [4], explanetur; ne vagari et errare cogatur oratio, si ii, qui inter se dissenserint [5], non idem [esse] [6] illud, quo de agitur [7], intelligant [8]. 210. Nam si forte quaereretur, quae esset ars imperatoris, constituendum putarem principio, quis [9] esset imperator: qui quum

---

(1) Ita Manutius, de C. ni fallor. Ern. 1. 2. 3. ∞ *intelligas*, *sentiemus* Cdd. omnes. Edd. vett. Iu. Cr. Victor. L. (2) — *oneris* Sch. C. 2. collocavit post *id nobis*, Muell. C. 3. post *imponitur*. (3) — om. *me* Cld. prob. Heusing. = *id nunc vitare me isti non s.* L. (4) ∞ *disputatur* Sch. 2. (5) ∞ *dissentiunt* L. (6) ∞ del. *esse* Sch. C. 2. 3. Recte. Nos [ ]. (7) e Cdd. Ern. 1. 2. 3. = *de quo agitur* Edd. vett. Iu. — L. (8) Sic Ern. C. 1. 2. 3. ∞ *intelligent* Iu. — L. Grut. (9) ∞ *qui* Edd. vett.

esset constitutus administrator quidam belli gerendi, tum adiungeremus de exercitu, de castris, de agminibus, de signorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de insidiis faciendis atque vitandis, de reliquis rebus, quae essent propriae belli administrandi: quarum qui essent animo et scientia compotes, eos esse imperatores diceremus; utererque exemplis Africanorum et Maximorum; Epaminondam atque Hannibalem, atque[1] eius generis homines nominarem. 211. Sin autem quaereremus[2], quis esset is, qui ad rem publicam moderandam usum, et scientiam, et studium suum contulisset, definirem hoc modo: qui, quibus rebus utilitas rei publicae pararetur augereturque, teneret iisque uteretur; hunc rei publicae rectorem, et consilii publici auctorem esse habendum: praedicaremque P. Lentulum, principem illum, et Ti. Gracchum patrem, et Q. Metellum, et P. Africanum, et C. Laelium, et innumerabiles alios quum[3] ex nostra civitate, tum ex ceteris. 212. Sin autem quaereretur, quisnam iurisconsultus vere nominaretur; eum diceremus, qui legum, et consuetudinis[4] eius, qua privati in civitate utereutur, et ad respondendum, et ad agendum[5], et ad cavendum, peritus esset: et ex eo genere Sex. Aelium, M'. Manilium, P. Mucium nominarem. XLIX. Atque, ut iam[6] ad leviora artium studia veniam, si musicus, si grammaticus, si poëta quaeratur, possim similiter explicare, quid eorum quisque profiteatur, et quo non amplius ab[7] quoque sit postulandum. Philosophi denique ipsius, qui de sua vi ac sapientia unus omnia paene profitetur, est tamen quaedam descriptio, ut is, qui studeat omnium rerum, divinarum atque humanarum, vim, naturam causasque nosse, et omnem bene vivendi rationem tenere et persequi, nomine hoc appelletur. 213. Oratorem autem, quoniam de eo quaerimus, equidem non facio eundem, quem Crassus, qui mihi visus est omnem omnium rerum atque artium scientiam comprehendere uno oratoris officio ac nomine: atque[8] cum puto esse, qui et[9] verbis ad audiendum iucundis et sententiis ad probandum accommodatis uti possit in causis forensibus atque communibus. Hunc ego appello oratorem, eumque esse praeterea instructum voce, et actione, et lepore quodam volo. 214. Crassus vero mihi noster[10] visus est oratoris facultatem non illius artis terminis, sed ingenii sui finibus, immensis paene, describere. Nam et[11] civitatum regendarum oratori gubernacula sententia sua tradidit: in quo per mihi mirum visum est, Scaevola, te hoc illi concedere; quum saepissime tibi senatus, breviter impoliteque dicenti, maximis sit de rebus assensus. M. vero Scaurus, quem non longe, ruri apud se[12] esse audio, vir regendae rei publicae scientissimus, si audierit, hanc auctoritatem gravitatis et consilii sui vindicari a te, Crasse, quod eam oratoris[13] propriam esse dicas;

---

(1) — *aliosque* Muell. suspic. (2) — *quaeremus* Hahn. (3) — *tum* e Cld. Edd. vett. Sch. 2. (4) = *consuetudinisque* Ed. Ven. 1485. (5) Sic Cdd. Iu. — L. Grut. — *scribendum* nimis arbitraria C. Ern. 1. 2. 3. (6) — om. *iam* Sch. 2. cum Cld. (7) = *a* Sch. 2. (8) — *at* Man. (9) ex Edd. vett. Iu. Cr. Victor. L. — om. *et* Grut. 1. 2. 3. (10) = *noster mihi* St. L. (11) ∞ *etiam* Man. solus. (12) — *apud sese* Ed. Ven. 1485. (13) — *oratoriam* Ed. Hamm. hinc — *oratorum* Ed. Ven. 1485.

iam, credo, huc veniat, et hanc loquacitatem[1] nostram vultu ipso aspectuque conterreat: qui quamquam est in dicendo minime contemnendus, prudentia tamen rerum magnarum magis, quam dicendi arte, nititur. 215. Neque vero, si quis utrumque potest, aut ille consilii publici auctor ac senator bonus, ob eam ipsam causam orator est; aut hic disertus atque[2] eloquens, si est idem in procuratione civitatis egregius, alienam[3] scientiam dicendi copia est consecutus. Multum inter se distant istae facultates, longeque sunt diversae atque seiunctae, neque eadem ratione ac via M. Cato, P. Africanus, Q. Metellus, C. Laelius, qui omnes eloquentes fuerunt, orationem[4] suam et rei publicae dignitatem exornabant. L. Neque enim est interdictum aut a rerum natura, aut a lege aliqua atque more, ut[5] singulis hominibus ne amplius, quam singulas artes, nosse liceat. 216. Quare non, etsi[6] eloquentissimus Athenis Pericles, idemque in ea civitate plurimos annos princeps consilii publici fuit, ideirco eiusdem hominis[7] atque artis utraque facultas existimanda est; nec, si P. Crassus idem fuit eloquens, et iuris peritus, ob eam causam inest in facultate dicendi iuris civilis scientia. 217. Nam si quisque, ut in aliqua arte et facultate excellens, aliam quoque artem sibi assumpserit, ita[8] perficiet, ut, quod praeterea sciet, id eius, in quo excellet, pars quaedam esse videatur: licet ista ratione dicamus, pila bene, et duodecim scriptis[9] ludere, proprium esse iuris civilis[10], quoniam utrumque eorum P. Mucius optime fecerit; eademque ratione dicantur, et quos[11] φυσικοὺς Graeci nominant, iidem poëtae, quoniam Empedocles physicus egregium poëma fecerit. At hoc ne philosophi quidem ipsi, qui omnia, sicut propria, sua esse[12], atque a se possideri volunt, dicere audent, geometriam, aut musicam, philosophi esse, quia Platonem omnes in illis artibus praestantissimum fuisse fateantur. 218. Ac, si iam placet omnes artes oratori subiungere, tolerabilius est, sic potius dicere, ut, quoniam dicendi facultas non debeat esse ieiuna atque nuda, sed aspersa atque distincta multarum rerum iucunda quadam varietate, sit boni oratoris multa auribus accepisse, multa vidisse, multa animo et cogitatione, multa etiam legendo percurrisse: neque ea, ut sua, possedisse, sed, ut aliena, libasse. Fateor enim, callidum quendam hunc, et nulla in re tironem ac rudem, nec peregrinum atque hospitem in agendo esse debere.

LI. 219. Neque vero istis tragoediis tuis, quibus uti philosophi maxime solent, Crasse, perturbor, quod ita[13] dixisti, neminem posse eorum mentes, qui audirent, aut inflammare dicendo, aut inflammatas restinguere,

(1) — *licentiam* Sch. suspic. (2) — *aut* Iu. (3) Recepi cum Sch. 2. egregiam Wyttenb. C. confirmatam ab Ed. Hahn. quae habet: *aliena scientia dicendi copiam* — *aliquam* Iu. Crat. Victor. Grut. — *reliquam* Gesneri C. — *illam* Man. L. 3. (4) — *et rationem* Nonius; unde fortasse recip. *et*. (5) — *aut* Ern. 1. errore typogr. (6) ∞ *si* L. (7) — *nominis* Sch. C. 2. 3. sed Muellerum postea poenituit huius C. receptae. (8) Sic Lamb. Ern. C. 1. 2. 3. — *is* Cdd. Edd. vett. Iu. Cr. M. quod defendit Matthiae *Misc. crit.* 1, 4. p. 677. (9) Sic L. 1. 2. 3. — *scrupis* Edd. vett. Iu. — M. (10) — *iurisconsulti* Man. (11) Sic Edd. vett. Iu. Cr. Victor. L. 1. — om. *et* cum Cld. Sch. 2. 3. defendit Matthiae l. l. — *etiam* Man. qui in iis erat, qui *et* hoc sensu apud Ciceronem non tolerarent. (12) — *qui cetera omnia scilicet proprie sua esse* Sch. suspic. (13) Sic Iu. — L. Grut. Sch. 2. — *ista* Ern. 1. errore typogr. propagato a Muell. 3.

quum eo maxime vis oratoris magnitudoque cernatur, nisi qui rerum omnium naturam, mores hominum atque rationes [1] penitus perspexerit: in quo philosophia sit oratori necessario percipienda: quo in studio hominum quoque ingeniosissimorum otiosissimorumque totas aetates videmus esse contritas: quorum ego copiam magnitudinemque cognitionis atque artis non modo non contemno, sed etiam vehementer admiror: nobis tamen, qui in hoc populo foroque versamur, satis est [2], ea de moribus hominum [3] et scire, et dicere, quae non abhorrent ab hominum moribus. 220. Quis enim unquam orator magnus, et gravis, quum iratum adversario iudicem facere vellet, haesitavit ob eam causam, quod nesciret, quid esset iracundia, fervorne [4] mentis, an cupiditas puniendi doloris? Quis, quum ceteros animorum motus aut iudicibus, aut populo dicendo miscere atque agitare vellet, ea dixit, quae a philosophis dici solent? qui partim omnino motus negant in animis ullos esse debere, quique eos in iudicum mentibus concitent, scelus eos nefarium [5] facere; partim, qui tolerabiliores volunt esse, et ad veritatem vitae propius accedere, permediocres ac potius leves motus debere esse dicunt. 221. Orator autem omnia haec, quae putantur in communi vitae consuetudine mala ac molesta, et fugienda, multo maiora et acerbiora verbis facit: itemque ea, quae vulgo expetenda atque optabilia videntur, dicendo amplificat atque ornat: neque vult ita sapiens inter stultos videri, uti [6] qui audiant, aut illum ineptum [7] et [8] Graeculum putent, aut, etiamsi valde probent ingenium, oratoris sapientiam [9] admirentur, se esse stultos moleste ferant; 222. sed ita peragrat per [10] animos hominum, ita sensus mentesque pertractat, ut non desideret philosophorum descriptiones, neque exquirat oratione, summum illud bonum in animone sit, an in corpore: virtute an voluptate definiatur: an haec inter se iungi copularique possint: an vero, ut quibusdam visum [11], nihil certum sciri, nihil plane cognosci et percipi possit. Quarum rerum fateor magnam multiplicemque esse disciplinam, et multas copiosas variasque rationes; sed aliud quiddam, longe aliud, Crasse, quaerimus. 223. Acuto homine nobis opus est, et natura usuque callido, qui sagaciter pervestiget, quid sui cives, iique homines, quibus aliquid dicendo persuadere velit, cogitent, sentiant, opinentur, exspectent. LII. Teneat oportet venas cuiusque generis, aetatis, ordinis, et eorum, apud quos aliquid [12] aget [13], aut erit acturus, mentes, sensusque degustet: 224. philosophorum autem libros reservet sibi ad huiusce modi Tusculani requiem atque otium; nec [14], si quando ei dicendum erit de iustitia et fide, mutuetur a Platone; qui, quum haec exprimenda [15] verbis

---

([1]) — *qui hominum naturam et motus animorum eorumque rationes* Sch. E. 2. (= *ac rationes* L.) ([2]) = *est satis* L. ([3]) — *de motibus animorum* de Ern. E. Sch. 2. ([4]) — *errorne* de Purgoldi E. Sch. 2. ([5]) — *eos aiunt nef.* Man. E. ([6]) ∞ *ut ii* Pearcii suspic. ([7]) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. suspic. vel: *qui audiant illum, aut ineptum*, vel: *aut ineptum illum et Gr.* Hoc receperunt Sch. 2. Muell. 3. nec tamen hoc *illum* opponitur v. *se*. ([8]) Sic Pearc. 1. 2. 3. — *aut* Cdd. Iu. — L. Grut. ([9]) Sic distinguunt Iu. Cr. Victor. L. ut v. *oratoris* manifestius opponatur v. *se* — *ingenium oratoris, sap.* Man. Ern. 1. 2. 3. (— *sap. animi* Edd. vett.) ([10]) — om. *per* L. ([11]) ∞ *visum est* L. ([12]) — del. *aliquid* Sch. E. 2. 3. ([13]) Sic Iu. M. L. 1. 2. 3. — *agit* Cdd. aliq. prob. Heus. — *agat* Crat. ([14]) Sic Sch. E. 2. 3. — *otium, nec* Iu. — L. Grut. 1. ([15]) — *exponenda* Sch. suspicio.

arbitraretur, novam quandam finxit in libris civitatem: usque eo illa, quae dicenda de iustitia putabat, a vitae consuetudine, et a civitatum moribus abhorrebant. 225. Quod si ea probarentur in populis atque in civitatibus; quis tibi, Crasse, concessisset, clarissimo viro, et amplissimo principi civitatis, ut illa diceres in maxima concione tuorum civium, quae dixisti? „Eripite nos ex miseriis, eripite nos [1] ex faucibus eorum, quorum crudelitas nostro sanguine non potest expleri: nolite sinere nos cuiquam servire, nisi vobis universis, quibus et possumus et debemus." Omitto *miserias*, in quibus, ut illi aiunt, vir fortis esse non potest; omitto *fauces*, ex quibus te eripi vis, ne iudicio iniquo exsorbeatur sanguis tuus; quod sapienti negant accidere posse: *servire* vero non modo te, sed universum senatum, cuius tum causam agebas, ausus es dicere? 226. Potestne virtus, Crasse, servire, istis auctoribus, quorum tu praecepta oratoris facultate complecteris? quae et semper, et sola libera est, quaeque, etiamsi corpora capta sint armis, aut constricta vinculis, tamen suum ius, atque omnium rerum impunitam libertatem tenere debeat [2]. Quae vero addidisti, non modo senatum servire *posse* populo, sed etiam *debere*, quis hoc [3] philosophus tam mollis, tam languidus, tam enervatus, tam omnia ad voluptatem corporis doloremque referens, probare posset, senatum [4] servire populo, cui populus ipse moderandi et regendi sui potestatem, quasi [5] quasdam habenas, tradidisset? LIII. 227. Itaque haec quum a te divinitus ego [6] dicta arbitrarer, P. Rutilius Rufus, homo doctus, et philosophiae deditus, non modo [7] parum commode, sed etiam turpiter et flagitiose dicta esse dicebat. Idemque [8] Servium Galbam, quem hominem probe commeminisse [9] se aiebat, pergraviter reprehendere solebat, quod is, L. Scribonio quaestionem in eum ferente, populi misericordiam concitasset, quum M. Cato, Galbae gravis atque acer inimicus, aspere apud populum Romanum [10] et vehementer esset locutus: quam orationem in Originibus suis exposuit ipse [11]. 228. Reprehendebat igitur Galbam Rutilius, quod is C. Sulpicii Galli, propinqui sui, Q. pupillum filium [12] ipse paene in humeros suos extulisset, qui patris clarissimi recordatione et memoria fletum populo

---

([1]) ∞ om. *nos* Sch. 2. 3. cum Cdd. aliq. ([2]) ex philosophorum scil. opinione, neque propter v. *est* mutandum in *debet*, ut fecit Sch €. 2. 3. ([3]) — *debere haec*, *quis phil.* Sch. €. 2. ([4]) Sic disting. L. Muell. 3. — *probare posset? Senatum* Iu. Cr. Ern. 1. — *ut probare possit? Senatum* Sch. €. 2. ([5]) — *potestatem* del. censebat L. non tamen delevit. — *potestatem*, *et quasi* Muell. suspic. ([6]) Sic Iu. — L. 1. 2. 3. — *div. et ego* Grut. ([7]) — om. *modo* Cdd. aliq. ([8]) Sic Man. Grut. 1. 2. 3. — *Idem Q. Servium* Iu. Crat. Victor. vitiose, unde L. 1566. correxit: *Idem Servium Sulpicium Galbam.* ([9]) Sic Cdd. aliq. Man. L. 1. Lallem. 2. 3. — *probe nosse et commeminisse* Crat. Victor. Grut. — *probe nosse et meminisse* Iu. ([10]) — om. *Romanum* Man. ([11]) Sic L. 1. 2. 3. = *ipse* ponit ante v. *in Orig.* Iu. Crat. Victor. — om. Man. ([12]) — *filium Q. pupillum* L. Sch. 2. Sed ordo receptus retinendus mihi videtur collatis Plin. H. N. 34, 36, 1. *pupillum Luculli filium ex S. C. dedicasse* et Ulpiano 11, 22. *Senatus permisit in locum pupilli patroni filii alium tutorem petere*; legitima igitur formula erat *Quintus pupillus C. Sulpicii Galli filius*, ut fere *spurius Titii filius*.

moveret, et duos filios suos parvos tutelae populi commendasset, ac se, tamquam in procinctu testamentum faceret, sine libra atque tabulis, populum Romanum tutorem instituere dixisset illorum orbitati. Itaque quum et invidia et odio populi tum Galba premeretur, his quasi[1] eum tragoediis liberatum ferebat; quod item apud Catonem scriptum esse video, *nisi pueris et lacrymis usus esset, poenas eum daturum fuisse.* Haec Rutilius valde vituperabat, et huic humilitati, dicebat, vel exsilium fuisse, vel mortem anteponendam. 229. Neque vero hoc solum dixit, sed ipse et sensit, et fecit. Nam quum esset ille vir exemplum, ut scitis, innocentiae; quumque illo nemo neque integrior esset in civitate, neque sanctior, non modo supplex iudicibus esse noluit[2], sed ne ornatius quidem, aut liberius causam dici suam, quam simplex ratio[3] veritatis ferebat. Paullum huic Cottae tribuit partium, disertissimo adolescenti, sororis suae filio. Dixit item causam illam quadam ex parte Q. Mucius, more suo, nullo apparatu, pure et dilucide. 230. Quod si[4] tu tunc, Crasse, dixisses, qui subsidium oratori ex illis disputationibus, quibus philosophi utuntur, ad dicendi copiam petendum esse paullo ante dicebas; et, si tibi pro P. Rutilio non philosophorum more, sed tuo licuisset dicere: quamvis scelerati illi fuissent, sicuti[5] fuerunt, pestiferi cives, supplicioque digni; tamen omnem eorum importunitatem ex intimis mentibus evellisset vis orationis tuae: nunc talis vir amissus est, dum causa ita dicitur[6], ut si in illa commenticia Platonis civitate res ageretur. Nemo ingemuit, nemo inclamavit patronorum, nihil cuiquam doluit, nemo est questus, nemo rem publicam imploravit, nemo supplicavit. Quid multa? pedem nemo in illo iudicio supplosit, credo, ne Stoicis renuntiaretur. LIV. 231. Imitatus est homo Romanus et consularis veterem illum Socratem, qui, quum omnium sapientissimus esset, sanctissimeque vixisset, ita in iudicio capitis pro se ipse dixit, ut non supplex, aut reus, sed magister, aut dominus videretur esse iudicum. Quin etiam, quum ei scriptam orationem disertissimus orator Lysias attulisset, quam, si ei[7] videretur, ediceret, ut ea pro se in iudicio uteretur, non invitus legit, et commode scriptam esse dixit: sed, inquit, ut, si mihi[8] calceos Sicyonios attulisses, non uterer, quamvis essent habiles et apti[9] ad pedem, quia non essent viriles; sic illam orationem disertam sibi et oratoriam[10] videri, fortem et virilem non videri. Ergo ille quoque damnatus est: neque solum primis sententiis, quibus tantum statuebant iudices, damnarent, an absolverent, sed etiam illis, quas iterum legibus ferre debebant. Erat enim Athenis, reo damnato, si

---

(1) Sic margo Crat. Victor. Muell. 3. — *his quoque* Edd. vett. Iu. Crat. M. L. 1. — *hisce eum* Heusing. E. e vestig. Cdd. recepit Sch. 2. (2) Sic Victor. M. L. 1. 3. ∞ *voluit* Cdd. aliq. Edd. vett. Iu. Crat. Sch. 2. et defendi potest ante v. *sed ne-quidem.* (3) Sic Cdd. aliq. Edd. vett. Iu. Cr. Victor. M. 1. 2. 3. — *oratio* Vet. apud St. L. Grut. (4) Sic Cdd. aliq. Iu. — L. 1 2. 3. — *Quid si* Grut. (5) = *sicut* de Goerenzii sententia Sch. 2. 3. (6) — *dicebatur* Muell. suspicio perversa. (7) suspectum *ei* Sch. (8) ∞ *sed, ut si mihi, inquit* L. (9) = *atque apti* L. (10) Hoc recte defendit Walch *Emendd. Liv.* p. 204. Est ἀπολογίαν ῥητορικήν, ut saepe apud Platonem τὸ ῥητορικὸν τοῦ λόγου — *ornatam* Sch. E. 2. 3.

fraus capitalis non esset, quasi poenae [1] aestimatio: 232. et [2] sententia quum iudicibus daretur, interrogabatur reus, quam quasi aestimationem [3] commeruisse se maxime confiteretur; quod quum interrogatus Socrates esset, respondit, sese meruisse, ut amplissimis honoribus et praemiis decoraretur, et ut ei [4] victus quotidianus in Prytaneo publice praeberetur; qui honos apud Graecos maximus habereturr [5]. 233. Cuius responso sic iudices exarserunt, ut capitis hominem innocentissimum condemnarent. Qui quidem si absolutus esset, (quod mehercule, etiamsi nihil ad nos pertinet, tamen propter eius ingenii magnitudinem vellem:) quonam modo istos philosophos ferre possemus, qui nunc, quum ille damnatus est, nullam aliam ob culpam, nisi propter dicendi inscientiam [6], tamen a se oportere dicunt peti praecepta dicendi? quibuscum ego non pugno, utrum sit melius, aut verius: tantum dico, et aliud illud esse, atque hoc, et hoc sine illo summum esse posse.

LV. 234. Nam quod ius civile, Crasse, tam vehementer amplexus es, video, quid egeris. Tum, quum dicebas, non videbam [7]. Primum Scaevolae te dedisti [8], quem omnes amare meritissimo pro eius eximia suavitate debemus: cuius artem quum indotatam esse et incomptam [9] videres, verborum eam dote locupletasti et ornasti. Deinde quod in ea tu plus operae laborisque consumpseras, quum eius studii tibi et hortator et magister esset domi, veritus es, nisi istam artem oratione exaggerasses, ne operam perdidisses. Sed ego ne cum ista quidem arte pugno. 235. Sit sane tanta, quantam tu illam esse vis. Etenim sine controversia et magna est, et late patet, et ad multos pertinet, et summo in honore semper fuit, et clarissimi cives ei studio et semper praefuerunt, et hodie [10] praesunt: sed vide, Crasse, ne, dum novo et alieno ornatu [11] velis ornare iuris civilis scientiam, suo quoque eam concesso et tradito spolies atque denudes. 236. Nam, si ita diceres, qui iurisconsultus esset, esse eum [12] oratorem, itemque qui esset orator, iuris eundem esse consultum: praeclaras duas artes constitueres, atque inter se pares, et eiusdem [13] socias dignitatis. Nunc vero, iurisconsultum sine hac eloquentia, de qua quaerimus, fateris esse posse, fuisseque plurimos; oratorem negas, nisi illam scientiam assumpserit, esse posse. Ita * est [14] tibi iurisconsultus ipse per se

---

([1]) del. censebat *poenae* L. non tamen delevit. ([2]) Ex Edd. vett. Ern. 1. 2. 3. — *ex sententia* Iu. Cr. Victor. M. — *haec sententia* L. Fuitne *ea sententia*? ([3]) — *quasi aest.* del. Sch. €. 2. ([4]) Sic Cdd. Edd. vett. Iu. — L. Grut. 2. 3. — *et ei* Ern. 1. errore typogr.? ([5]) Sic Iu. — L. Grut. Vide Ellendt ad *Brut.* p. 93. — *habetur* Ern. €. 1. 2. 3. ([6]) Sic Vet. ap. Steph. L. 1. 2. 3. — *inscitiam* Iu. Cr. M. — *insolentiam* Stadelmanni €. ([7]) Sic L. — *egeris. Tum, quum dicebas, videbam* Iu. Cr. Victor. 1. 2. (in Ed. mai. Sch. €. del. *tum-videbam*) — *et quum dicebas, videb.* Vet. ap. Steph. — *et tum, quum dic. videbas* Edd. vett. Man. Muell. 3. Sed hoc necessario requireret *et nunc video, quid egeris.* ([8]) e Cdd. Man. L. 1. 2. 3. — *dedidisti* Iu. Cr. Victor. Grut. ([9]) e Cld. Pearc. Lallem. 1. 2. 3. — *esse atque incomitatam et incomptam* Iu. — L. Grut. ([10]) Sic Edd. vett. Muell. 3. — *ei studio et olim* (Sch. €.) *praefuerunt, et hodie* Sch. 2. — *ei studio et semper praefuerunt, et etiam hodie* Iu. Cr. Victor. — *ei studio etiam hodie praesunt, sed* Man. L. Ern. 1. ([11]) — *vestitu* arbitraria Sch. €. 2. ([12]) ∞ *esse eundem*, vel — *eum esse* Ern. suspic. ([13]) — *eiusmodi socias* St. — *eiusdemmodi socias* L. ([14]) Ern. €. 1. 2. 3. — *et* Cdd. Edd. vett. Iu. — L. Grut.

nihil, nisi leguleius quidam cautus et acutus, praeco actionum, cantor[1] formularum, auceps syllabarum: sed quia saepe utitur orator subsidio iuris in causis, ideirco istam iuris scientiam eloquentiae tamquam ancillulam pedisequamque adiunxisti.

LVI. 237. Quod vero impudentiam admiratus es eorum patronorum, qui aut, quum parva nescirent, magna profiterentur, aut ea, quae maxima essent in iure civili, tractare auderent in causis, quum ea nescirent, nunquamque didicissent; utriusque rei facilis est et prompta defensio. Nam neque illud est mirandum, qui, quibus verbis coëmptio fiat, nesciat, eundem eius mulieris, quae coëmptionem fecerit, causam posse defendere: nec, si[2] parvi navigii et magni eadem[3] est in gubernando scientia; ideirco qui, quibus verbis eretum cieri[4] oporteat, nesciat, idem ercisciundae[5] familiae causam agere non possit. 238. Nam, quod maximas centumvirales causas in iure positas protulisti: quae tandem earum causa[6] fuit, quae ab homine eloquenti, iuris imperito, non ornatissime potuerit dici? quibus quidem in causis omnibus, sicut in ipsa M' Curii, quae abs te nuper est dicta, et in C. Hostilii Mancini controversia, atque in eo puero, qui ex altera natus erat uxore, non remisso nuntio superiori, fuit inter peritissimos homines summa de iure dissensio. 239. Quaero igitur, quid adiuverit oratorem in his causis iuris scientia, quum hic iurisconsultus superior fuerit discessurus, qui esset non suo artificio, sed alieno, hoc est, non iuris scientia, sed eloquentia, sustentatus. Equidem hoc saepe audivi, quum aedilitatem P. Crassus peteret, eumque maior natu, et iam[7] consularis Ser. Galba assectaretur, quod Crassi[8] filiam C. filio suo despondisset, accessisse ad Crassum consulendi causa quendam rusticanum: qui quum Crassum seduxisset, atque ad eum retulisset, responsumque ab eo verum magis, quam ad suam rem accommodatum abstulisset; ut eum tristem Galba vidit, nomine appellavit, quaesivitque, qua de re ad Crassum retulisset. Ex quo ut audivit, commotumque ut vidit hominem, Suspenso, inquit, animo et occupato Crassum tibi respondisse video: 240. deinde ipsum Crassum manu prehendit, et, Heus tu, inquit, quid tibi in mentem venit ita respondere? Tum illi[9] fidenter homo peritissimus confirmare, ita se rem habere, ut respondisset; nec dubium esse posse. Galba autem alludens varie, et copiose, multas similitudines afferre, multaque pro aequitate contra ius dicere: atque illum, quum disserendo par esse non posset (quamquam fuit Crassus in numero disertorum, sed par Galbae nullo modo), ad auctores confugisse, et id, quod ipse diceret, et in P. Mucii, fratris sui, libris, et in Sex. Aelii commentariis scriptum protulisse, ac tamen concessisse, Galbae disputationem sibi probabilem et prope

(1) — *cautor* Cdd. ap. Grut. (2) — *nam, etsi* Edd. vett. (3) — *magni non eadem* Sch. E. 2. (4) — Sic P. Victorius emendavit. Grut. 1. 2. 3. — *erectum cieri* Edd. vett. — *hercisceri* Iu. Crat. Victor. Gothofr. — *hercisci* M. St. — *ercisci cieri* L. (5) Sic scripsi, ut est apud Gaium. — *herciscundae* Omnes. (6) — *causarum* L. (7) Sic dedi de E. mea. — *etiam* Omnes. (8) — *Crassus* Cdd. aliq. (9) Sic Ed. Ven. 1485. Margo Crat. Man. Muell. 3. — *ille* Iu. Cr. Victor. L. 1. 2. — *Tum ille Crassus fid.* Edd. vett. ut infra *Scaevolae* nomen intrusum est.

veram videri. LVII. 241. Attamen, quae causae sunt eiusmodi, ut de earum iure dubium esse non possit, omnino in iudicium vocari non solent. Num quis eo testamento, quod paterfamilias ante fecit, quam ei filius natus esset[1], hereditatem petit? Nemo: quia constat, agnascendo rumpi testamentum. Ergo in hoc genere iuris iudicia nulla sunt. Licet igitur impune oratori omnem hanc partem iuris in controversiis[2] ignorare, quae pars sine dubio multo maxima est: 242. in eo autem iure, quod ambigitur inter peritissimos, non est[3] difficile oratori, eius partis, quamcunque defendet, auctorem aliquem invenire: a quo quum amentatas hastas acceperit, ipse eas oratoris lacertis viribusque torquebit. Nisi vero (bona venia huius optimi viri dixerim, [Scaevolae[4]],) tu libellis, aut praeceptis soceri tui, causam M' Curii defendisti. Nonne arripuisti patrocinium acquitatis, et defensionem testamentorum, ac voluntatis mortuorum? 243. Ac mea quidem sententia, (frequens enim te audivi, atque affui,) multo maiorem partem sententiarum sale tuo, et lepore, et politissimis facetiis pellexisti, quum et illud nimium acumen illuderes, et admirarere ingenium Scaevolae, qui excogitasset, nasci prius oportere, quam emori: quumque multa colligeres, et[5] ex legibus et ex senatusconsultis, et ex vita ac sermone communi, non modo acute, sed etiam ridicule ac facete; ubi si verba, non rem sequeremur, confici nihil[6] posset. Itaque hilaritatis plenum iudicium ac laetitiae fuit: in quo quid tibi iuris civilis exercitatio profuerit, non intelligo; dicendi vis[7] egregia, summa festivitate et venustate coniuncta profuit. 244. Ipse ille Mucius paterni iuris defensor, et quasi patrimonii propugnator sui, quid in illa causa, quum contra te diceret, attulit, quod de iure civili depromptum videretur? quam legem recitavit? quid patefecit dicendo, quod fuisset imperitis occultius? Nempe eius omnis oratio versata est in eo, ut scriptum plurimum valere oportere defenderet. At in hoc genere pueri apud magistros exercentur omnes, quum in eiusmodi causis alias scriptum, alias acquitatem defendere docentur. 245. Et, credo, in illa militis causa, si tu aut heredem, aut militem defendisses[8], ad Hostilianas te actiones, non ad tuam vim et oratoriam facultatem contulisses. Tu vero, vel si testamentum defenderes, sic ageres, ut omne omnium testamentorum ius in eo iudicio positum videretur; vel si causam ageres militis, patrem eius, ut soles, dicendo a mortuis excitasses: statuisses ante oculos: complexus esset filium, flensque eum centumviris commendasset: lapides mehercule omnes flere ac lamentari[9] coëgisses[10], ut totum illud, VTI LINGVA NVNCVPASSIT[11], non in XII tabulis, quas

(1) Sic Edd. vett. L. 1. 2. 3. — *est* Iu. Cr. Victor. M. Grut. (2) Sic Cdd. Iu. Cr. Vict. Man. — *incontroversi* L. 1566. C. Lallem. Sch. 2. 3. Cum uncis idem Ern. 1. Sed *incontroversus* nec Ciceronianum vocabulum est, nec latinum omnino. (3) Sic Cdd. aliq. Man. L. 1. 2. 3. — *esse* Iu. Cr. Victor. Grut. (4) ∞ om. Man. prob. Heusing. Sch. 2. 3. (Habet L.) Nos [ ]. (5) — om. *et* Grut. solus. (6) Sic Cdd. Iu. — L. — *nil* Grut. 1. 2. 3. (7) — *dicendi certe vis* Man. prob. Muell. En rursus interpolatio, cuiusmodi in propositt. adversativis intrudi iam aliquoties vidimus. (8) Sine ulla et auctoritate et necessitate Sch. C. 2. et Muell. 3. hic quoque dederunt: *defenderes*. (9) — *lacrimari* L. (10) Sic de Ern. C. Sch. 2. 3. — *coëgisset* Cdd. Iu. — L. 1. (11) Sic Man. L. Sch. 2. 3. — *nuncupasset* Edd. vett. Iu. Cr. Victor. Ern. 1.

tu omnibus bibliothecis anteponis, sed in magistri [1] carmine scriptum videretur.

LVIII. 246. Nam quod [2] inertiam accusas adolescentium, qui istam artem, primum facillimam, non ediscant [3], quae [4] quam sit facilis, illi [5] viderint, qui eius artis arrogantia, quasi difficillima sit, ita subnixi ambulant, deinde etiam tu ipse videris, qui eam artem facilem esse dicis, quam concedis adhuc artem omnino non esse, sed aliquando, si quis aliam artem didicerit, ut hanc artem efficere possit, tum esse illam artem futuram: deinde, quod [6] sit plena delectationis; in quo [7] tibi remittunt omnes istam voluptatem, et ea se carere patiuntur; nec quisquam est eorum, qui, si iam sit ediscendum sibi aliquid, non Teucrum Paeuvii malit, quam Manilianas [8] venalium vendendorum leges ediscere: 247. tum autem quod amore patriae censes nos nostrorum maiorum inventa nosse debere; non vides, veteres leges aut ipsa sua vetustate [9] consenuisse, aut novis legibus esse sublatas? Quod vero viros bonos iure civili fieri putas, quia legibus et praemia proposita sint virtutibus et supplicia vitiis: equidem putabam, virtutem hominibus (si modo tradi ratione possit) instituendo et persuadendo, non minis, et vi, ac metu tradi. Nam ipsum quidem illud, etiam sine cognitione iuris, quam sit bellum, eavere malum, scire possumus. 248. De me autem ipso, cui uni tu concedis, ut, sine ulla iuris scientia, tamen causis satisfacere possim, tibi hoc, Crasse, respondeo, neque me unquam ius civile didicisse, neque tamen in iis causis, quas in iure possem defendere, unquam istam scientiam desiderasse. Aliud est enim, esse artificem cuiusdam generis atque artis, aliud in communi vita et vulgari hominum consuetudine nec hebetem, nec rudem. 249. Cui nostrûm non licet [10] fundos nostros obire, aut res rusticas vel fructus causa, vel delectationis, invisere tamen? Nemo [11] tam sine oculis, tam sine mente vivit, ut, quid sit sementis ac messis, quid arborum putatio ac vitium, quo tempore anni, aut quo modo ea fiant, omnino nesciat. Num igitur, si

---

(1) Sic Iu. Man. L. 1. 2. 3. — *magico* Crat. Victor. v. Marini *Atti de'fratelli Arvali* T. 2. p. 604. (2) — *Nam primum quod* L. omisso *primum* ante *facillimam*. (3) ∞ *adiscant* C1d. i. e. *addiscant*, quod admodum placet. (4) Sic Iu. Grut. 1. 2. 3. — *haec* Crat. Victor. M. — om. *quae* L. (5) — *primum illi* L. (6) — *quae* de Ern. €. Sch. 2. (7) e C1d. et Ern. €. Sch. 2. 3. — *in qua* Iu. — Man. Grut. Ern. 1. — om. *in quo* L. (— *quod dicis plenam delectationis, in eo quidem* — Iani €.) (8) Sic Man. 1. 2. 3. — *Manlianas* Iu. Cr. Vict. L. (9) Sic Cdd. L. 1. 3 — *ipsas sua vet.* Iu. Cr. M. Grut. — *ipsa vet.* Sch. €. 2. (— *prisca sua vet.* ut Cap. 43. Muell. suspic.) (10) — *nunc licet* Sch. €. 2. quam optime refutavit Muell. 3. (*non* expungendum censebat Vir doctus in marg. mei Grut. Ed. exemplaris.) (11) Interpunctione mutata adiuvi locum perdifficilem antea, quum sic legeretur: *Cui-invisere? Tamen* — Sensus hic est: „Cui nostrûm, qui publicis negotiis impediti, perfecto agriculturae studio lectionique librorum eam ad artem spectantium vacare non possumus, idcirco negatum est, fundos nostros obire interdum aut res rusticas vel utilitatis causa (quam percipimus, si villicorum colonorumque nostrorum labores subinde ipsi inspicimus) vel delectationis, invisere saltem? Nemo — *Tamen* ita postpositum haud raro vel turbas excitavit, vel in suspic. cecidit. Cfr. *in Verrem, Act.* 2. Lib. 4. 3. et h. l. quomodocunque distinxeris, *tamen* ut saepe, significabit *certe, sane, saltem.* — *vel delectationis tamen invisere? Nemo* Muell. €. 3.

cui[1] fundus inspiciendus, aut si mandandum aliquid procuratori de agricultura, aut imperandum villico sit, Magonis Karthaginiensis sunt libri perdiscendi, an[2] hac communi intelligentia contenti esse possumus? Cur ergo non iidem in[3] iure civili, praesertim, quum in causis, et in negotiis, et in foro conteramur, satis instructi esse possumus ad hoc dumtaxat, ne in nostra patria peregrini atque advenae esse videamur? 250. Ac si iam sit causa aliqua ad nos delata obscurior, difficile, credo, sit, cum hoc Scaevola communicare; quamquam ipsi omnia[4], quorum negotium est, consulta ad nos et exquisita deferunt. An vero, si de re ipsa, si de finibus, quum in rem praesentem non venimus, si de tabulis et perscriptionibus[5] controversia est, contortas res et saepe difficiles necessario perdiscimus: si leges nobis, aut si hominum peritorum responsa cognoscenda sunt, veremur, ne ea, si ab adolescentia iuri civili minus studuerimus, non queamus cognoscere?

LIX. Nihilne igitur prodest oratori iuris civilis scientia? Non possum negare prodesse ullam scientiam, ei praesertim, cuius eloquentia copia rerum debeat esse ornata: sed multa, et magna, et difficilia sunt ea, quae sunt oratori necessaria, ut eius industriam in plura studia distrahere[6] nolim. 251. Quis neget, opus esse oratori, in hoc oratorio motu statuque, Roscii gestum et venustatem[7]? Tamen nemo suascrit studiosis dicendi adolescentibus, in gestu discendo histrionum more elaborare[8]. Quid est oratori tam necessarium, quam vox? Tamen, me auctore, nemo dicendi studiosus, Graecorum more, et tragoedorum[9], voci serviet, qui et annos complures sedentes[10] declamitant, et quotidie, antequam pronuntient, vocem cubantes sensim excitant, eandemque, quum egerunt, sedentes ab acutissimo sono usque ad gravissimum sonum[11] recipiunt, et quasi quodam modo[12] colligunt. Hoc nos si facere velimus, ante condemnentur ii, quorum causas receperimus, quam toties, quoties perscribitur[13], paeanem, aut † munionem[14] citarimus. 252. Quod si in gestu, qui multum oratorem adiuvat, et in voce, quae una maxime eloquentiam vel commendat, vel sustinet, elaborare nobis non licet; ac tantum in utroque assequi possumus, quantum, in hac acie quotidiani muneris, spatii

---

(1) — *sicuti* Crat. solus. In marg. idem: *si sit.* Fortasse *sicubi.* (2) Sic cum Edd. vett. distinxit Muell. 3. = *perdiscendi? an.* Reliqui. (3) ∞ om. *in* L. haud male. (4) ∞ *omnia ipsi* L. Muell. 3. (5) Sic Cdd. aliq. M. L. 1. 2. 3. — *praescriptt.* Iu. Cr. Victor. Grut. (6) — *distrahi* margo Crat. Man. (7) ∞ *gestu et venustate* Ed. Hahn. (8) ∞ *laborare* mavult Bremi *de Fin.* p. 20. (9) — *Graecorum more sophistarum, et trag.* Ex una Ed. Lips. Sch. 2. attamen hoc gloss. sapit. — *et* delevit L. male iungens *tragoedorum voci.* (10) — *quam plures sedendo* Ed. Hahn. (11) — om. *sonum* L. (12) — om. *quodam modo* L. (13) ∞ *praescribitur* Man. L. probante Heindorf. Nec mihi displicet. (14) Sic corrupte Cdd. Iu. Cr. Victor. Man. Grut. Ern. 1. — *in unionem* Ed. s. l. et a. — *munychionem* Victorii E. — *etiam ionem* Gesn. — *monogenem* de Buenau. — *minuritionem* L. — *murmurationem* Frenzel. — *nomionem* Talaeus. — *nomium* Nescio quis ap. Lamb. Sch. 2. 3. Sed his omnibus longe praestat ∞ *nomum* Censoris Ienensis E. cfr. Photium p. 985. laudatum Hermanno in *Aristot. Poet.* p. 90. ὁ δὲ νόμος δοκεῖ μὲν ἀπὸ τοῦ πατάρος ᾠῆται cet.

nobis datur: quanto minus est ad iuris civilis perdiscendi occupationem descendendum? quod et summatim percipi sine doctrina potest, et hanc habet ab illis rebus dissimilitudinem, quod vox et gestus subito sumi, et aliunde [1] arripi non potest; iuris utilitas, ad quamque causam quamvis repente vel a peritis, vel de libris depromi potest. 253. Itaque illi [2] disertissimi homines ministros habent in causis iuris peritos, quum ipsi sint imperitissimi [3], [eos] qui [4], ut abs te paullo ante dictum est, pragmatici vocantur. In quo nostri omnino melius multo, quod clarissimorum hominum auctoritate leges et iura tecta esse voluerunt. Sed tamen non fugisset hoc Graecos homines, si ita necesse esse arbitrati essent, oratorem ipsum erudire in iure civili, non ei pragmaticum adiutorem dare. LX. 254. Nam quod dicis senectutem a solitudine vindicari iuris civilis scientia: fortasse etiam pecuniae magnitudine. Sed nos, non quid nobis utile, verum quid oratori necessarium sit, quaerimus. Quamquam, quoniam multa ad oratoris similitudinem ab uno artifice sumimus, solet idem Roscius dicere, se, quo plus sibi aetatis accederet [5], eo tardiores tibicinis modos, et cantus remissiores esse facturum. Quod si ille, adstrictus certa quadam numerorum moderatione et pedum, tamen aliquid ad requiem senectutis excogitat, quanto facilius nos non laxare modos, sed totos mutare possumus? 255. Neque enim hoc [6] te, Crasse, fallit, quam multa sint, et quam varia genera dicendi; id quod [7] haud sciam, an tu primus ostenderis, qui iamdiu multo dicis remissius et lenius, quam solebas: neque minus haec tamen tua gravissimi sermonis lenitas, quam illa summa vis et contentio probatur [8]: multique oratores fuerunt, ut illum Scipionem audimus [9], et Laelium, qui omnia sermone conficerent paullo intentiore, nunquam, ut Ser. Galba, lateribus, aut clamore contenderent. Quod si iam hoc facere non poteris, aut noles: vereris, ne tua domus, talis et viri, et civis, si a litigiosis hominibus non colatur, a ceteris deseratur? Equidem tantum absum ab ista sententia, ut non modo non arbitrer subsidium senectutis, in eorum, qui consultum veniant, multitudine esse ponendum, sed tamquam portum aliquem, exspectem istam, quam tu times, solitudinem. Subsidium enim bellissimum existimo esse senectuti, otium.

256. Reliqua vero etiamsi adiuvant, historiam dico, et prudentiam iuris publici, et antiquitatis iter [10], et exemplorum copiam, si quando opus erit, a viro optimo, et istis rebus instructissimo, familiari meo, Longino [11] mutuabor. Neque repugnabo, quo minus (id quod modo hortatus es) omnia legant, omnia audiant, in omni recto studio atque humanitate versentur: sed mehercule non ita multum spatii mihi habere

---

(1) — *alicunde* L. (2) — *Itaque Graeci illi* Sch. suspicio. (3) Ita L. 1. 2. 3. — *peritissimi* Iu. Crat. Grut. Le Clerc. (4) Sic Man. L. Muell. 3. — *et qui* Edd. vett. Iu. Crat. Victor. Fortasse utrumque *et* atque *eos* inducendum. Ego [ ]. (5) — *accedet* L. (6) — om. *hoc* L. (7) De Heusing. C. Sch. 2. 3. — *et quod* Iu. al. Grut. Ern. 1. ∞ *quod* omisso *et* L. Saepe *et* a librariis nexum desiderantibus intrusum est. Vide modo §. 253. — *atque haud* Pearc. suspic. — *idque haud* Ern. suspic. (8) — *probabatur* (e paucis Cdd.) Steph. et Sch. 2. (9) Sic Iu. — L. 1. 2. 3. — *audivimus* perpetua in hoc varietate Cld. Edd. vett. (10) — *antiquitatis item* Gesneri C. — *antiq. literas* Purgoldi C. v. Ellendt ad *Brutum* p. 154. (11) Sic de Gracchii C. Grut. 1. 2. 3. — *Longo* Iu. — L.

videntur [1]: si modo ea facere et persequi volent, quae a te, Crasse, praecepta sunt: qui mihi prope etiam [2] nimis duras leges imponere visus es huic aetati; sed tamen ad id, quod cupiunt, adipiscendum [3] prope necessarias. 257. Nam et subitae ad propositas causas exercitationes, et accuratae, et meditatae commentationes, ac stilus ille tuus, quem tu vere dixisti perfectorem dicendi esse ac magistrum, multi sudoris est, et illa orationis suae [4] cum scriptis alienis comparatio, et de alieno scripto subita, vel laudandi, vel vituperandi, vel comprobandi, vel refellendi causa, disputatio, non mediocris contentionis est, vel ad memoriam, vel ad imitandum. LXI. 258. Illud vero fuit horribile, quod mehercule vereor, ne maiorem vim ad deterrendum habuerit, quam ad cohortandum. Voluisti enim in suo genere unumquemque nostrûm quasi quendam esse Roscium; dixistique, non tam ea, quae recta essent, probari, quam quae prava sunt [5], fastidiis adhaerescere [6]: quod ego non tam fastidiose in nobis, quam in histrionibus, spectari puto. 259. Itaque nos raucos saepe attentissime audiri video: tenet enim res ipsa atque causa: at Aesopum, si paullum irrauserit [7], explodi. A quibus enim nihil praeter voluptatem aurium quaeritur, in iis offenditur, simul atque imminuitur aliquid de voluptate. In eloquentia autem multa sunt, quae teneant, quae si omnia summa non sunt, et pleraque tamen magna sunt, necesse est, ea ipsa, quae sunt, mirabilia videri.

260. Ergo, ut ad primum illud [8] revertar, sit orator nobis is, qui, ut Crassus descripsit, accommodate ad persuadendum possit dicere. Is autem concludatur in ea, quae sunt in usu civitatum vulgari ac forensi, remotisque ceteris studiis, quamvis ea sint [9] ampla atque praeclara, in hoc uno opere, ut ita dicam, noctes et dies urgeatur: imiteturque illum, cui sine dubio summa vis dicendi conceditur, Atheniensem Demosthenem, in quo tantum studium fuisse, tantusque labor dicitur, ut primum impedimenta naturae, diligentia industriaque superaret [10]: quumque ita balbus esset, ut eius ipsius artis, cui studeret, primam literam non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius esse [11] locutus putaretur: 261. deinde quum spiritus eius esset angustior, tantum continenda anima in dicendo est assecutus, ut una continuatione verborum (id quod eius scripta declarant) binae ei contentiones vocis et remissiones continerentur: qui etiam (ut memoriae proditum est) coniectis in os calculis, summa voce versus multos uno spiritu pronuntiare consuescebat; neque is [12] consistens in loco, sed inambulans, atque adscensu ingrediens arduo. 262. Hisce ego cohor-

---

([1]) Ex Edd. vett. Sch. 2. 3. — *mihi videtur* Iu. — L. 1. Exciderat scil. casu *habere* v. c. in Guelf. B. C. (*mihi videntur*) unde alii correxerunt: *videtur*. ([2]) — *iam* Edd. vett. ([3]) — *apiscendum* e C2d. L. ([4]) — *tuae* Steph. L. ([5]) *sunt* Ern. [ ]. Del. Sch. 2. 3. ([6]) — *fastidia iis adhaer.* Clerici C. ([7]) e Prisciano L. 1. 2. 3. — *irrauserit* Cdd. Edd. vett. Iu. — M. ([8]) — *illuc* Grut. ([9]) Sic Cdd. aliq. M. L. 1. 2. 3. — *sunt* Iu. Crat. Grut. ([10]) Sic Cdd. aliq. Iu. Cr. M. 1. 2. 3. — *superarit* St. L. Grut. — *superasset* Edd. vett. ([11]) e Cdd. Sch. 2. 3. ∞ *eo locutus* Iu. Cr. Grut. Ern. 1. Utrumque coniunxit L. 1566. ∞ *eo locutus esse*. ([12]) Sic Iu. — L. 1. 2. ∞ *neque id* Man. (Lamb. in adnot. C.) Muell. 3.

tationibus, Crasse, ad studium et ad laborem incitandos iuvenes vehementer assentior: cetera, quae collegisti ex variis et diversis studiis et artibus, tametsi ipse es omnia consecutus, tamen ab oratoris proprio officio atque munere seiuncta esse arbitror.

LXII. Haec quum Antonius dixisset, sane dubitare visus est Sulpicius, et Cotta, utrius oratio propius ad veritatem videretur accedere. 263. Tum Crassus: operarium nobis quendam, Antoni, oratorem facis, atque haud scio, an aliter sentias, et utare tua illa mirifica ad refellendum consuetudine, qua tibi nemo unquam praestitit: cuius quidem ipsius facultatis exercitatio oratorum propria est, sed iam in philosophorum consuetudine versatur, maximeque eorum, qui de omni re proposita in utramque partem solent copiosissime dicere. 264. Verum ego non solum [1] arbitrabar, his praesertim audientibus, a me informari oportere, qualis esse posset is, qui habitaret in subselliis, neque quidquam amplius afferret, quam quod causarum necessitas postularet: sed maius quiddam videbam, quum censebam, oratorem, praesertim in nostra re publica, nullius ornamenti expertem esse oportere. Tu autem, quoniam exiguis quibusdam finibus totum oratoris munus circumdedisti, hoc facilius nobis expones ea, quae abs te de officiis praeceptisque oratoris [2] quaesita sunt: sed opinor, secundum hunc diem. Satis enim multa a nobis hodie dicta sunt. 265. Nunc et Scaevola, quoniam in Tusculanum ire constituit, paullum [3] requiesceat, dum se calor frangat; et nos ipsi, quoniam id temporis est, valetudini demus operam. Placuit sic omnibus. Tum Scaevola, Sane, inquit, vellem non constituissem, in Tusculanum me hodie venturum esse, Laelio [4]. Libenter audirem Antonium. Et, quum exsurgeret, simul arridens, Neque enim, inquit, tam mihi molestus fuit, quod ius nostrum civile pervellit, quam iucundus, quod se id nescire confessus est.

---

(1) ∞ *talem* Sch. €. (ex *Orat.* C. 2.) 2. 3. Non omnino necessaria €. v. Matthiae *de Anacol.* p. 7. (2) ∞ *oratoriis* Cdd. aliq. (3) ∞ *paullulum* C2d. (4) — *non constituissem in Tusculanum hodie Laelio.* Lipsii €. prob. Grut.

M. TULLII CICERONIS

DE

ORATORE

LIBER SECUNDUS.

I. 1. Magna, nobis pueris, Quinte frater, si memoria tenes, opinio fuit, L. Crassum non plus attigisse doctrinae, quam quantum prima illa puerili institutione potuisset; M. autem[1] Antonium omnino omnis eruditionis expertem atque ignarum fuisse: erantque multi, qui, quamquam non[2] ita sese[3] rem habere arbitrarentur, tamen, quo facilius nos incensos studio discendi[4] a doctrina deterrerent, libenter id, quod dixi, de illis oratoribus praedicarent, ut, si homines non eruditi summam essent prudentiam atque incredibilem eloquentiam consecuti, inanis omnis noster esse labor, et stultum in nobis erudiendis, patris nostri, optimi ac prudentissimi viri, studium videretur. 2. Quos tum, ut pueri, refutare domesticis testibus, patre, et C. Aculeone, propinquo nostro, et L. Ciceronc, patruo, solebamus, quod de Crasso pater, et Aculeo, (quocum erat[5] nostra matertera,) quem Crassus dilexit ex omnibus plurimum, et patruus, qui cum Antonio in Ciliciam profectus[6] una decesserat, multa nobis de eius studio doctrinaque saepe narravit[7]: quumque nos cum consobrinis nostris, Aculeonis filiis, et ea discceremus, quae Crasso placerent, et ab iis[8] doctoribus, quibus ille uteretur, erudiremur, etiam illud saepe intelleximus († quum essemus eiusmodi[9], quod vel pueri sentire poteramus) illum et Graece sic loqui, nullam ut nosse aliam linguam videretur, et doctoribus nostris ea ponere in percontando[10], eaque ipsum omni in

---

(1) ∞ *vero* St. L. ut §. 11. pro *autem* alii item *vero*; fortasse utrumque est e gloss. (2) Habent *non* Victor. Man. L. 1. 2. 3. Cd. Reg. 7703. ponit ante v. *arbitraretur* — om. *non* Iu. Crat. Grut. (3) ex Edd. vett. 1. 2. 3. = *se* Iu. — L. Grut. Sch. in Ed. mai. (4) Sic Iu. Crat. Man. L. — *dicendi* Victor. Grut. 1. 2. 3. (5) — *quocum nupta erat* Edd. vett. e gloss. (6) — *praefectus* Muell. suspic. — *profecto* Ellendt ad *Brut.* p. LXVI. Adeo neuter memmerat loci *pro Archia* 4. *quum esset cum M. Lucullo in Siciliam profectus, et quum ex ea provincia cum eodem Lucullo decederet.* Est hoc magnum scil. amicitiae inter utrumque et constantiae argumentum, una profectos una decessisse provinciâ. (7) — *narrarunt* L. — *narrabat* Ern. suspic. (8) Sic Man. L. — *his* Iu. Cr. 1. 2. 3. (9) Hoc corruptum. — Del. Lamb. verba *quum essemus eiusmodi.* — *quum esset eiusmodi* de Ern. E. Sch. 2. 3. ∞ *quum essemus eius domi* Gulielmii E. longe praestantior: neque est: quum in eius domo educaremur, sed: quum, ut fit, cum magistris nostris ad eum interdum accederemus, domi cum viseremus. (10) — *percunctando* Pleriq. 1. et sic semper.

sermone tractare, ut nihil esse ei novum, nihil inauditum videretur. 3. De Antonio vero, quamquam saepe ex humanissimo homine, patruo nostro, acceperamus, quemadmodum ille vel Athenis vel Rhodi se doctissimorum hominum sermonibus dedisset [1]: tamen ipse adolescentulus, quantum illius incuntis [2] aetatis meae patiebatur pudor, multa ex eo saepe quaesivi. Non erit profecto tibi, quod scribo, hoc novum, (nam iam [3] tum ex me audiebas,) mihi illum ex multis, variisque sermonibus, nullius rei, quae quidem esset in his artibus, de quibus aliquid existimare possem, rudem aut ignarum esse visum. 4. Sed fuit hoc in utroque eorum, ut Crassus non tam existimari vellet non didicisse, quam illa despicere, et nostrorum hominum in omni genere prudentiam Graecis anteferre: Antonius autem probabiliorem hoc [4] populo orationem fore censebat suam, si omnino didicisse nunquam putaretur: atque ita se uterque graviorem fore, si alter contemnere, alter ne nosse quidem Graecos videretur.

5. Quorum consilium quale fuerit, nihil sane ad hoc tempus. Illud autem est huius institutae scriptionis ac temporis, neminem eloquentia, non modo sine dicendi doctrina, sed ne sine omni quidem sapientia, florere unquam et praestare potuisse. 11. Etenim ceterae fere artes se ipsae per se tuentur singulae: bene dicere autem, quod est scienter, et perite [5], et ornate dicere, non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis saepta [6] teneatur. Omnia, quaecunque in hominum disceptationem cadere possunt, bene sunt ei dicenda, qui hoc se posse profitetur, aut eloquentiae nomen relinquendum est. 6. Quare equidem et in nostra civitate, et in ipsa Graecia, quae semper haec summa duxit, multos et ingeniis, et magna laude dicendi sine summa rerum omnium scientia fuisse [7] fateor: talem vero exsistere eloquentiam, qualis fuit [8] in Crasso et Antonio, non cognitis rebus omnibus, quae ad [9] tantam prudentiam pertinerent, tantamque dicendi copiam, quanta in illis fuit [10], non potuisse confirmo. 7. Quo etiam feci libentius, ut cum sermonem, quem illi quondam [11] inter se de his rebus habuissent, mandarem literis: vel ut illa opinio, quae semper fuisset, tolleretur, alterum non doctissimum, alterum plane indoctum fuisse; vel ut ea, quae existimarem a summis oratoribus de eloquentia divinitus esse dicta, custodirem literis, si ullo modo assequi complectique potuissem; vel mehercule, etiam [12] ut laudem eorum, iam prope senescentem, quantum ego possem, ab oblivione hominum atque a silentio vindicarem. 8. Nam si ex scriptis cognosci ipsi suis potuissent, minus hoc fortasse mihi esse putassem [13] laborandum: sed

---

([1]) — *dedidisset* Cdd. aliq. ([2]) ∞ *ille ineuntis* Muell. C. 3. (Sch. C. 2. del. *ineuntis*.) ([3]) — *quod scribo*, *novum*, *nam hoc iam* L. ([4]) — *huic* Pearc. suspic. v. C. 36. et *Epp. ad Attic.* 10, 11. *hac inventute.* ([5]) — *partite* Sch. C. 2. ([6]) — *saeptum* L. e C. ut videtur. — *saepta teneatur oratio* Muell. suspic. ([7]) — *flornisse* Muell. suspic. ([8]) e Cdd. Sch. 2. 3. — *fuerit* Iu. — L. Ern. 1. ([9]) Sic Cdd. aliq. L. 1. 2. 3. ∞ *in* Iu. Crat. Man. prob. Heusing. ([10]) — *fuerit* Ern. C. 1. ([11]) = *quondam illi* ex Edd. vett. Muell. 3. ([12]) ∞ om. *etiam* Steph. L. ([13]) = *putassem esse* L.

quum alter non multum, (quod quidem exstaret,) et id ipsum adolescens, alter nihil admodum scripti reliquisset: deberi hoc a me tantis hominum ingeniis putavi, ut, quum etiam nunc vivam illorum memoriam teneremus, hanc immortalem redderem, si possem. 9. Quod hoc etiam spe aggredior maiore ad probandum, quia non de Ser. Galbae, aut C. Carbonis eloquentia scribo aliquid, in quo liceat mihi fingere, si quid velim, nullius memoria iam refellente[1]: sed edo haec iis cognoscenda, qui eos ipsos, de quibus loquor, saepe audierunt; ut duos summos viros, iis, qui neutrum illorum viderint, eorum, quibus ambo illi oratores cogniti sint, vivorum et praesentium, memoria teste, commendemus. III. 10. Nec vero te, carissime frater atque optime, rhetoricis nunc quibusdam libris, quos tu agrestes putas, insequor ut erudiam: quid enim tua potest oratione aut subtilius, aut ornatius esse? sed [quamquam,[2]] sive iudicio, ut soles[3] dicere, sive, ut ille pater eloquentiae de se Isocrates scripsit ipse[4], pudore a dicendo et timiditate ingenua quadam refugisti, sive, ut ipse iocari soles, unum putasti satis esse non modo in una familia rhetorem, sed paene in tota civitate: non tamen arbitror tibi hos libros in eo fore genere, quod merito propter eorum, qui de dicendi ratione disputarunt, ieiunitatem bonarum artium, possit illudi. 11. Nihil enim mihi quidem videtur in Crassi et Antonii sermone esse praeteritum, quod quisquam summis[5] ingeniis, acerrimis studiis, optima doctrina, maximo usu cognosci ac percipi potuisse arbitraretur[6]: quod tu facillime poteris iudicare, qui prudentiam rationemque dicendi per te ipsum, usum autem[7] per nos percipere voluisti. Sed, quo citius hoc, quod suscepimus, non mediocre munus, conficere possimus, omissa nostra adhortatione[8], ad eorum, quos proposuimus, sermonem disputationemque veniamus.

12. Postero igitur die, quam illa erant acta, hora fere secunda, quum etiam tum[9] in lecto Crassus esset, et apud eum Sulpicius sederet, Antonius autem inambularet cum Cotta in porticu, repente eo Q. Catulus senex cum C. Iulio fratre venit. Quod ubi audivit, commotus Crassus surrexit, omnesque admirati, maiorem aliquam esse causam eorum adventus suspicati sunt. 13. Qui quum inter se, ut ipsorum usus ferebat, amicissime consalutassent: Quid vos tandem, Crassus, num quidnam, inquit, novi? Nihil sane, inquit Catulus: etenim vides esse ludos: sed (vel tu nos ineptos licet, [inquit][10], vel molestos putes)

---

(1) — *iam me refellente* Pearc. cum Cdd. aliq. (2) Ex Ern. €. 1. 2. 3. ∞ *quoniam* Iu. — L. Grut. Le Clerc. Sed melius haec particula abest a Cd. Erl. quocirca ego [ ]. (3) *soles* Iu. — L. Grut. Le Clerc. ∞ *soleo* e Variorum €. 1. 2. 3. (4) Sic Iu. — L. 1. *ipse* recte se habere videtur: non invidus aliquis detrectator nimiam ei timiditatem exprobravit, sed ipse de se fassus est, timiditate ingenita se impeditum esse cet. — *Isocrates de se scripsit ipso* e Cld. Sch. 2. 3. (5) Non caret difficultate haec Cdd. Iu. — L. 1. 2. 3. lectio. Manut. igitur deesse sentiens *a virtis* summis ingeniis *praeditis*, dedit: *a summis* cet. (6) — *arbitretur* I. H. Vossii suspic. (7) = *vero* Edd. vetr. Margo Crat. (8) Sic Iu. — L. 1. = *cohortatione* = *exhortatione* alii ap. Muell. ∞ *oratione* Manut. €. ut videtur, Sch. 2. 3. (9) Sic Iu. — L. Ern. 1. — *etiamdum* Sch. 2. 3. Male; *dum* negandi est particula. (10) ∞ del. *inquit* Sch. €. 2. 3.

quum ad me in Tusculanum, inquit[1], heri vesperi venisset Caesar de Tusculano suo, dixit mihi, a se Scaevolam[2] hinc euntem esse conventum, ex quo mira quaedam se audisse dicebat[3]; te, quem ego, toties omni ratione tentans, ad disputandum elicere non potuissem, permulta de eloquentia cum Antonio disseruisse, et tamquam in schola, prope ad Graecorum consuetudinem, disputasse. 14. Ita me frater exoravit, ne ipsum[4] quidem a studio audiendi nimis abhorrentem, sed, mehercule, verentem [tamen][5], ne molesti vobis interveniremus, ut huc secum venirem. Scaevolam enim ita dicere aiebat, bonam partem sermonis in hunc diem esse dilatam. Hoc si tu cupidius factum existimas, Caesari attribues: si familiarius, utrique nostrum. Nos quidem, nisi forte molesti intervenimus, venisse delectat. IV. 15. Tum Crassus: Equidem, quaecunque causa vos huc attulisset, laetarer, quum apud me viderem homines mihi carissimos et amicissimos; sed tamen, vere dicam, quaevis mallem fuisset, quam ista, quam dicis[6]. Ego enim (ut[7], quemadmodum sentio, loquar) nunquam mihi minus, quam hesterno die, placui, (magis[8] adeo id facilitate, quam alia ulla culpa mea contigit;) qui dum obsequor adolescentibus[9], me senem esse sum oblitus, feciique id[10], quod ne adolescens quidem feceram, ut iis de rebus, quae doctrina aliqua continerentur, disputarem. Sed hoc tamen ecciderit mihi peropportune, quod, transactis iam meis partibus, ad Antonium audiendum venistis. 16. Tum Caesar, Equidem, inquit[11], Crasse, ita sum cupidus te in illa longiore[12] ac perpetua disputatione audiendi, ut, si id mihi[13] minus contingat, vel hoc[14] sim quotidiano tuo sermone contentus. Itaque experiar equidem illud, ut ne Sulpicius, familiaris meus, aut Cotta, plus quam ego apud te valere videantur[15], et te exorabo profecto, ut mihi quoque, et Catulo tuae suavitatis aliquid impertias. Sin tibi id minus libebit; non te urgebo, neque committam, ut, dum vereare[16], tu ne sis[17] ineptus, me esse iudices. 17. Tum ille, Ego mehercule, inquit, Caesar, ex omnibus Latinis verbis huius verbi vim vel maximam semper putavi. Quem enim nos *ineptum* vocamus, is mihi videtur ab hoc nomen habere ductum, quod *non sit aptus*, idque in sermonis nostri consuetudine perlate patet. Nam qui aut, tempus quid postulet, non videt, aut plura lo-

---

(1) — *inquit* Ern. [ ]. del. Sch. €. 2. Retinuit Muell. 3. (2) = *Scaevolam a se* L. (3) ∞ del. *dicebat* Sch. €. 2. 3. (4) Sic e Cdd. Pearc. Lallem. 2. 3. — *Itaque* (ex Edd. vett. Crat. St.) *frater exoravit me, ipsum quidem a st. aud. non nimis* (hoc e €.) Ern. 1. — *Itaque fr. ex. me ipsum non quidem* Crat. L. 1566. — *Itaque me fr. ex. non ipsum quidem* L. in marg. 1584. (5) *tamen* (Iu. — L. Grut.) quod cum [ ] retinui, om. cum Cdd. aliq. Pearc. 1. 2. 3. (6) — *dicitis* e C1d. Sch. 2. (7) — om. *ut* C1d. (8) — *magisque* L. (9) Sic Iu. — L. 1. ∞ *his adolescent.* Man. Sch. 2. 3. (10) *fecique hoc* C2d. Utrumque *id* et *hoc* spurium censebat Heusing. Del. *id* Sch. in Ed. mai. (11) — om. *inquit* Cdd. aliq. (12) = *in illa longiore te* L. 1566. = *in illa long. orat. te.* Id. marg. 1584. (13) om. *mihi* L. (14) — om. *hoc* L. (15) Sic Iu. — L. 2. 3. — *videatur* e Cdd. Pearc. Ern. 1. cfr. Schaefer ad Plin. *Paneg.* 75, 3. (16) ∞ *verere* L. (17) Sic non monito lectore Grut. 1. 2. 3. In marg. 1584. Lambino tribuitur: *ut, dum verere tu, ne sis inept.* ∞ *vereare* (*verere* L.), *ne tu sis* Iu. Crat. Victor. Man. Lamb. Pearc. e Cdd.

quitur, aut se ostentat, aut eorum, quibuscum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus est, is ineptus dicitur[1]. 18. Hoc vitio cumulata est eruditissima illa Graecorum natio. Itaque quod vim huius mali Graeci non vident, ne nomen quidem ei vitio imposuerunt. Ut enim quaeras omnia, quomodo Graeci ineptum appellent, non reperies. Omnium autem ineptiarum, quae sunt innumerabiles, haud scio, an ulla[2] sit maior, quam, ut illi solent[3], quocunque in loco, quoscunque inter homines[4] visum est, de rebus aut difficillimis, aut non necessariis, argutissime disputare, hoc nos ab istis adolescentibus facere inviti et recusantes heri coacti sumus. V. 19. Tum Catulus, Ne Graeci quidem, inquit, Crasse, qui[5] in civitatibus suis clari et magni fuerunt, sicuti tu es, nosque omnes in nostra re publica volumus esse, horum Graecorum, qui se inculcant auribus nostris, similes fuerunt: nec tamen in otio sermones huiusmodi, disputationesque fugiebant. 20. Ac si tibi videntur, qui temporis, qui loci, qui hominum rationem non habent, inepti, sicut debent videri; num tandem aut locus hic non idoneus videtur, in quo porticus haec ipsa, ubi inambulamus[6], et palaestra, et tot locis sessiones, gymnasiorum et Graecarum disputationum[7] memoriam quodammodo commovent[8]? aut inopportunum[9] tempus in tanto otio, quod et raro datur, et nunc peroptato nobis datum est? aut homines ab hoc genere disputationis alieni, qui omnes ii[10] sumus, ut sine his[11] studiis vitam nullam[12] esse ducamus? 21. Omnia ista, inquit Crassus, ego alio modo[13] interpretor, qui primum palaestram, et sedes, et porticus, etiam ipsos, Catule, Graecos, exercitationis et delectationis causa, non disputationis invenisse arbitror. Nam et seculis multis ante gymnasia inventa sunt, quam in his philosophi garrire coeperunt, et hoc ipso tempore, quum omnia gymnasia philosophi teneant, tamen eorum auditores discum audire, quam philosophum, malunt: qui simul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus et gravissimis disputantem philosophum omnes unctionis causa relinquunt. Ita levissimam delectationem gravissimae, ut ipsi ferunt, utilitati anteponunt. 22. Otium autem quod dicis[14] esse, assentior. Verum otii fructus est, non contentio animi, sed relaxatio. VI. Saepe ex socero meo audivi, quum is diceret, socerum suum Laelium semper fere cum Scipione solitum

---

([1]) Sic Iu. Crat. Man. 1. 2. 3. — *ineptus esse dicitur* St. L. Grut. ([2]) Sic Iu. — L. 1566. Grut. v. Matthiae *Misc. Crit.* 1, 4, p. 679. Beier ad *Offic.* T. 1. p. 338. Ramshorn *lat. Gramm.* p. 500. — *nulla* L. in marg. 1581. Ern. 1. 2. 3. ([3]) Sic Cdd. Iu. Crat. Man. Grut. Sch. 2. 3. — *quam illorum, qui solent* Edd. vett. L. Ern. 1. ([4]) — *quoque in l. quosque inter h.* Lamb. suspic. in marg. 1584. ([5]) ∞ *ii, qui* L. ([6]) Sic Cdd. Edd. vett. Iu. — L. Sch. 2. 3. — *nunc ambulamus* Vet. ap. St. — *ambulamus* Grut. Ern. 1. ([7]) ∞ *gymn. Graecorum et disp.* C1d. ap. Pearc. L. ([8]) — *commonent* Edd. vett. ([9]) Sic Cdd. aliq. ap. Pearc. Lamb. in marg. 1581. Pearc. Sch. 2. — *aut importunum* Iu. — L. 1566. Grut. Ern. 1. 3. videtur tamen ab Italis librariis (*importuno*) esse profectum. — *aut num importunum* C2d. prob. Ern. ([10]) Sic Man. L. Sch. 2. 3. — *hi* Plerique. Ern. 1. ([11]) — *iis* L. ([12]) e Cdd. 1. 2. 3. — *nullam vitam* Iu. — L. Grut. ([13]) ∞ *alio ego modo* C1d. ([14]) — *dicitis* C1d. ut supra §. 13. neque tamen hic recepit Sch.

rusticari, eosque incredibiliter repuerascere esse solitos, quum rus ex urbe, tamquam e vinculis[1], evolavissent[2]. Non audeo dicere de talibus viris, sed tamen ita solet narrare Scaevola, conchas eos et umbilicos ad Caietam et ad Laurentum [3] legere consuesse[4], et ad omnem animi remissionem ludumque descendere. 23. Sic enim se res habet: ut[5], quemadmodum volucres videmus, procreationis atque utilitatis suae causa, fingere[6] et construere nidos, easdem autem, quum aliquid effecerint, levandi laboris sui causa, passim ac libere solutas opere volitare, sic nostri animi forensibus negotiis, atque urbano opere defessi, gestiant[7] ac volitare cupiant[8], vacui cura ac[9] labore. 24. Itaque illud, quod ego[10] in causa Curiana Scaevolae dixi, non dixi secus, ac sentiebam. „Nam si, inquam, Scaevola, nullum erit testamentum recte factum, nisi quod tu scripseris, omnes ad te cives cum tabulis veniemus, omnium testamenta tu[11] scribes unus. Quid igitur? inquam: quando ages negotium publicum? quando amicorum? quando tuum? quando denique nihil ages?" Tum illud addidi:" Mihi enim liber esse non videtur, qui non aliquando nihil agit." In qua permaneo, Catule, sententia, neque, quum huc veni, hoc ipsum nihil agere, et plane cessare, delectat. 25. Nam, quod addidisti tertium, vos eos esse, qui vitam insuavem sine his studiis putaretis, id me non modo non hortatur ad disputandum, sed etiam deterret. Nam ut C. Lucilius, homo doctus et perurbanus, dicere solebat, ea, quae scriberet[12], neque ab indoctissimis se[13], neque ab doctissimis legi velle; quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse, quam ipse: quo[14] etiam scripsit, *Persium non curo legere:* (hic enim fuit, ut noramus, omnium fere nostrorum hominum doctissimus:) *Laelium Decimum volo*, (quem cognovimus virum bonum, et non illiteratum, sed nihil ad Persium:) sic ego, si iam mihi disputandum sit de his nostris studiis, nolim equidem apud rusticos, sed multo minus apud vos. Malo enim non intelligi orationem meam quam reprehendi. VII. 26. Tum Caesar, Equidem, inquit, Catule, iam mihi[15] videor navasse operam, quod huc venerim. Nam haec ipsa recusatio disputationis, disputatio quaedam fuit mihi quidem periucunda. Sed cur impedimus Antonium? cuius audio esse partes,

---

([1]) = *vinclis* Cdd. aliq. ut saepe. ([2]) = *evolassent* O1x. L. ([3]) ∞ *Lucrinum* Iu. Crat. Victor. Man. quod, si e Mss. petitum est, minime aspernandum videtur. ([4]) = *consuevisse* St. L. ([5]) — *ut* del. censebat L. in marg. 1584. Ern. [ ]. propter lect. *gestiunt* — *cupiunt*. ([6]) — *effingere* Cdd. aliq. (O1x.) ([7]) Sic Cdd. Regii 7704. 7753. Pearc. Wyttenb. C. Sch. 2. 3. — *gestiunt* Cdd. pleriq. Iu. — L. Ern. 1. quod certatim defendunt Gernhard ad *Offic.* 3, 10, 45. Beier *ibid.* et Matthiae *de Anacol.* p. 20. Sed quum nunc de Cdd. duobus saltem constet, equidem non video, cur retinendus sit merus iste soloecismus. ([8]) Sic iidem Regii. Sch. 2. 3. — *cupiunt* Cdd. pleriq. Iu. — L. Ern. 1. ([9]) Sic Cdd. aliq. L. Sch. 2. 3. — *atque* Iu. Grut. Ern. 1. ([10]) ∞ *ego quod* Cd. Erl. Steph. L. ([11]) — *merito tu* Steph. L. ([12]) ∞ om. haec *ea, quae scrib.* Cdd. aliq. et quum sequens *se* omitteretur, poterant inseri ab interpolatore. ([13]) — om. *se* Cdd. pleriq. Iu. al. ∞ *neque se ab ind.* Steph. L. Cdd. ap. Grut. Hoc loco collocatum videtur ab Ern. C. ([14]) Sic Ern. 1. 2. 3. — *ipse de se; quo* Iu. Crat. Grut. — *ipse; de quo* Cdd. aliq. Edd. vett. Pearc. — *ipse de se intelligi vellet; quo* L. C. ut videtur. ([15]) — om. *mihi* L.

ut de tota eloquentia disserat, quemque iamdudum Cotta et Sulpicius exspectant[1]. 27. Ego vero, inquit Crassus, neque Antonium verbum facere patiar, et ipse obmutescam, nisi prius a vobis impetraro[2] . . . Quidnam? inquit Catulus. Ut hic sitis hodie. Tum, quum ille dubitaret, quod ad fratrem promiserat, Ego, inquit Iulius, pro utroque respondeo[3]: sic faciemus: atque ista quidem conditione, vel ut verbum nullum faceres, me teneres. 28. Hic Catulus arrisit: et simul, Praecisa, inquit, mihi quidem dubitatio est, quoniam neque domi imperaram, et hic, apud quem eram futurus, sine mea sententia tam[4] facile promisit. Tum omnes oculos in Antonium coniecerunt: et ille, Audite, vero, audite, inquit. Hominem enim audietis de schola, atque a magistro, e Graecis literis eruditum. Et eo quidem loquar confidentius, quod Catulus auditor accessit: cui non solum nos Latini sermonis, sed etiam Graeci ipsi[5] solent suae linguae subtilitatem elegantiamque[6] concedere. 29. Sed tamen, quoniam hoc totum, quidquid est, sive artificium, sive studium dicendi, nisi accessit os, nullum potest esse; docebo vos, discipuli, id, quod[7] ipse non didici; — quid de omni genere dicendi sentiam. 30. Hic postcaquam arriserunt, Res mihi videtur esse, inquit, facultate praeclara, arte mediocris. Ars enim earum rerum est, quae sciuntur: oratoris autem omnis actio opinionibus, non scientia, continetur. Nam et apud eos dicimus, qui nesciunt, et ea dicimus, quae nescimus ipsi. Itaque et illi alias aliud iisdem de rebus et sentiunt, et iudicant, et nos contrarias saepe causas dicimus, non modo ut Crassus contra me dicat aliquando, aut ego contra Crassum: quum alterutri[8] necesse sit falsum dicere: sed etiam ut uterque nostrûm eadem de re alias aliud defendat, quum plus uno verum esse non possit. Ut igitur in eiusmodi re, quae mendacio nixa sit, quae ad scientiam non saepe perveniat, quae opiniones hominum, et saepe errores aucupetur, ita dicam, si causam putatis esse, cur audiatis. VIII. 31. Nos vero, et valde quidem, Catulus inquit[9], putamus, atque eo magis, quod nulla mihi ostentatione videris esse usurus. Exorsus es enim[10] non gloriose, magis, ut tu putas, a veritate[11], quam a nescio qua dignitate. 32. Ut igitur de ipso genere sum confessus, inquit Antonius, artem esse non maximam: sic illud affirmo, praecepta posse quaedam dari peracuta ad pertractandos animos hominum, et ad excipiendas[12] eorum voluntates.

---

(1) — *exspectat* C2d. (2) — *impetrabo* Steph. L. In talibus, qualia supra iam vidimus quaedam, utrum a Stephani editione, an ab iisdem Codicibus Parisiensibus in fraudem inductus fuerit Lambinus, difficile dictu est. Codices tamen potius, quam Stephanum eius iudicium interdum corrupisse reor. (3) — *respondebo* C1d. (4) om. *tam* Muell. 3. errore typogr.? (5) — del. *ipsi* Sch. 2. cum C1d. Paullo ante *loquor* Bip. Sch. in Ed. mai. (6) — *subtilitate elegantiaque* L. suspic. (7) e Cdd. Edd. vett. Iu. Crat. Man. Grut. Muell. 3. — *quod* omisso *id* L. 1. 2. H. l. *quid* non obstat. Est enim totum ὀξυμωρον, pleneque fere distinguendum ante v. *quid*. (8) — *alterutrum* L. (9) = *inquit Catulus* mavult Heindorf. *N. D.* pag. 16. sed in talibus eandem semper normam requirere stultum est. (10) — *enim es* L. (11) — *magisque* Pearc. — *magis a veritate, ut tu putas* Cdd. aliq. L. (12) Sic Cdd. Iu. L. Grut. 1. 2. 3. — *captandas* Crat. Victor. Man. — *expiendas* C1d.

Huius rei scientiam, si quis volet, magnam quandam artem esse, dicere, non repugnabo. Etenim quum plerique temere ac nulla ratione causas in foro dicant, nonnulli autem propter exercitationem, aut propter consuetudinem aliquam, callidius id faciant; non est dubium, quin, si quis animadverterit, quid sit, quare alii melius, quam alii, dicant, id possit notare. Ergo id qui toto in genere fecerit, is si non plane artem, at quasi artem quandam invenerit. 33. Atque utinam, ut mihi illa[1] videre videor in foro atque in causis, ita nunc, quemadmodum ea reperirentur, possem[2] vobis exponere! Sed de me videro: nunc hoc propono, quod mihi persuasi, quamvis ars non sit, tamen nihil esse perfecto[3] oratore praeclarius. Nam, ut usum dicendi omittam, qui in omni pacata et libera civitate dominatur, tanta oblectatio est in ipsa facultate dicendi, ut nihil hominum aut auribus, aut mentibus iucundius percipi possit. 34. Qui enim cantus moderata[4] orationis pronuntiatione dulcior inveniri potest? quod carmen artificiosa verborum conclusione[5] aptius? qui actor in[6] imitanda, quam orator in suscipienda veritate iucundior? Quid autem subtilius, quam acutae crebraeque[7] sententiae? quid admirabilius, quam res splendore illustrata[8] verborum? quid plenius, quam omni rerum genere cumulata oratio? Neque enim ulla non propria oratoris est res, quae quidem ornate dici graviterque debeat. IX. 35. Huius est in dando consilio de maximis rebus cum dignitate explicata sententia: eiusdem et languentis populi incitatio, et effrenati moderatio. Eadem facultate et fraus hominum ad perniciem, et integritas ad salutem vocatur. Quis cohortari ad virtutem ardentius, quis a vitiis acrius revocare, quis vituperare improbos asperius, quis laudare bonos ornatius, quis cupiditatem vehementius frangere accusando potest? quis maerorem levare mitius consolando? 36. Historia vero testis temporum, lux veritatis, vita[9] memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis, qua voce alia, nisi oratoris, immortalitati commendatur? Nam si qua est ars alia, quae verborum, aut faciendorum, aut deligendorum scientiam profiteatur: aut[10] si quisquam dicitur, nisi orator, formare orationem, eamque variare et distinguere quasi quibusdam verborum sententiarumque insignibus: aut si via ulla, nisi ab hac una arte, traditur, aut argumentorum, aut sententiarum, aut denique descriptionis atque ordinis: fateamur aut hoc, quod haec ars profiteatur, alienum esse, aut cum[11] alia aliqua[12] arte esse commune. 37. Sed si in hac una est ea ratio atque doctrina: non, si qui aliarum artium bene locuti sunt,

---

(1) = *illa mihi* L. (2) — *reperiantur* Ed. s. l. et a. Muell. 3. — *possim* Iu. Crat. Victor. Man. Muell. 3. (*possem* recte L. 1. 2. Est hoc et modestius et urbanius.) (3) Sic Cdd. Iu. — L. Grut. Sch. 2. 3. — *profecto* Ern. 1. errore typogr. (4) Sic Cdd. apud Grut. Man. Sch. 2. 3. — *moderatae orationis pronuntiatione* Iu. Cr. Victor. L. Grut. Ern. 1. — *moderata pronuntiatione* Ed. vet. Margo Crat. — *moderata oratione* Olx. (5) — *constructione* Ed. vet. Margo Crat. (6) — *in* om. ante *imit.* et *suscip.* L. (7) = *crebrae acutaeque* Cdd. aliq. Ed. vet. v. Schuetz. (8) ∞ *illustratae* L. (9) — *via* Sch. C. 2. (10) Sic Cdd. Iu. Cr. Victor. Man. L. 1. 2. 3. — om. *aut* Ed. 1581. Grut. (11) — *aut ei cum* L. (12) Sic Goerenzii Codex. v. *ad Acad.* 2, 10, 30. Sch. 2. 3. — *aliqua alia* Iu. — L. Ern. 1. — *alia* om. Sch. in Ed. mai.

eo minus id est huius unius proprium: sed ut orator de iis rebus, quae ceterarum artium sunt, si modo eas cognorit[1], (ut heri Crassus dicebat,) optime potest dicere; sic ceterarum artium homines ornatius illa sua dicunt, si quid ab hac arte didicerunt. 38. Neque enim si de rusticis rebus[2] agricola quispiam, aut etiam, id quod multi, medicus de morbis, aut de pingendo pictor aliquis diserte dixerit, aut scripserit, idcirco illius artis putanda sit[3] eloquentia: in qua[4] quia vis magna est in hominum ingeniis, eo multi etiam sine doctrina aliquid omnium generum atque artium consequuntur: sed, quid cuiusque sit proprium, etsi ex eo iudicari potest, quum videris, quid quaeque doceant[5], tamen hoc certius nihil esse potest, quam quod omnes artes aliae sine eloquentia suum munus praestare possunt, orator sine ea nomen suum obtinere non potest: ut ceteri, si diserti sint, aliquid ab hoc habeant: hic, nisi domesticis se instruxerit copiis, aliunde dicendi copiam petere non possit.

X. 39. Tum Catulus, Etsi, inquit, Antoni, minime impediendus est interpellatione iste cursus orationis tuae, patiere tamen, mihique ignosces. *Non enim possum, quin exclamem*, ut ait ille in Trinummo: ita mihi vim[6] oratoris tum[7] exprimere subtiliter visus es, tum laudare copiosissime: quod quidem eloquentem vel optime facere oportet, ut eloquentiam laudet; debet enim ad eam laudandam, ipsam illam[8] adhibere, quam laudat. Sed perge porro: tibi enim assentior, vestrum esse hoc totum, diserte dicere, idque si quis in alia arte faciat, cum assumpto aliunde uti bono, non proprio, nec suo. 40. Et Crassus, Nox te, inquit, nobis, Antoni, expolivit, hominemque reddidit. Nam hesterno sermone, unius cuiusdam[9] operis, ut ait Caecilius, *remigem* aliquem, *aut baiulum*, nobis oratorem descripseras, inopem quendam[10] humanitatis atque inurbanum. Tum Antonius, Heri enim, inquit, hoc mihi proposueram, ut, si te refellissem, hos abs[11] te discipulos abducerem; nunc, Catulo audiente et Caesare, videor debere non tam pugnare tecum, quam, quid[12] ipse sentiam, dicere.

41. Sequitur igitur, quoniam nobis est hic, de quo loquimur, in foro atque in oculis civium constituendus, ut videamus, quid ei negotii demus, cuique eum muneri velimus esse praepositum. Nam Crassus heri, quum vos,

---

(1) Sic Iu. Crat. Victor. Man. 1. (= *cognoverit* L.) idque retinui, propter partic. *modo*, quae minus certam hanc sequente reddit sententiam. ∞ *cognorit* Cdd. aliq. prob. Heusing. Sch. 2. 3. (2) = *de rebus rusticis* L. (3) — *est* Ed. vet. (4) — *in quo* Le Clerquii suspic. (5) ∞ *docuit* Man. L. (6) — *ius* Ed. vet. (7) Sic Man. L. 1. 2. 3. ∞ *quum* Ed. vet. Iu. Crat. (8) — *illam ipsam* Cdd. aliq. (9) *cuiusque* Ed. vet. (10) — *quidem* Ern. suspic. E marg. Cd. Guelf. (a manu recentiori, forsitan ex Ern.) sic dedit Sch. 2. Neque tamen *quendam* h. l. offendere debet post *aliquem*. Ceterum Iacobsio suspectum erat totum istud membrum *inopem - inurbanum* haud improbante Sch. Defendit Censor Ienensis. Mihi quoque ab ipso scriptore profectum videtur, comica illa *remigem - baiulum* pedestrem ad sermonem propius adducturo. Pro v. *inurbanum* Cdd. Lamb. *urbanum*, unde is fecit: — *urbanitatis*. (11) Sic Ed. vet. Sch. 2. 3. — *a* Iu. — L. Ern. 1. (12) — *quod* L.

Catule et Caesar, non adessetis, posuit breviter in artis distributione idem, quod Graeci plerique posuerunt: neque sane quid ipse sentiret, sed quid ab illis diceretur, ostendit: duo prima genera quaestionum esse, in quibus eloquentia versaretur, unum infinitum, alterum certum. 42. Infinitum mihi videbatur id dicere, in quo aliquid generatim quaereretur, hoc modo: Expetendane esset eloquentia? expetendine honores? certum autem, in quo quid in personis, et in constituta re et definita quaereretur: cuiusmodi [1] sunt, quae in foro, atque in civium causis disceptationibusque versantur. 43. Ea mihi videntur aut in lite oranda [2], aut in consilio dando esse posita. Nam illud tertium, quod et a Crasso tactum est, et, ut audio, ille ipse Aristoteles, qui haec maxime illustravit, adiunxit, etiamsi opus est, tamen minus est necessarium. Quidnam? inquit Catulus, an laudationes? id enim video poni genus tertium. XI. 44. Ita, inquit Antonius, et in eo quidem genere scio et me, et omnes, qui affuerunt, delectatos esse vehementer, quum abs te est Popilia [3], mater vestra, laudata: cui primum mulieri hunc honorem in nostra civitate tributum puto: sed non omnia, quaecunque loquimur, mihi videntur ad artem et ad [4] praecepta esse revocanda. 45. Ex iis enim fontibus, unde [5] omnia ornamenta dicendi sumuntur [5], licebit etiam laudationem ornare, neque illa elementa desiderare: quae ut nemo tradat, quis est, qui nesciat, quae sint in homine laudanda? Positis enim iis rebus, quas Crassus in illius orationis suae, quam contra collegam censor habuit, principio dixit: *Quae natura, aut fortuna darentur hominibus; in iis rebus se vinci posse* [6] *animo aequo pati: quae ipsi sibi homines parare possent, in iis rebus se vinci, pati* [7] *non posse:* qui laudabit quempiam, intelliget, exponenda [8] sibi esse fortunae [9] bona. 46. Ea sunt generis, pecuniae, propinquorum, amicorum, opum, valetudinis, formae, virium, ingenii, ceterarumque rerum, quae sunt aut corporis, aut extraneae: si habuerit, bene his usum: si non habuerit, sapienter [10] caruisse: si amiserit, moderate tulisse. Deinde, quid sapienter is, quem laudet, quid liberaliter, quid fortiter, quid iuste, quid magnifice, quid pie, quid grate, quid humaniter, quid denique cum aliqua virtute aut fecerit, aut tulerit. Haec, et quae sint [11] eius generis, facile videbit, qui volet laudare quempiam: et qui vituperare, contraria. 47. Cur igitur dubitas, inquit Catulus, facere hoc tertium genus,

---

([1]) — *eiusmodi* Muell. 3. errore typogr.? ([2]) e Gulielmii C. Sch. 2. 3. — *ornanda* Cdd. aliq. — *ordinanda* Iu. — L. Grut. Ern. 1. ([3]) — *Popillia* Man. L. ([4]) — om. *ad* L. ([5]) Sic Muell. 3. (Cdd. scil. aliq. *ornamenta* pro *ornate*) — *omnia ornate dicendi praecepta sumuntur* Iu. — L. Ern. 1. ∞ *ad omnia ornamenta dicendi praecepta sumuntur* e Cdd. aliq. Sch. 2. Sed h. l. ipsa *ornamenta* praeceptis sive *elementis* manifeste opponuntur. v. *praecepta* Muellero recte visum est glossema v. *elementa*. Pro *sumuntur* Cdd. aliq. *sumentur*. ([6]) ∞ *vinci, se posse* L. ([7]) e Cdd. Sch. 2. 3. ∞ *se pati vinci non posse* Iu. Crat. Ern. 1. Defendit quodam modo Garatonius *ad Milonian.* p. 240. ∞ *se pati non posse vinci* Cdd. aliq. Man. L. ([8]) — *primum exponenda* Sch. suspicio. ([9]) — *naturae et fortunae* L. ([10]) ∞ *patienter* L. C., ut videtur; Sch. 2. neque improbabilis est haec lectio, quum mox recurrat *sapienter* ([11]) ∞ *sunt* L.

quoniam inest in ratione rerum? non enim, si est facilius, eo [1] de numero quoque est excerpendum. Quia nolo, inquit, omnia, quae cadunt aliquando in oratorem [2], quamvis exigua [3] sint, ea sic tractare, quasi nihil possit dici sine praeceptis suis. 48. Nam et [4] testimonium saepe dicendum est, ac nonnunquam etiam [5] accuratius, ut mihi necesse fuit in Sex. Titium, seditiosum civem et turbulentum: explicavi in eo testimonio dicendo, omnia consilia consulatus mei [6], quibus illi tribuno plebis pro re publica restitissem, quaeque ab eo contra rem publicam facta arbitrarer, exposui; diu retentus sum, multa audivi, multa respondi. Num igitur placet, quum de eloquentia praecipias, aliquid etiam de testimoniis dicendis, quasi in arte tradere? XII. 49. Nihil sane, inquit Catulus, necesse est. Quid? si (quod saepe summis viris accidit) mandata sint exponenda, aut in senatu ab imperatore [7], aut ad imperatorem, aut ad regem, aut ad populum aliquem a senatu: num quia genere orationis in huiusmodi causis accuratiore est utendum, ideirco pars etiam [8] haec causarum numeranda videtur, aut propriis praeceptis instruenda? Minime vero, inquit Catulus; non enim deerit homini diserto in eiusmodi rebus facultas, ex ceteris rebus et causis comparata. 50. Ergo item, inquit, illa, quae saepe diserte agenda sunt, et quae ego paullo ante, quum eloquentiam laudarem, dixi oratoris esse, neque habent suum locum ullum in divisione partium, neque certum praeceptorum genus, et agenda sunt non minus diserte, quam quae in lite dicuntur, obiurgatio, cohortatio, consolatio: quorum nihil est, quod non summa dicendi ornamenta desideret: sed ex artificio res istae praecepta non quaerunt. Plane, inquit Catulus, assentior.

51. Age vero, inquit Antonius, qualis oratoris, et quanti hominis in dicendo, putas esse, historiam scribere? Si, ut Graeci scripserunt, summi, inquit Catulus: si ut [9] nostri, nihil opus est oratore: satis est, non esse mendacem. Atqui, ne nostros contemnas, inquit Antonius, Graeci quoque ipsi sic [10] initio scriptitarunt, ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso. 52. Erat enim historia nihil aliud, nisi annalium confectio: cuius rei, memoriaeque publicae retinendae causa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium, pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex maximus, referebatque [11] in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; ii, qui [12] etiam nunc annales maximi nominantur. 53. Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis orna-

---

([1]) Fortasse *ideo*. ([2]) — *in orationem* Lambini suspic. ([3]) — *egregia* Riccoboni €. Pearc. Lallem. ([4]) Huic *et* respondet in seqq. *Quid? si mandata — etiam* Sch. de Heusing. €. 2. ([5]) — *etiam* del. Sch. €. 2. ([6]) = *omnia cons. mei consilia* L. ([7]) — *aut ab imp.* Steph. L. ([8]) = *etiam pars* L. ([9]) Sic Iu. — L. 1. 2. 3. — *Sicuti - - sicut nostri* Ed. vet. et 158'. ([10]) Sic Cdd. pleriq. Steph. L. Muell. 3. — *Graeci ipsi sic* Cdd. aliq. Iu. Crat. Victor. — *Graeci quoque sic* Grut. Ern. 1. 2. ([11]) Sic L. €. Sch. 2. 3. — *efferebatque* Cdd. Iu. Crat. Grut. Ern. 1. quod vix ita vindicari potest, ut significare dicatur in albo *altius* constituto proponere: album enim istud quoque ita collocatum esse debebat, *ut*, quae formula erat, *de plano recte legi posset*. ([12]) ∞ *hique etiam* L. Pearc. Lallem.

mentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acusilas[1] fuit, aliique permulti; talis noster Cato, et Pictor, et Piso, qui neque tenent, quibus rebus ornatur[2] oratio, (modo enim huc ista sunt importata,) et, dum intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem putant esse brevitatem. 54. Paullulum se erexit, et addidit historiae maiorem sonum vocis[3] vir optimus, Crassi familiaris, Antipater. Ceteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt. XIII. Est, inquit Catulus, ut dicis, sed iste ipse Caelius neque distinxit historiam varietate locorum[4]; neque verborum collocatione, et tractu orationis leni et aequabili perpolivit illud opus[5]; sed ut homo neque doctus, neque maxime aptus ad dicendum, sicut potuit, dolavit: vicit tamen, ut dicis, superiores. 55. Minime mirum, inquit Antonius, si ista res adhuc nostra lingua illustrata non est. Nemo enim studet eloquentiae nostrorum hominum, nisi ut in causis atque in foro eluceat: apud Graecos autem eloquentissimi homines, remoti a causis forensibus, quum ad ceteras res illustres, tum ad scribendam historiam maxime se applicaverunt. Namque et Herodotum illum, qui princeps genus hoc ornavit, in causis nihil omnino versatum esse accepimus. Atqui tanta est eloquentia, ut me quidem[6], quantum ego Graece scripta intelligere possum, magno opere delectet; 56. et post illum Thucydides omnes dicendi artificio, mea sententia, facile vicit[7]: qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero[8] consequatur: ita porro verbis aptus, et pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur. Atqui ne hunc quidem, quamquam est in re publica versatus, ex numero accepimus eorum, qui causas dictitarunt: et hos libros tum scripsisse dicitur, quum a re publica remotus, atque, id quod optimo cuique Athenis accidere solitum est, in exilium pulsus esset. 57. Hunc consecutus est Syracusius Philistus, qui, quum Dionysii tyranni familiarissimus esset, otium suum consumpsit in historia scribenda[9], maximeque Thucydidem est, sicut mihi videtur, imitatus. Postea vero quasi ex clarissima rhetoris officina[10], duo praestantes ingenio, Theopompus et Ephorus, ab Isocrate magistro impulsi, se ad historiam contulerunt: causas omnino numquam attigerunt. XIV. 58. Denique etiam a philosophia profectus princeps Xenophon, Socraticus ille, post ab Aristotele Callisthenes, comes Alexandri, scripsit historiam: et hic quidem rhetorico paene more: ille autem superior, leniore quodam sono est usus, et qui illum impetum oratoris non habeat; vehemens fortasse minus, sed ali-

---

([1]) = *Acusilaus* Steph. L. ([2]) ∞ *ornetur* L. ([3]) — del. *vocis* Sch. €. 2. ([4]) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. idque recte defendit Matthiae *Misc. Crit.* 1, 4, p. 680. — *colorum* e Iacobsii €. Sch. 2. 3. — *rerum* Ern. suspic. ([5]) = *illud opus perpolivit* L. ([6]) — del. *quidem* Steph. ([7]) — *vincit* Steph. ([8]) — *numero fuisse* L. ([9]) — *consumpsit scribendo* Edd. vett. ([10]) Sic Cdd. pleriq. Iu. Crat. Grut. Ern. 1. et, omisso tamen *vero*, L. ∞ *ex clarissima quasi rhetorum officina* e C2d. Muell. 3. — *ex clar. rh. quasi off.* Ellendt *ad Brutum* p. 38. €. — Haec omnia *quasi - off.* del. Sch. 2. de €. Rhunckenii *Hist. Or. graec.* p. 87.

quanto tamen est[1], ut mihi quidem videtur, dulcior. Minimus natu horum omnium Timaeus, quantum autem iudicare possum, longe eruditissimus, et rerum copia et sententiarum varietate abundantissimus, et ipsa compositione verborum non impolitus, magnam eloquentiam ad scribendum attulit, sed nullum usum forensem.

59. Haec quum ille dixisset, Quid est, inquit, Catule? Caesar: ubi sunt, qui Antonium Graece negant scire? quot historicos nominavit? quam scienter, quam proprie de unoquoque dixit? Id mehercule, inquit Catulus, admirans, illud iam mirari desino, quod multo magis ante mirabar, hunc, quum haec nesciret, in dicendo posse tantum. Atqui, Catule, inquit Antonius, non ego utilitatem aliquam ad dicendum aucupans, horum libros, et nonnullos alios, sed delectationis causa, quum est otium, legere soleo. 60. Quid ergo est? fatebor[2]: aliquid tamen: ut, quum in sole ambulem, etiamsi aliam ob causam ambulem, fieri natura tamen, ut colorer; sic, quum istos libros ad Misenum (nam Romae vix licet) studiosius legerim, sentio orationem meam illorum tactu[3] quasi colorari. Sed ne latius hoc vobis patere videatur, haec dumtaxat in Graecis intelligo, quae ipsi, qui scripserunt, voluerunt a vulgo intelligi: 61. in philosophos vestros[4] si quando incidi, deceptus indicibus librorum, quod sunt fere inscripti de rebus notis et illustribus, de virtute, de iustitia[5], de honestate, de voluptate, verbum prorsus nullum intelligo: ita sunt angustis et concisis disputationibus illigati! Poëtas omnino, quasi alia[6] quadam lingua locutos, non conor attingere. Cum his[7] me, ut dixi, oblecto, qui res gestas, aut qui[8] orationes scripserunt suas, aut qui ita loquuntur, ut videantur voluisse esse nobis[9], qui non sumus eruditissimi[10], familiares. XV. 62. Sed illuc redeo. Videtisne, quantum munus sit oratoris historia? Haud scio, an flumine orationis, et varietate maximum; neque tamen eam reperio usquam separatim instructam rhetorum praeceptis. Sita sunt enim ante oculos. Nam quis nescit, primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat? deinde ne quid veri[11] non audeat? ne qua suspicio gratiae sit in scribendo? ne qua simultatis? 63. Haec scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Ipsa autem exaedificatio posita est in rebus, et verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem: vult etiam, quoniam[12] in rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea[13] eventus exspectantur, et de consiliis significari quid scriptor probet, et in rebus

---

(1) — om. *est* Cdd. aliq. (2) — *Quid ergo? Est*, *fateor*, *aliq.* L. Pearc. male. (3) e Cld. Ern. 1. 2. 3. (In margine exempli mei Lamb. 1566. vir doctus sec. XVI. adscripsit: alias *statu*, alias *tactu*.) — *cantu* Cdd. pleriq. Iu. — L. Grut. (4) — *vero* omisso *vestros* Steph. L. 1566. In marg. 1584: *vero vestros*. (5) Sic Iu. Man. L. 1. 2. 3. — *industria* Cdd. aliq. Crat. (6) e C2d. Lambini, iam Stephano memoratis, Grut. 1. 2. 3. — *aliena* Iu. — L. (7) ∞ *iis* Man. (8) — om. *qui* Steph. L. (9) Hoc ordine minime vulgari Cdd. pleriq. Edd. vett. Iu. — L. sed *esse* quum excidisset in Ed. Waldarf. alii, quos secuti sunt Ern. 1. 2. 3. collocarunt ante v. *familiares*. (10) ∞ *prudentissimi* C2d. Stephani solita ex permutatione utriusque vocabuli (11) e Cdd. Iu. Crat. L. Ern. 1. 2. 3. — *vere* Ed. 1584. Grut. (12) ∞ *quod* Steph. L. (13) ∞ *post* L.

gestis declarari, non solum quid actum [1] aut dictum sit, sed etiam quomodo: et quum de eventu dicatur, ut causae explicentur omnes, vel casus, vel sapientiae, vel temeritatis: hominumque ipsorum non solum res gestae, sed etiam, qui fama ac nomine excellant [2], de [3] cuiusque vita, atque natura. 64. Verborum autem ratio, et genus orationis, fusum atque tractum, et cum lenitate quadam aequabili [4] profluens, sine hac iudiciali asperitate, et sine sententiarum forensium aculeis persequendum [5] est. Harum tot tantarumque rerum videtisne nulla [6] esse praecepta, quae in artibus rhetorum reperiantur?

In eodem silentio multa alia oratorum officia iacuerunt, cohortationes, consolationes, praecepta, admonita [7]: quae tractanda sunt omnia disertissime; sed locum suum in illis artibus [8], quae traditae sunt, habent nullum. 65. Atque in hoc genere illa quoque est infinita silva, quod oratori plerique (ut etiam Crassus ostendit) duo genera ad dicendum dederunt; unum de certa definitaque causa, quales sunt, quae in litibus, quae in deliberationibus versantur; addat, si quis volet, etiam laudationes [9]: alterum, quod appellant omnes fere scriptores, explicat nemo, infinitam generis sine tempore, et sine persona, quaestionem. Hoc quid et quantum sit, quum dicunt, intelligere mihi non videntur. 66. Si enim est oratoris, quaecunque res infinite posita sit, de ea posse dicere; dicendum erit ei, quanta sit solis magnitudo, quae forma terrae: de mathematicis, de musicis rebus non poterit, quin dicat, hoc onere [10] suscepto, recusare. Denique ei, qui profitetur [11] esse suum, non solum de iis controversiis, quae temporibus et personis notatae [12] sunt, hoc est, de omnibus forensibus, sed etiam de generum infinitis quaestionibus dicere, nullum potest esse genus orationis, quod sit exceptum. XVI. 67. Sed si illam quoque partem quaestionum oratori volumus adiungere vagam, et liberam, et late patentem, ut de rebus bonis aut malis, expetendis aut fugiendis: honestis aut turpibus: utilibus aut inutilibus: de virtute, de iustitia, de continentia, de prudentia, de magnitudine animi, de liberalitate, de pietate, de amicitia, de fide, de officio, de ceteris virtutibus, contrariisque vitiis, dicendum oratori putemus: itemque de re publica, de imperio, de re militari, de disciplina civitatis, de hominum moribus: assumamus eam quoque partem, sed ita, ut sit circumscripta modicis regionibus. 68. Equidem omnia, quae pertinent ad usum civium, morem hominum, quae versantur in

---

([1]) — *factum* Ed. s. l. et a. haud improb. Muell. ([2]) ∞ *excellat* Ed. vet. L. Pearc. ([3]) Ita omnes Cdd. Iu. — L. Ern. 1. estque repetendum e superiorib. *dicatur*. Del. *de* e Purgoldi €. Sch. 2. 3. ([4]) — *aequabiliter* Margo Crat. et Vir doctus in meo Lamb. exemplo. Sch. in Ed. mai. ([5]) Sic Man. L. 1. 2. 3. — *prosequendum* Edd. vett. Iu. Crat. Victor. ([6]) Sic Iu. Crat. Victor. L. Grut. Sch. 2. 3. — *ulla* Edd. vett. Man. Ern. 1. ([7]) — *monita* L. — *aut monita* Gulielmii susp. parum apta recepta a Lallem. ([8]) — *partibus* Manut. perperam probante Muell. ([9]) Sic Cdd. aliq. L. Pearc. 1. 2. 3. — *laudationis* Edd. vett. Iu. Crat. Man. Grut. ([10]) — *genere* Cld. Ed. vet. ([11]) — *hi, qui profitentur* Edd. vett. apud Ern. ([12]) Sic Man. L. e €., ut videtur. Ern. 1. 2. 3. — *notae* Iu. Crat. Victor. Grut.

consuetudine vitae, in ratione rei publicae, in hac societate civili, in sensu hominum communi, in natura, in moribus, comprehendenda esse oratori puto: si minus, ut separatim de his rebus philosophorum more respondeat; at certe, ut in causa prudenter possit intexere: hisce autem ipsis de rebus ut ita loquatur, ut ii, qui iura, qui leges, qui civitates constituerunt, locuti sunt, simpliciter et splendide, sine ulla serie disputationum, et sine ieiuna concertatione verborum. 69. Hoc loco ne qua sit admiratio, si tot tantarumque rerum nulla a me praecepta ponentur, sic statuo: Ut in ceteris artibus, quum tradita sint [1] cuiusque artis [2] difficillima, reliqua, quia aut faciliora, aut similia sunt [3], tradi non necesse esse [4]: ut in pictura, qui hominis speciem pingere perdidicerit, posse eum [5] cuiusvis vel formae, vel aetatis, etiamsi non didicerit, pingere; neque esse [6] periculum, qui leonem, aut taurum pingat egregie, ne idem in multis aliis quadrupedibus facere non possit: (neque enim est [7] omnino ars ulla, in qua omnia, quae illa arte [8] effici possunt, a doctore tradantur: sed qui primarum et certarum rerum genera ipsa didicerunt, reliqua [per se] non incommode persequuntur [9]:) 70. similiter arbitror, in hac sive ratione, sive exercitatione dicendi, qui illam vim adeptus sit, ut eorum mentes, qui aut de re publica, aut de ipsius rebus, aut de iis, contra quos, aut pro quibus dicat, cum aliqua statuendi potestate audiant, ad suum arbitrium movere possit, hunc de [10] toto illo genere reliquarum orationum non plus quaesiturum esse, quid dicat, quam Polycletum illum, quum Herculem fingebat, quemadmodum pellem, aut hydram fingeret, etiamsi haec nunquam separatim facere didicisset.

XVII. 71. Tum Catulus: Praeclare mihi videris, Antoni, posuisse ante oculos, quid discere oporteret eum, qui orator esset futurus, quid, etiamsi non [11] didicisset, ex eo, quod didicisset, assumeret [12]. Deduxisti enim totum hominem [13] in duo solum genera causarum, cetera innumerabilia exercitationi, et similitudini reliquisti. Sed vide [14], ne in istis duobus generibus hydra tibi sit, et pellis: Herculeo autem [15], et alia opera maiora, ne [16] in illis rebus, quas praetermittis, relinquantur. Non enim mihi minus operis [17] videtur de

---

([1]) e Cdd. 1. 2. 3. — *sunt* Edd. vett. Iu. — L. Grut. ([2]) — *rei* pro *artis* Man. Muell. *artis* [ ]. ([3]) Sic Omnib. Sch. 2. 3. ∞ *sint* Iu. — L. Ern. 1. ([4]—[6]) Verba finita *est* — *potest cuiusvis* — *est periculum* L. 1566. €. Heusing. Sch. in Ed. mai. infinitivis praetulerunt. ([7]) *neque enim est* non est Lambini €. sed legitur in duob. Guelf. et Ed. Stephani: L. idque recepi cum Pearcio — om. *enim* Iu. Crat. Man. Grut. 1. 2. 3. ([8]) — *in illa arte* L. ([9]) Ita Man. Steph. Lamb. Sch. 2. sed *per se* sine uncis. Videtur de €. huc retractum e lectione Cdd. aliq. v. c. Guelf. duorum: *reliqua per se persecuntur* (sic), omiss. v. *non incommode*. Pleriq. Cdd. Iu. Crat. Vict. *reliqua persequuntur* cum lacuna. ∞ *reliqua non incommode perseq.* Grut. Ern. 1. 3. ([10]) — *in* Sch. €. 2. ([11]) — *quid etiam, si* Ern. 1. ([12]) *assumere* Ern. €. 1. ([13]) — *diduxisti* leg. censet Matthiae *Misc. Crit.* 1, 4, p. 681. — om. *totum* Sch. €. 2. ([14]) Sic Cdd. aliq. Steph. L. Sch. 2. 3. — *video* Cld. e cuius lectionis correctione videtur fluxisse: — *videto* Cdd. pleriq. Iu. Crat. Man. Grut. Ern. 1. ([15]) ∞ om. *autem* duo vett. ap. Steph. L. et saepe sic intrusam iam vidimus particulam adversativam. ([16]) ∞ om. *ne* Steph. L. ([17]) — *opus* L.

universis generibus rerum, quam de singulorum causis, ac multo etiam maius de natura deorum, quam de hominum litibus dicere. Non est ita, inquit Antonius. 72. Dicam enim tibi, Catule, non tam doctus, quam, id quod est maius, expertus. Omnium ceterarum rerum oratio, mihi crede, ludus est homini non hebeti, neque inexercitato, neque communium literarum et politioris humanitatis experti: in causarum contentionibus magnum est quoddam opus, atque haud sciam, an de humanis operibus longe maximum: in quibus vis oratoris plerumque ab imperitis exitu et victoria iudicatur; ubi adest armatus adversarius, qui sit et feriendus, et repellendus: ubi saepe is, qui rei dominus futurus est, alienus atque iratus, aut etiam amicus adversario et inimicus tibi est; quum aut docendus is est, aut dedocendus, aut reprimendus, aut incitandus, aut omni ratione ad tempus, ad causam, oratione moderandus: in quo saepe benevolentia ad odium, odium autem ad benevolentiam deducendum est: qui tamquam machinatione aliqua tum ad severitatem, tum ad remissionem animi, tum ad tristitiam, tum ad laetitiam est contorquendus, — omnium sententiarum gravitate, omnium verborum ponderibus est utendum; 73. accedat oportet actio varia, vehemens, plena animi, plena spiritus, plena doloris, plena veritatis [1]. In his operibus si quis illam artem comprehenderit, ut, tamquam Phidias, Minervae signum efficere possit; non sane, quemadmodum in clypeo idem ille artifex, minora illa opera facere discat, laborabit [2].

XVIII. 74. Tum Catulus: Quo ista maiora ac mirabiliora fecisti, eo me maior exspectatio tenet, quibusnam rationibus, quibusve praeceptis ea tanta vis comparetur: non quo mea quidem iam

---

([1]) Accurate ponderatis omnibus, quae de intricatissima hac clausula adhuc scripta sunt, acquievi tandem in Iuntae et Cratandri ratione, nisi quod ante v. *omnium* suspensae aliquantisper orationis signum posui. Nam etsi reliquis praestat Muelleri distinctio ante *quum aut docendus* plene interpungentis, et parenthesi includentis verba: (*in quo — — — contorquendus*) ut *omnium* cet. apodosis sit illorum *quum aut docendus*, mihi tamen concitata ista oratio, aequalibus fere membris: *in quibus — ubi — ubi — quum — qui* decurrens, eiusmodi parentheseos frenos pati minime videbatur. Ceterum Schuetzius quomodo in Ed. mai. sibi soli locum constituerit, apud ipsum est videndum: in minore eo fuit contentus, ut pro *qui tanquam* ederet: *qui, quum tanquam*, et: — *omni sentent. gravitate, omnibus verb. pond. est utendum. Accedat.* Ceterae varietates hae sunt: — *is* post v. *docendus* om. L. — *est* addit post v. *moderandus* Steph. ∞ *veritatis* habent Edd. vett. Iu. L. Grut. Ern. 1. Sch. 2. — *severitatis* Crat. Victor. Man. (— *varietatis* Elzevir. vide Muell.) — *suavitatis* Muell. €. 3. ([2]) Mira, sed latina est haec *βραχυλογία*, quae torsit etiam Spaldingium *Quintil.* T. 1. Praef. pag. LXXXII. quamque sic explicare licet: „is non sane, quemadmodum minora illa opera facere discat, laborabit; quemadmodum neque in clypeo Minervae idem ille artifex, quemadmodum minora illa opera faceret, laboravit." Ciceronem, non librarios corrigere tentarunt Ern. et Wyttenbach. quos secuti sunt in Edd. Sch. 2. Muell. 3. proponentes: *quemadmodum, ut in clypeo*, quod ipsum tamen ad intricatam illam *βραχυλογίαν* tollendam minime sufficit. Lambinus certe hic non haesit.

intersit (neque enim aetas id mea desiderat, et aliud quoddam genus dicendi nos secuti sumus, qui nunquam sententias de manibus iudicum vi quadam orationis extorsimus, ac potius placatis eorum animis, tantum, quantum ipsi patiebantur, accepimus,) sed tamen ista tua, nullum ad usum meum, tantum cognoscendi studio adductus requiro. 75. Nec mihi opus est Graeco aliquo doctore, qui mihi pervulgata praecepta decantet, quum ipse nunquam forum, nunquam ullum iudicium adspexerit: ut Peripateticus ille dicitur [1] Phormio: quum Hannibal Karthagine expulsus Ephesum ad Antiochum venisset exsul, proque eo, quod eius nomen erat magna apud omnes gloria, invitatus esset ab hospitibus suis, ut cum, quem dixi, si vellet, audiret; quumque is se [2] non nolle dixisset; locutus esse dicitur [3], homo copiosus aliquot horas de imperatoris [4] officio, et de omni re militari. Tum, quum ceteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quaerebant ab Hannibale, quidnam ipse [5] de illo philosopho iudicaret. Hic Poenus [6] non optime Graece, sed tamen libere respondisse fertur, multos se deliros senes saepe vidisse: sed qui magis, quam Phormio, deliraret, vidisse neminem. Neque mehercule iniuria. 76. Quid enim aut arrogantius, aut loquacius fieri potuit, quam Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo Romano omnium gentium victore certasset, Graecum hominem, qui nunquam hostem, nunquam castra vidisset, nunquam denique minimam partem ullius publici muneris attigisset, praecepta de re militari dare? Hoc mihi facere omnes isti, qui de arte dicendi praecipiunt, videntur: quod enim ipsi experti non sunt, id docent ceteros. Sed hoc minus fortasse errant, quod non te, ut [ille] Hannibalem [7], sed pueros, aut adolescentulos docere conantur.

XIX. 77. Erras, Catule, inquit Antonius. Nam egomet in multos iam Phormiones incidi. Quis enim est [8] istorum Graecorum [8], qui quemquam nostrûm quidquam intelligere arbitretur? Ac mihi quidem non ita molesti sunt; facile omnes perpetior et [10] perfero. Nam aut aliquid afferunt, quod mihi non displiceat: aut efficiunt, ut me non didicisse minus poeniteat. Dimitto autem eos non tam contumeliose, quam philosophum illum Hannibal, et eo fortasse plus habeo etiam negotii: sed tamen [11] est eorum doctrina, quantum ego iudicare possum, perridicula. 78. Dividunt enim totam rem in duas partes, in causae controversiam, et in quaestionis [12]. Causam appellant, rem

---

(1) — suspectum *dicitur* Ernestio. (2) ex Edd. vett. Iu. Crat. Man. Muell. 3. — *quumque se* L. Grut. 1. 2. (3) — om. *dicitur* Cld. (4) — *imperii* Cdd. pauci ap. Steph. et Gronov. (5) Sic Steph. L. 1. 2. 3. — *ille ipse* Iu. Crat. Man. (6) Sic Edd. vett. Iu. — L. Grut. Muell. 3. — om. *hic*, quod male pro pronomine habebant, Ern. 1. 2. (7) *ille* e Cld. Pearc. inseruit Sch. 2. nos saltem cum [ ]. ∞ *ut Hannibalem* Edd. vett. Iu. — L. Ern. 1. — *aut Hannibalem* Muell. C. 3. sed ita Hannibal inurbane praefertur quodammodo Antonio, pro analogia seqq. *pueros aut adolescentulos*. (8) ∞ *est enim* L. (9) — *rhetorum* Margo Crat. (10) ∞ *ac* L. (11) — *sed ita tamen* Steph. (12) — *quaestiones* Cdd. aliq. — *quaestionem* alii. Pearc.

positam in disceptatione rerum [1] et controversia; quaestionem autem, rem positam in infinita dubitatione. De causa praecepta dant: de altera parte dicendi [2] mirum silentium est. 79. Denique [3] quinque faciunt quasi membra eloquentiae, invenire quid dicas, inventa disponere, deinde ornare verbis, post memoriae mandare, tum ad extremum agere ac pronuntiare: rem sane non reconditam. Quis enim hoc non sua sponte viderit [4], neminem posse dicere [5], nisi et quid diceret, et quibus verbis, et quo ordine diceret [6], haberet, et ea meminisset? Atque haec ego non reprehendo: sed ante oculos posita esse dico, ut eas item quatuor, quinque, sexve partes, vel etiam septem, (quoniam aliter ab aliis digeruntur) in quas est ab his omnis oratio distributa. 80. Iubent enim exordiri ita, ut eum, qui audiat, benevolum nobis faciamus, et docilem, et attentum: deinde [7] rem narrare ita, ut veri similis narratio sit, ut aperta, ut brevis: post autem dividere causam, aut proponere: nostra confirmare argumentis, ac rationibus: deinde contraria refutare. Tum autem alii conclusionem orationis, et quasi perorationem collocant: alii iubent, antequam peroretur, ornandi aut augendi causa, degredi [8]: deinde concludere, ac perorare. 81. Ne haec quidem reprehendo. Sunt enim concinne distributa: sed tamen, id quod necesse fuit hominibus expertibus veritatis, non perite. Quae enim praecepta principiorum et narrationum esse voluerunt, ea in totis orationibus sunt conservanda. 82. Nam ego [9] mihi benevolum iudicem facilius facere possum in cursu [10] orationis, quam quum omnia sunt inaudita: docilem autem, non quum polliceor me demonstraturum, sed tum, quum docco et explano: attentum vero, crebro tota actione excitandis mentibus iudicum, non prima denuntiatione efficere possumus. 83. Iam vero narrationem quod iubent veri similem esse, et apertam, et brevem, recte nos admonent. Quod haec narrationis magis putant esse propria, quam totius orationis, valde mihi videntur errare. Omninoque in hoc omnis est error, quod existimant, artificium esse hoc quoddam non dissimile ceterorum, cuiusmodi de ipso iure civili hesterno die Crassus componi posse dicebat: ut genera rerum primum exponerentur, in quo vitium est, si genus ullum praetermittatur: deinde singulorum generum partes, in quo et deesse aliquam partem, et superare, mendosum est: tum verborum omnium definitiones, in quibus neque abesse quidquam decet [11], neque [12] redundare. XX. 84. Sed hoc si in iure civili, si etiam in parvis aut mediocribus rebus doctiores [13] assequi possunt: non idem sentio tanta hac in re, tamque im-

---

([1]) e Cld. Sch. 2. 3. — *rerum* Cdd. pleriq. Edd. vett. Iu. Grut. Ern. 1. — *in disceptatione finita rerum controversarum* L. ([2]) — del. *dicendi* L. — *divisionis* Pearc. ([3]) Sic Man. L. 1. 2. 3. ∞ *deinde* Cdd. aliq. Iu. Crat. Victor. prob. Sch. ([4]) Sic Iu. — L. 1. 2. 3. — *videret* Ed. s. l. et a. Alii. ([5]) — *posse apte dicere* Edd. vett. Iu. — L. Grut. — *posse aperte dicere* Cld. (*apte* cum Cdd. et Edd. vett. aliq. del. Lallem. Ern. 1. 2. 3.) ([6]) — *et quo ordine, et quibus verbis diceret* e Purgoldi C. Sch. in Ed. mai. ([7]) ∞ *denique rem* L. ([8]) Sic L. Sch. 2. 3. — *digredi* Iu. Man. Ern. 1. ([9]) Sic Steph. L. 1. 2. 3. — *nam et ego* Iu. Crat. Man. ([10]) Sic Steph. L. 1. 2. 3. Sed ∞ *possum, quum sum in cursu* Iu. Crat. Victor. Man. ([11]) — *debet* L. ([12]) = *nec* L. ([13]) — *doctores* Steph.

mensa, posse fieri. Sin autem qui arbitrantur: deducendi sunt ad eos, qui haec docent: omnia iam explicata et perpolita assequentur[1]: sunt enim innumerabiles de his rebus libri, neque abditi, neque obscuri. Sed videant, quid velint: ad ludendumne, an ad pugnandum arma sint sumpturi. Aliud enim pugna et acies, aliud ludus campusque noster desiderat. Attamen[2] ars ipsa ludiera armorum et gladiatori et militi[3] prodest aliquid: sed[4] animus acer, et praesens, et acutus idem atque versutus, invictos viros efficit, non difficilius arte coniuncta[5].

85. Quare ego tibi oratorem sic iam instituam, si potuero[6], ut quid efficere possit, ante perspiciam. Sit enim mihi tinctus literis; audierit aliquid, legerit, ista ipsa praecepta acceperit: tentabo quid deceat[7], quid voce, quid viribus, quid spiritu, quid lingua efficere possit. Si intelligam posse ad summos[8] pervenire: non solum hortabor, ut elaboret, sed etiam, si vir quoque mihi bonus videbitur[9], obsecrabo. Tantum ego in excellente oratore, et eodem viro bono, pono[10] esse ornamenti universae civitati. Sin videbitur, quum omnia summa[11] fecerit, tamen ad mediocres oratores esse venturus: permittam ipsi, quid velit; molestus[12] magno opere non ero. Sin plane abhorrebit, et erit absurdus: ut se contineat, aut[13] ad aliud studium transferat, admonebo[14]. 86. Nam neque is, qui optime potest, deserendus ullo modo est a cohortatione nostra, neque is, qui aliquid potest, deterrendus: quod alterum, divinitatis mihi cuiusdam videtur: alterum, vel non facere, quod non optime possis, vel facere, quod non pessime facias, humanitatis: tertium vero illud, clamare contra quam deceat, et quam possit[15], hominis est, ut tu, Catule, de quodam declamatore[16] dixisti, stultitiae suae quam plurimos testes domestico praeconio colligentis. 87. De hoc igitur, qui erit talis, ut cohortandus adiuvandusque sit, ita loquamur, ut ei tradamus ea duntaxat, quae nos usus docuit, ut nobis ducibus veniat eo, quo sine duce ipsi pervenimus, quoniam meliora docere non possumus. XXI. 88. Atque, ut a familiari nostro exordiar; hunc ego, Catule, Sulpicium primum[17] in causa parvula adolescentulum audivi, voce, et forma, et motu corporis, et reliquis rebus aptis[18] ad hoc munus, de quo quaerimus, oratione autem celeri et concitata, quod erat ingenii: et verbis effer-

---

([1]) ∞ *apiscentur* Schaeferi C. — *nanciscentur* Sch. suspicio. ([2]) — *Ac tamen* al. — *Ut tamen* L. ([3]) — *et gladiatoria militi* L. ([4]) — *sic* L. ([5]) ∞ *non difficultas arte coniuncta* C. nescio cuius. ([6]) Sic Iu. Crat. Grut. Muell. 3. ∞ *potero* Steph. L. tum ex Edd. aliq. vett. Ern. 1. 2. ([7]) — *quid eum deceat* L. ([8]) = *ad summos posse* L. ([9]) — *videbitur esse* Steph. L. ([10]) — *puto* ex una Omniboni Ed. Sch. 2. ([11]) ∞ *summe* Cdd. aliq. (prob. Gronov.) Pearc. Lallem. ([12]) — *molestusque* Steph. — *molestus ei* L. ([13]) Sic omnes. Iu. — L. Sch. 2. 3. — *ut* Ern. 1. errore typogr. ([14]) — *monebo* L. ([15]) Sic plerique. Iu. — L. Sch. 2. 3. — *possis* ex Ed. Lips. Ern. 1. ([16]) — *clamatore* Cdd. aliq. Margo Crat. ([17]) Sic Cdd. Iu. Crat. Man. Steph. Grut. Muell. 3. (sic et Ern. 1. nisi quod v. *primum* — *audivi* in parenthesi posuit.) ∞ *quum primum* L. C., ut videtur. Pearc. Sch. 2. ([18]) Sic Cdd. Iu. Crat. Victor. Lamb. Rectissime. — *aptum* Man. C., ut reor. Ed. 1581. ex qua, vel simili repetitione Lambiniana retinuit Grut. Ern. 1. 2. 3.

vescentibus, et paullo nimium redundantibus, quod erat aetatis. Non sum aspernatus: volo enim se efferat in adolescente fecunditas. Nam facilius sicut[1] in vitibus revocantur[2] ea, quae sese nimium profuderunt, quam, si nihil valet materies, nova sarmenta cultura excitantur: ita volo esse in adolescente, unde aliquid amputem. Non enim potest in eo succus esse[3] diuturnus, quod nimis celeriter est maturitatem assecutum. 89. Vidi statim indolem, neque dimisi tempus, et eum sum cohortatus, ut forum sibi ludum putaret esse ad discendum[4]: magistrum autem, quem vellet, eligeret: me quidem si audiret, L. Crassum. Quod iste arripuit, et ita sese facturum confirmavit, atque etiam addidit, gratiae scilicet causa, me quoque sibi magistrum futurum. Vix annus intercesserat ab hoc sermone cohortationis meae, quum iste accusavit C. Norbanum, defendente me. Non est credibile, quid interesse mihi sit visum inter eum, qui tum erat, et qui anno ante fuerat. Omnino in illud genus eum Crassi magnificum atque praeclarum natura ipsa ducebat: sed ea non satis proficere[5] potuisset, nisi eodem studio atque imitatione intendisset[6], atque ita dicere consuesset, ut tota mente Crassum, atque omni[7] animo intueretur. XXII. 90. Ergo hoc sit primum in praeceptis meis, ut demonstremus, quem imitetur, atque ita, ut, quae maxime excellant[8] in eo, quem imitabitur, ea diligentissime persequatur. Tum accedat exercitatio[9], qua illum, quem ante[10] delegerit, imitando effingat, atque ita exprimat, non ut multos imitatores saepe cognovi, qui aut ea, quae facilia sunt, aut etiam illa, quae insignia ac paene vitiosa, consectantur[11] imitando. 91. Nihil est facilius, quam amictum imitari alicuius, aut statum, aut motum. Si vero etiam † vitiosi[12] aliquid est, id sumere, et in eo † vitiosum[13] esse, non magnum est, ut ille, qui nunc etiam, amissa voce, furit in re publica, Fufius[14], nervos in dicendo C. Fimbriae, quos tamen[15] habuit ille, non assequitur, oris

---

([1]) ∞ *sicut facilius* e Cld. Sch. 2. 3. Sed cur unum tantum codicem in vulgari nimis ordine reducendo sequamur? ([2]) Sic etiam L. 1566. — in marg. 1584. idem: *resecantur.* ([3]) Sic Cdd. aliq. L. 1. 2. 3. = *esse succus* Iu. Grut. ([4]) Sic Iu. — L. Grut. Sch. 2. — *dicendum* e paucis Cdd. Ern. 1. 3. ([5]) — *perficere* Cdd. aliq. ([6]) Sic Edd. aliq. vett. Margo Crat. Man. L. Ern. 1. 2. 3. — *incidisset* Pleriq. Iu. Grut. — *incubuisset* Lambini suspic. ([7]) — om. *omni* Cld. ([8]) ∞ *excellent* e Cld. Sch. 2. Sed in hac constructione praestat, opinor, coniunctivus. ([9]) Schuetzii hariolationes de hoc loco omnino suspecto propter repetitionem eorundem fere verborum §. 92. videsis apud ipsum in Ed. mai. Muell. de C. ita edidit: — *imitetur. Atque ut, quae maxime excellant in eo, quem imitabitur, ea dilig. persequatur, accedat exercitatio:* falsa omnino sententia; requireretur enim potius: „ut quae maxime excellant in eo, quem imitabitur, assequatur, sibique ipse acquirat;" ut est fere infra §. 96. ([10]) — om. *ante* Cdd. aliq. L. ([11]) — *consectentur* Cdd. aliq. ([12]) Sic Manut. C., ut videtur; item Lamb. et sic excusum volebat etiam Muell. 3. (ubi in ipso textu male est *vitiosum*) — *vitiose* Iu. Crat. Victor. Grut. Ern. 1. — *insigne* Sch. C. 2. ([13]) Hoc corruptum. ∞ *vitio summum* C. nescio cuius: — *vitio totum* Muell. suspic. ([14]) Sic Pearc. Lallem. Heusing. Sch. 2. 3. — *Fusius* Iu. Crat. Grut. — *Furius* L. Ern. 1. ([15]) — om. *tamen* L.

pravitatem et verborum latitudinem imitatur. Sed tamen ille nec deligere scivit, cuius potissimum similis esset, et in eo ipso, quem delegerat, imitari etiam vitia voluit. 92. Qui autem ita faciet, ut oportet, primum vigilet necesse est in deligendo: deinde, quem probavit, in eo, quae maxime excellent, ea diligentissime persequatur.

Quid enim causae censetis esse, cur aetates extulerint singulae singula prope genera dicendi? quod non tam facile in nostris oratoribus possumus iudicare; quia scripta, ex quibus iudicium fieri posset, non multa sane reliquerunt, quam in Graecis, ex quorum scriptis, cuiusque aetatis quae dicendi ratio voluntasque fuerit, intelligi potest. 93. Antiquissimi fere sunt, quorum quidem scripta constent[1], Pericles, atque Alcibiades, et eadem aetate Thucydides, subtiles, acuti, breves, sententiis[2] magis, quam verbis abundantes. Non potuisset[3] accidere, ut unum esset omnium genus[4], nisi aliquem[5] sibi proponerent ad imitandum. Consecuti sunt hos Critias, Theramenes, Lysias. Multa Lysiae scripta sunt; nonnulla Critiae: de Theramene audimus[6]. Omnes etiam tum[7] retinebant illum Pericli[8] succum; sed erant paullo uberiore filo. 94. Ecce tibi exortus est Isocrates, magister istorum omnium[9], cuius[10] e ludo, tamquam ex equo Troiano, meri[11] principes exierunt: sed eorum partim in pompa, partim in acie illustres esse voluerunt. XXIII. Itaque et illi, Theopompi, Ephori, Philisti, Naucratae[12], multique alii naturis differunt; voluntate autem similes sunt, et inter sese et[13] magistri: et ii, qui se ad causas contulerunt, ut[14] Demosthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeschines, Dinarchus, aliique complures, etsi inter se pares non fuerunt, tamen sunt omnes in eodem veritatis imitandae[15] genere versati, quorum quamdiu mansit imitatio, tamdiu genus illud dicendi studiumque vixit: 95. posteaquam, exstinctis his,

---

([1]) — *constant* Steph. — *extent* L. ([2]) — *sententiisque* Steph. L. ([3]) ∞ *et non potuisset* Cd. Goerenz. Ed. s. l. et a. prob. Goerenzio *de Fin.* p. 33. ([4]) ∞ *genus esset omnium* Idem Cd. Muell. 3. ([5]) — *nisi unum aliquem* Censoris Ienens. C. ([6]) e Cld. Sch. 2. 3. v. Heusing. Gernhard et Beier *ad Offic.* p. 25. Nos *ad Brut.* §. 290. — *audivimus* Pleriq. Iu. — L. Ern. 1. ([7]) — *etiamdum* Sch. 2. 3. male. ([8]) Sic Cdd. aliq. L. Grut. 1. 2. 3. = *Periclis* Iu. Crat. Man. ([9]) Habet haec *mag. ist. omn.* etiam Nonius p. 344. *Merc.* Suspecta Lambino et Ernestio del. Sch. 2. ([10]) — *qui eius* Pearcii suspic. ([11]) *meri* e Nonio L. l. primus commendavit Victorius. Recepit L. Grut. Ern. 1. 2. — *innumeri* ex antiquissima corruptela Cdd. omnes. Edd. vett. Iu. Crat. Man. Muell. 3. probante Ellendt *ad Brutum* p. 29. sed *innumerus* non est vocabulum Ciceronianum. ([12]) Sic repetitiones Lambinianae. Grut. 1. 2. 3. — *Itaque et illi, Theopompus, Ephorus, Philistus, Naucrates* Iu. Crat. Victor. Man. — *Atqui et illi, Theopompus - Naucrates* L. — *Atque* (sic) *et illi Theopompi, Ephori, Philisti, Naucratae* Steph. ([13]) Sic Iu. Crat. Steph. 1. 2. 3. — *et ipsi inter se et magistri* L. — *et inter sese magistri* Vet. apud Steph. Grut. ([14]) — om. *ut* L. ([15]) Recte hoc se habet. *imitari* h. l. est μιμεῖσθαι, *darstellen*, ital. *esprimere, rappresentare.* — *virtutis imitandae* e Cld. Pearc. — *severitatis imitandae* Muell. suspic. — *veritatis tutandae* Rhunckenii suspic. — *veritatis limandae* Stercke suspic. — *imitandae* del. Sch. C. 2.

omnis eorum memoria sensim obscurata est et evanuit, alia quaedam dicendi molliora ac remissiora genera viguerunt. Inde Demochares, quem aiunt sororis filium fuisse Demostheni [1]: tum Phalereus ille Demetrius, omnium istorum, mea sententia, politissimus, aliique eorum similes exstiterunt. Quae si volemus usque ad hoc tempus persequi; intelligemus, ut hodie Alabandensem illum Meneclem, et [2] eius fratrem Hieroclem, quos ego audivi, tota imitetur [3] Asia: sic semper fuisse aliquem, cuius se similes plerique esse vellent.

96. Hanc igitur similitudinem qui imitatione assequi volet, tum exercitationibus crebris atque magnis, tum scribendo maxime persequatur. Quod si hic noster Sulpicius faceret, multo eius oratio esset pressior: in qua nunc interdum, ut in herbis rustici solent dicere, in summa ubertate [4] inest luxuries quaedam, quae stilo depascenda est. 97. Hic Sulpicius, Me quidem, inquit, recte mones, idque mihi gratum est: sed ne te quidem, Antoni, multum scriptitasse arbitror. Tum ille, Quasi vero, inquit, non ea praecipiam aliis, quae mihi ipsi desint [5]: sed tamen ne tabulas quidem conficere existimor. Verum et in hoc, ex re familiari mea, et in illo, ex eo, quod dico, quantulum id cunque est, quid faciam, iudicari potest. 98. Atque esse tamen multos videmus, qui neminem imitentur, et suapte natura, quod velint, sine cuiusquam similitudine consequantur: quod et in vobis animadverti [6] recte potest, Caesar, et Cotta [7]; quorum alter inusitatum quidem nostris oratoribus leporem quendam et salem, alter acutissimum et subtilissimum dicendi genus est consecutus: neque vero vester [8] aequalis Curio, patre, mea sententia, vel eloquentissimo temporibus illis, quemquam mihi magno opere videtur imitari: qui tamen verborum gravitate, et elegantia, et copia, suam quandam expressit quasi formam figuramque dicendi: quod ego maxime potui iudicare in ea causa, quam ille contra me apud centumviros pro fratribus Cossis dixit; in qua nihil illi defuit, quod non modo copiosus, sed etiam sapiens orator habere deberet.

XXIV. 99. Verum, ut aliquando ad causas deducamus illum, quem constituimus [9], et eas quidem, in quibus plusculum negotii est, iudiciorum, atque litium, (riserit aliquis fortasse hoc praeceptum: est enim non tam acutum, quam necessarium, magisque monitoris non fatui, quam eruditi magistri:) hoc ei primum praecipiemus, quascunque causas erit acturus, ut eas diligenter penitusque cognoscat. 100. Hoc in ludo non praecipitur: faciles enim causae ad pueros deferuntur. Lex peregrinum vetat in murum ascendere: ascendit: hostes repulit: accusatur. Nihil est negotii huiusmodi causam cognoscere. Recte igitur nihil de causa discenda praecipiunt. Haec est enim [10] in ludo causarum fere formula. At vero in foro tabulae, testi-

---

([1]) e Cld. Gronov. 1. 2. 3. = *Demosthenis* Iu. — L. ([2]) ∞ *ut* L. ([3]) — *imitatur* L. ([4]) v. Beier *ad Offic.* T. 2. p. 307. et 356. — *dicere* suspectum Heusingero. — *de summa ub.* Sch. suspic. — *dicere in summa ub.* iunxit Muell. 5. ([5]) e Cdd. Ern. 1. 2. 3. — *desunt* Iu. — L. Grut. ([6]) = *animum adverti* Olx. apud Gronov. ([7]) pro *Cotta*, ∞ *Catule* Muell. C. 3. ([8]) — *noster* Margo Crat. L. ([9]) Sic Cdd. Iu. Crat. Man. Grut. Est *exhibemus*, *inducimus*. ∞ *instituimus* L. 1566. C. ut videtur. Ern. 1. 2. 3. ([10]) — *enim est* L.

monia, pacta, conventa, stipulationes, cognationes, affinitates, decreta, responsa, vita denique eorum, qui in causa versantur, tota cognoscenda est: quarum rerum negligentia plerasque causas, et maxime privatas (sunt enim multo saepe obscuriores) videmus amitti. 101. Ita nonnulli, dum operam suam multam existimari[1] volunt, ut toto foro volitare, et a causa ad causam ire videantur, causas dicunt incognitas. In quo est illa quidem magna offensio, vel negligentiae, susceptis rebus: vel perfidiae, receptis: sed etiam[2] illa maior opinione, quod nemo potest de ea re, quam non novit, non turpissime dicere. Ita dum inertiae vituperationem, quae maior[3] est, contemnunt, assequuntur etiam illam, quam magis ipsi fugiunt, tarditatis. 102. Equidem soleo dare operam, ut de sua quisque re me ipse doceat, et, ut ne quis alius adsit, quo liberius loquatur, et agere adversarii causam, ut ille agat suam, et, quidquid de sua re cogitarit, in medium proferat. Itaque quum ille discessit, tres personas unus sustineo summa animi acquitate, meam, adversarii, iudicis. Qui locus est talis[4], ut plus habeat adiumenti, quam incommodi, hunc iudico esse dicendum: ubi plus mali, quam boni reperio, id totum abdico atque eiicio[5]. 103. Ita assequor, ut alio tempore cogitem, quid dicam, et alio dicam: quae duo plerique ingenio freti, simul faciunt. Sed certe iidem illi melius aliquanto dicerent, si aliud sumendum sibi tempus ad cogitandum, aliud ad dicendum putarent.

104. Quum rem penitus causamque cognovi, statim occurrit animo, quae sit causa ambigendi[6]. Nihil est enim, quod inter homines ambigatur, sive ex crimine causa constet, ut facinoris, sive ex controversia, ut hereditatis, sive ex deliberatione, ut belli, sive ex persona, ut laudis[7], sive ex disputatione, ut de ratione vivendi; in quo non, aut quid factum sit, aut fiat, futurumve sit, quaeratur, aut quale sit, aut quid vocetur. XXV. 105. Ac nostrae fere causae, quae quidem sunt criminum, plerumque infitiatione defenduntur. Nam et de pecuniis repetundis, quae maximae sunt, neganda fere sunt omnia: et de ambitu raro illud datur, ut possis liberalitatem ac benignitatem ab ambitu atque largitione seiungere. De sicariis, de veneficiis, de peculatu, infitiari necesse est. Id est igitur genus primum causarum in iudiciis, ex controversia facti. In deliberationibus plerumque ex futuri, raro etiam[8] ex instantis, aut facti. 106. Saepe autem res non, sit, necne, sed qualis sit, quaeritur: ut quum L. Opimii causam defendebat apud populum, audiente me, C. Carbo consul, nihil de C. Gracchi nece negabat, sed id iure, pro salute patriae, factum esse dicebat: ut eidem Carboni tribuno plebis, alia tum mente rem publicam capessenti, P. Africanus de Ti. Graccho interroganti, responderat[9], iure caesum videri. Iure autem omnia defenduntur, quae

(1) — *multi aestimari* Steph. L. (2) — om. *etiam* L. (3) — *minor* Lambini suspicio non recepta. (4) = *talis est* L. (5) *abdico* Vet. ap. Steph. Ed. 1495. Sch. 2. 3. — *abiudico* Iu. — L. Ern. 1. *eiicio* e Cdd. ap. Steph. et al. Grut. 1. 2. 3. — *reiicio* Iu. — L. (6) e Cdd. L. Sch. 2. 3. — *ambigui* Iu. Crat. Man. Grut. Ern. 1. (7) Haec *sive-laudis* quum absint a Guelf. A. in Ed. mai. del. Sch. In minore suspecta habet *sive ex pers.* — *vivendi.* (8) — om. *etiam* Sch. 2. cum Cld. (9) — *respondebat* L. solus.

sunt eius generis, ut aut oportuerit, aut licuerit, aut necesse fuerit, aut imprudentia, aut casu facta esse videantur. 107. Iam quid vocetur, quaeritur, quum, quo verbo quid appellandum sit, contenditur: ut mihi ipsi cum hoc Sulpicio fuit in Norbani causa summa contentio. Pleraque enim de iis, quae ab isto obiiciebantur, quum confiterer, tamen ab illo maiestatem minutam [1] negabam: ex quo verbo, lege Appuleia, tota illa causa pendebat. 108. Atque in hoc genere causarum nonnulli praecipiunt, ut verbum illud, quod causam facit, lucide breviterque uterque definiat [2]. Quod mihi quidem perquam puerile videri solet. Alia est enim, quum inter doctos homines de iis ipsis rebus, quae versantur in artibus, disputatur, verborum definitio: ut, quum quaeritur, quid sit ars, quid sit lex, quid sit civitas. In quibus hoc praecipit ratio atque doctrina, ut vis eius rei, quam definias, sic exprimatur, ut neque absit quidquam, neque supersit. 109. Quod quidem in illa causa neque Sulpicius fecit, neque ego facere conatus sum. Nam, quantum uterque nostrûm potuit, omni copia dicendi dilatavit, quid esset maiestatem minuere. Etenim definitio primum reprehenso verbo uno, aut addito, aut dempto, saepe extorquetur e manibus: deinde genere ipso doctrinam redolet exercitationemque paene puerilem: tum [et] [3] in sensum et in mentem iudicis intrare non potest. Ante enim praeterlabitur [4], quam percepta est.

XXVI. 110. Sed in eo genere, in quo, quale sit quid, ambigitur, exsistit etiam ex scripti interpretatione saepe contentio, in quo nulla potest esse, nisi ex ambiguo, controversia. Nam illud ipsum, quum scriptum a sententia discrepat, genus quoddam habet ambigui: quod tum explicatur, quum ea verba, quae desunt, suggesta sunt: quibus additis defenditur, sententiam scripti perspicuam fuisse; et ex contrariis scriptis si quid ambigitur, non novum genus nascitur, sed superioris generis causa duplicatur. Idque [5] aut numquam diiudicari poterit, aut ita diiudicabitur, ut referendis praeteritis verbis, id scriptum, quodcunque defendimus [6], suppleatur. Ita fit, ut unum genus in iis causis, quae propter scriptum ambiguntur, relinquatur, si est scriptum aliquid ambigue. 111. Ambiguorum autem quum plura [7] genera sunt: (quae mihi videntur ii melius nosse, qui dialectici appellantur, hi autem nostri ignorare, qui non minus nosse debeant [8]:) tum illud est frequentissimum in omni consuetudine vel sermonis,

---

([1]) Sic Cdd. aliq. Pearc. 1. 2. 3. — *imminutam* Iu. — L. Grut. ([2]) Sic dedi cum Pearcio, marg. Crat. et Lamb. (nisi quod hi duo — *dilucide* —) — *lucide*, *breviter uterque* Edd. vett. Iu. Crat. Man. quod *ἀσύνδετον* certe tolerari nequit; neque vero dubitandum de *breviterque uterque*, quum in posteriore voce nemo iam attendat ad compositionem ex v. *uter* et *que*. Sic dicebant *atque utroque* §. 169. — *lucide breviterque definiat* Ern. 1. ∞ *lucide breviterque definiatur* Cld. apud Grut. Lallem. Sch. in Ed. mai. — *lucide; absolute*, *breviter uterque definiat* Sch. 2. 3. e Guelf. 2. ut ait: sed is habet: *quod causam facit absolute breviter uterque definiat*, ubi *absolute* non est nisi glossema. ([3]) ∞ om. *et* L. Grut. Sch. 2. 3. ([4]) — *praelabitur* Cld. ([5]) Sic Cdd. aliq. Iu. L. Ern. 1. 2. 3. — *itaque* Grut. ([6]) ∞ *defendemus* L. ([7]) Sic Edd. vett. Iu. L. Pearc. Lallem. Sch. 2. 3. — *autem complura* Crat. Grut. Ern. 1. ([8]) — *debebant* Ern. suspic. Sed vide Gernhard *ad Offic.* p. 35. Beier *ad Offic.* T. 2. p. 132.

vel scripti, quum ideireo aliquid ambigitur, quod aut verbum, aut verba sint praetermissa. 112. Iterum autem peccant, quum genus hoc causarum, quod in scripti interpretatione versatur, ab illis causis, in quibus, qualis quaeque res sit, disceptatur, seiungunt. Nusquam enim tam quaeritur, quale sit genus ipsum rei, quam in scripto, quod totum a facti controversia separatum est. 113. Ita tria sunt omnino genera, quae in disceptationem et controversiam cadere possunt: Quid fiat, factum, futurumve sit: aut: Quale sit, aut: Quomodo nominetur. Nam [et][1] illud quidem[2], quod quidam Graeci adiungunt: Rectene factum sit, totum in eo est, quo[3]: Quale sit, quaerimus. XXVII. Sed iam ad institutum revertar meum.

114. Quum igitur, accepto causae genere et cognito[4], rem tractare coepi, nihil prius constituo, quam, quid sit illud, quo mihi referenda sit omnis illa oratio, quae sit propria[5] quaestionis et iudicii: deinde illa[6] duo diligentissime considero, quorum alterum commendationem habet nostram[7], aut eorum, quos defendimus, alterum est accommodatum ad eorum animos, apud quos dicimus, ad id, quod volumus, commovendos. 115. Ita[8] ratio omnis[9] dicendi tribus ad persuadendum rebus est nixa[10]: ut probemus vera esse ea[11], quae defendimus: ut conciliemus nobis eos, qui audiunt: ut animos eorum, ad quemcunque causa postulabit motum, voccmus. 116. Ad probandum autem duplex est oratori subiecta materies: una rerum earum, quae non excogitantur ab oratore, sed in re positae[12] ratione tractantur: ut tabulae, testimonia, pacta, conventa, quaestiones, leges, senatusconsulta, res iudicatae, decreta, responsa, et reliqua[13], si quae[14] sunt, quae non ab oratore pariuntur[15], sed ad oratorem a causa, atque a reis[16] deferuntur: altera est[17], quae tota in disputatione, et argumentatione oratoris collocata est. 117. Ita in superiore genere de tractandis argumentis, in hoc autem[18] etiam de inveniendis cogitandum est. Atque isti quidem[19], qui docent, quum causas in plura genera secuerunt, singulis generibus argumentorum copiam suggerunt. Quod etiamsi ad instituendos adolescentulos magis

---

([1]) ∞ om. *et* Cdd. aliq. Iu. Crat. Sch. 2. Ego [ ]. Habent L. Ern. 1. Muell. 3. sine uncis. ([2]) — om. *quidem* Cdd. aliq. Muell. 3. [ ]. ([3]) Sic L. C. ut videtur. Sch. 2. 3. — *quod* Cdd. Edd. vett. Iu. Crat. Grut. Ern. 1. ([4]) Sic Victor. Man. L. 1. 2. 3. ∞ *genere*, *cognitam* Cdd. aliq. Iu. Crat. cum nostra lectione in marg. prob. Heusing. ([5]) Sic recte Cdd. Iu. — L. Ern. 1. — *quod sit proprium* Sch. C. 2. — *quae sint propria* Muell. C. 3. ([6]) — *illa* suspect. Ern. ([7]) — *aut nostri* L. solus. ([8]) Sic Iu. L. 1. 2. 3. — *itaque* Crat. ([9]) Sic Iu. Crat. Man. Ern. 1. = *omnis ratio* L. Sch. 2. 3. ([10]) = *nisa* Cdd. aliq. ([11]) — om. *ea* Steph. ([12]) Sic Man. L. 1. 2. 3. — *in re posita* Cld. — *in re proposita* Iu. Crat. Victor. Pearc. ([13]) — *reliquae* Steph. ([14]) = *qua* L. ([15]) Sic Iu. Crat. L. 3. = *non pariuntur ab oratore* Edd. vett. Ern. 1. — *non reperiuntur ab oratore* e Cdd. aliq. Grut. Sch. 2. sed cfr. mox §. 120. ([16]) Sic Iu. Crat. L. Sch. 2. 3. — *a rebus* Cld. — *a re* Cdd. aliq. Ern. 1. ([17]) — *est* del. Ern. 1. 2. Habent Cdd. Edd. vett. Iu. Crat. Sch. in Ed. mai. Muell. 3. ∞ *altera est tota in disp. et arg. or. collocata* Steph. L. ([18]) ∞ om. *autem* L. ([19]) — *ista quidem* de Ern. C. Sch. 2. 3. Sine ulla necessitate. Eos scil. qui docent, rhetores, sibi ipsi opponit. Ridicule Sch. 2. notat „Ern. malebat *isti*." Immo sic habent omnes.

aptum est, ut, simulac posita sit causa, habeant, quo se referant, unde statim expedita possint argumenta depromere : tamen et tardi ingenii est, rivulos consectari, fontes rerum non videre, et iam aetatis est ususque nostri, a capite, quod velimus, arcessere, et, unde omnia manent[1], videre.

118. Et primum genus illud earum rerum, quae ad oratorem deferuntur, meditatum nobis in perpetuum ad omnem usum similium rerum esse debebit. Nam pro tabulis et contra tabulas; pro testibus et contra testes; pro quaestionibus et contra quaestiones; et item de ceteris rebus eiusdem generis, vel separatim dicere solemus de genere universo, vel definite de singulis temporibus, hominibus, causis: quos quidem locos (vobis hoc, Cotta, et Sulpici, dico) multa commentatione, atque meditatione paratos, atque expeditos habere debetis[2]. 119. Longum est enim nunc me explicare, qua ratione aut confirmare aut infirmare testes, tabulas, quaestiones oporteat[3]. Haec sunt omnia ingenii vel mediocris, exercitationis autem maximae: artem quidem, et praecepta dumtaxat hactenus requirunt, ut certis dicendi luminibus ornentur. 120. Itemque illa, quae sunt alterius generis, quae tota ab oratore pariuntur, excogitationem non habent difficilem, explicationem magis illustrem perpolitamque desiderant. Itaque quum haec duo nobis quaerenda sint in causis, primum quid, deinde quomodo dicamus: alterum, quod totum arte tinctum videtur, tametsi artem requirit, tamen prudentiae est paene mediocris, quid dicendum sit, videre: alterum est, in quo oratoris vis illa divina, virtusque cernitur, ea, quae dicenda sunt, ornate, copiose, varieque dicere. XXVIII. 121. Quare illam partem superiorem, quoniam semel ita vobis placuit, non recusabo, quo minus perpoliam atque conficiam: (quantum consequar, vos iudicabitis:) quibus ex locis ad eas tres res, quae ad fidem faciendam solae valent, ducatur oratio, ut et[4] concilientur animi, et doceantur, et moveantur, [haec sunt enim tria numero][5]. Ea vero quemadmodum illustrentur, praesto est, qui omnes docere possit, qui hoc primus in nostros mores induxit, qui maxime auxit, qui solus effecit. 122. Namque ego, Catule, (dicam enim non reverens assentandi suspicionem,) neminem esse oratorem paullo illustriorem arbitror, neque Graecum, neque Latinum, quem actas nostra tulerit, quem non et saepe, et diligenter audierim. Itaque, si quid est in me, (quod iam sperare videor, quoniam[6] quidem vos, his ingeniis[7] homines, tantum operae mihi ad audiendum datis,) ex eo est, quod nihil quisquam unquam me audiente egit orator, quod non in memoria mea penitus insederit. Atque[8] ego is, qui sum, quantuscunque sum ad iudicandum[9], omnibus auditis oratoribus, sine ulla dubitatione sic statuo et iudico, neminem omnium tot, et tanta, quanta sunt[10] in Crasso,

---

([1]) e Cdd. 1. 2. 3. — *manant* Iu. — L. Grut. ([2]) — *debebitis* Cld. ([3]) Sic Cdd. aliq. Man. L. 1. 2. 3. — *oportet* Iu. Crat. Grut. ([4]) — *et ut* L. ([5]) Spuria haec Ern. [ ]. del. Sch. 2. (om. *numero* Vet. apud Steph.) Muell. 3. praeterea *ut et concil. - moveantur* [ ]. ([6]) ∞ *quando* Ed. s. l. et a. ([7]) — *eius ingenii* Steph. L. ([8]) — *Itaque* Margo Crat. L. ([9]) Sic Victor. Man. L. 1. 2. 3. — del. censebat Lamb. (— *adiudicandus* Iu. Crat. Steph.) ([10]) ∞ *sint* L.

habuisse ornamenta dicendi. 123. Quamobrem si vos quoque hoc idem existimatis, non erit, ut opinor, iniqua partitio, si, quum ego hunc oratorem, quem nunc fingo, ut institui, crearo, aluero, confirmaro; tradam eum Crasso, et vestiendum, et ornandum.

124. Tum Crassus, Tu vero, inquit, Antoni, perge, ut instituisti. Neque enim est boni[1], neque liberalis parentis, quem procrearit, et eduxerit[2], eum non et vestire, et ornare; praesertim quum te locupletem esse negare non possis. Quod enim ornamentum, quae vis, qui animus, quae dignitas illi oratori defuit, qui in causa peroranda non dubitavit excitare reum consularem, et eius diloricare tunicam, et iudicibus cicatrices adversas senis imperatoris ostendere? qui idem, hoc accusante Sulpicio, quum hominem seditiosum, furiosumque defenderet, non dubitavit seditiones ipsas ornare, ac demonstrare gravissimis verbis, multos saepe impetus populi non iniustos esse; quos praestare nemo possit; multas etiam e re publica seditiones saepe esse factas, ut quum reges essent exacti, ut[3] quum tribunicia potestas esset constituta; illam Norbani seditionem, ex luctu civium, et ex Caepionis odio, qui exercitum amiserat, neque reprimi potuisse, et iure esse conflatam? 125. Potuit hic locus tam anceps, tam inauditus, tam lubricus, tam novus, sine quadam incredibili vi ac facultate dicendi[4] tractari? Quid ego de Cn. Manlii, quid de Q. Regis commiseratione dicam? quid de aliis innumerabilibus? in quibus non hoc[5] maxime enituit, quod tibi omnes dant, acumen quoddam singulare, sed haec ipsa, quae nunc ad me delegare vis, ea semper in te eximia et praestantia fuerunt. XXIX. 126. Tum Catulus, Ego vero, inquit, in vobis hoc maxime admirari soleo, quod, quum inter vos in dicendo dissimillimi sitis, ita tamen uterque vestrûm dicat, ut ei nihil neque a natura denegatum, neque a doctrina non delatum esse videatur. Quare, Crasse, neque tu tua suavitate nos privabis, ut, si quid ab Antonio aut praetermissum, aut relictum sit, non explices: neque te, Antoni, si quid non dixeris, existimabimus non potuisse potius, quam a Crasso dici maluisse. 127. Hic Crassus, Quin tu, inquit, Antoni, omittis ista, quae proposuisti[6], quae nemo horum desiderat: quibus ex locis ea, quae dicenda sint in causis, reperiantur. Quae quamquam abs te novo quodam modo, praeclareque dicuntur, sunt tamen et re faciliora, et praeceptis pervagata: illa deprome[7] nobis unde afferas, quae saepissime tractas, semperque divinitus.

128. Depromam equidem, inquit Antonius, et quo facilius id a te exigam, quod peto, nihil tibi a me postulanti recusabo. Meae totius orationis, et istius ipsius in dicendo[8] facultatis, quam modo Crassus in caelum verbis extulit, tres sunt rationes, ut ante dixi; una conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum. 129. Harum trium[9] partium prima lenitatem orationis, secunda acumen, tertia vim desiderat. Nam hoc necesse est, ut is, qui nobis causam adiudicaturus

(1) Sic L. 1. 2. 3. = *boni est* Iu. Man. (2) ∞ *procrearis et eduxeris* Vet. ap. Steph. prob. Sch. et Harless. (3) — om. *ut* C1d. (4) — om. *dicendi* C1d. prob. Heusing. Sch. in Ed. mai. (5) ex Edd. vett. 1. 2. 3. — *hoc non* Iu. — L. Grut. — *non maxime hoc* C2d. (6) ∞ *posuisti* L. (7) — *depromis* L. ut pendeat a v. *quin tu.* (8) Suspecta haec *in dicendo* Sch. in Ed. mai. (9) — *harum autem trium* Steph. L.

sit, aut inclinatione voluntatis propendeat in nos, aut defensionis argumentis adducatur, aut animi permotione cogatur. Sed quoniam illa pars, in qua rerum ipsarum explicatio ac defensio posita est, videtur omnem huius generis quasi doctrinam continere, de ea primum loquemur, et pauca dicemus. Pauca enim sunt, quae usu iam tractata, et animo quasi notata habere[1] videamur. XXX. 130. Ac tibi sapienter monenti, L. Crasse, libenter assentiemur, ut singularum causarum defensiones, quas solent magistri pueris tradere, relinquamus: aperiamus autem ea capita, unde omnis ad omnem et causam et orationem disputatio ducitur. Neque enim, quoties verbum aliquod est scribendum nobis, toties eius verbi literae sunt cogitatione conquirendae[2]: nec quoties causa dicenda est, toties ad eius causae seposita argumenta revolvi nos oportet: sed habere certos locos, qui, ut literae ad verbum scribendum, sic illi ad causam explicandam statim occurrant. 131. Sed hi loci ei demum oratori prodesse possunt, qui est versatus in rebus, vel usu[3], quem aetas denique affert, vel auditione et cogitatione, quae studio et diligentia praecurrit aetatem. Nam si tu mihi quamvis eruditum hominem adduxeris[4], quamvis acrem et acutum in cogitando, quamvis ad pronuntiandum expeditum, si erit idem in consuetudine civitatis, in exemplis, in institutis, in moribus ac voluntatibus civium suorum hospes, non multum ei loci proderunt illi, ex quibus argumenta promuntur. Subacto mihi ingenio opus est, ut agro non semel arato, sed novato et iterato, quo meliores fetus possit et grandiores edere. Subactio autem est usus, auditio, lectio, literae.

132. Ac primum naturam causae videat, quae nunquam latet[5], factumne sit, quaeratur, an, quale sit, an, quod nomen habeat: quo perspecto, statim occurrit naturali quadam prudentia, non his subductionibus, quas isti docent, quid faciat causam, id est, quo sublato controversia stare non possit: deinde, quid veniat in iudicium, quod isti sic iubent quaerere: Interfecit Opimius Gracchum. Quid facit causam? Quod rei publicae causa, quum[6] ex senatusconsulto ad arma vocasset. Hoc tolle, causa non erit. At id ipsum negat contra leges licuisse Decius. Veniet igitur in iudicium: Licueritne ex senatusconsulto, servandae rei publicae causa. Perspicua sunt haec quidem, et in vulgari prudentia sita; sed illa quaerenda: quae ab accusatore et a defensore[7] argumenta, ad id, quod in iudicium venit, spectantia, debeant afferri. XXXI. 133. Atque hic illud videndum est, in quo summus est error istorum magistrorum, ad quos liberos nostros mittimus, non quo[8] hoc quidem ad dicendum magno opere pertineat, sed tamen ut videatis, quam sit genus hoc eorum, qui sibi eruditi videntur, hebes atque impolitum. Constituunt enim in partiendis orationum modis duo genera causarum. Unum appellant, in quo, sine personis atque tem-

---

(1) Sic Cdd. aliq. L. Pearc. Sch. 2. 3. — *habere notata* Iu. Crat. Man. Grut. Ern. 1. (2) — *acquirendae* C1d. unde Heusing. E. Sch. in Ed. mai. *anquirendae* — *perquirendae* Cdd. pauci. (3) — *vel in rerum usu* Cd. Reg. 7703. (4) — *eduxeris* C1d. (5) — *lateat* L. (6) — *eum* Steph. L. (7) Sic dedi e C2d. prob. Sch. — *et defensore* Iu. — L. 1. 2. 3. (8) = *quod* L.

poribus, de universo genere quaeratur; alterum, quod personis certis et temporibus definiatur: ignari [1], omnes controversias ad universi generis vim et naturam referri. 134. Nam in ea ipsa causa, de qua ante dixi, nihil pertinet ad oratoris locos Opimii persona, nihil Decii. De ipso enim universo genere infinita quaestio est, num poena videatur esse afficiendus, qui civem ex senatusconsulto patriae conservandae causa interemerit [2], quum id per leges non liceret. Nulla denique est causa, in qua id, quod in iudicium venit, ex reorum personis, non [3] generum ipsorum universa disputatione [4] quaeratur. 135. Quin etiam in iis ipsis, ubi de facto ambigitur, ceperitne contra leges pecunias P. Decius, argumenta et criminum [5] et defensionis revocentur oportet ad genus, et ad naturam universam: quod sumptuosus, de luxurie [6]: quod alieni appetens, de avaritia: quod seditiosus, de turbulentis et malis civibus: quod a multis arguitur, de genere testium: contraque [7], quae pro reo dicentur, omnia necessario a tempore atque homine ad communes rerum et generum summas revolventur. 136. Atque haec forsitan homini, non omnia, quae sunt in natura rerum, celeriter animo comprehendenti, permulta videantur, quae veniant in iudicium tum, quum de facto quaeratur: sed tamen criminum est multitudo, non defensionum aut locorum, infinita [8]. XXXII. 137. Quae vero, quum de facto non ambigitur, quaeruntur, qualia sint; ea si ex reis numeres, et innumerabilia sunt, et obscura: si ex rebus, valde et modica, et illustria. Nam si Mancini causam in uno Mancino ponimus, quotiescunque is, quem pater patratus dediderit, receptus non erit, toties [9] causa nova nascetur. Sin illa [10] controversia causam facit, videaturne ei, quem pater patratus dediderit, si is non sit receptus, postliminium esse: nihil ad artem dicendi, nec ad argumenta defensionis, Mancini nomen pertinet. 138. Ac, si quid affert praeterea hominis aut dignitas, aut indignitas, extra quaestionem est, et ea tamen ipsa oratio [11] ad universi generis disputationem referatur necesse est. Haec ego non eo consilio disputo, ut homines eruditos redarguam: quamquam reprehendendi sunt, qui [12] in genere definiendo istas causas describunt in personis et in temporibus positas esse. 139. Nam etsi incurrunt tempora, et personae, tamen intelligendum est, non ex iis, sed ex genere quaestionis pendere causas. Sed hoc nihil ad me. Nullum enim nobis certamen cum istis [13] esse debet. Tantum satis est [14]

([1]) ∞ Lamb. e Cd. Memmiano: *alterum, quod propriis nominibus personarum, locorum, ac temporum distinctum est, in quo uno illi occupati sunt; superius vero illud, quod totum est in ratione generis positum, quasi non necessarium sit, nullis praeceptis aperiunt, ignari* — ([2]) — *interfecerit* L. ([3]) — *ac non* L. ([4]) ∞ *dubitatione* Cld. Sch. in Ed. mai. prob. Goerenz *ad Legg.* 1, 21, 56. Sed vide statim §. 138. ([5]) — *argumenta criminum* Steph. L. ([6]) e Cld. Sch. 2. 3. = *luxuria* Iu. — L. Ern. 1. ([7]) — *contra* Steph. ([8]) Lamb. €. non recepta: *sed tamen hominum est multitudo, non criminum, aut defensionum, aut locorum, infinita:* unde Sch. €. 2. *sed tamen hominum est multitudo, non criminum aut defensionis locorum, infinita.* ([9]) = *totiens* Cd. Erl. ([10]) Sic Cdd. Iu. — L. 2. 3. — *sin in illa* Ern. €. 1. ([11]) — *oratione* Cdd. aliq. Pearc. ([12]) — *ii, qui* Steph. L. ([13]) = *cum istis certamen* L. ([14]) De €. Ern. perperam distinxit: *debet tantum: satis est.*

intelligi, ne hoc quidem eos consecutos, quod in tanto otio, etiam sine hac forensi exercitatione, efficere potuerunt, ut genera rerum discernerent, eaque paullo subtilius explicarent, 140. Verum hoc (ut dixi) nihil ad me. Illud ad me, ac multo etiam magis ad vos, Cotta noster, et Sulpici: quo modo nunc se istorum artes habent, pertinescenda est multitudo causarum: est enim infinita, si in personis ponitur[1]; quot homines, tot causae: sin ad generum universas quaestiones referuntur; ita modicae et paucae sunt, ut omnes eas[2], diligentes, et memores, et sobrii oratores percursas animo, et, prope dicam, decantatas[3] habere debeant: nisi forte existimatis, a M' Curio[4] causam didicisse L. Crassum, et ea re multa[5] attulisse, quamobrem, postumo non nato, Curium tamen heredem Coponii esse oporteret. 141. Nihil ad copiam argumentorum, neque ad causae vim ac naturam nomen Coponii, aut[6] Curii, pertinuit. In genere erat universo rei negotiique, non in tempore ac nominibus[7], omnis quaestio: Quum scriptum ita sit, SI MIHI FILIVS GENITVR[8], ISQVE PRIVS MORITVR, et cetera, TVM VT MIHI ILLE SIT HERES[9]: si natus filius non sit, videaturne is, qui filio mortuo institutus heres sit, heres esse. XXXIII. Perpetui iuris, et universi generis quaestio non hominum nomina, sed rationem dicendi, et argumentorum fontes[10] desiderat. 142. In quo etiam isti nos iurisconsulti impediunt, a discendoque deterrent. Video enim in Catonis et Bruti libris nominatim fere[11] referri, quid alicui de iure viro aut mulieri responderint: credo, ut putaremus, in hominibus, non in re, consultationis aut dubitationis causam aliquam fuisse; ut, quod homines essent innumerabiles, debilitati a iure[12] cognoscendo, voluntatem discendi simul cum spe perdiscendi abiiceremus.

Sed haec Crassus aliquando nobis expediet, et exponet descripta generatim. Est enim, ne forte nescias, heri nobis ille hoc, Catule, pollicitus, se ius civile, quod nunc diffusum et dissipatum est, in certa genera coacturum, et ad artem facilem[13] redacturum. 143. Et quidem, inquit Catulus, haudquaquam id est difficile Crasso, qui et, quod disci potuit de iure, didicit: et, quod iis, qui eum docuerunt, defuit, ipse afferet; ut, quae sint in iure, vel apte[14] describere, vel ornate illu-

---

(1) Sic Iu. Crat. Man. Grut. Ern. 1. ∞ *ponuntur* L. €. Sch. 2. 3. Ante Ern. distinguebant: *infinita. Si* — In marg. 1584. Lambino tribuitur: *quia quot homines:* habet sic Vet. apud Steph. non vero L. 1566. (2) Sic pleriq. Iu. Crat. Man. Grut. ac praestare videtur, ne iungatur pronuntiando *omnes diligentes* — *eas omnes* Cdd. pauci Steph. L. Ern. 1. 2. 3. (3) e Cdd. Ern. 1. 2. 3. — *prope decantatas* Iu. — L. Grut. (4) — *a M' Curii nomine causam duxisse L. Crassum* Lamb. suspic. non recepta. Pro *ea re*, *ex re* C1d. unde Pearc. suspic. *ex reo.* Sch. suspic. *et ex ore eius.* (5) Sic Steph. L. 1. 2. 3. — *multum* Cdd. aliq. Iu. Crat. Man. (6) Sic Cdd. aliq. L. Ern. 1. 2. 3. — *ac* Iu. Crat. Man. Grut. (7) — *in certis personis ac nominibus* Ed. s. l. et a. (8) Sic Cdd. aliq. L. 1. 2. 3. cfr. *de Invent.* 2, 42. — *genitus* Gronov. — *gignitur* Iu. Crat. Man. (9) — *tum mihi ille heres esto* L. (10) — *formas* margo Crat. Steph. (11) — *semper* vel *fere semper* suspic. Muell. Sine causa. *fere* hoc sensu usurpari apud optimos quosque scriptores pervagatum est. (12) — *debilitati a me a iure* C2d. unde Pearc. €. — *debilitati metu a iure* — Sch. suspic. — *deb. in iure.* (13) Sic C1d. L. Sch. 2. 3. — *facile* Iu. Crat. Man. Ern. 1. quod Ern. spurium videbatur. (14) Sic Steph. L. Grut. 1. 2. 3. — *acute* Cdd. plerique Iu. Crat. Victor. Man. Lallem. — *accurate* Muell. suspic.

strare possit. Ergo ista, inquit Antonius, tum a Crasso discemus, quum se de turba et a[1] subselliis in otium, (ut cogitat) soliumque[2] contulerit. 144. Iam id quidem saepe, inquit Catulus, ex eo audivi, quum diceret, sibi certum esse, a iudiciis causisque discedere: sed, ut ipsi soleo dicere, non licebit. Neque enim ipse auxilium suum saepe a viris bonis frustra implorari patietur, neque id aequo[3] animo feret civitas: quae si voce L. Crassi carebit, ornamento quodam sese spoliatam putabit. Nam[4] hercle, inquit Antonius, si haec vere a Catulo dicta sunt, tibi mecum in eodem est pistrino[5], Crasse, vivendum[6]: et[7] istam oscitantem et dormitantem[8] sapientiam Scaevolarum, et ceterorum beatorum otio concedamus. 145. Arrisit hic Crassus leniter[9], et, Pertexe modo, inquit, Antoni, quod exorsus es. Me tamen ista oscitans sapientia, simulatque ad eam confugero, in libertatem vindicabit.

XXXIV. Huius quidem loci, quem modo sum exorsus, hic est finis, inquit Antonius: quoniam intelligitur[10], non in hominum innumerabilibus personis, neque in[11] infinita temporum varietate, sed in generum causis atque naturis omnia sita esse, quae in dubium vocarentur; genera autem esse definita, non solum numero, sed etiam paucitate: ut eam materiem orationis, quae cuiusque esset generis, studiosi qui essent dicendi[12], omnibus[13] locis descriptam, instructam, ornatamque comprehenderent, rebus dico et sententiis. 146. Eae vi sua[14] verba parient[15], quae semper satis ornata mihi quidem videri solent, si eiusmodi sunt[16], ut ea res ipsa peperisse videatur. Ac, si verum quaeritis, quod mihi quidem videatur: (nihil enim aliud affirmare possum, nisi sententiam et opinionem meam:) hoc instrumentum causarum et generum universorum in forum deferre debemus, neque, ut quaeque res delata ad nos erit, tum denique scrutari locos, ex quibus argumenta eruamus: quae quidem omnibus, qui ea mediocriter modo considerarint, studio adhibito et usu, pertractata esse possunt; sed tamen animus referendus est ad ea capita, et ad illos[17], quos saepe iam appellavi, locos, ex quibus omnia ad omnem orationem inventa ducuntur. 147. Atque hoc totum est sive artis, sive animadversionis, sive consuetudinis, nosse regiones, intra quas venere et[18] pervestiges, quod quaeras. Ubi eum locum omnem cogitatione saepseris, si modo usu[19] rerum percalluerís, nihil te effugiet, atque omne, quod erit

(1) — om. *a* L. (2) Sic Grut. e Cdd. 1. 2. 3. — *solitudinemque* Cdd. multi. Iu. Crat. Man. L. (3) = *aequo id* C2d. (4) — *Iam* suspic. Muell. sed vide Ellendt *ad Brutum* p. 115. (5) Ita Ald. Iu. L. 1. 2. 3. — *pristino* Crat. — *pristino instituto* Edd. vett. (6) — *pervivendum* vel *porro vivendum* Sch. suspic. (7) — *ut* L. (8) ∞ *et dormitantem* abest a Cdd. aliq. teste Grutero. (9) Sic Steph. L. 1. 2. 3. — *leviter* Iu. Crat. Man. (10) — *intelligeretur* Steph. L. (11) — om. *in* Steph. (12) — *discendi* Lamb. suspic. non recepta. (13) — *omnem* Sch. suspic. (14) Sic Ed. 1584. nescio unde. Grut. 1. 2. 3. — *Ea vi sua verba* Cdd. pleriq. Iu. Crat. Victor. Man. — *Ea vi, ut sua v.* Ed. s. l. et a. — *Et vi sua verba* Steph. al. — *Etenim vi sua verba* L. 1566. In marg. 1584. Lamb. tribuitur: *Etenim eae vi sua verba.* (15) — *rapiant* C2d. unde Heusing. Sch. 2. — *rapient*, quod ipsum praebet Vet. ap. Steph. cfr. *de Finib.* 3, 5, 19. (16) ∞ *sint* Steph. L. (17) ∞ *eos* Steph. L. (18) e Cdd. Grut. Lallem. Ern. 1. 2. 3. — *venere, ut perv.* Man. — *venire debeas, ut perv.* Iu. Crat. L. (19) Sic Cdd. omnes. Quidam apud Lamb. Sch. 2. 3. — *usum* Iu. Crat. L. Ern. 1.

in re, occurret atque incidet. XXXV. Et sic, quum ad inveniendum in dicendo tria [1] sint: acumen, deinde ratio, quam licet (si volumus) appellemus artem, tertium diligentia: non possum equidem non ingenio primas concedere: sed tamen ipsum ingenium diligentia etiam ex tarditate incitat: 148. diligentia, inquam, quae quum omnibus [2] in rebus, tum in causis defendendis plurimum valet. Haec praecipue colenda est nobis: haec semper adhibenda; haec nihil est quod non assequatur. Causa ut penitus, quod initio dixi, nota sit, diligentia est: ut adversarium attente audiamus, atque ut eius non solum sententias, sed etiam verba omnia excipiamus, vultus denique perspiciamus omnes, qui sensus [3] animi plerumque indicant, diligentia est: 149. [id tamen dissimulanter facere, ne sibi ille aliquid proficere videatur, prudentia est [4]:] deinde ut in iis locis, quos proponam paullo post, pervolvatur [5] animus, ut [se [6]] penitus insinuet in causam, ut sit cura et cogitatione intentus, diligentia est: ut his rebus adhibeat, tamquam lumen aliquod, memoriam, ut vocem, ut vires: diligentia est [7]. 150. Inter ingenium quidem et diligentiam perpaullulum loci reliquum [8] est arti. Ars demonstrat tantum, ubi quaeras, atque ubi sit illud, quod studeas invenire; reliqua sunt [9] in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, assiduitate, labore; complectar uno [10] verbo, quo saepe iam usi sumus [11], diligentia; qua una virtute omnes virtutes reliquae continentur. 151. Nam orationis quidem copia videmus ut abundent philosophi, qui, ut opinor, (sed tu haec, Catule, melius) nulla dant praecepta dicendi, nec ideireo minus, quaecunque res proposita est, suscipiunt, de qua copiose et abundanter loquantur.

XXXVI. 152. Tum Catulus, Est, inquit, ut dicis, Antoni, ut plerique philosophi nulla tradant praecepta dicendi, et habeant paratum tamen, quid [12] de quaque re dicant. Sed Aristoteles, is, quem maxime ego admiror, proposuit quosdam locos, ex quibus omnis argumenti via [13], non modo ad philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc [14], qua in causis utimur, inveniretur: a quo quidem homine iamdudum, Antoni, non aberrat [15] oratio tua, sive tu similitudine illius divini ingenii in eadem incurris vestigia, sive etiam illa ipsa legisti

---

([1]) Sic Man. 1. 2. 3. ∞ *haec tria* Iu. Crat. Victor. (qui habet *sunt*) L. ([2]) Sic Cdd. Steph. L. Pearc. 1. 2. 3. — om. *quae* Iu. Crat. Man. Grut. ([3]) Sic Man. Steph. L. 1. 2. 3. — *sensum* Iu. Crat. ([4]) Haec ab interpolatore profecta esse vidit Sch. Del. Muell. Nos [ ]. ([5]) — *revolvatur* Ed. s. l. et a. Margo Crat. ([6]) ∞ om. *se* Cdd. multi. Ed. s. l. et a. Cfr. 1, 20, 90. Nos [ ]. ([7]) ex Ern. C. Sch. 2. 3. — *haec magna sunt* Iu. — L. Ern. 1. Sed v. *haec magna sunt* om. Cdd. aliq. unde apparet, ineptum hoc supplementum intrusum esse ab interpolatore, quum librarii negligentia excidisset: *diligentia est*. ([8]) ∞ *relictum* C1d. L. ([9]) Sic Man. L. 1. 2. 3. — *reliqua, quae sunt* Iu. Crat. Steph. — *reliqua vero sunt* C2d. ([10]) Sic Man. L. Grut. 1. 2. 3. — *complectar* (*complector* C2d.) *hoc uno verbo* Iu. Crat. Victor. ([11]) — *sum usus* C2d. ([12]) — *quod* Ern. suspic. ([13]) e Cdd. Grut. 1. 2. 3. — *argumentatio* Cdd. aliq. Iu. Crat. Man. — *argumenti ratio* Steph. L. 1566. (In marg. 1584. *argumentandi ratio*) — *argumenti via et ratio* Muell. suspic. ([14]) ∞ *hanc orationem* Steph. L. Videtur tamen glossema. ([15]) — *abhorret* Margo Crat. — *non abhorret, nec aberrat* Omnib. sed vide §. 160.

atque didicisti: quod quidem magis [1] veri simile videtur. Plus enim te operae Graecis dedisse rebus video, quam putaramus [2]. 153. Tum ille, Verum, inquit, ex me audies, Catule. Semper ego existimavi, iucundiorem et probabiliorem huic populo oratorem fore, qui primum quam minimam artificii alicuius, deinde nullam Graecarum rerum significationem daret. Atque ego idem [3] existimavi, pecudis esse, non hominis, quum tantas res Graeci susciperent, profiterentur, agerent, seseque et videndi res obscurissimas, et bene vivendi, et copiose dicendi rationem hominibus daturos pollicerentur, non admovere aurem, et [4], si palam audire eos non auderes, ne minueres apud tuos cives auctoritatem tuam, subauscultando tamen excipere voces eorum, et procul, quid narrarent, attendere. Itaque feci, Catule, et istorum omnium summatim causas et genera ipsa gustavi. XXXVII. 154. Valde hercule, inquit Catulus, timide, tamquam ad aliquem libidinis scopulum [5], sic tuam mentem ad philosophiam appulisti, quam haec civitas aspernata nunquam est. Nam et referta quondam Italia Pythagoreorum fuit, tum, quum erat in hac gente magna illa Graecia [6]: ex quo etiam quidam Numam Pompilium, regem [7] nostrum, fuisse Pythagoreum ferunt; qui annis permultis [8] ante fuit, quam ipse Pythagoras: quo etiam maior vir habendus est, quum illam sapientiam constituendae civitatis duobus prope seculis ante cognovit, quam eam Graeci natam esse senserunt: et certe non tulit ullos haec civitas aut gloria clariores, aut auctoritate graviores, aut humanitate politiores, P. Africano, C. Laelio, L. Furio, qui secum eruditissimos homines ex Graecia palam semper habuerunt. 155. Atque ego ex [9] istis saepe audivi, quum dicerent, pergratum Atheniensis et sibi fecisse, et multis principibus civitatis, quod, quum ad senatum legatos de suis maximis rebus mitterent, tres illius aetatis nobilissimos philosophos misissent, Carneadem, et Critolaum, et Diogenem. Itaque eos, dum [10] Romae essent, et a se, et ab aliis frequenter auditos: quos tu quum haberes auctores, Antoni, miror, cur philosophiae, sicut Zethus ille Pacuvianus, prope bellum indixeris. 156. Minime [11], inquit Antonius: ac [12] sic decrevi philosophari potius, ut Neoptolemus apud Ennium, *paucis: Nam omnino haud placet.* Sed tamen haec est [13] mea sententia, quam videbar exposuisse. Ego ista studia non improbo, moderata modo sint: opinionem istorum studiorum, et suspicionem [14] artificii apud eos, qui res iudicent, oratori adversariam esse arbitror. Imminuit enim et oratoris auctoritatem, et orationis fidem. XXXVIII. 157. Sed, ut eo revocetur, unde huc declinavit oratio, ex tribus istis

---

([1]) Sic, si fides Schuetzio, Cdd. Guelf. Ed. 1584. Grut. 1. 2. 3. ∞ *mihi magis* Iu. Crat. Victor. Man. L. ([2]) e Cdd. Grut. 1. 2. 3. ∞ *putaram* Iu. Crat. Victor. Man. L. ([3]) = *idem ego* e Cld. Sch. 2. 3. ([4]) — *nec* L. ([5]) Sic Iu. Crat. Man. L. 1. 2. 3. — *tamquam navem ad* Strebaeus, non coniectura, sed in textu. *navem* se (rursus) eiecisse dicit Steph. — *tamquam ad aliquem Sirenum scopulum* Lamb. suspicio, non recepta. ([6]) Sic Iu. Crat. L. 1. 2. 3. — *magna Graecia* Man. ([7]) Sic Man. Ed. 1584. Grut. 1. 2. 3. — *illum regem* Iu. Crat. L. *illum* ortum est ex ultimis syll. v. *Pompilium.* ([8]) — *permultis annis* L. ([9]) ∞ *hoc ex* Steph. L. ([10]) — *quum* L. ([11]) — *minime vero* L. ([12]) — *at* Ern. suspic. ([13]) = *est haec* L. ([14]) ∞ *suspicionem omnem* Steph.

clarissimis philosophis, quos Romam venisse dixisti, videsne Diogenem [eum] fuisse[1], qui diceret, artem se tradere bene disserendi, et vera ac falsa diiudicandi, quam verbo Graeco *διαλεκτικὴν* appellaret? In hac arte, si modo est haec ars, nullum est praeceptum, quo modo verum inveniatur, sed tantum est, quo modo iudicetur. 158. Nam et omne[2], quod eloquimur sic[3], ut id aut esse dicamus, aut non esse, et si[4] simpliciter dictum sit, suscipiunt dialectici, ut iudicent, verumne sit, an falsum: et si coniuncte sit elatum, et adiuncta sint alia, iudicent[5], rectene adiuncta sint: et verane summa sit uniuscuiusque rationis: et ad extremum ipsi se compungunt suis acuminibus, et multa quaerendo, reperiunt non modo ea, quae iam non possint[5] ipsi dissolvere, sed etiam quibus ante exorsa, et potius[6] detexta prope, retexantur. 159. Hic nos igitur Stoicus iste nihil adiuvat, quoniam, quemadmodum inveniam quid dicam, non docet: atque idem etiam impedit, quod et multa reperit, quae neget[7] ullo modo posse dissolvi, et genus sermonis affert non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum. Quod si qui[8] probabit, ita probabit, ut oratori tamen aptum non esse fateatur. Haec enim nostra oratio multitudinis est auribus accommodanda, ad oblectandos animos, ad impellendos, ad ea probanda, quae non aurificis[9] statera, sed quadam populari trutina examinantur. 160. Quare istam artem totam dimittamus, quae in excogitandis argumentis muta nimium est, in iudicandis nimium loquax. Critolaum istum[10], quem simul cum Diogene venisse commemoras, puto plus huic studio nostro prodesse potuisse. Erat enim ab isto[11] Aristotele, a cuius inventis tibi ego videor non longe aberrare. Atque inter hunc Aristotelem[12], (cuius et illum legi librum, in quo exposuit dicendi artes omnium superiorum, et illos, in quibus ipse sua quaedam de eadem arte dixit,) et hos germanos huius artis magistros, hoc mihi visum est interesse, quod ille eadem acie mentis, qua rerum omnium vim naturamque viderat, haec quoque adspexit, quae ad dicendi artem, quam ille[13] despiciebat, pertinebant. Illi[14] autem, qui hoc solum colendum ducebant, habitarunt[15] in hac una ratione tractanda, non eadem prudentia, qua ille, sed usu, in hoc uno genere, studioque maiore. 161. Carneadis[16] vero vis incredibilis illa dicendi, et varietas, perquam esset optanda nobis: qui nullam unquam

---

(1) Sic Cdd. multi. Steph. L. Pearc. Muell. 3. — *Diogenem fuisse* Iu. Crat. Man. Ern. 1. 2. Nos *eum* saltem cum [ ] dedimus. (2) Sic Man. L. Ern. 1. vindicatque hanc lectionem Matthiae *Misc. Crit.* 1, 4. p. 681. nescio quo successu. Melius et certius saltem nihil adhuc repertum est. *et* ante omne del. cum Cld. prob. Ern. Sch. 2. 3 — *est omne* Wyttenb. E. Wetzel. ∞ *nam et omne, quod eloquimur, eloquimur sic* P. Fabri E. recepta a Lallem. (3) Sic Man. L. 1. 2. 3. — *fit* pro *sic* Iu. Crat. Pearc. (4) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. — *id si* Sch. E. 2. 3. * — *iudicant* e Cld. Muell. 3. (5) ∞ *possunt* Cdd. aliq. (6) — *seu potius* In marg. 1581. — *vel potius* Ern. suspic. — *aut potius* Aliorum E. ap. Pearc. (7) ∞ *negat* Cdd. aliq. Muell. 3. Sed idem supra *possint* retinuit. (8) e Cdd. = *si quis* Man. 1. 2. 3. — *si quid* Iu. Crat. L. (9) — *artificis* Cdd. multi. Nonius in v. *trutina.* (10) — om. *istum* L. (11) ∞ *ipso* L. (12) — om. *Aristotelem* L. (13) — *ipse* e Purgoldi E. Sch. 2. (— *ille ipse* Harless.) (14) — *Hi* L. (15) — *laborarunt* Cdd. aliq. apud Le Clerc. Omnib. Crat. Victor. L. (16) = *Carneadi* Cld. Ed. s. l. et a. Sch. in Ed. mai.

in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probarit; nullam oppugnavit, quam non everterit. Sed hoc maius est quiddam[1], quam ab iis, qui haec tradunt et docent, postulandum sit.

XXXIX. 162. Ego autem, si quem nunc plane rudem institui ad dicendum velim, his potius tradam assiduis uno opere eandem[2] incudem diem noctemque tundentibus, qui omnes tenuissimas particulas, atque omnia minima mansa, ut nutrices[3] infantibus pueris, in os inserant. Sin sit is, qui et doctrina mihi liberaliter institutus, et aliquo iam imbutus usu, et satis acri ingenio esse videatur; illuc eum rapiam, ubi non seclusa aliqua aquula teneatur, sed unde universum flumen erumpat: qui illi[4] sedes, et tamquam domicilia omnium argumentorum commonstret, et ea breviter illustret, verbisque definiat. 163. Quid enim est[5], in quo haereat, qui viderit, omne, quod sumatur in oratione aut ad probandum, aut ad refellendum, aut ex sua sumi vi atque natura, aut assumi foris? Ex sua vi, quum, aut res quae sit tota, quaeratur, aut pars[6] eius, aut vocabulum quod habeat, aut quidpiam, rem illam quod attingat: extrinsecus autem, quum ea, quae sunt foris, neque inhaerent in rei natura, colliguntur. 164. Si res tota quaeritur, definitione universa vis explicanda est, sic: Si maiestas est amplitudo ac dignitas civitatis, is eam minuit, qui exercitum hostibus populi Romani tradidit, non qui eum, qui id fecisset, populi Romani potestati tradidit. 165. Sin pars; partitione, hoc modo: Aut senatui parendum de salute rei publicae fuit, aut aliud consilium instituendum, aut sua sponte faciendum; aliud consilium, superbum; suum, arrogans. Utendum igitur fuit consilio senatus. Si[7] ex vocabulo, ut Carbo: Si consul est, qui consulit patriae, quid aliud fecit Opimius? 166. Sin ab eo, quod rem attingat[8], plures sunt argumentorum sedes ac loci. Nam et coniuncta quaeremus[9], et genera, et partes generibus subiectas, et similitudines, et dissimilitudines, et contraria, et consequentia, et consentanea, et quasi praecurrentia, et repugnantia, et[10] causas rerum vestigabimus[11], et ea, quae ex causis orta sunt; et maiora, paria, minora[12] quaeremus. XL. 167. Ex coniunctis sic argumenta ducuntur: Si pietati summa tribuenda laus est, debetis moveri, quum Q. Metellum tam pie lugere videatis. Ex genere autem: Si magistratus in populi Romani potestate esse debent, quid Norbanum accusas, cuius tribunatus voluntati paruit civitatis? 168. Ex parte autem ea, quae est subiecta generi: Si omnes, qui rei publicae consulunt, cari nobis esse debent, certe in primis imperatores, quorum consiliis, virtute, periculis, retinemus et nostram salutem, et imperii dignitatem. Ex similitudine autem: Si ferae partus suos diligunt, qua nos in liberos nostros indulgentia esse debemus?

---

(1) Sic Crat. L. 1. 2. 3. — *quoddam* Cdd. aliq. Iu. (2) Muell. distinxit: *assiduis uno opere, eandem* — (3) Sic Man. Steph. L. Grut. 1. 2. 3. — *ut aiunt, nutrices* Ed. s. l. et a. Iu. Crat. (4) Sic L. 1. 2. 3. — *et illi* Ascens. Iu. Crat. — *ut illi - - commonstrem - - illustrem - - definiam* Man. (5) ∞ *quid est enim* Muell. C. 3. (6) — *aut quae pars* Ern. suspicio. (7) e Cld. Sch. 2. 3. — *sin* Iu. — L. Ern. 1. (8) — *attingit* Steph. L. (9) Sic duo Vett. ap. Steph. Grut. 1. 2. 3. — *quaerimus* Iu. Crat. Man. L. (10) — *in* pro *et* L. (11) — *investigabimus* Steph. L. (12) ∞ *maiora, minora, paria* ut §. 172. Sch. C. 2.

169. At ex dissimilitudine: Si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum [1] tempus spectare debent. Atque utroque in genere et similitudinis, et dissimilitudinis, exempla sunt ex aliorum factis, aut dictis, aut eventis, et fictae narrationes saepe ponendae [2]. Iam ex contrario: Si Gracchus nefarie, praeclare Opimius. 170. Ex consequentibus: Si et ferro interfectus ille, et tu inimicus eius cum gladio cruento comprehensus es in illo ipso loco, et nemo praeter te ibi visus est, et causa nemini, et tu semper audax; quid est, quod de facinore [3] dubitare possimus? Ex consentaneis, et praecurrentibus, et repugnantibus, ut olim Crassus [4] adolescens: Non si Opimium defendisti, Carbo, ideireo te isti bonum civem putabunt. Simulasse te, et aliud quid [5] quaesisse perspicuum est, quod Ti. Gracchi mortem saepe in concionibus deplorasti, quod P. Africani necis socius fuisti, quod eam legem in tribunatu tulisti, quod semper a bonis dissedisti [6]. 171. Ex causis autem rerum sic: Avaritiam si tollere vultis, mater eius est tollenda, luxuries. Ex iis autem, quae sunt orta de causis: Si aerarii copiis et ad belli adiumenta, et ad ornamenta pacis utimur, vectigalibus serviamus. 172. Maiora autem, et minora, et paria comparabimus sic: ex maiore: Si bona existimatio divitiis praestat, et pecunia tanto opere [7] expetitur, quanto gloria magis est expetenda? Ex minore sic:

— hic parvae consuetudinis
Causa huius mortem [8] *tam fert* [9] *familiariter:*
Quid si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri?

Ex pari sic: Est eiusdem et eripere, et contra rem publicam [10] largiri pecunias. 173. Foris autem assumuntur ea, quae non sua vi, sed extranea sublevantur, ut haec: Hoc verum est; dixit enim Q. Lutatius. Hoc falsum est; habita enim quaestio est. Hoc sequi necesse est; recito enim tabulas. De quo genere toto paullo ante dixi. XLI. 174. Haec, ut brevissime dici potuerunt, ita a me dicta sunt. Ut enim si aurum cui [11], quod esset multifariam defossum, commonstrare vellem, satis esse deberet, si signa et notas ostenderem locorum, quibus cognitis ille sibi ipse foderet, et id, quod vellet, parvulo [12] labore, nullo errore, inveniret: sic has ego argumentorum novi notas, quae illa mihi quaerenti demonstrant [13], ubi sint; reliqua, cura et cogitatione

(1) Sic Man. L. 1. 2. 3. — *consilia in sempit.* Cdd. aliq. Iu. Crat. (2) post v. *ponendae* inserit Cd. Reg. 7753. (idem fortasse cum Vet. ap. Steph.) *Si Ti. Gracchus legem agrariam tulit in perniciem patriae, vos leges vestras ad salutem eius ferre debetis.* (3) — *tuo* addendum censebat Purgold. (4) ∞ *ut olim hic Crassus* Pighii Cod. nimis incertae fidei. Sch. 2. 3. — *ut L. Crassus* Vet. apud Steph. (5) — *aliquid* e Cld. prob. Heusing. eodem sensu Sch. 2. Vide Ellendt *ad Brutum* p. 209. (6) e Cdd. Gronov. Sch. 2. 3. — *dissensisti* Iu. — L. Ern. 1. (7) e Cdd. = *tantopere* Iu. — L. 1. 2. 3. (8) — *mortem huius* L. (9) Sic e Cdd. compluribus, minime, ut opinor, e Terentio correctis et Terentio *Andr.* 1, 1, 83. dedi cum Lambino et Le Clerquio — *fert tam* Iu. Man. 1. 2. 3. (10) e Cdd. Sch. 2. 3. — *et eripere contra rem publicam, et largiri* Iu. — L. Ern. 1. (11) — *cui aurum* L. (12) Sic Man. Grut. 1. 2. 3. — *parvo* Iu. Crat. L. (13) Sic Iu. — L. Ern. 1. — *erui notas* cet. Cdd. aliq. Ed. s. l. et a. Margo Crat. ∞ *notavi notas, quae illa quaerenti* Sch. €. 2. 3. (Pearcius scil. €. *argumentorum quasi notavi notas, quae illa quaerenti*) Sed Schuetzii lectio requirit: *demonstrent. — inveniret: si has argumentorum notas quaerenti demonstravi, ubi sint: reliqua* quum Cdd. aliq. om. v. *quae illa mihi* Grut. susp.

eruuntur. 175. Quod autem argumentorum genus cuique causarum generi maxime conveniat, non est artis exquisitae praescribere, sed[1] est mediocris ingenii iudicare. Neque enim nunc id agimus, ut artem aliquam dicendi explicemus, sed ut doctissimis hominibus usus nostri quasi quaedam monita[2] tradamus. His igitur locis in mente et cogitatione defixis, et in omni re ad dicendum posita excitatis, nihil erit, quod oratorem effugere possit, non modo in forensibus disceptationibus, sed omnino in ullo genere dicendi. 176. Si vero assequetur, ut talis videatur, qualem se videri velit, et animos eorum ita afficiat[3], apud quos aget, ut eos, quocunque velit, vel trahere, vel rapere possit; nihil profecto praeterea ad dicendum requiret. Iam illud videmus nequaquam satis esse, reperire quid dicas, nisi id inventum tractare possis. 177. Tractatio autem varia esse debet, ne aut cognoscat artem, qui audiat, aut defatigetur similitudinis satietate. Proponi oportet, quid afferas, et id quare ita sit, ostendere: et ex iisdem[4] illis locis interdum concludere, relinquere alias[5], alioque transire: saepe non proponere, ac ratione ipsa afferenda, quid[6] proponendum fuerit, declarare: si cui quid simile dicas, prius ut simile confirmes: deinde quod agitur, adiungas: puncta argumentorum plerumque ut occulas, ne quis ea numerare possit, ut re distinguantur, verbis confusa esse videantur.

XLII. 178. Haec ut et properans, et apud doctos[7], et semidoctus ipse percurro, ut aliquando ad illa maiora veniamus. Nihil est enim in dicendo, Catule, maius, quam ut faveat oratori is[8], qui audiet, utque ipse sic moveatur, ut impetu quodam animi et perturbatione magis, quam iudicio, aut consilio, regatur. Plura enim multo homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lactitia, aut spe, aut timore, aut errore[9], aut aliqua permotione mentis, quam veritate, aut praescripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicii formula, aut legibus. 179. Quare, nisi quid vobis aliud placet, ad illa pergamus.

Paullum, inquit Catulus, etiam nunc deesse videtur iis rebus, Antoni, quas exposuisti, quod sit tibi ante explicandum, quam illuc proficiscare, quo te dicis intendere. Quidnam? inquit. Qui ordo tibi placeat[10], inquit Catulus, et quae dispositio argumentorum, in qua tu mihi semper deus videri soles. 180. Vide quam sim in isto genere, inquit, Catule, deus. Non mehercule mihi, nisi admonito, venisset in mentem: ut possis existimare, me in ea, in quibus nonnunquam aliquid efficere videor, usu solere in dicendo, vel casu potius incurrere. Ac res quidem ista, quam ego, quia non noram[11], sic, tamquam ignotum hominem, praeter-

---

([1]) — *et* C2d. non improb. Heusing. ([2]) ∞ *quaedam quasi monita* L. (— *admonita* Iu.) ([3]) Sic Cdd. Iu. Crat. Man. 1. 2. 3. — *afficiet* L. Grut. ([4]) *ex iisdem* Omnes, Iu. — L. etiam Gronov. 1692. — om. *ex* Ern. 1. 2. 3. errore typogr. diu propagato. ([5]) — *alias relinquere* L. ([6]) — *quicquid* L. ([7]) — *et* ante v. *properans* om. C1d. — *Haec ego properans, ut apud doctos* Sch. suspic. ∞ *Haec autem, et properans apud doctos, et semidoctus* — Muell. €. 3. Sed grata illa negligentia, nullius, ut opinor, indiget correctionis. ([8]) — om. *is* L. ([9]) — *terrore* e Cdd. aliq. Sch. 2. ([10]) Sic Cdd. aliq. Steph. L. 1. 2. 3. — *placet* Iu. Crat. Man. Grut. ([11]) — *memineram* Sch. €. 2.

ibam, tantum potest in dicendo, ut ad vincendum nulla plus possit: sed tamen mihi videris ante tempus a me rationem ordinis et disponendarum rerum requisisse. 181. Nam si ego omnem vim oratoris in argumentis, et in re ipsa per se comprobanda posuissem, tempus esset iam de ordine argumentorum, et de collocatione aliquid dicere: sed quum tria sint a me proposita, de uno dictum; quum de duobus reliquis dixero, tum erit denique de disponenda tota oratione quaerendum.

XLIII. 182. Valet igitur multum ad vincendum, probari mores, instituta, et facta, et vitam eorum[1], qui agent causas, et eorum, pro quibus: et item improbari adversariorum; animosque eorum, apud quos agetur[2], conciliari quam maxime ad benevolentiam quum[3] erga oratorem, tum erga illum, pro quo dicet orator. Conciliantur autem animi dignitate hominis, rebus gestis, existimatione vitae: quae facilius ornari possunt, si modo sunt, quam fingi, si nulla sunt. Sed haec adiuvant in oratore, lenitas vocis, vultus pudoris significatio[4], verborum comitas: si quid persequare acrius, ut invitus et coactus facere videare. Facilitatis, liberalitatis, mansuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, non avidi, signa proferri perutile est: eaque omnia, quae proborum, demissorum, non acrium, non pertinacium, non litigiosorum, non acerborum sunt, valde benevolentiam conciliant, abalienantque ab iis, in quibus haec non sunt. Itaque eadem sunt in adversarios ex contrario conferenda. 183. Sed genus hoc totum orationis in iis causis excellet, in quibus minus potest inflammari animus iudicis acri et vehementi quadam incitatione. Non enim semper fortis oratio quaeritur, sed saepe placida, summissa, lenis, quae maxime commendat reos. Reos autem appello non eos modo, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur. Sic enim olim loquebantur. 184. Horum igitur exprimere mores oratione, iustos, integros, religiosos, timidos, perferentes iniuriarum[5], mirum quiddam valet: et hoc vel in principiis, vel in re narranda, vel in peroranda[6], tantam habet vim, si est suaviter et cum sensu tractatum, ut saepe[7] plus, quam causa, valeat. Tantum autem efficitur sensu quodam, ac ratione dicendi, ut quasi mores oratoris effingat oratio. Genere enim quodam sententiarum, et genere[8] verborum, adhibita etiam actione leni, facilitatemque significanti[9], efficitur, ut probi, ut bene morati, ut boni viri esse videantur[10].

([1]) — *probari mores, et instituta eorum* C1d. prob. Schuetz. ∞ *et vitam et eorum* L. ([2]) e C1d. Sch. 2. — *agitur* Iu. — L. Ern. 1. Muell. 3. ([3]) = *tum* C1d. Sch. 2. 3. ([4]) Sic Omnib. Pearc. prob. Heusing. Sch. 2. saepeque offenderunt interpretes et librarii in genitivis ita ex se pendentibus. (cfr. infra §. 333. *ingenii ostentationis suspicio* ubi Cdd. aliq. ap. Burmann. *ad Phaedr.* 2. Epilog. 1. *ingentis ostentationis suspicio*) — *vultus*, (nominativ.) *pudoris significatio* Iu. — L. Ern. 1. 3. qua in lectione *vultus* del. videbatur Ernestio. *vultus*, nude sic positum, omnino probari vix potest: neque, ut vult Muellerus, *vultus, pudoris significatio* est *vultus pudorem significans.* Itaque Schuetzii rationem praetuli, etsi habet duri nescio quid. (— *vultûs pudor, timoris significatio* Waardenburgii suspicio.) ([5]) — *iniuriam* C1d. ([6]) ∞ *perorando* C1d. prob. Sch. ([7]) ∞ *persaepe* Steph. L. ([8]) — del. *genere* Sch. E. 2. 3. Sed excusari potest. ([9]) Sic Cdd. aliq. L. Grut. 1. 2. 3. — *facilitateque significandi* Iu. Crat. — *facultateque significandi* Man. ([10]) — *videamur* tribuunt Manutio prob. Ern. Ipse tamen Man. *videantur.*

XLIV. 185. Huic autem est illa dispar adiuncta ratio orationis, quae alio quodam genere mentes iudicum permovet, impellitque, ut aut oderint, aut diligant, aut invideant, aut salvum velint, aut metuant, aut sperent[1], aut cupiant, aut abhorreant, aut laetentur, aut maereant, aut misereantur, aut punire velint, aut ad eos[2] motus adducantur[3], si qui finitimi sunt et propinqui his ac talibus animi perturbationibus[4]. 186. Atque illud optandum est oratori, ut aliquam permotionem animorum sua sponte ipsi afferant ad causam iudices, ad id, quod utilitas oratoris feret, accommodatam. Facilius est enim currentem (ut aiunt) incitare, quam commovere languentem. Sin id aut non erit, aut erit obscurius, sicut medico diligenti, priusquam conetur aegro adhibere medicinam, non solum morbus eius, cui mederi volet, sed etiam[5] consuetudo valentis, et natura corporis cognoscenda est: sic equidem quum aggredior ancipitem causam et gravem[6] ad animos iudicum pertractandos, omni mente in ea cogitatione curaque versor, ut odorer, quam sagacissime possim, quid sentiant, quid existiment, quid exspectent, quid velint, quo deduci oratione facillime posse videantur. 187. Si se dant, et, ut ante dixi, sua sponte[7], quo[8] impellimus, inclinant atque propendent: accipio quod datur, et ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela do. Sin est integer quietusque iudex: plus est operis. Sunt enim omnia dicendo excitanda, nihil adiuvante natura. Sed tantam vim habet illa, quae recte a bono poëta dicta est *flexanima atque*[9] *omnium regina rerum*, oratio, ut non modo inclinantem excipere[10], aut stantem inclinare, sed etiam adversantem et repugnantem, ut imperator bonus ac fortis, capere possit. XLV. 188. Haec sunt illa[11], quae me ludens Crassus modo flagitabat, quum ea[12] a me divinitus tractari solere[13] diceret, et in causa M' Aquilii Caiique Norbani, nonnullisque aliis, quasi praeclare acta, laudaret: quae mehercule ego, Crasse, quum a te tractantur in causis, horrere soleo. Tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor, oculis, vultu, gestu, digito denique isto tuo significari solet. Tantum est flumen gravissimorum optimorumque verborum, tam integrae[14] sententiae, tam verae[15], tam novae, tam sine pigmentis fucoque puerili, ut mihi non solum tu incendere iudicem, sed ipse ardere videaris[16].

---

(1) Sic Cdd. aliq. Iu. Crat. Victor. Lallem. 1. 2. 3. ∞ *spernant* Man. L. Grut. (2) — *aliquos* Sch. €. 2. (3) Sic Iu. Crat. Man. 1. 2. 3. — *abducantur* Grut. ∞ *deducantur* Cdd. aliq. Steph. L. Pearc. (4) — *permotionibus* Steph. solus. (5) — *et* L. (6) — *in ancipiti causa et gravi* Cdd. aliq. prob. Sch. (7) — *si sua sponte* L. (8) — *si quo* Steph. (9) ∞ abest *atque* a C2d. Lambini: nec fortasse fuit apud Pacuvium. — *et* Ascens. (10) Sic: *excipere* (id est, ad se trahere, et inclinatum brachio veluti complecti) dedi e Cdd. aliq. quod quum parum esset intellectum, alii corrupte dederunt *eripere* v. c. Vet. ap. Steph. alii perverse *erigere* Iu. — L. Grut. Huius v. loco coniecturâ ingeniosâ, nec tamen a cauto Critico recipiendâ Crevierius divinavit e praecedentibus *quo impellimus*, *inclinant* — *impellere* Lallem. Ern. 1. 2. 3. (11) ∞ *Haec sunt enim illa* C1d. (12) Sic Cdd. Edd. vett. L. 1. 2. 3. — *quae* Iu. Crat. Mnc. Grut. (13) — om. *solere* L. (14) — *crebrae* Purgoldi €. (15) — *tam verae* suspecta Sch. (16) ∞ *incensus videaris* Steph. ∞ *incensus esse videaris* L.

189. Neque fieri[1] potest, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid[2], ut ad fletum misericordiamque deducatur[3]: nisi omnes ii motus, quos orator adhibere volet iudici, in ipso oratore impressi esse atque insti videbuntur. Quod si fictus aliquis dolor suscipiendus esset, et si in eiusmodi genere orationis nihil esset, nisi falsum atque imitatione simulatum, maior ars aliqua forsitan esset requirenda. Nunc ego, quid tibi, Crasse, quid ceteris accidat, nescio: de me autem causa nulla est, cur apud homines prudentissimos atque amicissimos mentiar. Non mehercule unquam apud iudices[4] aut dolorem, aut[5] misericordiam, aut invidiam, aut odium excitare dicendo volui; quin ipse in commovendis iudicibus, iis ipsis sensibus, ad quos illos adducere vellem, permoverer. 190. Neque enim facile est perficere, ut irascatur ei, cui[6] tu velis, iudex, si tu ipse id lente ferre[7] videare: neque ut oderit eum, quem tu velis, nisi te ipsum flagrantem odio ante viderit: neque ad misericordiam adducetur, nisi ei tu signa doloris tui verbis, sententiis, voce, vultu, collacrimatione denique ostenderis. Ut enim nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quae, nisi admoto igni, ignem concipere possit: sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quae possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam, et ardens accesseris[8]. XLVI. 191. Ac, ne forte hoc magnum ac mirabile esse videatur, hominem toties irasci, toties dolere, toties omni animi motu concitari, praesertim in rebus alienis, magna vis est earum sententiarum, atque eorum locorum, quos agas tractesque dicendo[9], nihil ut[10] opus sit simulatione et fallaciis. Ipsa enim natura orationis eius, quae suscipitur ad aliorum animos permovendos, oratorem ipsum magis etiam, quam quemquam eorum, qui audiunt, permovet. 192. Et ne hoc in causis, in iudiciis, in amicorum periculis, in concursu hominum, in civitate, in foro accidere miremur, quum agitur non solum ingenii nostri existimatio (nam id esset levius: quamquam, quum professus sis, te[11] id posse facere, quod pauci, ne id quidem negligendum est) sed alia sunt[12] maiora multo, fides, officium, diligentia: quibus rebus adducti, etiam quum alienissimos defendimus, tamen eos alienos, si ipsi viri boni volumus haberi[13], existimare non possumus. 193. Sed, ut dixi, ne hoc in nobis mirum esse videatur, quid potest esse tam fictum, quam versus[14],

(1) ∞ *Neque enim fieri* L. (2) *aliquid* suspectum Matthiae *Misc. Crit.* 1, 4. p. 681. Post *aliquid* e duobus Vetustis Steph. Lamb. addunt: *ut adfectet*, quod tamen ortum est e syllabis seqq. *ut ad flet.* (3) — *adducatur* L. — *ducatur* Cd. Traiect. Arntzenii, quod cur e C1d. receptum sit a Sch. 2. Muell. 3. exputare nequeo, quum toties hoc eodem significatu in libris hisce reperiatur v. *deducere.* (Sic et §. 186. fin. pro *deduci oratione* Vet. Steph. habet *duci orat.* quod nemo praeferendum ratus est.) (4) — om. *apud iud.* C1d. Ed. s. l. et a. Sch. 2. (5) — om. *aut* Steph. (6) Sic Cdd. aliq. Iu. Crat. Steph. L. Sch. 2. 3. — *irascatur, cui* Man. Grut. Ern. 1. (7) Sic Nonius in v. *lente.* Iu. — L. Ern. 1. 3. — *facere* e C1d. prob. Heusing. Sch. 2. (8) Sic Man. Ern. 1. 3. — *accesserit* Cdd. aliq. Iu. Crat. Victor. Sch. 2. — *nisi ipse ad eam inflammatus et ardens accesseris* L. (9) — *in dicendo* L. (10) — *ut nihil* L. (11) ∞ om. *te* Ed. s. l. et a. Omnib. (12) *sunt* del. censebat Pearcius refutatus a Matthiae *de Anacol. ap. Cic.* p. 5. (13) = *haberi volumus* L. (14) *quam versus* om. Ed. s. l. et a. Omnib. prob. Sch. Sed quis hoc intrusisset? Et tria ista membra Ciceronianum morem plane referunt.

quam scena, quam fabulae? Tamen in hoc genere saepe ipse vidi, quum ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis[1] viderentur † spondalia[2] illa dicentis:

Segregare abs te ausus, aut sine illo Salamina ingredi?
Neque paternum adspectum es veritus?

Numquam illum[3] *adspectum* dicebat, quin mihi Telamon iratus furere luctu filii videretur. Ut[4] idem inflexa ad miserabilem sonum voce,

Quem[5] *aetate exacta, indigem*[6]
Liberûm lacerasti, orbasti, exstinxti[7]*; neque fratris necis,*
Neque gnati eius parvi[8]*, qui tibi in tutelam est traditus* —

flens ac lugens dicere videbatur! Quae si ille histrio, quotidie quum ageret, tamen recte[9] agere sine dolore non poterat; quid? Pacuvium putatis in scribendo leni animo ac remisso fuisse? Fieri nullo modo potuit. 194. Saepe enim audivi, poëtam bonum neminem (id quod a Democrito et Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum exsistere posse, et sine quodam afflatu quasi furoris. XLVII. Quare nolite existimare me ipsum, qui non heroum veteres casus, fictosque luctus vellem imitari atque adumbrare dicendo, neque actor essem alienae personae, sed auctor[10] meae, quum mihi M' Aquilius in civitate retinendus esset, quae in illa causa peroranda fecerim, sine magno dolore fecisse. 195. Quem enim ego consulem fuisse, imperatorem ornatum a senatu, ovantem in Capitolium ascendisse meminissem; hunc quum afflictum, debilitatum, maerentem, in summum discrimen adductum viderem, non prius sum conatus misericordiam aliis commovere, quam misericordia sum ipse captus. Sensi equidem[11], tum magno opere moveri iudices, quum excitavi maestum ac sordidatum senem, et quum ista feci, quae tu, Crasse, laudas, non arte, de qua quid loquar nescio, sed motu magno animi ac dolore, ut discinderem tunicam, ut cicatrices ostenderem. 196. Quum C. Marius maerorem orationis meae praesens ac sedens multum lacrimis suis adiuvaret; quumque ego illum crebro appellans, collegam ei suum commendarem, atque ipsum advocatum ad communem imperatorum fortunam defendendam invocarem: non fuit haec sine meis lacrimis, non sine dolore magno miseratio, omniumque deorum, et hominum, et civium, et sociorum imploratio. Quibus

---

(1) — *histrionis* del. censebat Boettiger *de personis scenicis* p. 14. Alterutrum voc. item suspectum habebat V. D. in Wolfii *Anal. litt.* p. 53. refutatus a Muell. in *Addendis*. (2) Hoc corruptum habent Iu. Man. Ern. 1. = *spondialia* Omnib. Lamb. Sch. 2. non minus corrupte. ∞ *spondaulia* Salmas. *ad Solin.* T. 1. p. 88. probante Osanno in *Dissert. de Soph. Aiace* p. 87. ∞ *e sponda illa* Hermanni C. ingeniosa, recepta a Muell. 3. (3) ∞ *illud* L. Vide Ern. (4) ∞ *At* Hermanni C. recepta a Muell. 3. Sed est admirantis exclamatio, ut §. 202. (5) — *Quum me* L. (6) — *indigum* L. (— *Quum aetate exacta indigerem* Steph.) (7) Sic scripsi cum Man. et Bothio. = *exstinxsti* L. 1. 2. 3. (— *exstinxisti* Iu. Steph.) (8) — *neque fratris neci, neque gnati eius parsti* i. e. parsisti. Bothe C. sed verbum finitum videtur fuisse in versu seq. a Cicerone omisso. (9) Suspectum *recte* Ern. qui [ ]. Expunxerunt Sch. 2. Muell. 3. Ciceronem ipsum fortasse, non librarios corrigentes. Vide Matthiae *Misc. Crit.* 1, 4. p. 682. (10) — *actor* Cdd. aliq. Suspectum *auctor* erat Pearcio, sine causa. (11) Sic Cdd. Iu. — L. 1. 2. 3. — *quidem* Grut.

omnibus verbis, quae a me tum sunt habita, si dolor abfuisset meus, non modo non miserabilis, sed etiam irridenda fuisset oratio mea. Quamobrem hoc vos doceo, Sulpici, bonus ego videlicet atque eruditus magister, ut in dicendo irasci, ut dolere, ut flere possitis. 197. Quamquam te quidem quid hoc [1] doceam, qui in accusando sodali et quaestore [2] meo, tantum incendium non oratione solum, sed multo etiam magis vi, et dolore, et ardore animi concitaras, ut ego ad id restinguendum vix conarer accedere? Habueras enim tu [3] omnia in causa superiora: vim, fugam, lapidationem, crudelitatem tribunitiam, in Caepionis gravi miserabilique casu in iudicium vocabas: deinde principem et senatus, et civitatis, M. Aemilium, lapide percussum esse constabat: vi pulsum ex templo L. Cottam, et T. Didium, quum intercedere vellent rogationi, nemo poterat negare. XLVIII. 198. Accedebat, ut haec tu adolescens pro re publica queri summa cum dignitate existimarere; ego, homo censorius, vix satis honeste viderer seditiosum civem, et in hominis consularis calamitate crudelem, posse defendere. Erant optimi cives iudices, bonorum virorum plenum forum, vix ut mihi tenuis quaedam venia daretur excusationis, quod tamen eum defenderem, qui mihi quaestor fuisset. Hic ego quid [4] dicam me artem aliquam adhibuisse? quid fecerim, narrabo. Si placuerit, vos meam defensionem in aliquo artis loco reponetis. 199. Omnium [5] seditionum genera, vitia, pericula collegi, eamque orationem ex omni rei publicae nostrae temporum varietate repetivi [6], conclusique ita, ut dicerem, etsi omnes molestae semper [7] seditiones fuissent, iustas tamen fuisse nonnullas, et prope necessarias. Tum illa, quae modo Crassus commemorabat, egi; neque reges ex hac civitate exigi, neque tribunos plebis creari, neque plebiscitis toties consularem potestatem minui, neque provocationem, patronam illam civitatis ac vindicem libertatis, populo Romano [8] dari sine nobilium dissensione potuisse: ac, si illae seditiones saluti huic civitati fuissent, non continuo, si qui [9] motus populi factus esset, id C. Norbano in nefario crimine [10], atque in fraude capitali esse ponendum. Quod si unquam populo Romano concessum esset, ut iure concitatus [11] videretur, id quod docebam saepe esse concessum, nullam illa causam iustiorem fuisse. Tum omnem orationem traduxi et converti in increpandam Caepionis fugam, in deplorandum interitum exercitus. Sic et eorum dolorem, qui lugebant suos, oratione refricabam, et animos equitum Romanorum, apud quos tum iudices causa agebatur, ad Q. Caepionis odium, a quo erant ipsi propter iudicia abalienati, renovabam [atque revocabam [12]].

([1]) ∞ *quid ego hoc* Steph. L. ([2]) — *et quaestore* om. Ed. s. l. et a. Omnib. ([3]) Sic Cdd. aliq. Iu. Crat. Sch. 2. 3. — *tum* Man. L. Grut. Ern. 1. ([4]) — *quid ego* L. ([5]) — *Omnia* Sch. €. 2. ([6]) = *repetii* C2d. ([7]) = *semper molestae* L. ([8]) Sic Iu. 1. 2. 3. ∞ *libertatis populi Romani*, *dari* Man. L. quod fere praestat. ([9]) e C2d. = *quis* Iu. — L. 1. 2. 3. ([10]) — *in periculo* Cd. Reg. 7703. probante Le Clerquio. Sed est glossema voc. *fraude*. ([11]) = *incitatus* C2d. Strebaeus. ([12]) Recte haec omitt. Cdd. aliq. etiam Reg. 7702. Sch. 2. 3. Ortum est ex *διττογραφίᾳ*; nam Cd. Erl. pro *renovabam* habet *revocabam*.

XLIX. 200. Quod ubi sensi me in possessione iudicii ac defensionis meae constitisse, quod et populi benevolentiam mihi conciliaram, cuius ius etiam cum seditionis coniunctione defenderam, et iudicum animos totos vel calamitate civitatis, vel luctu ac desiderio propinquorum, vel odio proprio in Caepionem ad causam nostram converteram[1]: tunc[2] admiscere huic generi orationis vehementi atque atroci genus illud alterum, de quo ante disputavi, lenitatis et mansuetudinis coepi; me pro meo sodali, qui mihi in liberûm loco more maiorum esse deberet, et pro mea omni fama prope[3] fortunisque decernere, nihil mihi ad existimationem turpius, nihil ad dolorem acerbius accidere posse, quam si is, qui saepe alienissimis a me, sed meis tamen civibus, saluti existimarer fuisse, sodali meo auxilium ferre non potuissem[4]. 201. Petebam a iudicibus, ut illud aetati meae, ut honoribus, ut rebus gestis, si iusto, si pio dolore me esse affectum viderent, concederent: praesertim si in aliis causis intellexissent, omnia me semper pro amicorum periculis, nihil unquam pro me ipso deprecatum. Sic in illa omni defensione atque causa, quod esse in arte positum videbatur, ut de lege Appuleia dicerem, ut, quid esset minuere maiestatem, explicarem, perquam breviter perstrinxi atque attigi. His duabus partibus orationis[5], quarum altera concitationem habet, altera commendationem, quae minime praeceptis artium[6] sunt perpolitae, omnis est a me[7] illa causa tractata, ut et acerrimus in Caepionis invidia renovanda, et in meis moribus erga meos necessarios declarandis mansuetissimus viderer. Ita magis affectis animis iudicum[8], quam doctis, tua, Sulpici[9], est a nobis tum accusatio victa. L. 202. Hic Sulpicius, Vere hercule, inquit, Antoni, ista commemoras. Nam ego nihil unquam vidi, quod tam e manibus elaberetur, quam mihi tum est elapsa illa causa. Quum enim (quemadmodum dixisti) tibi ego non iudicium, sed incendium tradidissem; quod tuum principium, dii immortales, fuit! qui timor! quae dubitatio! quanta haesitatio, tractusque verborum! Ut tu illud[10] initio, quod tibi unum ad ignoscendum homines dabant, tenuisti: te pro homine pernecessario, quaestore tuo, dicere[11]! quam tibi primum munisti ad te audiendum viam! 203. Ecce autem, quum te nihil aliud profecisse arbitrarer, nisi ut homines tibi, civem improbum defendenti, ignoscendum propter necessitudinem arbitrarentur, serpere occulte[12] coepisti, nihildum[13] aliis suspicantibus, me vero iam pertimescente, ut illam, non Norbani seditionem, sed populi[14] Romani iracundiam, neque eam iniustam, sed meritam ac debitam fuisse defenderes. Deinde[15] qui locus abs te praetermissus est[16] in Caepionem? ut tu illa omnia odio, invidia, misericordia miscuisti! Neque haec[17] solum in defensione,

---

([1]) — *converterem* L. errore typogr.? ([2]) — *tum* C2d. ([3]) = *prope fama* L. ([4]) — *possem* Rob. Steph. Car. Steph. L. Pearc. ([5]) — *duabus orationis* Guelf. A. unde Cd. Reg. 7703. — *duabus orationibus*. ([6]) — *artis* Ed. s. l. et a. ([7]) ∞ *est tum a me* Cdd. aliq. ([8]) = *iudicum animis* L. ut §. 200. ([9]) = *tua tum, Sulp. est a nobis* L. ([10]) Sic Iu. Crat. Steph. L. — *ut illud* Man. Grut. 1. 2. 3. ([11]) = *quaestore dicere tuo* Ed. s. l. et a. — *dicere* om. Cdd. aliq. prob. Grutero. ([12]) — *serpere eo occulte* L. ([13]) — *nihil tum* Ed. s. l. et a. ([14]) Sic Cdd. aliq. Man. Steph. L. 1. 2. 3. — *sed illam populi R.* Iu. Grut. ([15]) — *Denique* Cdd. aliq. ([16]) — om. *est* L. ([17]) — *hoc* Steph. L.

sed etiam in Scauro, ceterisque meis testibus, quorum testimonia[1] non refellendo, sed ad eundem impetum populi confugiendo, refutasti. 204. Quae quum abs te modo commemorarentur, equidem nulla praecepta desiderabam. Istam enim ipsam demonstrationem defensionum tuarum abs te ipso commemoratam[2] doctrinam esse non mediocrem puto. Atqui, si ita placet, inquit Antonius[3], trademus etiam, quae nos sequi in dicendo, quaeque maxime spectare solemus. Docuit enim iam nos longa vita ususque rerum maximarum, ut quibus rebus animi hominum moverentur, teneremus.

LI. 205. Equidem primum considerare soleo, postuletne causa. Nam neque parvis in rebus adhibendae sunt hae dicendi faces, neque ita animatis hominibus, ut nihil ad eorum mentes oratione flectendas proficere possimus, ne aut irrisione, aut odio digni putemur, si aut tragoedias agamus in nugis, aut convellere adoriamur[4] ea, quae non possint commoveri. 206. Nam quoniam haec fere maxime sunt in iudicum animis[5], aut, quicunque illi erunt, apud quos agemus, oratione molienda, amor, odium, iracundia, invidia, misericordia, spes, laetitia, timor, molestia; sentimus, amorem conciliari, si id velle videare[6], quod sit utile ipsis, apud quos agas, defendere; si aut pro bonis viris, aut certe pro iis, qui illis boni atque utiles sint, laborare. Namque haec res amorem magis conciliat, illa virtutis defensio caritatem: plusque proficit, si proponitur spes utilitatis futurae, quam praeteriti beneficii commemoratio. 207. Enitendum est, ut ostendas, in ea re, quam defendas, aut dignitatem inesse, aut utilitatem; eumque, cui concilies hunc amorem, significes nihil ad utilitatem suam retulisse, ac nihil omnino fecisse causa sua[7]. Invidetur enim commodis hominum ipsorum; studiis autem eorum ceteris commodandi favetur. 208. Videndumque hoc loco est, ne, quos ob benefacta diligi volemus, eorum laudem atque gloriam, cui maxime invideri solet, nimis efferre videamur. Atque iisdem his[8] ex locis et odium in alios[9] struere discemus, et a nobis ac nostris demovere[10]: eademque haec genera tractanda sunt[11] in iracundia vel excitanda, vel sedanda. Nam si, quod ipsis, qui audiunt, perniciosum aut inutile sit, id factum augeas, odium creatur: sin, quod aut in bonos viros, aut in eos, in quos quisque minime debuerit, aut in rem publicam[12]; tum excitatur, si non tam

---

([1]) ∞ *quorum tu testimonia* Cdd. aliq. Steph. L. ([2]) ∞ Haec *abs -- commemoratam* del. Sch. €. 2. 3. Pro his omnibus *Istam enim -- doctrinam esse* Cdd. aliq. Gruteri mance: *Ipsam tam doctrinam esse.* ([3]) ∞ om. *Antonius* C2d. ([4]) — *adordiamur* Drackenborchii €. *ad Liv.* 35, 51. ([5]) = *animis iudicum* L. ut supra §. 200. et 201. Sch. 2. 3. ([6]) Sic Iu. Crat. Man. L. — In Gruteri ed. v. *velle* non monito lectore omissum est. vide Gronov. Errorem secuti sunt Ern. 1. 2. 3. — *si id iure videamur* Ed. s. l. et a. — *si id in re videamus* Guelf. A. — *si id videamur* Guelf. B. nescio quomodo prob. Sch. Nam haec omnia e corruptelis orta esse vides. v. c.: *sed id velle videamur* Vet. ap. Steph. ([7]) = *sua causa fecisse* L. ([8]) — om. *his* Steph. L. ([9]) = *in alios odium* C1d. prob. Sch. et Klein. ([10]) Sic L. 1. 2. 3. ∞ *dimovere* Iu. ([11]) = *sunt tractanda* C1d. ([12]) — *aut bonis viris, aut iis, quos quisque minime laedere debuerit, aut rei publicae* L. — *id augeas, od. creatur: sin quod aut in bonos viros factum, aut in eos* cet. Pearcii suspic. *in eos, in quos* Steph. L. 1. 2. 3. — *in eos, quos* C3d. Guelf. Ed. s. l. et a. Iu. Crat. Man.)

acerbum odium, tamen aut invidia[1], aut odii non dissimilis offensio. 209. Item timor incutitur aut ex ipsorum periculis, aut ex communibus. Interior est ille proprius: sed hic quoque communis ad eandem similitudinem est perducendus. LII. Par atque una ratio est spei, laetitiae, molestiae: sed haud sciam, an acerrimus longe sit omnium motus invidiae, nec minus virium opus sit[2] in ea comprimenda, quam in excitanda. Invident autem homines maxime paribus, aut inferioribus, quum se relictos[3] sentiunt, illos autem dolent evolasse: sed etiam superioribus invidetur saepe vehementer, et eo magis, si intolerantius se iactant, et aequabilitatem communis iuris[4], praestantia dignitatis aut fortunae suae transeunt. Quae si inflammanda sunt, maxime dicendum est, non esse virtute parta; deinde etiam vitiis atque peccatis: tum, si erunt honestiora atque graviora, tamen non esse tanti[5] ulla merita, quanta insolentia hominis, quantumque fastidium. 210. Ad sedandum autem, magno illa labore, magnis periculis esse parta, nec ad suum commodum, sed ad aliorum esse collata, seseque[6], si quam gloriam peperisse videatur, tametsi[7] ea non sit iniqua[8] merces periculi, tamen ea non delectari, totamque abiicere atque deponere: omninoque perficiendum est, (quoniam plerique sunt invidi, maximeque est hoc commune vitium, et pervagatum[9]: invidetur autem praestanti florentique fortunae;[10]) ut haec opinio minuatur, et, illa excellens opinione fortuna cum laboribus et miseriis permixta[11] esse videatur. 211. Iam[12] misericordia movetur, si is, qui audit, adduci potest, ut illa, quae de altero deplorentur, ad suas res revocet, quas aut tulerit acerbas, aut timeat; aut intuens alium, crebro ad se ipsum[13] revertatur. Ita quum singuli casus humanarum miseriarum graviter accipiuntur, si dicuntur dolenter, tum afflicta et prostrata virtus maxime luctuosa est; et, ut illa altera pars orationis, quae probitatis commendatione, boni viri debet speciem tueri, lenis (ut saepe iam dixi) atque summissa; sic haec, quae suscipitur ab oratore ad commutandos animos atque omni ratione flectendos, intenta ac vehemens esse debet. LIII. 212. Sed est quaedam in his duobus generibus, quorum alterum lene, alterum vehemens esse volumus[14], difficilis ad distinguendum similitudo. Nam ex[15] illa lenitate, qua conciliamur iis, qui audiunt, ad hanc vim acerrimam, qua eosdem excitamus, influat oportet aliquid, et ex hac vi nonnunquam animi aliquid inflamman-

---

(1) Sic C2d. Muell. 3. ∞ *invidiae* Iu. Man. Ern. 1. (— *attamen aut invidiae* L.) — *iracundia* Sch. €. 2. (2) — om. *sit* C1d. (3) — *quum relictos* Ern. 1. errore typogr. (4) ∞ *communis* quod praebent Iu. Crat. Victor. Man. Steph. Grut. om. Cdd. aliq. Lamb. Ern. 1. 2. 3. Recte defendunt Nagel *Act. Traiect.* 5, 4, p. 265. et Censor Ienens. (5) Sic pleriq. Iu. Crat. Man. Grut. Sch. 2. 3. ∞ *tanta* C1d. Steph. L. Ern. 1. (6) — om. *seseque* L. (— omisso *seseque* Steph.: *quae suam gl. p. videantur.*) (7) Sic Iu. — L. Pearc. = *tamen etsi* Cdd. aliq. Gronov. 1692. sed hoc Sallustianum. — *etsi* Ern. 1. 2. 3. Inutili €.: saepe enim in tali quoque vicinia Cicero habet: *tametsi — tamen.* (8) — *aequa* Iu. Crat. (9) Sic Cdd. Regii Le Clerquii. Iu. — L. 1. 2. 3. — *perpetuum* Grut. e Cdd. aliq. — *maximeque est hoc vitium pervagatum*, om. v. *commune* Edd. aliq. vett. (10) Haec *invidetur - - fortunae* sine causa [ ] Ern. 1. (11) e Cdd. Muell. 3. = *permista* Iu. — L. 1. 2. (12) — *At* Steph. L. (13) — *ad se ipse* Pearcii suspic. (14) — *debet* pro *volumus* L. solus. (15) ∞ *et ex* L.

dum est [illi lenitati][1]: neque est ulla temperatior oratio, quam illa, in qua asperitas contentionis oratoris ipsius humanitate conditur; remissio autem lenitatis quadam gravitate et contentione firmatur. 213. In utroque autem genere dicendi, et illo, in quo vis atque contentio quaeritur, et hoc, quod ad vitam et mores accommodatur, et principia tarda sunt[2], et exitus tamen[3] spissi et producti esse debent. Nam neque assiliendum statim est ad illud genus[4] orationis: abest enim totum a causa, et homines prius ipsum illud[5], quod proprium sui iudicii est, audire desiderant: nec, quum in eam rationem ingressus sis, celeriter discedendum est. 214. Non enim, sicut argumentum, simul atque positum est, arripitur, alterumque et tertium poscitur, ita misericordiam, aut invidiam, aut iracundiam, simul atque intuleris[6], possis commovere. Argumentum enim ratio ipsa confirmat, † quae simul atque emissa est[7], adhaeresceit: illud autem genus orationis non cognitionem iudicis, sed magis perturbationem requirit, quam consequi, nisi multa, et varia, et copiosa oratione, et simili contentione actionis, nemo potest. 215. Quare qui aut breviter, aut summisse dicunt, docere iudicem possunt, commovere non possunt; in quo sunt omnia. Iam illud perspicuum est, omnium rerum in contrarias partes facultatem ex iisdem suppeditari[8] locis. Sed argumento resistendum est, aut iis, quae comprobandi eius causa sumuntur, reprehendendis, aut demonstrando, id, quod concludere illi velint, non effici ex propositis[9], nec esse consequens: aut, si ita non refellas, afferendum est in contrariam partem, quod sit aut gravius, aut aeque grave. 216. Illa autem, quae aut conciliationis causa leniter, aut permotionis vehementer aguntur, contrariis commotionibus † inferenda[10] sunt, ut odio benevolentia, misericordia[11] invidia tollatur.

([1]) Sic Cdd. aliq. Grut. Ern. 1. (qui tamen [ ] *inflammandum est*, sine [ ] *illi lenitati*) — *influendum* Cdd. pleriq. Edd. vett. Iu. Crat. Man. — *infundendum* L. ∞ *inflandum* Melanchthonis, ut videtur, €. habet iam margo Crat. Tum prob. Gulielmio Sch. 2. 3. Sed neque hoc placere potest. Mihi rectum videtur: *inflammandum est*, ut supra §. 209. et *Orat.* 28. sed expungendum, (utpote ortum ex interpolatione ad corruptum illud *influendum*) *illi lenitati*, quod ego [ ]. Simile plane glossema habes *Lib.* 1, 37, 170. *illi arti.* ([2]) Sic Cdd. Edd. vett. Iu. — L. 1. 2. — om. *sunt* Pearc. €. prob. Sch. in Ed. mai. Muell. 3. ([3]) — *item* Lamb. suspicio non recepta. Sed vulgata sic explicanda: *et principia tarda sunt* sua natura, et, quamvis hoc necessitate quadam ita se habeat, nihilominus *exitus* quoque *producti esse debent*, neque hac in re festinare paucisque defungi licet. ([4]) = *genus illud* L. ([5]) — *illud ipsum* L. ([6]) — *impuleris* Sch. €. 2. (*intuleris* scil. in orationem tuam, quod Sch. non intelligebat.) ([7]) Haec corrupta. ∞ *cui simul atque emissum est*, *adhaeresceit* ingeniosa Wyttenbachii €. recepta a Sch. 2. 3. Fortasse suffecerit emendare: *quae simul*, *atque emissum est*, *adhaeresceit.* (— *quod s. atque emissum* Schelleri suspicio.) ([8]) — *suppeditare* C2d. ([9]) ∞ *positis* Cod. Memmian. L. ([10]) Sic corrupte Iu. — L. Ern. 1. — *offerenda* O1x. apud Gronov. ∞ *efferenda* Cdd. aliq. Sch. 2. Muell. 3. dubitans tamen; nam neque de huius verbi sensu hic constat. — *auferenda* Strebaeus legisse videtur Schuetzio. Equidem nihil eiusmodi vidi neque in textu, neque in commentario Strebaei. — *evertenda* Heusing. suspic. ∞ *infirmanda* Walkeri €. prob. Ern. Sch. recepta a Wetzelio. ∞ *inserenda* Matthiae *Misc. Crit.* 1, 4. p. 682. ([11]) Sic Crat. Man. Grut. 1. 2. 3. ∞ *ut misericordia* Cdd. aliq. Iu. L. Mox = *suavis est autem* Muell. €. 3.

LIV. Suavis autem est, et vehementer saepe utilis iocus, et facetiae: quae, etiamsi alia omnia tradi arte possunt, naturae sunt propria certe, neque ullam artem desiderant. In quibus tu longe aliis, mea sententia, Caesar, excellis: quo magis mihi etiam testis esse potes, aut nullam esse artem salis, aut, si qua est, eam nos tu potissimum docebis. 217. Ego vero, inquit Caesar, omni de re facetius [1] puto posse ab homine non inurbano, quam de ipsis facetiis, disputari. Itaque quum quosdam Graecos inscriptos libros esse vidissem de ridiculis, nonnullam [2] in spem veneram, posse me aliquid ex istis discere. Inveni autem ridicula et salsa [3] multa Graecorum: nam et Siculi in eo genere, et Rhodii, et Byzantii, et praeter ceteros, Attici excellunt: sed qui eius rei rationem quandam conati sunt artemque tradere, sic insulsi exstiterunt, ut nihil aliud eorum, nisi ipsa insulsitas, rideatur. 218. Quare mihi quidem nullo [4] videtur modo [5] doctrinâ ista res posse tradi. Etenim quum duo genera sint [6] facetiarum, alterum aequabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum et breve: illa a veteribus superior cavillatio, haec altera dicacitas nominata est. Leve nomen habet utraque res! quippe; leve [7] enim est totum hoc, risum movere. 219. Verumtamen (ut dicis, Antoni) multum in causis persaepe lepore et facetiis profici vidi. Sed quum in illo genere perpetuae festivitatis ars non desideretur: natura enim fingit homines et creat imitatores et narratores facetos, et vultu adiuvante [8], et voce, et ipso genere sermonis: tum vero in hoc altero dicacitatis, quid habet ars loci, quum ante illud factum [9] dictum emissum haerere debeat, quam cogitari potuisse videatur? 220. Quid enim hic meus frater ab arte adiuvari potuit, quum a Philippo interrogatus, quid latraret, *Furem se videre* respondit? Quid in omni oratione Crassus vel apud centumviros contra Scaevolam, vel contra accusatorem Brutum, quum pro Cn. Planco diceret? Nam id, quod tu mihi tribuis, Antoni, Crasso est, omnium sententia, concedendum. Non enim fere quisquam reperietur, praeter hunc, in utroque genere leporis excellens, et illo, quod [10] in perpetuitate sermonis, et hoc, quod [11] in celeritate atque dicto est. 221. Nam haec perpetua contra Scaevolam Curiana defensio, tota redundavit hilaritate quadam et ioco; dicta illa brevia non habuit. Parcebat enim adversarii dignitati: in quo ipso [12] servabat suam; quod est hominibus facetis et dicacibus difficillimum, habere hominum rationem et temporum, et ea, quae occurrant, quum salsissime dici possint, tenere. Itaque nonnulli ridiculi homines hoc ipsum non insulse interpretantur. 222. Dicere enim aiunt Ennium, *flammam a sapiente facilius ore*

([1]) — *facilius* Cdd. aliq. prob. Grut. ([2]) — *non ullam* Ern. suspic. ([3]) — *falsa* L. Pro errore typogr. habuissem, nisi sic Vet. Steph. ([4]) Sic Cdd. aliq. Iu. Crat. L. Sch. 2. 3. — *mihi nullo* Man. Grut. Ern. 1. ([5]) = *videtur nullo modo* L. ([6]) = *sint genera* L. ([7]) Sic distinguunt Iu. Man. L. Sch. 2. 3. — *quippe leve* Grut. Ern. 1. (— *quippe* om. Crat.) ([8]) ∞ *adiuvante et vultu* e Cdd. aliq. Sch. 2. Mihi videtur esse correctio. ([9]) Sic Man. Grut. 1. 2. 3. ∞ *facete* Cdd. aliq. Iu. Crat. L. Ernestio videbatur correctio. ([10]) Sic Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. ∞ *qui* utrobique Cdd. aliq. Grut. ([11]) Sic Iu. — L. 1. 2. 3. ([12]) — *ipse* e Cdd. Pearc. Ern. 1. prob. Le Clerquio.

in ardente opprimi, quam bona dicta teneat: haec scilicet bona [1] quae salsa sint. Nam ea dicta appellantur proprio iam nomine. LV. Sed ut in Scaevola [2] continuit ea Crassus, atque illo altero genere, in quo nulli aculei contumeliarum inerant, causam illam disputationemque lusit [3]; sic in Bruto [4], quem oderat, et quem dignum contumelia iudicabat, utroque genere pugnavit. 223. Quam multa de balneis, quas nuper ille vendiderat, quam multa de amisso patrimonio dixit? atque illa brevia; quum ille diceret, *se sine causa sudare: Minime mirum,* inquit [5], *modo enim existi de balneis.* Innumerabilia huiusce modi fuerunt, sed non minus iucunda illa [6] perpetua. Quum enim Brutus duos lectores excitasset, et alteri de colonia Narbonensi Crassi orationem legendam dedisset, alteri de lege Servilia, et quum contraria inter sese de re publica capita contulisset; noster hic facetissime tres patris Bruti de iure civili libellos tribus legendos dedit. 224. Ex libro primo: FORTE EVENIT [7], VT IN PRIVERNATI ESSEMVS [8]. *Brute, testificatur pater, se tibi Privernatem fundum reliquisse.* Deinde ex libro secundo: IN ALBANO ERAMVS EGO, ET MARCVS FILIVS. *Sapiens videlicet homo cum primis nostrae civitatis norat hunc gurgitem; metuebat, ne, quum is nihil haberet, nihil esse ei relictum putaretur.* Tum ex libro tertio, in quo finem scribendi fecit, (tot enim, ut audivi Scaevolam dicere, sunt veri Bruti libri) IN TIBVRTI FORTE ASSEDIMVS EGO, ET MARCVS FILIVS. *Ubi sunt ii fundi, Brute, quos tibi pater publicis commentariis consignatos reliquit? Quod nisi puberem te,* inquit, *iam haberet, quartum librum composuisset, et se etiam in balneis locutum* [9] *cum filio, scriptum reliquisset.* 225. Quis est igitur, qui non fateatur, hoc lepore, atque his facetiis non minus refutatum esse Brutum, quam illis tragoediis, quas egit idem, quum casu in eadem causa funere [10] efferretur anus Iunia. Pro dii immortales, quae fuit illa, quanta vis! quam inexspectata! quam repentina! quum, coniectis oculis, gestu omni imminenti [11], summa gravitate et celeritate verborum, *Brute, quid sedes? quid illam anum patri nuntiare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid* [12] *maioribus tuis? quid L. Bruto, qui hunc populum*

---

(1) — *bona dicta* L. (2) Sic Cdd. aliq. L. Sch. 2. 3. — *in Scaevolam* Iu. Crat. Man. Ern. 1. (*continuit* est ex Aldi correctione. — *conticuit* Edd. vett.) (3) — *elusit* L. (4) — *Brutum* Man. solus. (5) *mirum, inquit* Utrumque hoc voc. om. Cdd. aliq. Alii turbant. — *mirum* om. censebat Pearc. Heusing. (qui volebat: *Minime. Existi de b.*) Si quid mutandum, Ernestio *minime* potius delendum videbatur. (6) Sic Cdd. aliq. L. Ern. 1. 2. 3. — *illa iucunda* Iu. Crat. Man. Grut. (7) cfr. Orat. *pro Cluentio* C. 51. ubi quaedam variant. (8) — *ego et Marcus* (s. *Brutus*) *filius* addend. arbitrabatur Cens. Ienens. (9) Sic Iu. Crat. Victor. Man. Steph. L. Muell. 3. ∞ *lotum* Cdd. aliq. Ed. s. l. et a. Margo Crat. Ern. 1. 2. quod, etsi primo intuitu mordacius videtur, homini Romano mera obscoenitas videri debebat. (10) Sic Cdd. L. Ern. 1. 2. 3. — *cum funere* Iu. Crat. ∞ omittunt *cum funere* C5d. et Man. cui non sine causa glossematis speciem prae se ferre videbatur. (11) — *gestu omni et vultu imminenti* Ed. s. l. et a. Omnib. Margo Crat. (12) ∞ *vides, maioribus* Sch. E. 2. 3. Sed intelliguntur ceteri Bruti maiores praeter eos, quorum imagines ducebantur.

dominatu regio liberavit? quid te facere[1] *? cui rei, cui gloriae, cui virtuti studere? Patrimonione augendo? At id non est nobilitatis.* 226. *Sed fac esse, nihil superest; libidines totum dissipaverunt. An iuri civili? Est paternum. Sed dicet, te, quum aedes venderes, ne in rutis quidem et caesis solium tibi paternum recepisse. An rei militari? Qui nunquam castra videris? An eloquentiae? Quae nulla est in te: et quidquid est vocis ac linguae, omne in istum turpissimum calumniae quaestum contulisti! Tu lucem aspicere audes? tu hos intueri? tu in foro, tu in urbe, tu in civium esse conspectu? tu illam mortuam, tu imagines ipsas*[2] *non perhorrescis? quibus non modo imitandis, sed ne collocandis quidem tibi ullum locum*[3] *reliquisti.* LVI. 227. Sed haec tragica atque divina: faceta autem et urbana innumerabilia ex[4] una concione[5] meministis. Nec enim contentio[6] maior unquam fuit, nec apud populum gravior oratio, quam huius contra collegam in censura nuper, neque lepore et festivitate conditior. Quare tibi, Antoni, utrumque assentior, et multum facetias in dicendo prodesse saepe, et eas arte nullo modo posse tradi. Illud quidem[7] admiror, te nobis in eo genere tribuisse tantum, et non huius rei quoque palmam, ut ceterarum, Crasso detulisse. 228. Tum Antonius, Ego vero ita fecissem, inquit, nisi interdum in hoc, Crasso paullum[8] inviderem. Nam esse quamvis[9] facetum atque salsum, non nimis est per se ipsum invidendum: sed, quum omnium sis[10] venustissimus et urbanissimus, omnium gravissimum et severissimum et esse, et videri, quod isti contigit uni, id mihi vix ferendum videbatur. 229. Hic quum arrisisset ipse Crassus[11], Attamen, inquit Antonius, quum artem esse facetiarum, Iuli[12], negares, aperuisti quiddam, quod praecipiendum videretur. Haberi enim dixisti rationem oportere hominum, rei, temporis, ne quid iocus de gravitate decerperet; quod quidem in primis a Crasso observari solet. Sed hoc praeceptum praetermittendarum[13] est facetiarum, quum[14] his nihil opus sit. Nos autem quomodo utamur, quum opus sit, quaerimus: ut in adversarium, et[15] maxime, si eius stultitia poterit agitari, in testem

---

(1) ∞ *agere* Cd. Guelf. A. et Reg. 7703. lectio admodum memorabilis. (2) — *istas* Sch. €. 2. Sed gradatio ista hic omnino locum suum tuetur. (3) = *locum ullum* Cld. prob. Sch. (4) — *etiam ex* L. cuius lectionis vestigia sunt in Vet. Steph. (5) Sic Cdd. pleriq. Iu. — L. Sch. 2. 3. — *contentione* Cdd. aliq. Pearc. Ern. 1. (6) e Sch. €. 2. 3. — *concio* Cdd. Iu. — L. Ern. 1. (7) Sic Cdd. aliq. Steph. L. 1. 2. 3. — *et illud quidem* Iu. Crat. Man. Grut. (8) ∞ *paullulum* Cdd. aliq. Man. L. (9) — *quemvis* Pearc. (10) Sic Cdd. pleriq. Iu. — L. Ern. 1. — *sit* Cdd. aliq. Pearc. Sch. 2. 3. Hic tamen generalis sententia videtur praeferenda, quae per tertiam personam, quam necessario ad unum Crassum referre debeas, h. l. non, ut alibi, ubi nulla est ambiguitas, efferri potest. (11) Sic Man. L. Ern. 1. f haberque bonum hunc sensum: „Crassus ipse laudes suas in aemuli et amici festiva invidia agnoscens, non potuit non arridere", et sic plane *Lib.* 3, 12, 46. *Hic quum arrisisset ipse Sulpicius.* ∞ *Hic quum arrisisset Crassus* Cdd. aliq. Iu. Crat. Sch. 2. ∞ *Hic quum arrisisset ipse et Crassus* Muell. €. 3. (12) — *ullam* pro *Iuli* Margo Crat. (13) ex Heinzii €. prob. Heusing. Sch. 2. 3. — *praetermittendum* Cdd. omnes. Iu. — L. Ern. 1. (14) — *quod* Man. (15) suspectum *et* Ernestio sine causa.

stultum, cupidum, levem, si facile homines audituri videbuntur. 230. Omnino probabiliora sunt, quae lacessiti dicimus, quam quae priores. Nam et ingenii celeritas maior est, quae apparet in respondendo, et humanitatis est responsio. Videmur enim quieturi fuisse, nisi essemus lacessiti, ut in ista ipsa concione nihil fere dictum est ab hoc, quod quidem facetius dictum videretur, quod non provocatus responderit. Erat autem tanta gravitas in Domitio, tanta auctoritas, ut, quod esset ab eo obiectum, lepore magis elevandum, quam contentione frangendum videretur. LVII. 231. Tum Sulpicius, Quid igitur? inquit, patiemur, Caesarem, qui quamquam Crasso facetias concedit, tamen multo in eo studio magis ipse elaborat [1], non explicare nobis totum [2] genus hoc iocandi, quale sit, et unde ducatur [3]; praesertim quum tantam vim et utilitatem salis et urbanitatis esse fateatur [4]? Quid? si, inquit Iulius, assentior Antonio dicenti, nullam esse artem salis? 232. Hic quum Sulpicius reticuisset, Quasi vero, inquit Crassus, horum ipsorum, de quibus Antonius iamdiu [5] loquitur, ars ulla sit. Observatio quaedam est, ut ipse dixit, earum rerum, quae in dicendo valent: quae si eloquentes facere posset [6], quis esset non eloquens? Quis enim haec non vel facile [7], vel certe aliquo modo posset edisserere? Sed ego in his praeceptis hanc vim et hanc utilitatem esse arbitror, non ut ad reperiendum, quid dicamus, arte ducamur, sed ut ea, quae natura, quae studio, quae exercitatione consequimur, aut recta esse confidamus, aut prava intelligamus, quum, quo referenda sint, didicerimus. 233. Quare, Caesar, ego quoque a te hoc peto, ut, si tibi videtur, disputes, de hoc toto iocandi genere quid sentias, ne qua forte dicendi pars, quoniam ita voluistis, in hoc tali coetu, atque in tam accurato sermone praeterita esse videatur. Ego vero, inquit ille, quoniam collectam a conviva, Crasse, exigis, non committam, ut, si defugerim, tibi causam aliquam dem recusandi. Quamquam soleo saepe mirari eorum impudentiam, qui agunt in scena gestum, spectante [8] Roscio. Quis enim sese commovere potest, cuius ille vitia non videat? Sic ego nunc, Crasso audiente, primum [9] loquar de facetiis, et docebo sus (ut aiunt) oratorem [10] eum, quem quum Catulus nuper audisset, *foenum alios* aiebat *esse oportere*. 234. Tum ille, Iocabatur, inquit, Catulus, praesertim quum ita dicat ipse, ut ambrosia alendus esse videatur. Verum te, Caesar, audiamus, ut ad Antonii reliqua redeamus [11]. Et Antonius, Perpauca quidem mihi restant, inquit: sed tamen defessus iam labore atque itinere disputa-

---

([1]) ∞ *laborat* Cdd. aliq. prob. Bremio *de Finib.* p. 20. (— *elaboravit* Ern. suspic.) ([2]) Sic Cdd. aliq. L. Pearc. 1. 2. 3. = *totum nobis* Iu. Man. Grut. ([3]) Sic L. Grut. 1. 2. 3. ∞ *deducatur* Cdd. aliq. Iu. Crat. Man. sed vide §. 248. ([4]) Sic Cdd. aliq. Steph. L. Pearc. 1. 2. 3. — *fateamur* Iu. Crat. Man. Grut. ([5]) Sic Cdd. aliq. Steph. L. 1. 2. 3. — *tamdiu* Iu. Crat. Man. Grut. ([6]) Sic Iu. Crat. L. 1. 2. 3. — *possit* Cdd. aliq. Grut. ([7]) e Cdd. Pearc. 1. 2. 3. — *vel non facile* Iu. Crat. Man. Grut. ([8]) ∞ *inspectante* Cdd. aliq. (Vet. ap. Steph.) Nizol. ([9]) — *audiente praesertim* (vel: *potissimum*) *loquar* Sch. suspic. ([10]) — *sus*, *ut aiunt*, *Minervam*, *oratorem* Sch. E. 2. improbantibus Goerenzio *de Finib.* 3, 4, 16. et Muell. ([11]) — *ut Antonii reliqua videamus* Guelf. A. C2d. Regii apud Le Clerc.

tionis meae[1] requiescam in Caesaris sermone, quasi in aliquo peropportuno deversorio. LVIII. Atqui, inquit Iulius, non nimis[2] liberale hospitium meum dices. Nam te in viam, simulac perpaullulum gustaris, extrudam et eiiciam.

235. Ac, ne diutius vos demorer, de omni isto genere, quid sentiam, perbreviter exponam. De risu quinque sunt, quae quaerantur: unum, quid sit: alterum, unde sit: tertium, sitne oratoris, velle risum movere: quartum, quatenus: quintum, quae sint genera ridiculi. Atque illud primum, quid sit ipse risus, quo pacto concitetur, ubi sit, quomodo exsistat, atque ita repente erumpat, ut eum cupientes tenere, nequeamus[3], et quomodo simul latera, os, venas, vultum, oculos occupet, viderit Democritus. Neque enim ad hunc sermonem hoc pertinet: et, si pertineret, nescire me tamen id non puderet, quod ne ipsi quidem illi[4] scirent, qui pollicerentur. 236. Locus autem, et regio quasi[5] ridiculi (nam id proxime quaeritur) turpitudine et deformitate quadam continetur. Haec enim ridentur vel sola, vel maxime, quae notant et designant turpitudinem aliquam non turpiter. Est autem, ut ad illud tertium veniam, est[6] plane oratoris movere risum; vel quod ipsa hilaritas benevolentiam conciliat ei, per quem excitata est: vel quod admirantur omnes acumen, uno saepe in verbo positum, maxime respondentis, nonnunquam etiam lacessentis; vel quod frangit adversarium, quod impedit, quod elevat, quod deterret, quod refutat: vel quod ipsum oratorem, politum esse hominem significat, quod eruditum, quod urbanum, maximeque quod tristitiam ac severitatem mitigat, et relaxat, odiosasque res saepe, quas argumentis dilui non facile est, ioco risuque dissolvit. 237. Quatenus autem sint ridicula tractanda oratori, perquam diligenter videndum est, id[7] quod in quarto loco quaerendi posueramus. Nam nec insignis improbitas, et scelere iuncta, nec rursus miseria insignis agitata ridetur. Facinorosos enim maiore[8] quadam vi, quam ridiculi, vulnerari volunt: miseros illudi nolunt, nisi si se[9] forte iactant. Parcendum est autem maxime caritati hominum, ne temere in eos dicas, qui diliguntur. LIX. 238. Haec igitur adhibenda est primum in iocando moderatio. Itaque ea facillime luduntur, quae neque odio magno, neque misericordia maxima digna sunt. Quamobrem materies omnis[10] ridiculorum est in istis vitiis, quae sunt in vita hominum neque carorum, neque calamitosorum, neque eorum, qui ob facinus ad supplicium rapiendi videntur; eaque belle agitata ridentur. 239. Est etiam deformitatis, et corporis vitiorum satis bella materies ad iocandum: sed quaerimus idem, quod in ceteris rebus maxime quaerendum est, quatenus. In quo non modo illud[11] praecipitur, ne quid

(1) Sic Cdd. Regii, et al. Iu. Crat. L. Muell. 3. Le Clerc. — om. *meae* Man. Grut. Ern. 1. 2. (2) Sic Cdd. Steph. L. Grut. 1. 2. 3. — *nimium* Iu. Crat. Man. (3) — *ut vix eum cupientes teneamus* Guelf. A. (4) = *ne ipsi illi quidem* Idem. (5) ∞ *quasi regio* Cd. Erlang. Pearc. (6) — om. hoc *est* Steph. (7) — om. *id* Steph. L. (8) Sic Cdd. multi, etiam Regii ap. Le Clerc. Iu. Crat. L. Pearc. Muell. 3. — *facinorosos maiore* Man. Grut. Ern. 1. 2. (9) — *nisi se* Cdd. aliq. (10) ∞ *omnium* Ed. s. l. et a. prob. Muell. (11) — *non illud* Cdd. aliq.

insulse: sed etiam, si quid perridicule possis, vitandum est oratori utrumque [1], ne aut scurrilis iocus sit, aut mimicus. Quae cuiusmodi sint, facilius iam intelligemus, quum ad ipsa ridiculorum genera venerimus [2].

240. Duo enim sunt genera facetiarum, quorum alterum re tractatur, alterum dicto. Re, si quando quid, tamquam aliqua fabella, narratur, ut olim tu, Crasse, in Memmium, *comedisse eum lacertum Largii*, quum esset cum eo Tarracinae [3] de amicula rixatus. Salsa, attamen a te ipso ficta tota [4] narratio [5]. Addidisti clausulam, tota Tarracina [6] tum omnibus in parietibus inscriptas fuisse literas LLL, MM [7]. Quum quaereres, id quid esset, senem tibi quendam oppidanum dixisse, *Lacerat lacertum Largi* [8] *mordax Memmius*. 241. Perspicitis, hoc genus [9] quam sit facetum, quam elegans, quam oratorium, sive habeas, vere quod [10] narrare possis, quod tamen est mendaciunculis [11] adspergendum, sive fingas. Est autem [12] haec huius generis virtus, ut ita facta demonstres [13], ut mores eius, de quo narres, ut sermo, ut vultus omnes exprimantur, ut iis, qui audiunt, tum geri illa fierique videantur. 242. In re inest [14] item ridiculum, quod ex quadam depravata imitatione sumi solet, ut idem Crassus: *Per tuam nobilitatem, per vestram familiam*. Quid aliud fuit, in quo concio rideret, nisi illa vultus et vocis imitatio? *Per tuas statuas* vero quum dixit, et extento [15] brachio paullulum etiam de gestu addidit, vehementius risimus. Ex hoc genere est illa Rosciana imitatio senis: *Tibi ego, Antipho, has sero*, inquit. Senium est, quum audio [16]. Atque ita est totum hoc ipso genere ridiculum, ut cautissime tractandum sit. Mimorum est enim ethologorum [17], si nimia est imitatio, sicut obscoenitas. Orator surripiat oportet imitationem, ut is, qui audiat [18], cogitet plura, quam videat: praestet idem ingenuitatem et ruborem suum, verborum turpitudine et rerum obscoenitate [19] vitanda. LX. 243. Ergo haec [20] duo genera sunt eius ridiculi, quod in re positum est: quae sunt propria perpetuarum facetiarum, in quibus describuntur hominum mores, et ita effinguntur, ut aut, re narrata aliqua, quales sint [21], intelligantur: aut, imitatione brevi [22] iniecta, in aliquo insigni ad irridendum vitio reperiantur. 244. In dicto autem ridiculum est id, quod verbi, aut sententiae quodam acumine movetur.

([1]) Haec *vitandum* — *utrumque* de €. del. Sch. 2. Sed agnoscit iam Nonius v. *Scurrilis*. v. Muell. ([2]) Sic Man. L. Grut. 1. 2. 3. — *veniemus* Cdd. aliq. Margo Crat. ∞ *devenerimus* Iu. Crat. Victor. ([3]) = *Terracinae* L. v. Reichard *Orbis antiq.* ([4]) ∞ *salsa tota, ac tamen* L. ([5]) — *oratio* Grut. solus. ([6]) = *Terracina* L. ([7]) Sic Sch. €. 2. 3. — *literas, tria LLL, duo MM* Cdd. Iu. — L. Ern. 1. ([8]) Sic in marg. 1584. e Cdd. Sch. 2. 3. ut sit senarius. — *Largii* Iu. — L. Ern. 1. ([9]) = *genus hoc* L. ([10]) Male interpungunt Man. Ern. al. — *sive habeas vere, quod.* ([11]) Sic Iu. Victor. Man. L. 1. 2. 3. ∞ *mendaciolis* Crat. (— *mendaculis* Ed. s. l. et a.) ([12]) — *enim* Ed. s. l. et a. ([13]) — *ut facta demonstrentur*, omisso *ita* L. ([14]) Sic Steph. L. — *est* Iu. Crat. Man. Grut. 1. 2. 3. ([15]) — *extenso* Steph. ([16]) *Senium — audio* inclinatis literis Ern. Male. ([17]) ∞ *et ethologorum* hic et infra Guelf. A. Vet. ap. Steph. ([18]) ∞ *audiet* Cdd. aliq. ([19]) ∞ *rerum turpitudine et verborum obscoenitate* ingeniosa Wyttenbachii €. recepta a Sch. 2. 3. cfr. *de Offic.* 1, 29. ([20]) = *Haec ergo* L. ([21]) Sic iam L. Ern. €. 1. 2. 3. — *sunt* Iu. Crat. Man. ([22]) Sic margo Crat. Man. Grut. Ern. 1. 2. 3. ∞ *breviter* Iu. Crat. Steph. L.

Sed ut in illo superiore genere vel narrationis, vel imitationis, vitanda est mimorum ethologorum similitudo; sic in hoc scurrilis[1] oratori dicacitas[2] magno opere fugienda est. Qui igitur distinguemus a Crasso, a Catulo, a ceteris familiarem vestrum[3], Granium, aut Vargulam, amicum meum? Non mehercule in mentem mihi quidem venit: sunt enim dicaces; Granio quidem nemo dicacior. Hoc, opinor, primum, ne, quotiescunque potuerit dictum dici, necesse habeamus dicere. 245. Pusillus testis processit. *Licet*, inquit, *rogare*? Philippus. Tum quaesitor properans, *Modo breviter*. Hic ille, *Non accusabis. Perpusillum rogabo.* Ridicule. Sed[4] sedebat iudex L. Aurifex, brevior ipse, quam testis[5]: omnis est risus in iudicem conversus; visum est totum scurrile ridiculum[6]. Ergo haec, quae cadere possunt in quos nolis, quamvis sint bella, sunt tamen ipso genere scurrilia. 246. Ut iste, qui se vult dicacem, et mehercule est, Appius, sed nonnunquam in hoc vitium scurrile[7] delabitur. *Coenabo*, inquit, *apud te*, huic lusco, familiari meo, C. Sextio, *uni enim locum esse video.* Est hoc scurrile, et quod[8] sine causa lacessivit: et tamen id dixit, quod in omnes luscos conveniret. Ea, quia meditata putantur esse, minus ridentur. Illud egregium Sextii, et ex tempore, *Manus lava*, inq[illegible], *et coena.* 247. Temporis igitur ratio, et ipsius dicacitatis moderatio et temperantia, et raritas dictorum, distinguet oratorem a scurra: et, quod nos cum causa dicimus, non ut ridiculi videamur, sed ut proficiamus aliquid, id illi[9] totum diem, et sine causa. Quid enim est Vargula assecutus, quum cum candidatus A. Sempronius cum Marco suo[10] fratre, complexus esset: *Puer abige muscas*? Risum quaesivit, qui est, mea sententia, vel tenuissimus ingenii fructus. Tempus igitur dicendi, prudentia et gravitate moderabimur: quarum utinam artem aliquam haberemus! sed domina natura est.

LXI. 248. Nunc exponamus genera ipsa summatim, quae risum maxime moveant. Haec igitur sit prima partitio, quod facete dicatur, id alias in re haberi, alias in verbo: facetiis[11] autem maxime homines delectari, si quando risus coniuncte, re verboque, moveatur. Sed hoc mementote, quoscunque locos attingam, unde ridicula ducantur, ex iisdem locis[12] fere etiam graves sententias posse duci. Tantum interest, quod gravitas honestis in rebus severe, iocus in turpiculis et quasi deformibus ponitur, velut in[13] iisdem verbis et

---

(1) — *in hoc scurrili* Pearc. €. (2) = *dicacitas oratori* L. (3) — *nostrum* Vet. ap. Steph. L. (4) ∞ om. *sed* L. (5) e C1d. Sch. 2. 3. ∞ *brevior etiam, quam testis ipse* ex Edd. vett. Ern. 1. ∞ *brevior etiam, quam ipse testis* Iu. — L. Grut. — *brevior, quam ipse testis* C2d. (6) Sic Cdd. aliq. L. Lallem. Sch. 2. 3. — *iudicium* Iu. Man. Grut. Ern. 1. sed hic cum [ ]. (7) ∞ del. *scurrile* Sch. €. 2. 3. (8) ∞ *quod et* L. (9) Sic Ed. s. l. et a. Sch. 2. 3. ∞ *aliquid, illi* Iu. — L. Ern. 1. (10) *suo* suspectum Ernestio. (11) Sic Ern. 1. Muell. 3. ex Edd. vett. (etiam O1x. habet *facetiis*) — *id alias in re habere, alias in verbo facetias: maxime* Ald. Iu. L. Grut. — *id alias in re haberi, alias in verbo: maxime* Sch. €. 2. (12) *locis* suspect. Ern. (13) ∞ *in* om. Vet. apud Steph. L. Sch. 2. 3. Retinui cum Iu. Man. Grut. Ern. 1. maxime propter v. *iocari.*

laudare frugi servum possumus, et, si est nequam, iocari. Ridiculum est illud Neronianum [1] vetus in furace servo, *Solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum, nec occlusum:* quod idem in bono servo dici solet. Sed [2] hoc iisdem etiam verbis. 249. Ex iisdem autem locis omnia nascuntur [3]. Nam [4] quod Sp. Carvilio graviter claudicanti ex vulnere ob rem publicam accepto, et ob eam causam verecundanti in publicum prodire, mater dixit, *Quin prodis, mi Spuri? ut, quotiescunque gradum facies* [5], *toties tibi tuarum virtutum veniat in mentem:* praeclarum et grave est: quod Calvino Glaucia claudicanti, *Ubi est vetus illud: num claudicat* [6]? *At hic clodicat* [7]*:* hoc [8] ridiculum est: et utrumque ex eo, quod in claudicatione animadverti potuit, est ductum. *Quid hoc Naevio ignavius?* severe Scipio: at in male olentem, *Video me a te circumveniri* [9], subridicule Philippus. At utrumque genus continet verbi ad literam immutati similitudo. 250. Ex ambiguo dicta, vel argutissima putantur, sed non semper in ioco, saepe etiam in gravitate versantur. Africano illi maiori, coronam sibi in convivio ad caput accommodanti, quum ea saepius rumperetur, P. Licinius Varus, *Noli mirari,* inquit, *si non convenit; caput enim magnum est:* laudabile, et honestum. At ex eodem genere est: *Calvus satis est; quod dicit parum* [10]. Ne multa: nullum genus est ioci, quo non ex eodem severa et gravia sumantur. 251. Atque hoc etiam animadvertendum, non esse omnia ridicula facета. Quid enim potest esse tam ridiculum, quam Sannio est? Sed ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique corpore ridetur ipso [11]. Salsum hunc possum dicere, atque ita [12], non ut eiusmodi oratorem esse velim, sed ut mimum. LXII. Quare primum genus hoc, quod risum vel maxime movet, non est nostrum: morosum, superstitiosum, suspiciosum, gloriosum, stultum; naturae

---

([1]) — *Naevianum* Cod. Turnebi. Margo Crat. Sed v. Quintil. 6, 3, 50. ([2]) Sic Iu. Crat. Ern. 1. 2. 3. — *et hoc* Man. L. ([3]) Sic Iu. — L. Ern. 1. 3. = *nasc. omnia* C1d. ∞ *omnia* suspectum Ern. — *alia nasc.* Sch. €. 2. fort. *contraria.* ([4]) ∞ *Nemque quod* Steph. L. ([5]) ∞ *ut, quotiescunque gradum facias* Cdd. aliq. Iu. Crat. L. — *ut, qu. gr. facies* Victor. Man. *ut* omissum video in Ed. 1584. Grut. nescio qua auctoritate; tum ap. Ern. 1. 2. 3. — *veniet* Orx. ([6]) *num claudicas?* nusquam omnino vidi, nisi primum ap. Grut. sine adnotatione et ortum videtur ex errore typogr. Habent e Grut. Ern. 1. 2. 3. Restitui omnium Cdd. et Edd. Iu. — L. 1566. et 1584. Gothofr. Harless. lectionem *num claudicat?* (— *non claudicat?* C1d. quod sine interrog. placebat Heusing.) ([7]) — *claudicat* L. Pearc. ([8]) ∞ *hoc* habent Cdd. omnes. Iu. — L. Grut. ∞ del. Ern. €. 1. 2. 3. ([9]) ∞ *Video me a te non conveniri, sed circumveniri* e Strebaei coniectura Steph. L. prob. Pearc. Heusing. ([10]) Incerta huius dicti interpunctio. *Calvus satis est: quod dicit parum.* L. Ern. 1. 3. *Calvus satis est; quod dicit, parum* Man. Sch. 2. ∞ *Calvus, satis est, quod dicit parum.* al. id est *satis est,* hoc quoque nimium est, quod *Calvus dicit parum,* paucioribus, quam pro re ipsa opus esset, verbis. — *Calvus satis est quod dicit. Parumne multa?* Iu. Crat. Camer. Ed. 1584. E Strebaeo suo (non meo Paris. 1560. 4.) Schuetzius laudat: *At ex eodem genere est illud Calvi: satis est, quod dicit. Parumne multa?* Sed Strebaeus in textu habet ut Iu. Crat. Camer. In commentario explicat, non emendat: „Ex ambiguo est illud Calvi" cet. Liber antiq. Cameratii: *At ex eodem genere est Calvus: satis est quod didicit parum.* ([11]) Sic Cdd. pleriq. Iu. Crat. Man. Grut. = *corpore ipso ridetur* L. — *ipso corp. rid.* e Cdd. Edd. vett. Ern. 1. 2. 3. ([12]) — *at ita* Ern. suspic.

ridentur ipsae: quas personas agitare solemus, non sustinere: 252. alterum genus est imitatio; admodum[1] ridiculum, sed nobis tantum licet furtim, si quando, et cursim; aliter enim minime est liberale[2] tertium, oris depravatio, non digna nobis: quartum, obscoenitas, non solum non foro digna, sed vix convivio liberorum[3]. Detractis igitur tot rebus ex hoc oratorio loco[4], facetiae reliquae sunt, quae aut in re, ut ante divisi, positae videntur esse, aut in verbo. Nam quod, quibuscunque verbis dixeris, facetum tamen est, re continetur: quod mutatis verbis salem amittit, in verbis habet leporem omnem.

253. Ambigua sunt in primis acuta, atque in verbo posita, non in re: sed non saepe magnum risum movent: magis[5] ut belle et literate dicta laudantur: ut illud in Titium[6]; qui[7], quum studiose pila luderet, et idem signa sacra[8] noctu frangere putaretur, gregalesque, quum in campum non venisset[9], requirerent, excusavit Vespa Terentius, quod eum *brachium fregisse* diceret: ut illud Africani, quod est apud Lucilium:

Quid? Decius, Nuculam an confixum vis facere? inquit.

254. Ut tuus amicus, Crasse, Granius, *non esse sextantis*. Et, si quaeritis, is, qui appellatur dicax, hoc genere maxime excellet[10]: sed risus movent alia maiores. Ambiguum per se ipsum probatur id quidem, ut ante dixi, vel maxime; ingeniosi enim videtur, vim verbi in aliud, atque ceteri accipiant, posse ducere: sed admirationem magis, quam risum movet, nisi si quando incidit in aliud[11] genus ridiculi. LXIII. 255. Quae genera percurram equidem: sed scitis esse notissimum ridiculi genus, quum aliud exspectamus, aliud dicitur. Hic nobismet ipsis noster error risum movet. Quod si admixtum est etiam ambiguum, fit salsius: ut apud Naevium[12] videtur esse misericors ille, qui iudicatum duci videns, percontatur[13] ita, *Quanti addictus? Mille nummûm.* Si addidisset tantummodo, *Ducas licet*; esset illud genus ridiculi praeter exspectationem: sed quia addidit, *Nihil*[14] *addo, ducas licet*: addito ambiguo, altero genere ridiculi, fuit, ut mihi quidem videtur, salsissimum[15]. Hoc tum est venustissimum, quum in altercatione arripitur ab adversario verbum, et ex eo, ut a Catulo in Philippum, in eum ipsum aliquid, qui lacessivit, infligitur. 256. Sed quum plura sint ambigui genera, de quibus est doctrina quaedam sub-

---

([1]) e Sch. €. 2. 3. — *imitatione admodum* Cdd. Iu. — L. Ern. 1. ([2]) Sic Man. Pearc. Ern. 1. 2. 3. — *alterum minime est liberale* Iu. — L. Grut. ([3]) suspectum *liberorum* Ern. — *Lupercorum* Schelleri €. v. Beier *Offic.* T. 2. p. 383. ([4]) Sic Iu. L. 1566. Ern. 1. 2. 3. — *ioco* Cdd. aliq. etiam Regii duo. Lambino tribuitur in marg. 1584. ([5]) — *magisque* L. ([6]) Sic Man. Sch. 2. 3. ∞ *in illum Titium* Iu. — L. Ern. 1. ([7]) Sic Cdd. Iu. — L. Grut. Muell. 3. — *quem* Ern. €. 1. 2. ([8]) suspect. *sacra* Ern. ([9]) Sic Cdd. Margo Crat. Ern. 1. 2. 3. — *eum, quum in c. non venisset* L. — *cur* (omisso *eum*) *in campum non venisset* Man. — *eum in campum non venisse* C2d. Ald. Iu. Crat. Grut. ([10]) e Cdd. Ern. 1. 2. 3. — *excellit* Iu. — L. Grut. ([11]) — *in aliud quoque* Steph. L. ([12]) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. ∞ *Novium* e Schneideri €. Sch. 2. 3. Cfr. C. 69. 70. ([13]) Sic Ed. s. l. et a. Man. L. Sch. 2. 3. — *videt, percontatur* Iu. Crat. — *videt, percunctatus* ex I. F. Gronovii €. Iac. Gronov. Ern. 1: ([14]) — *Nil* Sch. 2. solus. ([15]) ex Ern. €. 1. 2. 3. — *salsissimus* Iu. L. Grut.

tilior; attendere et aucupari verba oportebit: in quo[1], ut ea, quae sint frigidiora, vitemus, (etenim cavendum est, ne arcessitum dictum putetur) permulta tamen acute dicemus. Alterum genus est, quod habet parvam verbi immutationem, quod in litera positum Graeci vocant παρονομασίαν, ut *Nobiliorem*, *mobiliorem* Cato: aut, ut idem, quum cuidam dixisset, *Eamus deambulatum:* et ille, *Quid opus fuit de? Immo vero*, inquit, *quid opus fuit te?* aut eiusdem responsio illa, *Si tu et adversus, et aversus impudicus es.* 257. Etiam interpretatio nominis habet acumen, quum ad ridiculum convertas, quamobrem ita quis vocetur; ut ego nuper, Numinium divisorem, ut Neoptolemum ad Troiam, sic illum in campo Martio nomen invenisse. LXIV. Atque haec omnia verbo continentur. Saepe etiam versus facete interponitur, vel ut est, vel paullulum immutatus; aut aliqua pars versus, ut Statius Scauro[2] stomachanti: (ex quo sunt nonnulli, qui tuam legem de civitate natam, Crasse, dicant;)

St, tacete, quid hoc clamoris? queis[3] *nec mater, nec pater,*
Tanta confidentia? auferte[4] *istam enim*[5] *superbiam.*

Nam in Caelio sane etiam ad causam utile fuit tuum illud, Antoni, quum ille a se pecuniam profectam[6] diceret testis, et haberet filium delicatiorem, abeunte iam illo,

Sentin' senem esse tactum triginta minis?

258. In hoc genus coniiciuntur proverbia: ut illud Scipionis, quum Asellus omnes provincias stipendia merentem se peragrasse gloriaretur, *Agas asellum*, et cetera. Quare ea quoque, quoniam mutatis verbis non possunt retinere eandem venustatem, non in re, sed in verbis posita ducantur[7]. 259. Est etiam in verbo positum non insulsum genus, ex eo, quum ad verbum, non ad sententiam rem accipere videare: ex quo uno genere totus est Tutor, mimus vetus, oppido ridiculus. Sed abeo a mimis: tantum genus huius ridiculi insigni aliqua et nota re notari volo. Est autem ex hoc genere illud, quod tu, Crasse, nuper ei, qui te rogasset, num[8] tibi molestus esset futurus, si ad te bene ante lucem[9] venisset: *Tu vero*, inquisti, *molestus non eris. Iubebis igitur te*, inquit, *suscitari?* et tu, *Certe negaram*[10] *te molestum futurum.* 260. Ex eodem hoc vetus illud est, quod aiunt Maluginensem illum M. Scipionem[11], quum ex centuria sua renuntiaret Acidinum consulem, praecoque dixisset: *Dic de L.*

([1]) Sic Ald. Iu. L. 1. 2. 3. ∞ *in quibus* Edd. vett. apud Ern. — *in quibus est* Otx. ([2]) ∞ *Seius Scauro* Edd. vett. apud Ern. — *Scaurus Statio* Sch. suspic. ([3]) e Sch. €. 2. 3. — *quibus* Cdd. Iu. — L. Ern. 1. — *quibus mater nec pater sit* Otx. Ed. s. l. et a. (— *sit* in fine versus add. etiam Iu. Man. Steph. Primus expunxisse videtur L.) ([4]) e Sch. €. 2. 3. — *confid. estis? Auferte* Cdd. Iu. — L. Ern. 1. ([5]) — *nunc* Steph. ([6]) = *pec. a se profectam* L. ([7]) — *putantur* Muell. suspic. ([8]) Sic Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. — *non* e Turnebi €. Grut. ([9]) — *bene mane ante lucem* Ern. suspic. — *bene mane* deletis v. *ante lucem* Gulielm. Sed quum *ante lucem* unius adverbii vice fungatur, non minus recte *bene ante lucem* dici potest, quam *bene mane.* ([10]) e Cdd. Pearc. Ern. 1. 2. 3. — *negaras* Cdd. pleriq. Iu. — L. Grut. ([11]) Post *M. Scipionem* excidisse v. *dixisse*, vel cum Turnebo mox *inquisse* leg. suspic. Sch. Neutro est opus.

Manlio! Virum bonum, inquit, *egregiumque civem esse arbitror.* Ridicule etiam illud L. [Porcius] Nasica censori Catoni[1], quum ille, *Ex tui animi*[2] *sententia tu uxorem habes? Non hercule*, inquit, *ex animi mei*[3] *sententia.* Haec aut frigida sunt, aut tum salsa, quum aliud est exspectatum. Natura enim nos (ut ante dixi) noster delectat error: ex quo, quum quasi decepti sumus exspectatione[4], ridemus. LXV. 261. In verbis etiam illa sunt, quae aut ex immutata oratione ducuntur, aut ex unius verbi translatione, aut ex inversione verborum. Ex immutatione; ut olim Rusca quum legem ferret annalem, dissuasor M. Servilius, *Dic mihi*, inquit, *M. Pinari, num, si contra te dixero, mihi male dicturus es, ut ceteris fecisti? Ut sementem feceris, ita metes*[5], inquit. 262. Ex translatione autem, ut, quum Scipio ille maior Corinthiis statuam pollicentibus eo loco, ubi aliorum essent imperatorum, *turmales* dixit *displicere.* Invertuntur autem verba, ut, Crassus apud M. Perpernam iudicem pro Aculeone quum diceret, aderat contra Aculeonem Gratidiano L. Aclius[6] Lamia, deformis, ut nostis: qui quum interpellaret odiose: *Audiamus*, inquit, *pulcellum puerum*, Crassus. Quum esset arrisum, *Non potui mihi*, inquit Lamia, *formam ipse fingere: ingenium potui.* Tum hic, *Audiamus*, inquit, *disertum.* Multo etiam arrisum est vehementius. Sunt etiam illa venusta, ut in gravibus sententiis, sic in facetiis. Dixi enim dudum, materiam aliam esse ioci, aliam severitatis: gravium autem, et iocorum unam esse rationem[7]. 263. Ornant igitur in primis orationem verba relata contrarie: quod idem genus saepe est etiam[8] facetum; ut, Servius ille Galba quum iudices L. Scribonio[9] tribuno plebis ferret familiares suos, et dixisset Libo, *Quando tandem, Galba, de triclinio tuo exibis? Quum tu*, inquit, *de cubiculo alieno.* A quo genere ne illud quidem plurimum[10] distat, quod Glaucia Metello, *Villam in Tiburte habes, cortem*[11] *in Palatio.*

LXVI. 264. Ac verborum quidem genera quae essent facета, dixisse me puto: rerum plura sunt, eaque magis (ut dixi ante) ridentur: in quibus est narratio; res sane difficilis. Exprimenda enim sunt, et ponenda ante oculos ea, quae[12] videantur esse[13] veri similia, quod est proprium narrationis, et quae sint, quod ridiculi proprium est, subturpia: cuius exemplum, ut brevissimum[14], sit sane illud, quod

(1) Hoc corruptum, sed omnes mutationes quum nimis sint incertae, sufficiet uncis inclusisse *Porcius.* — *L. Nasica censori Porcio Catoni* vel: *Censori Porcio Catoni L. Nasica* Ern. suspic. — *P. Nasica censori Porcio Catoni* Wetzel. — *P. Nasica censori Catoni* Muell. C. 3. — *Rid. etiam illud, quod Nasica censori Catoni* Sch. C. 2. (2) — *Ut tu ex animi tui* Sch. C. 2. e Gellio *Noct. Att.* 4, 20. v. Beier ad *Offic.* T. 2. p. 387. (3) Hoc ordine Cdd. Iu. Crat. L. Sch. 2. — *ex mei animi* primus pro arbitrio suo videtur dedisse Grut. Ern. 1. 3. — *ex animi tui* Camer. Man. Ed. 1584. (4) ∞ *exspectatione rei* Steph. L. non male. (5) ∞ *ita et metes* L. (6) Sic Man. Ern. 1. 2. 3. — *Helvius* Iu. Crat. L. Grut. (7) ∞ *rationem alium - - - - unam esse materiam* Sch. 2. 3. C. satis ingeniosa. cfr. C. 61. (8) = *est saepe etiam* L. (9) ∞ *L. Scribonio Liboni* L. (10) suspectum *plurimum* Ern. (11) — *cohortem* Steph. L. (12) — *ea, et quae* L. (13) ex Edd. vett. Crat. Ern. 1. 2. 3. — *et* pro *esse* Iu. Man. — utrumque *et* et *esse* om. L. (14) ∞ *ut breves simus* Man. Muell. 3. Sed praestaret, ut opinor, *ut brevis sim*, nisi optimo iure brevissimae narrationis exemplum dici posset id quod h. l. significatur.

ante posui, Crassi de Memmio. Et ad hoc genus adscribamus etiam narrationes apologorum. 265. Trahitur etiam aliquid ex historia, ut, quum Sex. Titius se Cassandram esse diceret, *Multos*[1], inquit Antonius, *possum tuos Aiaces Oileos*[2] *nominare.* Est etiam ex similitudine: quae aut collationem habet, aut tamquam[3] imaginem. Collationem: ut ille Gallus olim testis in Pisonem, quum innumerabilem Magio praefecto pecuniam dixisset datam, idque Scaurus tenuitate Magii redargueret: *Erras*, inquit, *Scaure; ego enim Magium non conservasse dico, sed, tamquam nudus nuces*[4] *legeret, in ventre*[5] *abstulisse:* ut ° ille[6] M. Cicero senex, huius viri optimi, nostri familiaris, pater, *nostros homines similes esse Syrorum venalium: ut quisque optime Graece sciret, ita esse nequissimum.* 266. Valde autem ridentur etiam imagines, quae fere in deformitatem, aut in aliquod vitium corporis ducuntur cum similitudine turpioris: ut meum illud in Helvium[7] Manciam, *Iam ostendam, cuiusmodi sis:* quum ille, *Ostende, quaeso;* demonstravi digito pictum Gallum in Mariano[8] scuto Cimbrico, sub Novis[9], distortum, cicca lingua, buccis fluentibus: risus est commotus: nihil tam Manciae simile visum est: ut quum ° Tito Pinario[10], mentum in dicendo intorquenti, *Tum ut diceret, si quid vellet, si nucem fregisset.* 267. Etiam illa, quae minuendi, aut augendi causa ad incredibilem admirationem efferuntur: velut tu, Crasse, in concione, *ita sibi ipsum magnum videri Memmium, ut in forum descendens caput ad fornicem Fabii demitteret.* Ex quo genere etiam illud est, quod Scipio apud Numantiam, quum stomacharetur cum C. Metello, dixisse dicitur, *Si quintum pareret mater eius, asinum fuisse parituram.* 268. Arguta etiam significatio est, quum parva re, et saepe verbo res obscura et latens illustratur: ut, quum C. Fabricio P. Cornelius, homo, ut existimabatur, avarus et furax, sed egregie fortis, et bonus imperator, gratias ageret, quod se homo inimicus consulem fecisset, bello praesertim magno[11] et gravi; *Nihil est, quod*[12] *mihi gratias agas*, inquit, *si malui compilari, quam venire:* ut Asello Africanus, obiicienti lustrum illud infelix, *Noli*, inquit, *mirari: is enim, qui te ex aerariis exemit, lustrum condidit, et taurum immolavit.* ° Tacita[13] suspicio est, ut religione civitatem obstrinxisse videatur Mummius, quod Asellum ignominia levarit.

LXVII. 269. Urbana etiam dissimulatio est, quum alia dicuntur, ac sentias, non illo genere, de quo ante dixi, quum contraria dicas,

---

(1) — *et multos* Sch. suspic. (2) — *Oileos* del. censet Sch. (3) — *aliquam* Censoris Ienens. €. (4) — *nucleos e nuce* adscripsit nescio quis margini Lamb. meae. (5) ex Ed. vet. Ern. 1. 2. 3. ∞ *ventrem* Cdd. pleriq. Iu. L. Grut. (6) ex Ern. €. 1. 2. 3. — *illud* Iu. Crat. Man. — om. *illud* L. (7) Sic Quintil. 6, 3, 38. Ursin. Pearc. 1. 2. 3. — *Helmium* Iu. L. Grut. (8) ∞ *Manliano* Pighii €. (9) Sic Man. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *nodis* Iu. Crat. L. In marg. 1584. *Novis* tribuitur Lambino. — *pictum Gallum in scuto, sub Novis* volebat Censor Ienensis. cfr. Plin. *H. N.* 35, 4. 8. Quintil. l. l. ibiq. Spalding. (10) ex Ursini €. Ern. 1. 2. 3. — *Testio Penario* Iu. Grut. — *Testio Panario* L. — *Sestio Penario* Man. ∞ *testi Pinario* bona Pearcii €. (11) — *et magno* L. (12) — Sic iam Lamb. Rursus e Cld. Ed. vet. Sch. 2. 3. — *quo* Iu. Crat. Man. Grut. Ern. 1. (13) e Sch. €. 2. 3. — *Tanta* Cdd. Iu. — L. Ern. 1. Sed non sine veritatis specie haec omnia *Tanta — levarit* suspecta erant Ern.

ut Lamiae Crassus, sed quum toto genere orationis severe ludas, quum aliter sentias, ac loquare: ut noster Scaevola Septumuleio[1] illi Anagnino, cui pro C. Gracchi capite erat aurum repensum, roganti, ut se in Asiam praefectum duceret, *Quid tibi vis*, inquit, *insane? tanta malorum est multitudo civium. ut tibi ego hoc confirmem, si Romae manseris, te paucis annis ad maximas pecunias esse venturum.* 270. In hoc genere Fannius in annalibus suis Africanum hunc Aemilianum dicit fuisse[2], et eum Graeco verbo appellat εἴρωνα: sed, uti ferunt, qui melius haec norunt, Socratem opinor in hac ironia dissimulantiaque longe lepore et humanitate omnibus praestitisse. Genus est perelegans, et cum gravitate salsum, quumque[3] oratoriis dictionibus, tum urbanis sermonibus accommodatum. 271. Et hercule omnia haec, quae a me de facetiis disputantur, non maiora forensium actionum, quam omnium sermonum condimenta sunt. Nam quod apud Catonem est, qui multa retulit, ex quibus a me exempli causa multa ponuntur, per mihi scitum videtur, C. Publicium solitum dicere, *P.*[4] *Mummium cuivis tempori*[5] *hominem esse.* Sic profecto res se habet, nullum ut sit vitae tempus, in quo non deceat leporem humanitatemque versari. 272. Sed redeo ad cetera. Est huic finitimum dissimulationi, quum honesto verbo vitiosa res appellatur: ut quum Africanus censor tribu movebat eum centurionem, qui in Paulli pugna non affuerat, quum ille se custodiae causa[6] diceret in castris remansisse, quaereretque cur ab eo notaretur; *Non amo*, inquit, *nimium diligentes.* 273. Acutum etiam illud est, quum[7] ex alterius oratione aliud excipias, atque ille vult; ut Salinatori Maximus, quum, Tarento amisso, arcem tamen Livius retinuisset, multaque ex ea proelia praeclara fecisset, quum aliquot post annos Maximus id oppidum recepisset, rogaretque eum Salinator, ut meminisset, opera sua se Tarentum recepisse; *Quidni*, inquit, *meminerim? nunquam ego*[8] *recepissem, nisi tu perdidisses*[9]. 274. Sunt etiam illa subabsurda, sed eo ipso nomine saepe ridicula, non solum mimis perapposita, sed etiam quodammodo nobis:

Homo fatuus,
Postquam rem habere coepit, est emortuus[10].
et *Quid est tibi*
Ista mulier? Uxor. Similis medius fidius. et[11]
Quamdiu ad aquas fuit, nunquam est emortuus[12].

LXVIII. Genus hoc levius, et, ut dixi, mimicum; sed habet nonnunquam aliquid etiam apud nos loci[13], ut vel non stultus[14] quasi

---

(1) = *Septimuleio* L. (2) ∞ *cluisse* de Iacobsii C. Sch. in Ed. mai. (3) — *tumque* Sch. C. 2. (4) ∞ *Sp.* L. (5) — *quidvis temporis* Cld. Lambini — *cuiusvis temporis* Nescio cuius C. ap. Lamb. (6) ∞ *causa* om. Olx. ut voluerat Lipsius — *custodem diceret* Cld. Lambini. (7) — *et quum* Muell. suspic. (8) Sic Cdd. pleriq. Ed. s. l. et a. Iu. Crat. Man. L. ∞ *enim* (— *enim et* Olx.) Grut. Ern. 1. 2. 3. (9) ∞ *amisisses* Ed. s. l. et a. ut est *de Senect.* C. 4. (10) e Turnebi C. L. Sch. 2. 3. — *mortuus* Cdd. Iu. Man. Grut. Ern. 1. (11) *et* ante *Quid est* habet iam L. tum rursus Sch. C. 2. 3. — om. *et* Iu. Man. Grut. Ern. 1. Sed Iu. Crat. Camer. Man. omittunt *et* etiam ante *Quamdiu.* (12) Sic L. Sch. 2. 3. — *mortuus* Cdd. Iu. Man. Grut. Ern. 1. (13) — *loci* Olx. Ed. s. l. et a. (14) Sic Iu. — L. Grut. Sch. 2. 3. — *vel stultus* Ern. 1. errore typogr.

stulte cum sale dicat aliquid: ut tibi, Antoni, Mancia, quum audisset te censorem a M. Duronio de ambitu postulatum, *Aliquando*, inquit, *tibi tuum negotium agere licebit.* 275. Valde haec ridentur, et hercule omnia, quae a prudentibus, quasi per dissimulationem non intelligendi[1], subabsurde salseque dicuntur. Ex quo genere est etiam, non videri intelligere quod intelligas, ut Pontidius, *Qualem existimas, qui in adulterio deprehenditur? — Tardum:* ut ego, qui in delectu, Metello, quum excusationem oculorum a me non acciperet, et dixisset, *Tu igitur nihil vides?* 276. *Ego vero*, inquam, *a porta Esquilina video villam tuam:* ut illud Nasicae, qui quum ad poëtam Ennium venisset, eique ab ostio quaerenti, Ennium, ancilla dixisset, domi non esse; Nasica sensit, illam domini iussu dixisse, et illum intus esse. Paucis post diebus quum ad Nasicam venisset Ennius, et eum a ianua quaereret, exclamat Nasica, se domi non esse. Tum Ennius, *Quid? ego non cognosco vocem*, inquit, *tuam?* Hic Nasica, *Homo es impudens. Ego quum te quaererem, ancillae tuae credidi, te domi non esse, tu mihi non credis ipsi?*

277. Est bellum illud quoque, ex quo[2] is, qui dixit, irridetur in eo ipso genere, quo[3] dixit: ut, quum Q. Opimius consularis, qui adolescentulus male audisset, festivo homini Egilio, qui videretur[4] mollior, nec esset, dixisset, *Quid tu, Egilia*[5] *mea? quando ad me venis cum tua cohi et lana? — Non pol*, inquit, *audeo. Nam me ad famosas vetuit mater accedere.* LXIX. 278. Salsa sunt etiam, quae habent suspicionem ridiculi absconditam, quo in genere est illud Siculi, cui, quum familiaris quidam quereretur, quod diceret, uxorem suam suspendisse se de ficu, *Amabo te*, inquit, *da mihi ex*[6] *ista arbore, quos seram*[7] *surculos.* In eodem genere est, quod Catulus dixit cuidam oratori malo: qui quum in epilogo misericordiam se movisse putaret, postquam assedit, rogavit hunc, videreturne misericordiam movisse: *Ac magnam quidem*, inquit, *neminem enim puto esse tam durum, cui non oratio tua miseranda visa sit.* 279. Me quidem hercule etiam illa valde[8] movent stomachosa, et quasi submorosa ridicula, non quum[9] a moroso dicuntur: tum enim non sal, sed natura ridetur. In quo, ut mihi videtur, persalsum illud est apud Naevium[10]:

Quid ploras pater? —
Mirum ni cantem. Condemnatus sum.

---

(1) ∞ del. *non intellig.* Sch. 2. 3. de Ern. sententia. *non* [ ] Ern. — *per simulationem non intelligendi* C1d. prob. Pearc. (2) — *quum* Pearcii suspic. (3) ex Edd. vett. (Pearc. €.) Ern. 1. 2. 3. — *quod* Ald. Iu. — L. Grut. (4) ∞ *videretur esse m.* Steph. L. (5) — *tu Decilia* ap. Nonium v. *colus.* sed in Merceri Edit. p. 198. de Lipsii €. rescriptum est: *tud Egilia*, quasi versiculus esset, quemadmodum vulgatum excudebant etiam Iu. Crat. Man. L. In seqq. Lamb. dedit: *cum tua colu et lana venis?* Suspic. non tamen edidit *nam ad famosas*, dedit denique *mater vetuit*, ut scil. versus extunderet. Sed Nonius v. *famosus* p. 305. Merc. vulgatum ordinem tuetur, neque omnino haec pro versiculis haberi debent. Non est enim argumentum fictum e mimo petitum, sed ἀποφθεγμα verum. (6) ∞ *de ista* L. (7) — *inseram* Man. €. non recepta. — *feram* Burmanni €. (8) e C2d, Sch. 2. 3. = *illa etiam valde* L. — *hercule valde illa movent* Iu. Man. Grut. Ern. 1. (9) Sic Cdd. Iu. — L. Grut. Muell. 3. prob. Sch. in Ed. mai. — *quum non* Ern. €. 1. 2. (10) Sic Iu. — L. Ern. 1. ∞ *Novium* multi Cdd. apud Le Clerc. Olx. Sch. 2. 3.

Huic generi quasi contrarium est ridiculi genus patientis ac lenti, ut, quum Cato percussus esset ab eo, qui arcam ferebat, quum ille diceret, *Cave:* rogavit, *numquid aliud ferret praeter arcam?* 280. Etiam stultitiae salsa reprehensio, ut ille Siculus, cui praetor Scipio patronum causae dabat hospitem suum, hominem nobilem, sed admodum stultum: *Quaeso*, inquit, *praetor, adversario meo da istum patronum, deinde mihi neminem dederis.* Movent illa etiam, quae coniectura explanantur longe aliter, atque sunt, sed acute, atque concinne: ut, quum Scaurus accusaret Rutilium ambitus, quum ipse consul esset factus, ille repulsam tulisset, et in eius tabulis ostenderet literas, A. F. P. R. idque diceret esse, ACTVM FIDE P. RVTILII; Rutilius autem, ANTE FACTVM, POST RELATVM; C. Canius[1], eques Romanus, quum Rufo adesset, exclamat, neutrum illis literis declarari. *Quid ergo?* inquit Scaurus; *Aemilius fecit, plectitur Rutilius.* LXX. 281. Ridentur etiam discrepantia: *Quid huic abest, nisi res et virtus?* Bella etiam est familiaris reprehensio, quasi errantis: ut quum obiurgavit Albucius[2] Granium[3], quod, quum eius tabulis quiddam ab Albucio[4] probatum videretur, [et[5]] valde absoluto Scaevola gauderet, neque intelligeret, contra suas tabulas esse iudicatum[6]. 282. Huic similis est etiam admonitio in consilio dando familiaris, ut, quum patrono malo, quum[7] vocem in dicendo obtudisset, suadebat Granius, ut mulsum frigidum biberet, simulac domum redisset: *Perdam*, inquit, *vocem, si id fecero: Melius est*[8], inquit, *quam reum.* 283. Bellum etiam est, quum, quid[9] cuique sit consentaneum, dicitur: ut, quum Scaurus nonnullam haberet invidiam ex eo, quod Phrygionis Pompeii, locupletis hominis, bona sine testamento possederat, sederetque advocatus reo Bestiae, quum funus quoddam duceretur, accusator C. Memmius, *Vide*, inquit, *Scaure, mortuus rapitur, si potes esse possessor.* 284. Sed ex his omnibus nihil magis ridetur, quam quod est praeter exspectationem: cuius innumerabilia sunt exempla, vel[10] Appii maioris illius, qui in senatu, quum ageretur[11] de agris publicis, et de lege Thoria, et premeretur Lucilius[12] ab iis, qui a pecore eius depasci agros publicos dicerent; *Non est*, inquit, *Lucilii pecus illud: erratis:* (defendere Lucilium videbatur) *ego liberum puto esse; qua lubet, pascitur.* 285. Placet etiam mihi illud Scipionis, illius, qui Ti. Gracchum perculit. Quum ei M. Flaccus multis probris obiectis P. Mucium iudicem tulisset, *Eiero*[13], inquit: *iniquus est.* Quum esset

---

([1]) Sic Ern. 1. 2. 3. — *Cannius* Iu. — L. Grut. ([2]) Sic dedi e Sch. et Beieri ad *Offic.* T. 2. p. 98. E. — *Albius* Iu. L. Ern. 1. 2. 3. — *Albium* Vet. ap. Steph. — *Albucium* Man. ([3]) — *Granius* Vet. ap. Steph. Man. ([4]) Sic e Cdd. Steph. L. Sch. 2. 3. — om. *ab* Iu. Crat. Man. Grut. Ern. 1. ([5]) *et* ego [ ]. quo deleto locus difficilis persanatus videtur. Obiurgavit T. Albucius Granium praeconem, quod is absoluto Scaevola, ab Albucio repetundarum accusato, valde gauderet, quamvis eius (Granii) tabulis quiddam ab Albucio probatum videretur cet. ([6]) Post haec defectus signa posuit Ern. 1. 2. Recte sustulit ea Muell. 3. (*) ∞ *qui* L., ut rursus suspicatus est Sch. ([8]) *est* suspectum Beiero *Offic.* T. 1. p. 150. ([9]) ∞ *quod* L. ([10]) ∞ *velut* Pearcii C. ([11]) = *qui quum ageretur in Senatu* L. ([12]) Sic Man. L. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *Lucillus* Olx. Hinc — *Lucullus* hic et in seqq. Cdd. aliq. Iu. Crat. ([13]) — *eiuro* bis Vet. ap. Steph. L.

admurmuratum, *Ah*, inquit, *P. C. non ego mihi illum iniquum eiero, verum omnibus.* Ab hoc vero Crasso[1] nihil facetius. Quum[2] lacesisset testis Silus Pisonem, quod se in eum audisse dixisset: *Potest fieri*, inquit, *Sile, ut is, unde te audisse dicis, iratus dixerit.* Annuit Silus. *Potest etiam, ut tu non recte intellexeris.* Id quoque toto capite annuit, ut se Crasso daret. *Potest etiam fieri*, inquit, *ut omnino, quod te audisse dicis, nunquam audieris.* Hoc ita praeter exspectationem accidit, ut testem omnium risus obrueret. Huius generis est plenus Naevius[3]; et iocus est familiaris[4], *Sapiens si algebis, tremes*; et alia permulta. LXXI. 286. Saepe etiam facete concedas adversario id ipsum, quod tibi ille detrahit: ut C. Laelius, quum ei quidam malo genere natus diceret, indignum esse suis maioribus, *At hercule*, inquit, *tu tuis dignus.* Saepe etiam sententiose ridicula dicuntur: ut M. Cincius, quo die legem de donis et muneribus tulit, quum C. Cento prodiisset, et satis contumeliose, *Quid fers, Cinciole?* quaesisset: *Ut emas*, inquit, *Cai, si uti velis.* 287. Saepe etiam salse, quae fieri non possunt, optantur: ut M. Lepidus, quum, ceteris in campo[5] exercentibus, in herba ipse recubuisset, *Vellem hoc esset*, inquit, *laborare.* Salsum est etiam, quaerentibus et quasi percontantibus[6] lente respondere, quod nolent[7]: ut censor Lepidus, quum M. Antistio Pyrgensi equum ademisset, amicique quum[8] vociferarentur, et quaererent, quid ille patri suo responderet, cur ademptum sibi equum diceret, quum optimus colonus, parcissimus, modestissimus, frugalissimus esset; *Me istorum*, inquit, *nihil credere.* 288. Colliguntur a Graecis alia nonnulla, exsecrationes, admirationes, minationes. Sed haec ipsa[9] nimis[10] mihi videor multa in genera descripsisse. Nam illa, quae verbi ratione et vi continentur, certa fere ac definita sunt: quae plerumque, ut ante dixi, laudari magis, quam rideri solent, 289. Haec autem, quae sunt in re, et in ipsa sententia, partibus sunt innumerabilia, generibus pauca. Exspectationibus enim decipiendis, et naturis aliorum irridendis, ipsorum ridicule indicandis, et similitudine turpioris, et dissimulatione, et subabsurda dicendo, et stulta reprehendendo, risus moventur. Itaque imbuendus[11] est is, qui iocose vult dicere, quasi natura quadam apta ad haec genera, et moribus, ut ad cuiusque modi genus ridiculi vultus etiam accommodetur: qui quidem quo severior est, et tristior, ut in te, Crasse, hoc illa, quae[12] dicuntur, salsiora videri solent.

---

(1) *Ab hac parte, in hoc genere* explicavit Hottingerus. ∞ *At hoc vero Crassi* Schelleri C. improbata Hottingero, probata Muellero. ∞ *Hoc vero Crassi* L. (2) — *qui quum* L. (3) Sic Iu. — L. Ern. 1. ∞ *Novium* Olx. al. Sch. 2. 3. (4) Sic Iu. Crat. Man. Ern. 1. 2. 3. — *est locus, est familiaris* Cdd. Palat. pleriq. Olx. — *est iocus, est familiaris* Cld. — *est iocus, est familia* Turnebi Cd. — *est locus, est familia* L. ut ipsius Naeviani versiculi pars sit. At, qui hoc probat, legat: *Est focus, est familia.* Vulgata tamen optimum sensum praebet. (5) ∞ *se in campo* L. (6) Sic Iu. Sch. 2. 3. = *percunctantibus* L. Ern. 1. (7) Sic Ed. princ. ap. Ern. Sch. 2. — *nolint* Muell. 3. de Ern. suspic. — *nollent* Ald. Iu. L. Ern. 1. (8) ∞ del. *quum* L. Sch. 2. 3. prob. Ern. (— *amici quum voc.* Olx.) (9) + *Sed et haec ipsa* Steph. L. (10) — del. *nimis* Sch. 2. cum Cld. (11) ∞ *induendus* Sch C. 2. 3. ingeniose, sed sine necessitate. Mox Sch. suspic.: *quasi persona, natura.* (12) Sic Vet. ap. Steph. Man. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *illa quoque, quae* Iu. Crat. Steph. L.

290. Sed iam tu, Antoni, qui hoc[1] deversorio sermonis mei[2] libenter acquieturum te esse dixisti, tamquam in Pomptinum deverteris, neque amoenum, neque salubrem locum, censeo, ut satis diu te putes requiesse[3], et iter reliquum conficere pergas. Ego vero, atque hilare quidem a te acceptus, inquit, et quum doctior per te, tum etiam audacior factus sum ad iocandum. Non enim vereor, ne quis me in isto genere leviorem iam putet, quoniam quidem tu Fabricios mihi auctores, et Africanos, Maximos, Catones, Lepidos protulisti. 291. Sed habetis ea, quae voluistis ex me audire, de quibus quidem accuratius dicendum et cogitandum fuit. Nam cetera faciliora sunt, atque ex iis, quae iam dicta sunt, reliqua nascuntur omnia. LXXII. Ego enim quum ad causam sum aggressus, atque omnia cogitando, quoad facere potui, persecutus; quum et argumenta causae, et eos locos, quibus animi iudicum conciliantur, et illos, quibus permoventur, vidi atque cognovi: tum constituo, quid habeat quaeque causa boni, quid mali. Nulla enim fere res potest in dicendi disceptationem aut controversiam vocari, quae non habeat utrumque: sed, quantum habeat, id refert. 292. Mea autem ratio in dicendo haec esse solet, ut, boni quod habeat, id amplectar, exornem, exaggerem; ibi commorer, ibi habitem, ibi haeream: a malo autem vitioque causae ita recedam, non ut id me defugere[4] appareat, sed ut totum, bono illo ornando et augendo dissimulatum, ante obruatur[5]. Et, si causa est in argumentis; firmissima quaeque maxime tueor, sive plura sunt, sive aliquod unum: sin autem in conciliatione, aut in permotione causa est; ad eam me potissimum partem, quae maxime commovere animos hominum potest, confero. 293. Summa denique huius generis haec est, ut, si in refellendo adversario firmior esse oratio, quam in confirmandis nostris rebus, potest, omnia in illum conferam tela; sin nostra facilius probari, quam illa redargui possunt, abducere animos a contraria defensione, et ad nostram conor[6] traducere. 294. Duo denique illa, quae facillima videntur, quoniam quae difficiliora sunt, non possum, mihi pro meo iure sumo: unum, ut molesto aut difficili argumento aut loco nonnunquam omnino nihil respondeam. Quod forsitan aliquis iure irriserit. Quis enim est, qui id facere non possit? Sed tamen ego de mea nunc, non de aliorum facultate disputo, confiteorque me, si quae[7] premat res vehementius, ita cedere[8] solere, ut non modo non abiecto, sed ne reiecto quidem scuto fugere videar; sed[9] adhibere quandam in dicendo[10] speciem atque pompam, et pugnae similem fugam: consistere vero in meo praesidio sic, ut non fugiendi hostis, sed capiendi loci causa cessisse videar. 295. Alterum est illud, quod ego oratori maxime[11] cavendum, et providendum puto, quodque me sollicitare summe solet; non tam ut prosim causis, elaborare soleo, quam ut ne quid obsim: non quin enitendum sit in utroque; sed tamen multo est turpius[12] oratori, nocuisse videri causae, quam

(1) ∞ *in hoc* Sch. E. 2. 3. (2) Sic Man. Pearc. 1. 2. 3. — *tui* Iu. L. Grut. (3) = *requievisse* L. (4) — *refugere* Ern. suspic. (5) Sic C2d. ap. Sch. Regii ap. Le Clerc. qui probat, sicque iam dudum ediderant Steph. L. — om. *ante* Iu. Man. Grut. Ern. 1. 2. 3. (6) — *coner* L. Pearc. (7) = *si qua* L. (8) Sic Man. Steph. L. 1. 2. 3. ∞ *concedere* Iu. Crat. (9) — *et* Sch. E. 2. 3. (10) ∞ *cedendo* Sch. suspic. (11) = *maxime oratori* L. (12) = *turpius est* L.

non profuisse. LXXIII. Sed quid hoc loco vos inter vos, Catule? an haec, ut sunt contemnenda, contemnitis? Minime, inquit ille: sed Caesar de isto ipso quiddam velle dicere videbatur. Me vero lubente, inquit Antonius, dixerit, sive refellendi causa, sive quaerendi. 296. Tum Iulius, Ego mehercule, inquit, Antoni, semper is fui, qui de te, oratore, sic praedicarem, unum te in dicendo mihi videri tectissimum [1], propriumque hoc esse laudis tuae, nihil a te unquam esse dictum, quod obesset ei, pro quo diceres. Idque memoria teneo, quum mihi sermo cum hoc ipso Crasso, multis audientibus, esset de te institutus, Crassusque plurimis verbis eloquentiam laudaret tuam, dixisse me, cum ceteris tuis laudibus hanc esse vel maximam, quod non solum, quod opus esset, diceres, sed etiam, quod non opus esset, non diceres: 297. tum illum mihi [2] respondere [3] memini: cetera in te summe esse laudanda: illud vero improbi esse hominis et perfidiosi, dicere quod alienum esset, et noceret ei, pro quo quisque [4] diceret. Quare non sibi eum disertum, qui id non faceret, videri, sed improbum, qui faceret. Nunc, si tibi videtur, Antoni, demonstres velim, quare tu hoc ita magnum putes, nihil in causa mali facere, ut nihil tibi in oratore maius esse videatur. LXXIV. 298. Dicam equidem, Caesar, inquit, quid intelligam [5]: sed et tu, et vos omnes hoc, inquit, mementote, non me de perfecti oratoris divinitate quadam loqui, sed de exercitationis et consuetudinis meae mediocritate. Crassi quidem responsum, excellentis cuiusdam est ingenii ac singularis: cui quidem [6] portenti simile esse visum est, posse aliquem inveniri oratorem, qui aliquid mali faceret dicendo, obessetque ei, quem defenderet: 299. facit enim de se coniecturam; cuius tanta vis ingenii est, ut neminem, nisi consulto, putet, quod contra se ipsum sit, dicere: sed ego non de praestanti quadam et eximia, sed prope de vulgari et communi prudentia disputo: ut [7] apud Graecos fertur incredibili quadam magnitudine consilii atque ingenii Atheniensis ille fuisse Themistocles; ad quem quidam doctus homo atque in primis eruditus, accessisse dicitur, eique artem memoriae, quae tum primum proferebatur, pollicitus [8] esse, se traditurum: quum ille quaesisset, quidnam illa ars efficere posset, dixisse illum doctorem, ut omnia meminisset: et ei Themistoclem respondisse, gratius sibi illum esse facturum, si se oblivisci, quae vellet, quam si [9] meminisse docuisset. 300. Videsne, quae vis in homine acerrimi ingenii, quam potens et quanta mens fuerit? qui ita responderit, ut intelligere possemus [10], nihil ex illius animo, quod semel esset infusum, unquam effluere potuisse: quum quidem ei

---

(1) Sic Otx. Iu. L. Ern. 1. 2. 3. — *lectissimum* Edd. vett. — *rectissimum* Grut. (2) = *mihi illum* L. (3) — *respondisse* Ed. s. l. et a. (4) ∞ *quis* C2d. ap. Sch. Regii. L. Le Clerc. (5) — *quid intelligam* om. Vet. ap. Steph. L. (6) *quidem* Cdd. pleriq. (*quod* Duo ap. Steph.) Edd. vett. Muell. 3. ∞ *quiddam* Ald. Iu. — L. Ern. 1. 2. (7) ∞ *Ita* e Cd. Erlang. Sch. 2. — om. *ut* Pearc. cum C4d. (8) Sic Man. L. Ern. 1. 2. 3. — *pollicitum* Cdd. Iu. Crat. Grut. (Lambinus praeterea volebat, non tamen edidit: *dixisse ille doctor — Themistocles respondisse*; sine causa v. Ochsneri *Eclog. Cic.* p. 322.) (9) — *se* L. (10) — *possimus* Cens. Ien. C. Perverse, ut solent esse temporariae coniecturae in Diariis germanicis passim propositae.

fuerit optabilius[1], oblivisci posse potius[2], quod meminisse nollet, quam quod semel audisset vidissetve, meminisse. Sed neque, propter hoc Themistocli[3] responsum, memoriae nobis opera danda non est, neque illa mea cautio et timiditas in causis, propter praestantem prudentiam Crassi negligenda est[4]. Uterque enim istorum non mihi attulit aliquam, sed suam significavit facultatem. 301. Etenim permulta sunt in causis, in omni parte orationis circumspicienda, ne quid offendas, ne quo irruas. Saepe aliquis testis aut non laedit, aut minus laedit, nisi lacessatur: orat reus, urgent advocati, ut invehamur, ut male dicamus, denique ut interrogemus. Non moveor, non obtempero, non satisfacio; neque tamen ullam assequor laudem. Homines enim imperiti facilius, quod stulte dixeris, reprehendere, quam, quod sapienter tacueris, laudare possunt. 302. Hic quantum fit[5] mali, si iratum, si non stultum, si non levem testem laeseris! Habet enim et voluntatem nocendi in iracundia, et vim in ingenio, et pondus in vita; Nec, si hoc Crassus non committit, ideo non multi, et saepe committunt. Quo quidem mihi videri turpius nihil solet, quam quum ex oratoris dicto aliquo, aut responso, aut rogatu[6], sermo ille sequitur, *Occidit illum*[7]. *Adversariumne? Immo vero*, aiunt[8], *se, et eum, quem defendit.* LXXV. 303. Hoc Crassus non putat nisi perfidia accidere posse: ego autem saepissime video in causis aliquid mali facere homines minime malos. Quid? illud, quod supra dixi, solere me cedere, et, ut planius dicam, fugere ea, quae valde[9] causam meam premerent, quum id non faciunt alii, versanturque in hostium castris, ac sua praesidia dimittunt[10]; mediocriterne causis nocent, quum aut[11] adversariorum adiumenta confirmant, aut ea, quae sanare nequeunt, exulcerant? 304. Quid? quum personarum, quas defendunt, rationem non habent? si, quae sunt in his invidiosa, non mitigant extenuando, sed laudando et efferendo invidiosiora faciunt; quantum est in eo[12] tandem mali! Quid? si in homines caros, iudicibusque iucundos, sine ulla praemunitione orationis acerbius et contumeliosius invehare; nonne abs te iudices abalienes? 305. Quid? si, quae vitia, aut incommoda sunt in aliquo iudice uno, aut pluribus, ea tu, [in[13]] adversariis exprobrando, non intelligas, te in iudices invehi: mediocre peccatum est? Quid? si, quum pro altero dicas, litem tuam facias, aut laesus efferare iracundia, causam relinquas, nihilne noceas? In quo ego, non quo[14] libenter male audiam, sed quia [ego[15]] causam non libenter relinquo, nimium patiens et lentus existimor:

([1]) — *optabile* vel omitt. *potius* Lamb. suspic. ([2]) = *potius posse* L. ([3]) = *Themistoclis* Iu. — L. ([4]) — om. *est* Sch. 2. 3. non monito lectore. ([5]) sic Cdd. etiam Regii. Iu. — L. Ern. 1. — *sit* Ed. 1584. Grut. errore typogr.? Sch. 2. 3. ([6]) Sic Margo Crat. Ed. 1584. Grut. 1. 2. 3. ∞ *rogato* Iu. Crat. Camer. Victor. L. etsi *rogatum* substantive positum non agnoscit Forcellinus. ([7]) — om. *ille* Cdd. aliq. prob. Sch. ([8]) — *aiunt* del. censet Sch. ([9]) — *quae etiam valde* L. ([10]) — *omittunt* Ern. suspic. ([11]) — *aut quum* L. ([12]) Sic Iu. Crat. Man. L. Sch. 2. — *quantum in eo* Grut. non monito lectore: errore typogr.? Ern. 1. Muell. 3. ([13]) *in* del. censebat Ern. Sed deleverant Steph. L. Nos [ ]. ([14]) ∞ *quod* L. ([15]) ∞ om. *ego* Steph. L. Rursus cum Cdd. Sch. 2. 3. Nos [ ].

ut, quum te ipsum, Sulpici, obiurgabam, quod ministratorem[1] peteres, non adversarium. Ex quo etiam illud assequor, ut, si quis mihi maledicat, petulans, aut plane insanus esse videatur. 306. In ipsis autem argumentis si quid posueris aut aperte falsum, aut ei, quod dixeris, dicturusve sis, contrarium, aut genere ipso remotum ab usu iudiciorum ac foro, nihilne noceas? Quid multa? omnis cura mea solet in hoc versari semper, (dicam enim saepius,) si possim, ut boni aliquid efficiam dicendo: sin id minus, ut certe ne quid mali.

LXXVI. 307. Itaque nunc illuc redeo, Catule, in quo tu me paullo ante laudabas, ad ordinem collocationemque rerum ac locorum. Cuius ratio est duplex: altera, quam affert natura causarum: altera, quae oratorum iudicio et prudentia comparatur. Nam ut aliquid ante rem dicamus; deinde ut rem exponamus, post ut eam probemus nostris praesidiis confirmandis, contrariis refutandis, deinde ut concludamus, atque ita peroremus, hoc dicendi [genus][2] natura ipsa praescribit. 308. Ut vero statuamus, ea, quae probandi, docendi, persuadendi causa dicenda sunt, quemadmodum componamus[3]; id est vel maxime proprium oratoris prudentiae. Multa enim occurrunt argumenta: multa[4], quae in dicendo profutura videantur. Sed eorum partim ita levia sunt, ut contemnenda sint: partim, etiam si quid habent adiumenti, sunt nonnunquam eiusmodi, ut insit in iis aliquid vitii, neque tanti sit illud, quod prodesse videatur, ut cum aliquo malo coniungatur. 309. Quae autem sunt utilia[5] atque firma, si ea tamen[6] (ut saepe fit) valde multa sunt: ea, quae ex iis aut levissima sunt, aut aliis gravioribus consimilia, secerni arbitror oportere, atque ex oratione removeri. Equidem quum colligo argumenta causarum, non tam ea numerare soleo, quam expendere. LXXVII. 310. Et quoniam (quod[7] saepe iam dixi) tribus rebus omnes[8] ad nostram sententiam perducimus, aut docendo, aut conciliando, aut permovendo, una ex tribus his rebus res[9] prae nobis est ferenda, ut nihil aliud, nisi docere velle videamur: reliquae duae, sicuti[10] sanguis in corporibus, sic illae in perpetuis orationibus fusae esse debebunt. Nam et principia, et ceterae partes orationis, de quibus paullo post pauca dicemus, habere hanc vim magno opere[11] debent, ut ad eorum mentes, apud quos agetur[12], movendas permanare possint. 311. Sed his partibus orationis, quae etsi nihil docent argumentando, persuadendo tamen et commovendo proficiunt plurimum, quamquam maxime proprius est locus et in exordiendo, et in peroranda; degredi tamen ab eo, quod

---

([1]) — *me oratorem* Steph. Alii, ait Le Clerc. v. Lambini adnotationem. 89. Ed. 1584. ([2]) ∞ om. *genus* Vet. ap. Steph. Guelf. A. Nos [ ], quum videatur falsum glossema. — *generis* Sch. C. 2. ([3]) Cd. Erl. apud Harlessium — *componatur*, sed idem Ernestio teste ∞ *componantur*. — *exponamus* Ed. Waldarf. ap. Ern. ([4]) — *multa* del. Sch. 2. cum Cld. Pearcii. ([5]) = *utilia sunt* Cld. ([6]) = *tamen ea* L. ([7]) ∞ *ut* Steph. L. ([8]) ∞ *homines* L. prob. Schuetz. qui idem, ut ait, C. reperit. ([9]) Sic Cdd. pleriq. Iu. — L. Grut. neque habet ullam offensionem haec repetitio. *res* censente Ern. omitti potest cum Cld. Guelf. — *omnibus his rebus res* ex Edd. vett. Ern. 1. 2. 3. At hoc parum definitum videtur. ([10]) = *sicut* L. ([11]) Sic dedi e Cld. = *magnopere* Iu. — L. 1. 2. 3. ([12]) ∞ *agitur* L.

proposueris atque[1] agas, permovendorum animorum causa, saepe utile est. 312. Itaque vel narratione exposita[2], saepe datur ad commovendos animos degrediendi locus, vel argumentis nostris confirmatis, vel contrariis refutatis, vel utroque loco, vel omnibus, si habet eam causa dignitatem atque[3] copiam, recte id fieri potest[4]: eaeque causae sunt ad augendum[5], et ad ornandum gravissimae atque plenissimae, quae plurimos exitus dant ad eiusmodi degressionem, ut iis[6] locis uti liceat, quibus animorum impetus eorum, qui audiunt[7], aut impellantur, aut reflectantur. 313. Atque etiam in illo reprehendo eos, qui, quae minime firma sunt, ea prima collocant. In quo illos quoque errare arbitror, qui, si quando (id quod mihi nunquam placuit) plures adhibent patronos, ut in quoque[8] eorum minimum putant esse, ita cum primum volunt dicere. Res enim hoc postulat, ut eorum exspectationi, qui audiunt, quam celerrime occurratur[9]: cui si initio satisfactum non sit, multo plus sit in reliqua causa laborandum. Male enim se res habet, quae non statim, ut dici coepta est, melior fieri videtur. 314. Ergo ut in oratore[10] optimus quisque, sic [et][11] in oratione, firmissimum quodque sit primum: dum illud tamen in utroque teneatur, ut ea, quae excellent[12], serventur etiam ad perorandum: si quae[13] erunt mediocria (nam vitiosis nusquam esse oportet locum) in mediam turbam, atque in gregem coniiciantur. 315. Hisce omnibus rebus consideratis, tum denique id, quod primum est dicendum, postremum soleo cogitare, quo utar exordio. Nam si quando id primum invenire volui, nullum mihi occurrit, nisi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare, atque commune[14].

LXXVIII. Principia autem dicendi semper quum accurata, et acuta, et instructa sententiis, apta verbis, tum vero causarum propria esse debent. Prima est enim quasi cognitio et commendatio orationis in principio, quae continuo eum, qui audit, permulcere atque allicere debet. 316. In quo admirari[15] soleo, non equidem[16] istos, qui

(1) — *quodque* L. (2) ∞ *vel re* (*re* tamen non memoratur a Steph. in Var. Lectt.) *narrata atque exposita* Cdd. aliq. Lambinus. probb. Ern. et Muell. (3) — *eamque* L. (— *eam causam dignitatis atque tantum utilitatis*, *recte* Steph. Vide Lambini adnot.) (4) Sic Cdd. Iu. Crat. Man. Grut. Ern. 1. ∞ *recte ut fieri possit* L. — *ut id recte fieri possit* Ern. suspic. — *ut recte id fieri possit* Lambino tribuentes, qui Lambinum ipsum nunquam consuluerunt, edidere Sch. 2. Muell. 3. Sed cur Ciceroni non licuerit, hac ipsa propositione subintellecta, membrum hoc conformare illi: *saepe datur — degrediendi locus?* cfr. etiam Matthiae *Misc. Crit.* 1, 4. p. 682. (5) e Cdd. Lamb. Pearc. Sch. 2. 3. — *agendum* Iu. Crat. Man. Grut. Ern. 1. (6) Sic Man. L. — *his* Iu. Crat. Grut. Ern. 1. 2. 3. (7) Sic Cdd. plerique. Iu. — L. Sch. 2. 3. — *qui audiant* e C1d. Ern. Ceterum etiam voc. *animorum* suspectum erat Ern. sine causa. (8) Sic Man. Ern. 1. 2. 3. = *uti in quoque* L. — *uti quemque* C2d. Regii. Iu. Crat. (9) Sic Man. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *succurratur* Cdd. aliq. Iu. Crat. L. (10) Sic Cdd. Edd. vett. Iu. — L. Ern. 1. Rectissime: est enim ἐν τῷ δεῖ ὀρισμῷ, et necessario requiritur a seqq. *in utroque — in oratoribus* Sch. C. 2. — *uti oratorum* Muell. C. 3. (11) ∞ om. *et* Ed. s. l. et a. Steph. L. Ego [ ]. — *etiam* Muell. C. 3. (12) e Cdd. Sch. 2. 3. — *excellant* Iu. — L. Ern. 1. (— *excellunt* C2d.) — *quae aeque excellant* Iu. Crat. L. ∞ *aeque* omittit Vet. ap. Steph. Man. Grut. 1. 2. 3. (13) = *si qua* L. (14) — *aut commune* e C1d. Sch. in Ed. mai. Sic et O1x. (15) Sic Man. Steph. Grut. Ern. 1. 2. 3. ∞ *demirari* L. — *mirari* Iu. Crat. (16) ∞ *quidem* Steph. L.

nullam huic rei operam dederunt, sed hominem in primis disertum atque eruditum, Philippum, qui ita solet ad dicendum surgere [1], ut, quod primum verbum habiturus sit, nesciat; et ait idem, quum brachium concalefecerit, tum se solere pugnare: neque attendit, eos ipsos, unde hoc simile [2] ducat, illas primas [3] hastas ita iactare leniter, ut et venustati vel maxime serviant, et reliquis [4] viribus suis consulant. 317. Neque est dubium, quin exordium dicendi vehemens et pugnax non saepe esse debeat: sed si in ipso illo gladiatorio vitae certamine, quod ferro [5] decernitur, tamen ante congressum multa fiunt, quae non ad vulnus, sed ad speciem valere videantur: quanto hoc magis in oratione est spectandum [6], in qua non vis potius [7], quam delectatio postulatur? Nihil est denique in natura rerum omnium, quod se universum profundat, et quod totum repente evolet: sic omnia, quae fiunt, quaeque aguntur acerrime, leniorибus principiis natura ipsa praetexuit. 318. Haec autem in dicendo non extrinsecus alicunde [8] quaerenda, sed ex ipsis visceribus causae sumenda sunt. Ideirco tota causa pertentata atque perspecta, locis omnibus inventis, atque instructis, considerandum est, quo principio sit utendum. 319. Sic et facile reperientur [9]: sumentur enim ex iis rebus, quae erunt [10] uberrimae vel in argumentis, vel in iis partibus, ad quas dixi degredi saepe oportere: ita [11] et momenti aliquid afferent, quum erunt paene ex intima defensione deprompta [12], et apparebit, ea [13] non modo non esse communia [14], nec in alias causas posse transferri, sed penitus ex ea causa, quae tum agatur, effloruisse [15]. LXXIX. 320. Omne autem principium aut rei totius, quae agetur, significationem habere debebit, aut aditum ad causam et communitionem [16], aut quoddam ornamentum et dignitatem. Sed oportet, ut aedibus ac templis vestibula et aditus, sic causis principia pro portione [17] rerum praeponere. Itaque in parvis atque infrequentibus [18]

([1]) = *surgere ad dic.* L. ([2]) — *simile* suspectum Ern. ([3]) = *primas illas* C1d. ([4]) — *et in reliquum* L. ([5]) Sic Cdd. multi. Iu. Crat. Sch. 2. — *quo ferro* Man. L. Ern. 1. 3. Sed videtur profectum ab iis, qui sine causa dubitarent, an dici posset *certamen*, *proelium armis decernere*, id quod sane est Ciceronianum. ([6]) Sic, vel *spectandum est* Cdd. aliq. Ed. s. l. et a. Postea Wyttenb. E. Sch. 2. 3. — *exspectandum* Grut. Ern. 1. — *exspectandum est* Cdd. aliq. Iu. Man. L. ([7]) Sic Cdd. aliq. L. Pearc. quod parum intellectum corruptelas seqq. peperit: — *non vis potius*, *sed del.* Cdd. pleriq. Iu. Crat. Man. Grut. Ern. 1. Muell. 3. — *non vis*, *potius del.* ex Heusing. E. Sch. 2. — *non vis*, *sed potius del.* Sterke *Act. Acad. Trai.* 1. p. 177. Muell. suspic. ([8]) Sic Cdd. aliq. (non est enim Aldi correctio) Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. — *aliunde* Cdd. pleriq. Pearc. ([9]) Sic dedi cum Sch. 2. 3. qui unde habeant, nescio. Sed est fere necessaria correctio, nisi cum C3d. Guelf. legas etiam *sumetur*, quod tamen minime congruit cum v. *afferent*. — *reperietur* Cdd. Iu. — L. Grut. Ern. 1. — *sic enim facile reperietur* Man. devitaturus *et* pro *etiam* sive *vel*. At statim sequitur alterum *enim*. ([10]) — *sunt* Steph. L. ([11]) — *itaque* Steph. L. ([12]—[14]) Sic Man. L. ut videtur e E. Ern. 1. 2. 3. ∞ *depromptae* — *eas* — *communes* Cdd. Iu. Crat. idque defensione sua non caret. ([15]) Sic Iu. L. 1. 2. 3. ∞ *defluxisse* Ed. s. l. et a. Margo Crat. Man. ∞ *emanasse* Steph. ([16]) Sic C1d. Victor. Steph. L. (Steph. et L. habent *aut communitionem*) Sch. 2. 3. (— *commutationem* C2d. — *communicationem* Iu.) — *munitionem* Vet. ap. Steph. Crat. Grut. Ern. 1. ([17]) Sic Iu. Crat. L. Drackenb. *ad Liv.* 7, 1. Muell. 3. — *propertione* Man. Grut. Ern. 1. 2. ([18]) Sic Man. Ern. 1. 2. 3. id est, parum a populo frequentatis. ∞ *atque in frequentibus* Victor. L. Sch. in Ed. mai. Sed tum praepositio locum vix haberet, legendumque esset cum Iu. Crat. *atque frequentibus*.

causis ab ipsa re est exordiri saepe commodius[1]. 321. Sed quum erit utendum principio (quod plerumque erit) aut ex reo, aut ex adversario, aut ex re, aut ex eis, apud quos agitur, sententias duci licebit[2]. Ex reo, (reos appello, quorum res est,) quae significent virum bonum, quae liberalem, quae calamitosum, quae misericordia dignum, quae valeant contra falsam criminationem: ex adversario, iisdem ex locis fere contraria. 322. Ex re, si crudelis, si infanda[3], si praeter opinionem, si immerito, si misera, si ingrata, si indigna, si nova, si quae restitui sanarique non possit: ex iis autem, apud quos agetur, ut benevolos beneque existimantes efficiamus: quod agendo efficitur melius, quam rogando. Est[4] id quidem in totam orationem confundendum, nec minime in extremam: sed tamen multa principia ex eo genere gignuntur. 323. Nam et attentum monent[5] Graeci ut principio faciamus iudicem, et docilem; quae sunt utilia: sed non principii magis propria, quam reliquarum partium: faciliora etiam in principiis, quod et attenti tum maxime sunt, quum omnia exspectant, et dociles magis initiis esse possunt. Illustriora enim sunt, quae in principiis, quam quae in mediis causis dicuntur, aut arguendo[6], aut refellendo. 324. Maximam autem copiam[7] principiorum ad iudicem aut alliciendum, aut incitandum, ex iis locis trahemus[8], qui ad motus animorum conficiendos[9] inerunt in causa: quos tamen totos in principio explicari[10] non oportebit, sed tantum impelli primo iudicem leviter[11], ut iam inclinato reliqua incumbat oratio. LXXX. 325. Connexum autem ita sit principium consequenti orationi, ut non tamquam citharoedi prooemium affictum aliquod, sed cohaerens cum omni corpore membrum esse videatur. Nam nonnulli, quum illud meditati ediderunt, sic ad reliqua transeunt, ut audientiam sibi fieri nolle[12] videantur. Atque eiusmodi illa prolusio[13] debet esse, non ut Samnitum, qui vibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utuntur; sed ut ipsis sententiis, quibus proluserunt[14], vel pugnare possint.

326. Narrare vero rem quod[15] breviter iubent, si brevitas appellanda est, quum verbum nullum redundat[16], brevis est L. Crassi oratio; sin[17] tum est brevitas, quum tantum verborum est, quantum necesse est, aliquando id opus est: sed saepe obest vel maxime in narrando, non solum quod obscuritatem affert, sed etiam quod eam virtutem, quae narrationis est maxima, ut iucunda, et ad persuadendum accommodata sit, tollit. 327. Ut[18] illa, *Nam is postquam excessit ex ephebis*, quam longa est narratio! mores adolescentis ipsius, et servilis

---

(1) = *re exord. saepe est commod.* L. (2) Sic Vet. ap. Steph. Margo Crat. Man. L. Ern. 1. 2. 3. ∞ *decebit* Cdd. aliq. Iu. Crat. Camer. Steph. (3) — *nefanda* Steph. L. (4) — *Et* Steph. L. (5) — *commonent* L. (6) Sic Cdd. aliq. Margo Crat. Victor. Man. L. Ern. 1. 2. 3. — *augendo* Iu. Crat. (7) e C1d. Sch. 2. 3. ∞ *maxima autem copia* Cdd. pleriq. Iu. — L. Ern. 1. (8) e C2d. Sch. 2. 3. — *trahitur* Pleriq. Iu. — L. Ern. 1. (9) — *conciendos* Nescio cuius €. apud Lamb. recepit Wetzel. (10) ∞ *explicare* Steph. L. (11) ∞ *leniter* Kidd €. in Dawesii *Misc. Crit.* p. 601. (12) e Cdd. Ern. 1. 2. 3. — *velle* Iu. — L. Grut. (13) — *praelusio* L. (14) ∞ *proluserint* C3d. ap. Schuetz. — *praeluserunt* L. (15) — *quidem* Steph. (16) Sic Cdd. Steph. L. Ern. 1. 2. 3. — *redundet* Iu. Crat. Man. Grut. (17) e Cdd. 1. 2. 3. — *si* Iu. — L. Grut. (18) Sic e vestigiis C1d. Grut. 1. 2. 3. ∞ *Videlicet illa* Iu. Crat. Man. ∞ *Videant illam* Duo Vet. ap. Steph. L. Cdd. plerique mirum in modum corrupti.

percontatio, mors Chrysidis, vultus et forma, et lamentatio sororis, reliqua, pervarie iucundeque narrantur. Quod si hanc brevitatem quaesisset,

Effertur, imus: ad sepulcrum venimus:
In ignem posita est,

[in his fere] decem versiculis[1] totum conficere potuisset: quamquam hoc ipsum, *Effertur, imus*, concisum est ita, ut non brevitati servitum sit, sed magis venustati. 328. Quod si nihil fuisset, nisi, *in ignem posita est:* tamen res tota cognosci facile potuisset. Sed et festivitatem habet narratio distincta personis, et interpuncta sermonibus: et est probabilius, quod gestum esse dicas, quum[2] quemadmodum actum sit, exponas, et multo apertius ad intelligendum est, si [sic] consistitur[3] aliquando[4], ac non ista brevitate percurritur. 329. Apertam enim narrationem tam esse oportet, quam cetera[5]: sed hoc[6] magis in hac elaborandum est, quod et difficilius est, non esse obscurum in re narranda, quam aut in principio, aut in argumento[7], aut in purgando, aut in perorando: et maiore etiam[8] periculo haec pars orationis obscura est, quam ceterae[9]; vel quia, si quo alio in loco est dictum quid obscurius, tantum id perit, quod ita dictum est: narratio obscura totam obcaecat[10] orationem: vel quod alia possis, semel si obscurius dixeris, dicere alio loco planius: narrationis[11] unus est in causa locus. Erit autem perspicua narratio, si verbis usitatis, si ordine temporum conservato[12], si non interrupte narrabitur. LXXXI. 330. Sed quando utendum sit, aut non sit narratione, id est consilii. Neque enim si nota res est[13], nec si non dubium[14], quid gestum sit, narrari[15] oportet, nec si adversarius narravit[16]; nisi si[17] refellemus. Ac, si quando erit narrandum, nec illa[18], quae suspicionem et crimen efficient, contraque nos erunt, acriter persequamur, et[19] quidquid poterit, detrahamus: ne illud, quod Crassus, si quando fiat, perfidia, non stultitia fieri putat, ut causae noceamus, accidat. Nam ad summam totius cau-

---

([1]) Sic Cdd. Regii (nisi quod unus et alter *versibus* ap. Le Clerc.) Iu. Cr. M. = *fere decem versiculis*, omisso *in his* Grut. — *in his vero d. versiculis* Omnib. — v. *in his fere* absunt a Guelf. A. et al. ut videtur, unde: *posita est, decem versiculis* ediderunt Steph. L. Sch. 2. 3. Possis tamen explicare *in his* i. e. in hac ipsa narratione *fere d. versiculis tot. conf. pot.* quocirca cum [ ] servavi. — *his fere decem verbis* Ern. C. 1. ([2]) — *quum quod gestum esse dicas, quemadmodum* Cld. ∞ *si quod g. e. dicas, quemadm.* L. ∞ *si quod g. e. dicas, etiam frequenter quemadmodum* Steph. ([3]) Sic Crat. Victor. Delevit *sic* L. 1566. ac rursus de Heusing. C. Sch. 2. 3. (Cdd. aliq. om. *si*) — *si sic constituitur* Iu. ∞ *si hic consistitur* Lamb. in marg. 1584. ([4]) ∞ *aliquamdiu* L. ([5]) Sic iam Man. Rursus Ern. C. 1. 2. 3. — *ceteras* Iu. Crat. Grut. — *ceteras orationis partes* Edd. vett. L. Pearc. ([6]) — om. *hoc* Steph. L. ([7]) ∞ *argumentando* L. ([8]) Sic Olx. Iu. Crat. Victor. Muell. 3. (= *et maiore etiam haec periculo pars* L.) — *et maiore periculo* Man. Grut. Ern. 1. 2. ([9]) Sic Iu. — L. Grut. Sch. 2. 3. — *cetera* Vet. ap. Steph. Ern. 1. apud quem tamen ortum videtur mero errore ex variet. N. 5. ([10]) — *excaecat* L. ([11]) — *narrationi* Strebacus. ([12]) Sic Iu. Grut. 1. 2. 3. — *servato* L. ([13]) = *est res* L. ([14]) ex Edd. vett. Ern. 1. 2. 3. — *nec si dubium* Pearc. — *nec dubium sit* Iu. Grut. — *nec si dubium sit* Man. ∞ *nec dubium* om. *si non* et *sit* Steph. L. prob. Sch. ([15]) ∞ *narrare* Cdd. aliq. Steph. L. ([16]) ∞ *advers. iam narravit* L. — *advers. sic narraverit* Steph. ([17]) — om. *si* Steph. L. ([18]) ex Edd. vett. Ern. 1. 2. 3. — *ne illa* Cd. Erl. Iu. Man. Grut. (— *narrandum, videndum, ne illa* L.) ([19]) — *et ut* L.

sae pertinet, caute, an contra, demonstrata res sit; quod omnis orationis reliquae fons est narratio.

331. Sequitur, ut causa ponatur, in quo videndum est, quid in controversiam veniat. Tum suggerenda sunt firmamenta causae coniuncte[1], et infirmandis contrariis[2], et tuis confirmandis[3]. Namque una in causis ratio quaedam est eius orationis, quae ad probandam argumentationem valet. Ea autem et confirmationem et reprehensionem quaerit: sed quia neque reprehendi, quae contra dicuntur, possunt, nisi tua confirmes, neque haec confirmari, nisi illa reprehendas, ideirco haec et natura et utilitate et tractatione coniuncta sunt. 332. Omnia autem concludenda plerumque rebus augendis, vel inflammando iudice, vel mitigando; omniaque quum superioribus orationis locis, tum maxime extremo, ad mentes iudicum quam maxime permovendas, et ad utilitatem nostram vocandas conferenda sunt.

333. Neque sane iam causa videtur esse, cur secernamus ea praecepta, quae de suasionibus tradenda sunt, aut laudationibus. Sunt enim pleraque communia: sed tamen suadere aliquid, aut dissuadere, gravissimae mihi videtur esse personae. Nam et sapientis est, consilium explicare suum de maximis rebus, et honesti, et diserti, ut mente providere, auctoritate probare, oratione persuadere possit. LXXXII. Atque haec in senatu minore apparatu agenda sunt: sapiens est enim[4] consilium: multisque aliis dicendi relinquendus locus[5]. Vitanda etiam ingenii ostentationis[6] suspicio. 334. Concio capit[7] omnem vim orationis, et gravitatem, varietatemque desiderat. Ergo in suadendo nihil est optabilius, quam dignitas. Nam qui utilitatem putat, non quid maxime velit suasor, sed quid interdum magis sequatur, videt. Nemo est enim, praesertim in tam clara civitate, quin putet expetendam maxime dignitatem: sed vincit utilitas plerumque, quum subest ille timor, ea neglecta, ne dignitatem quidem posse retineri. 335. Controversia autem inter hominum sententias, aut in illo est, utrum sit utilius: aut etiam, quum id convenit, certatur, utrum[8] honestati potius, an utilitati consulendum sit. Quae quia pugnare saepe inter se videntur, qui utilitatem defendit[9], enumerabit commoda pacis, opum, potentiae, [pecuniae][10], vectigalium, praesidii militum[11], [utilitates][12] ceterarum rerum, quarum fructum utilitate metimur, itemque incommoda contrariorum[13]. Qui ad dignitatem impellet[14], maiorum exempla, quae erunt vel[15] cum periculo gloriosa, colliget, posteritatis immortalem memoriam augebit; utilitatem ex laude nasci defendet, semperque eam cum dignitate esse coniunctam. 336. Sed quid fieri possit, aut non possit, quidque etiam sit ne-

---

(1) Sic Iu. Man. Grut. 1. 2. 3. — *coniuncta* Ed. s. l. et a. Victor. L. (2) = *contrariis infirmandis* L. (3) — *tuis argumentis confirmandis* C3d. Regii ap. Le Clerc. Steph. e gloss. (4) Sic Sch. 2. 3. e Schaeferi regula. = *enim est* Cdd. Iu. L. Grut. Ern. 1. (5) — *relinquendus est locus* C1d. (6) Sic Cdd. Man. L. 1. 2. 3. — *ostentationisque* Iu. Grut. (7) — *cupit* Steph. (8) ∞ om. *utrum* Ed. s. l. et a. (9) ∞ *defendet* Man. non male. (10) Cum Cdd. aliq. om. Sch. 2. 3. et glossematis ad v. *vectigalium* habet speciem, quocirca [ ]. (11) Sic Edd. vett. 1. 2. 3. — *praesidii, militum* Ald. Iu. L. Grut. (12) Ern. 1. [ ]. Del. L. Sch. 2. 3. — *utilitates et ceterarum* Cdd. Regii omnes ap. Le Clerc. (13) — *contrariarum* L. (14) Sic Cdd. complures. (Olx.) Iu. Man. Steph. Sch. in Ed. mai. — *impellit* L. Grut. Ern. 1. 2. 3. (15) — om. *vel* L.

esse, aut non sit, in utraque re maxime est quaerendum. Inciditur enim omnis iam [1] deliberatio, si intelligitur non posse fieri, aut si necessitas affertur: et qui id docuit, non videntibus aliis, is plurimum vidit. 337. Ad consilium autem de re publica dandum, caput est, nosse rem publicam; ad dicendum vero probabiliter, nosse mores civitatis: qui quia crebro mutantur, genus quoque orationis est saepe [2] mutandum. Et quamquam una fere vis est eloquentiae, tamen, quia summa dignitas est populi, gravissima causa rei publicae, maximi motus multitudinis; genus quoque dicendi grandius quoddam et illustrius esse adhibendum videtur: maximaque pars orationis admovenda est ad animorum motus nonnunquam aut cohortatione, aut commemoratione aliqua, aut in spem, aut in metum, aut ad cupiditatem, aut ad gloriam concitandos, saepe etiam a temeritate, iracundia, spe, iniuria, invidia, crudelitate revocandos. LXXXIII. 338. Fit autem, ut, quia maxima quasi oratori scena videatur concionis [3], natura ipsa ad [4] ornatius dicendi genus excitetur [5]. Habet enim multitudo vim quandam talem, ut quemadmodum tibicen sine tibiis canere, sic orator, nisi [6] multitudine audiente, eloquens esse non possit. 339. Et quum sint populares multi variique lapsus, vitanda est acclamatio adversa populi: quae aut orationis peccato aliquo excitatur, si aspere, si arroganter, si turpiter, si sordide, si quoquo [7] animi vitio dictum esse aliquid videatur; aut hominum offensione vel invidia, quae aut iusta est, aut ex criminatione atque fama; aut res si displicet: aut si est in aliquo motu suae cupiditatis aut metus multitudo. His [8] quatuor causis totidem medicinae opponuntur: tum obiurgatio, si est auctoritas; tum admonitio [9], quasi lenior obiurgatio; tum promissio, si audierint, probaturos: tum deprecatio; quod est infimum [10], sed nonnunquam utile. 340. Nullo [11] autem loco plus facetiae prosunt, et celeritas [12], et breve aliquod dictum, nec sine dignitate, et cum lepore. Nihil enim tam facile, quam multitudo, a tristitia, et saepe ab acerbitate, commode, ac breviter, et acute, et hilare dicto [13] deducitur.

LXXXIV. Exposui fere, ut potui, vobis in utroque genere causarum quae sequi solerem, quae fugere, quae spectare, quaque omnino in causis ratione versari. 341. Nec illud [14] tertium laudationum [15] genus est difficile, quod ego initio quasi a praeceptis nostris secreveram: sed et quia multa sunt [16] orationum genera, et graviora, et maioris

---

([1]) — om. *iam* Steph. L. et rursus Sch. 2. cum C1d. sed recte restituit Muell. 3. ([2]) = *saepe est* L. ([3]) Sic e Cd. Erl. (O1x.) Edd. vett. Ern. 1. ∞ *concio* Iu. L. Grut. — *concio*, *concionis* de Heusing. €. Sch. 2. sed hoc molestum. — *concio*, *is* Muell. 3. sine ulla auctoritate. ([4]) — om. *ad* Ed. Waldarf. ([5]) ∞ *excitemur* Cdd. aliq. ([6]) Sic Cdd. aliq. (Regii tres.) Iu. Sch. 2. 3. — *sine* Man. L. Grut. Ern. 1. ([7]) — *quo* L. ([8]) e C1d. Sch. 2. 3. — *iis* Vet. ap. Steph. — *hisque* Iu. L. Ern. 1. ([9]) — *monitio* L. ([10]) ∞ *infirmum* Cd. Erl. Man. ([11]) Sic Ald. Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. — *nonnullo* Edd. vett. „id est: *non ullo*." Ern. ([12]) — *hilaritas* Sch. suspic. ([13]) — *acute ad hilaritatem* Cdd. Regii. Margo Crat. unde Le Clerc suspic. ∞ *et acute dicto ad hilaritatem deducitur*. ([14]) — *illuc* L. ([15]) — *laudationis* Cdd. aliq. Edd. vett. ∞ om. *laudationum* L. ([16]) — *sed quia et multa sunt* L. — *sed et quia multa essent* de Ern. €. Sch. 2. necessaria fere, si retinemus *soleremus*. Cum Iu. — Sch. 2.

copiae, de quibus nemo fere praeciperet, et quod nos laudationibus non ita multum uti solemus[1], totum hunc segregabam locum. Ipsi enim Graeci, magis legendi [et] delectationis[2], aut hominis alicuius ornandi, quam utilitatis huius forensis causa, laudationes scriptitaverunt: quorum sunt libri, quibus Themistocles, Aristides, Agesilaus, Epaminondas, Philippus, Alexander aliique laudantur: nostrae laudationes, quibus in foro utimur, aut testimonii brevitatem habent nudam atque inornatam, aut scribuntur ad funebrem concionem, quae ad orationis[3] laudem minime accommodata est. Sed tamen, quoniam est utendum aliquando, nonnunquam etiam scribendum[4], velut P. Tuberoni Africanum avunculum laudanti scripsit C. Laelius, [vel] ut[5] nosmet ipsi, ornandi causa, Graecorum more, si quos velimus, laudare possimus[6]; sit a nobis quoque tractatus is locus[7]. 342. Perspicuum est igitur, alia esse in homine optanda, alia laudanda. Genus, forma, vires, opes, divitiae, ceteraque, quae[8] fortuna dat[9], aut extrinsecus, aut corpori, non habent in se[10] veram laudem, quae deberi virtuti uni putatur: sed tamen, quod ipsa virtus in earum rerum usu ac moderatione maxime cernitur, tractanda etiam in laudationibus haec sunt naturae et fortunae bona: in quibus est summa laus: non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non se praetulisse aliis propter abundantiam fortunae; ut opes et copiae non superbiae videantur ac libidini, sed bonitati ac moderationi facultatem et materiam[11] dedisse. 343. Virtus autem, quae est per se ipsa laudabilis, et sine qua nihil laudari potest, tamen habet plures partes: quarum alia est alia[12] ad laudationem aptior. Sunt enim aliae virtutes, quae videntur in moribus hominum, et quadam comitate ac beneficentia positae: aliae, quae in ingenii aliqua facultate, aut animi magnitudine ac robore. Nam clementia, iustitia, benignitas, fides, fortitudo in periculis communibus, iucunda est auditu in laudationibus: 344. omnes enim hae virtutes non tam ipsis, qui eas in se[13] habent, quam generi hominum, fructuosae putantur. Sapientia et magnitudo animi, qua omnes res humanae

---

(1) Praetuli cum Mucll. 3. *solemus*, quod habet saltem auctoritatem Ed. s. l. et a. *Soleremus* accommodatum videtur ad v. *praeciperet*, pro quo tamen Steph. ∞ *praeceperat*. (2) ∞ *et* delend. censebat Sch. del. Muell. 3. ego certe [ ]. Habet Iu. Sed Crat. — *Graeci magis legendi, qui del.* (— *Graeci legendi, qui del.* Man. *Gr. magis legendi, aut del.* Pearc.) ∞ *Gr. legendi, qui magis del.* Vet. ap. Steph. L. (3) Sic Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. Sed speciosissima est Ern. C. confirmata a Cd. Reg. 7703. ∞ *oratoris*. Vulgata sic explicanda: „in qua minime omnia illa forensis orationis artificia, argumentandi scil. et refutandi subtilitas, facetiae et similia locum habent. (4) — *etiam ad scrib.* Ern. suspic. (5) Mihi quoque, ut Ernestio, suspectum est hoc *vel*: nec enim congruit cum *velut* superiore, neque illud ipsum *velut P. Tub.* divisim scribi potest *vel ut*, quemadmodum dederunt Sch. 2. Muell. 3. (6) ∞ *possumus* L. (7) ∞ *tractatus etiam is locus* Iu. Crat. Suspicor *etiam* delectum esse ab iis, qui offenderentur vicinia voc. *quoque* ∞ *tractatus hic locus* Olx. Man. ∞ *tractatus etiam hic locus* L. Sed *is* habet despicientiae aliquam notionem h. l. minime aspernandam. (8) — *cetera quaequae* Olx. — *cetera, quae* L. (9) Sic Sch. 2. 3. — *det* Iu. — L. Ern. 1. (10) — om. *in se* Cdd. aliq. (11) ∞ *materiem* Guelf. B. (12) Sic Man. C. ut videtur. Pearc. Sch. 2. 3. — *alia est* om. *aliâ* Cdd. Iu. — L. Ern. 1. (13) — om. *in se* Cdd. aliq. Steph. L. Pearc.

tenues ac pro nihilo[1] putantur: et in excogitando vis quaedam ingenii, et ipsa eloquentia, admirationis habet non minus, iucunditatis minus[2]: ipsos enim magis videtur, quos laudamus, quam illos, apud quos laudamus[3], ornare ac tueri. Sed tamen in laudando iungenda sunt etiam haec genera virtutum. Ferunt[4] enim aures hominum, quum illa, quae iucunda et grata, tum etiam illa, quae mirabilia sunt in virtute, laudari[5]. LXXXV. 345. Et quoniam singularum virtutum sunt certa quaedam officia ac munera, et sua cuique virtuti laus propria debetur, erit explicandum in laude iustitiae, quid cum fide, quid cum aequabilitate, quid cum eiusmodi aliquo officio is, qui laudabitur, fecerit. Itemque in ceteris res gestae ad cuiusque virtutis genus, et vim, et nomen accommodabuntur. 346. Gratissima autem laus eorum factorum habetur, quae suscepta videntur a viris fortibus sine emolumento ac praemio: quae vero etiam cum labore et[6] periculo ipsorum, haec habent uberrimam copiam ad laudandum; quod et dici ornatissime possunt, et audiri facillime. Ea enim denique virtus esse videtur praestantis viri[7], quae est fructuosa aliis, ipsi autem laboriosa, aut periculosa, aut certe gratuita. Magna etiam illa[8] laus, et admirabilis videri solet, tulisse casus sapienter[9] adversos, non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem. 347. Neque tamen illa non ornant, habiti honores, decreta virtutis[10] praemia, res gestae, iudiciis hominum comprobatae: in quibus etiam felicitatem ipsam deorum immortalium iudicio tribui, laudationis est. Sumendae autem res erunt aut magnitudine praestabiles, aut novitate primae, aut genere ipso singulares. Neque enim parvae, neque usitatae, neque vulgares, admiratione, aut omnino laude dignae videri solent. 348. Est etiam cum ceteris praestantibus viris comparatio in laudatione praeclara. De quo genere libitum est mihi paullo plura, quam ostenderam, dicere, non tam propter usum forensem, qui est a me in omni hoc sermone tractatus, quam ut hoc videretis, si laudationes essent in oratoris[11] officio, quod nemo negat, oratori virtutum omnium cognitionem, sine qua laudatio effici non possit, esse necessariam. 349. Iam vituperandi praecepta contrariis ex vitiis sumenda esse, perspicuum est. Simul est illud ante oculos, nec bonum virum proprie et copiose laudari, sine virtutum, nec improbum notari ac vituperari, sine vitiorum cognitione, satis insignite[12] atque aspere posse. Atque his locis et laudandi et vituperandi saepe nobis est utendum in omni genere causarum.

---

(1) Sic Cdd. aliq. Man. 1. 2. (*ac* pro vulgato *et* dedi e C3d.) ∞ *res humanae tenues et prope pro nihilo* Vet. ap. Steph. L. id quod minime displicet. — *qua omnes res humanae geruntur, tenues et* cet. Cdd. pleriq. Iu. Grut. quod omnino a somniante interpolatore profectum est: nihil igitur iuvat Muell. €. 3. — *cernuntur tenues, et pro n. put.* (2) — *admirat. habet plurimum, non minus vero iucunditatis.* €. nescio cuius ap. Steph. (3) — *quam - laudamus* om. C4d. Grueri. (4) Sic Cdd. aliq. Man. Ern. 1. 2. 3. — *Feriunt* Iu. L. Grut. (5) — *laudata* L. (6) = *ac* L. (7) = *viri praest. virtus esse vid.* L. (8) — om. *illa* Sch. 2. cum C2d. sine ulla causa. (9) — *patienter* L. (10) ∞ *virtuti* L. Sch. in Ed. mai. (11) = *in oratoris essent* L. (12) Sic Nonius in v. *insignite.* Duo Vet. ap. Steph. L. 1. 2. 3. — *insigniter* Ed. s. l. et a. Iu. Crat. Man.

350. Habetis, de inveniendis rebus, disponendisque quid sentiam. Adiungam etiam de memoria, ut labore Crassum levem, neque ei quidquam aliud, de quo disserat, relinquam, nisi ea, quibus haec[1] exornentur. LXXXVI. Perge vero, inquit Crassus. Libenter enim te cognitum iam artificem, aliquandoque evolutum[2] illis integumentis dissimulationis tuae, nudatumque perspicio: et quod mihi nihil, aut quod[3] non multum relinquis, percommode facis, estque mihi gratum. 351. Iam istuc[4] quantum tibi ego[5] reliquerim, inquit Antonius, erit in tua potestate. Si enim vere agere volueris, omnia tibi relinquo. Sin dissimulare, tu quemadmodum his satisfacias, videris. Sed, ut ad rem redeam, non sum tanto ego, inquit[6], ingenio, quanto Themistocles fuit, ut oblivionis artem, quam memoriae[7], malim: gratiamque habeo Simonidi illi Ceo[8], quem primum ferunt artem memoriae protulisse. 352. Dicunt enim, quum coenaret Cranone[9] in Thessalia Simonides apud Scopam, fortunatum hominem, et nobilem, cecinissetque id carmen, quod in eum scripsisset, in quo multa ornandi causa, poëtarum more, in Castorem scripta et Pollucem fuissent, nimis illum sordide Simonidi dixisse, se dimidium eius ei, quod pactus esset, pro illo carmine[10] daturum: reliquum a suis Tyndaridis, quos aeque laudasset, peteret, si ei videretur. 353. Paullo post esse ferunt nuntiatum Simonidi, ut prodiret: iuvenes stare ad ianuam duos quosdam, qui cum magno opere[11] evocarent: surrexisse illum[12], prodisse, vidisse neminem. Hoc interim spatio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse: ea ruina ipsum oppressum cum suis interiisse. Quos quum humare vellent sui, neque possent obtritos internoscere ullo modo[13]: Simonides dicitur ex eo, quod meminisset, quo eorum loco quisque cubuisset[14], demonstrator uniuscuiusque sepeliendi fuisse. Hac tum re admonitus invenisse fertur, ordinem esse maxime, qui memoriae lumen afferret. 354. Itaque iis, qui hanc partem ingenii exercerent, locos esse capiendos, et ea, quae memoria tenere vellent, effingenda animo, atque in his locis collocanda; sic fore, ut ordinem rerum, locorum ordo conservaret[15]: res autem ipsas rerum effigies notaret, atque ut locis pro cera, simulacris pro literis uteremur. LXXXVII. 355. Qui sit autem oratori memoriae fructus, quanta utilitas, quanta vis, quid me attinet dicere? tenere, quae didiceris in accipienda causa, quae ipse cogitaris? omnes fixas esse in animo sententias? omnem descriptum verborum apparatum? ita audire vel cum, unde discas[16], vel cum, cui respondendum sit, ut illi

---

(1) Sic Man. L. Grut. 1. 2. 3. ∞ *quibus rebus haec* Cdd. aliq. etiam Regii tres. Otx. Ed. s. l. et a. Iu. Crat. (2) — *evelatum* Cld. Omnib. (3) — om. *quod* Guelf. A. Steph. L. (4) Sic omnes, praeter Sch. 2. *istud*. (5) — om. *ego* L. (6) — *ego* om. Ed. s. l. et a. ∞ *inquit* om. Cld. unde Sch. suspic. ∞ *tanto equidem ingenio*. (7) — *recordationis* Vet. ap. Steph. (8) Sic L. 1566. Ern. 1. 2. 3. — *Ceio* In marg. L. 1584. Grut. — *Chio* Pleriq. Iu. (9) Sic Man. L. Sch. 2. 3. — *Crannone* Iu. Grut. Ern. 1. (10) — *eius, quod p. esset, ei pro* L. (11) e Cdd. Muell. 3. — *magnopere* Reliqui. (12) Sic Vet. ap. Steph. L. Ern. 1. 2. 3. — *illum ipsum* Iu. Man. Grut. (13) = *ullo modo internoscere* L. (14) — *recubuisset* L. (15) — *servaret* Ed. s. l. et a. Omnib. (16) e Cdd. Edd. vett. Ern. 1. 2. 3. — *dicas* Iu. Crat. L. Grut.

non infundere in aures tuas orationem, sed in animo videantur inscribere[1]? Itaque soli, qui memoria vigent, sciunt, quid, et quatenus, et quomodo dicturi sint, quid[2] responderint, quid supersit: iidemque multa ex aliis causis aliquando a se acta, multa ab aliis audita meminerunt. 356. Quare confiteor equidem, huius boni naturam esse principem, sicut earum rerum, de quibus ante locutus sum, omnium: sed haec ars tota dicendi[3], sive artis imago quaedam est et similitudo[4], habet hanc vim, non ut totum aliquid, cuius in ingeniis nostris pars nulla sit, pariat et procreet, verum ut ea, quae sunt orta iam in nobis et procreata, educet atque confirmet. 357. Veruntamen neque tam acri memoria fere quisquam est, ut, non dispositis notatisque rebus, ordinem verborum aut[5] sententiarum complectatur: neque vero tam hebeti, ut nihil hac consuetudine et exercitatione adiuvetur. Vidit enim hoc prudenter sive Simonides, sive alius quis invenit, ea maxime animis affigi[6] nostris, quae essent a sensu tradita atque impressa: acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sensum videndi: quare facillime animo teneri posse ea, quae perciperentur auribus aut cogitatione, si etiam oculorum commendatione animis traderentur; ut res caecas, et ab adspectus iudicio remotas, conformatio quaedam, et imago, et figura ita notaret, ut ea, quae cogitando complecti vix[7] possemus, intuendo quasi teneremus. 358. His autem formis atque corporibus, sicut omnibus[8], quae sub adspectum veniunt, admonetur memoria nostra atque excitatur: sed locis opus est[9]. Etenim corpus intelligi sine loco non potest. Quare ne in re nota et pervulgata multus[10] et insolens sim: locis est utendum multis, illustribus, explicatis, modicis intervallis; imaginibus autem agentibus[11], acribus, insignitis, quae occurrere, celeriterque percutere[12] animum possint. Quam facultatem et exercitatio dabit; ex qua consuetudo gignitur: et similium verborum conversa[13] et immutata casibus, aut traducta ex parte ad genus notatio, et unius verbi imagine, totius sententiae informatio, pictoris cuiusdam summi[14] ratione et modo, formarum varie-

---

([1]) — *scribere non mediocris, sed boni laus oratoris videtur* Ed. s. l. et a. ([2]) Sic Cdd. pleriq. Man. Steph. L. Ern. 1. 2. 3. ∞ *cui resp.* Cdd. aliq. Iu. Crat. Sch. in Ed. mai. Est tamen e correctione, inde nata, quod v. c. C1d. ap. Sch. habet *qui resp.* ([3]) — *discendi* Mureti €. ([4]) = *et similitudo est* L. ([5]) ∞ *atque* C1d. Edd. quaedam vett. L. ([6]) Ita Crat. L. Pearc. Sch. 2. 3. — *affingi* Cdd. aliq. ap. Le Clerc. Hinc natum — *effingi* Cdd. pleriq. Iu. Man. Ern. 1. ([7]) e Cdd. Iu. Crat. Man. Sch. 2. = *vix compl. poss.* L. — *non* Grut. Ern. 1. 3. ([8]) = *omnibus rebus* L. ([9]) ex Edd. vett. Ern. 1. 3. Sic et Cdd. Regii ap. Le Clerc. — *His autem - - adsp. veniunt, sedes opus est* Ald. Iu. Man. Grut. Sch. 2. — *His autem formis, sicut omnibus corporibus, quae sub adsp. veniunt, sedes opus est* Sch. €. in Ed. mai. Sed *sedes*, voc. parum aptum in hac re ortum est €. ex corruptelis voc. *sed*, quibus deturpantur Cdd. ii, qui ut Sch. 2. cet. omittunt verba *admonetur - excitatur* (v. c. *quae sub adsp. veniunt, si opus est — q. s. a. veniunt, sed opus est — q. s. a. veniunt, sed locis opus est*, ut habent Guelf. A. B. C.) ∞ *quae sub adsp. veniunt, memoria nostra movetur atque excitatur, sed locis opus est* Steph. L. ([10]) = *quare in re n. et p. ne multus* Guelf. B. ([11]) — *ingentibus* Ed. s. l. et a. ([12]) ∞ *celeriter occurrere, celeriterque percutere* L. ([13]) Sic Steph. (omisso tamen *et* ante v. *similium*) L. 1. 2. 3. — *simil. verb. conservata* Iu. Crat. — *et simil. v. conservata* Man. ([14]) — *summa* C2d. prob. Ern.

tate locos distinguentis. LXXXVIII. 359. Sed verborum memoria, quae minus est nobis necessaria, maiore imaginum varietate distinguitur[1]. Multa enim sunt verba, quae, quasi articuli, connectunt membra orationis, quae formari similitudine nulla possunt: eorum fingendae nobis sunt imagines, quibus semper utamur. Rerum memoria propria est oratoris: eam[2] singulis personis bene positis notare possumus, ut sententias imaginibus, ordinem locis comprehendamus. 360. Neque verum est, quod ab inertibus dicitur, opprimi memoriam imaginum pondere, et obscurari etiam id, quod per se natura[3] tenere potuisset. Vidi enim ego summos homines, et divina prope memoria, Athenis Charmadam[4], in Asia, quem vivere hodie aiunt, Scepsium Metrodorum, quorum uterque, tamquam literis in cera, sic se aiebat imaginibus in iis locis, quos haberet, quae meminisse vellet, perscribere. Quare hac exercitatione non eruenda memoria est, si est nulla[5] naturalis: sed certe, si latet, evocanda est.

361. Habetis sermonem bene longum hominis, utinam non impudentis: illud quidem certe[6], non nimis verecundi; qui quidem, quum[7] te, Catule, tum etiam L. Crasso audiente, de dicendi ratione tam multa dixerim. Nam istorum actas minus me fortasse movere debuit. Sed mihi ignoscetis profecto, si modo, quae causa me ad hanc insolitam mihi loquacitatem impulerit, acceperitis. LXXXIX. 362. Nos vero, inquit Catulus, (etenim pro me hoc, et pro meo fratre respondeo[8],) non modo tibi ignoscimus, sed te diligimus, magnamque tibi habemus gratiam: et quum humanitatem et facilitatem agnoscimus tuam, tum admiramur istam scientiam, et copiam. Equidem etiam[9] hoc me assecutum puto, quod magno sum levatus errore, et illa admiratione liberatus, quod multis cum aliis semper admirari solebam[10], unde esset illa tanta tua[11] in causis divinitas. Nec enim te ista attigisse arbitrabar, quae diligentissime cognosse, et undique collegisse, usuque doctum partim correxisse video, partim comprobasse. 363. Neque eo minus eloquentiam tuam, et[12] multo magis virtutem et diligentiam admiror, et simul gaudeo, iudicium animi mei comprobari, quod semper statui, neminem sapientiae laudem et eloquentiae[13] sine summo studio, et labore, et doctrina, consequi posse. Sed tamen quidnam est id, quod dixisti[14], fore, ut tibi ignosceremus, si cognossemus, quae te causa in sermonem[15] impulisset? Quae est enim alia causa, nisi quod nobis, et horum adolescentium studio, qui te attentissime audierunt, morem gerere voluisti? 364. Tum ille, Adimere, inquit, omnem recusationem[16]

---

(1) — *definitur* Sch. suspic. (2) — *eas* Sch. C. in Ed. mai. (3) — om. *natura* L. (4) Sic Cdd. aliq. 1. 2. 3. (— *Charmidam* Grut.) — *Carneadem* Iu. — L. (5) — *ulla* Vet. ap. Steph. Victor. Man. (6) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. 2. — *illud quidem* del. censebat Ern. — *illud certe* volebat Sch. ∞ *illum quid. certe* Muell. C. 3. (7) Sic pleriq. etiam Regii. Iu. — L. Grut. Sch. 2. 3. — *tum* ex Ed. vet. Ern. 1. (8) — *spondeo* Cdd. aliq. Ed. s. l. et a. (9) Sic Steph. L. 1. 2. 3. ∞ om. *etiam* Iu. Crat. Man. (10) Haec *quod* - - *solebam* sine caussa suspecta erant Sch. (11) = *tua tanta* L. (12) — *sed* Sch. C. 2. (13) — *sap. et eloq. laudem* L. (14) Sic pleriq. Iu. — L. Ern. 1. 3. ∞ *quidnam est, quod dixisti* e Cld. Sch. 2. (— *quid est, quod dix.* Heusing. suspic.) (15) — *in hunc serm.* L. (16) — *excusationem* Steph. L.

Crasso volui, quem ego paullo sciebam, vel pudentius[1], vel invitius, (nolo enim dicere de tam suavi homine fastidiosius,) ad hoc genus sermonis accedere. Quid enim poterit dicere? Consularem se esse hominem et censorium? eadem nostra causa est. An aetatem afferet? quadriennio minor est. An se haec nescire[2]? quae ego sero, quae cursim arripui, quae subsicivis[3] operis (ut aiunt), iste a puero, summo studio, summis doctoribus. Nihil dicam de ingenio, cui par nemo fuit. Etenim me dicentem qui audierit, nemo unquam tam sui despiciens fuit, quin speraret aut melius, aut eodem modo se posse dicere: Crasso dicente, nemo tam arrogans, qui similiter se unquam dicturum esse confideret. Quamobrem, ne frustra hi tales viri venerint, te aliquando, Crasse, audiamus. XC. 365. Tum ille, Ut ita ista esse concedam, inquit, Antoni, quae sunt longe secus, quid mihi tu tandem hodie, aut cuiquam homini, quod dici possit, reliquisti? Dicam enim vere, amicissimi homines, quod sentio: saepe ego doctos homines, quid dico saepe? immo nonnunquam[4]: saepe enim qui potui, qui puer in forum venerim, neque inde unquam diutius, quam quaestor abfuerim? sed tamen audivi, ut heri dicebam, et Athenis quum essem, doctissimos viros, et in Asia istum ipsum Scepsium Metrodorum, quum de his ipsis rebus disputaret. Neque vero mihi quisquam copiosius unquam visus est, neque subtilius in hoc genere dicendi, quam iste hodie, esse versatus. Quod si esset aliter, et aliquid intelligerem ab Antonio praetermissum: non essem tam inurbanus, ac paene inhumanus, uti eo[5] gravarer, quod vos cupere sentirem. 366. Tum Sulpicius, An ergo, inquit, oblitus es, Crasse, Antonium ita partitum esse tecum, ut ipse instrumentum oratoris exponeret, tibi eius distinctionem atque ornatum relinqueret? Hic ille, Primum, quis Antonio permisit, inquit, ut et partes faceret, et, utram vellet, prior ipse sumeret? Deinde, si ego recte intellexi, quum valde libenter audirem, mihi coniuncte est visus de utraque re dicere. Ille vero, inquit Cotta, ornamenta orationis non attigit, neque eam laudem, ex qua eloquentia nomen ipsum[6] invenit. Verba igitur, inquit Crassus, mihi reliquit Antonius, rem ipse sumpsit. 367. Tum Caesar, Si, quod difficilius est, id tibi reliquit; est nobis, inquit, causa, cur te audire cupiamus: sin, quod facilius; tibi causa non est, cur recuses. Et Catulus, Quid? quod dixisti, inquit, Crasse, si hic hodie apud te maneremus, te morem nobis esse gesturum, nihilne ad fidem [tuam[7]] putas pertinere? Tum Cotta ridens, Possem tibi, inquit, Crasse, concedere: sed vide, ne quid Catulus attulerit religionis. Opus hoc censorium est. Id autem committere, vides[8] quam sit homini turpe cen-

(1) — *prudentius* Vet. ap. Steph. L. perperam. (2) Sic Cdd. aliq. Nonius in v. *subsicivum*. Steph. L. prob. Sch. Muell. 3. — *an se nescire* Iu. Man. Ern. 1. 2. (3) = *subsecivis* L. (4) ∞ *immo vero nonnunquam* Cdd. aliq. Steph. L. (5) — *ut in eo* Cdd. haud. pauci. ∞ *uti ego eo* L. (6) ∞ *suum* pro *ipsum* Cdd. aliq. Steph. L. (∞ *ipsa suum* Sch. suspic.) (7) ∞ om. C2d. prob. Heusing. del. Sch. 2. 3. Nos [ ]. (8) e Cdd. Sch. 2. 3. — *vide* Iu. Crat. Man. Ern. 1. ∞ *vide*, *quam homini censorio conveniat*. Steph. L. eaque egregia plane lectio; ironiam glossatores explicasse videri possunt vulgatâ. Sed vereor, ne coniecturae dumtaxat debeatur, qua quis suppleverit lectionem e Cd. Erl. notatam: *vides*, *quam homini censorio* omisso verbo.

sorio. Agite vero, ille[1] inquit, ut vultis. Sed nunc quidem, quoniam id temporis est, surgendum censeo, et requiescendum: post meridiem, si ita vobis est commodum, loquemur aliquid, nisi forte me in[2] crastinum differre mavultis. Omnes se vel statim, vel, si ipse post meridiem mallet[3], quamprimum tamen audire velle dixerunt.

M. TULLII CICERONIS

DE

ORATORE

LIBER TERTIUS.

I. 1. Instituenti mihi, Quinte frater, eum sermonem referre, et mandare huic tertio libro, quem post Antonii disputationem Crassus habuisset, acerba sane recordatio veterem animi curam molestiamque renovavit. Nam illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa virtus L. Crassi, morte exstincta subita est, vix diebus decem post eum diem, qui hoc et superiore libro continetur. 2. Ut enim Romam rediit extremo scenicorum ludorum[4] die, vehementer commotus ea oratione, quae ferebatur habita esse in concione a Philippo: quem dixisse constabat, „videndum sibi aliud esse[5] consilium, illo senatu se rem publicam gerere[6] non posse": mane Idibus Septembribus[7], et ille, et senatus frequens vocatu Drusi in curiam venit. Ibi quum Drusus multa de Philippo questus esset, retulit ad senatum de illo ipso, quod consul in eum ordinem tam graviter in concione esset invectus. 3. Hic, ut[8] saepe inter homines sapientissimos constare vidi, quamquam hoc Crasso, quum aliquid accuratius dixisset, semper fere contigisset[9], ut nunquam dixisse melius putaretur, tamen omnium consensu sic esse tum iudicatum[10], ceteros a Crasso semper omnes, illo autem die etiam ipsum a sese[11] superatum. Deploravit enim casum

---

(1) ∞ om. *ille* Cdd. aliq. prob. Sch. (2) Sic Guelf. B. C. Iu. Crat. Camerar. Optima lectio, obliterata iam in Man. tum L. Grut. 1. 2. 3. qui habent: *forte in* — (3) ∞ *vel post meridiem, si ipse mallet* L. (4) = *ludorum scenic.* L. (5) = *esse aliud* L. (6) — *regere* L. (7) = *Septemb.* Iu. al. quod cum Lambino solvendum erat: *Septembribus*, non *Septembris* Crat. Camer. Man. 1. 2. 3. (8) — om. *ut* Cdd. aliq. etiam Le Clerquii. (9) ∞ *contigisse constabat* Steph. solus. (10) Sic Ald. Iu. Man. (cui a quibusdam, v. c. Ern. tribuitur C. *sic est tum iudicatum*) L. Grut. Muell. 3. prob. Matthiae *de Anacol.* p. 9. — addunt *audivi* Edd. vett. Ed. s. l. et a. Ern. 1. Sch. 2. — *audivimus* add. e Cd. 7705. Le Clerc. quae ipsa διττογραφία glossematis iudicium praebet. Ceterum Sch. nimis violenta C. totum locum ita refinxit: *Hic, quamquam hoc inter homines sapientissimos constare vidi, Crasso, quum aliquid accuratius dixisset, semper fere contigisse, ut nunquam - - iudicatum audivi.* (11) = *a se* L.

atque orbitatem senatus: cuius ordinis a consule, qui quasi parens[1] bonus, aut tutor fidelis esse deberet, tamquam ab aliquo nefario praedone diriperetur patrimonium dignitatis: neque vero esse mirandum, si, quum suis consiliis rem publicam profligasset, consilium senatus a re publica[2] repudiaret. 4. Hic quum homini et vehementi, et diserto, et in primis forti ad resistendum, Philippo, quasi quasdam verborum faces[3] admovisset, non tulit ille, et[4] graviter exarsit, pignoribusque ablatis Crassum instituit[5] coërcere. Quo quidem ipso in loco multa a Crasso divinitus dicta efferebantur[6], quum sibi illum consulem esse negaret, cui senator ipse non esset. „An tu, quum omnem auctoritatem universi ordinis pro pignore putaris[7], eamque in conspectu populi Romani concideris; me his[8] pignoribus existimas posse terreri? Non tibi illa sunt caedenda[9], si L. Crassum[10] vis coërcere: haec tibi est excidenda[11] lingua: qua vel evulsa, spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit." 5. Permulta tum vehementissima contentione[12] animi, ingenii, virium, ab eo dicta esse constabat; sententiamque eam, quam senatus frequens secutus est ornatissimis et gravissimis verbis, *Ut populo Romano satisfieret, nunquam senatus neque consilium rei publicae, neque fidem defuisse*, ab eo dictam: et eundem (id quod in auctoritatibus praescriptis[13] exstat) scribendo adfuisse. 6. Illa tamquam cycnea fuit divini hominis vox et oratio, quam[14] quasi exspectantes[15], post eius interitum veniebamus in curiam, ut vestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contueremur. Namque tum latus ei dicenti condoluisse, sudoremque multum consecutum esse audiebamus: ex quo quum cohorruisset, cum febri domum rediit, dieque septimo est lateris dolore consumptus[16]. 7. O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, et inanes nostras contentiones[17]! quae in medio spatio saepe franguntur, et corruunt, et[18] ante, in ipso cursu, obruuntur, quam portum conspicere potuerunt. Nam, quamdiu Crassi fuit ambitionis

---

(1) — *patronus* margo Crat. (2) Sic Ald. Iu. — L. Grut. Ern. 1. et rectissime dicitur *repudiare aliquid et a se, et ab alio.* — *in rem publicam* Cld. unde Sch. €. 2. 3. — *in re publica.* — *rei publicae* Olx. Edd. vett. (— *consilium rei publicae rep.* Ern. suspic. — *consilium Senatu, rep.* Heusing. suspic.) (3) — *fasces* L. (4) — *sed* de Ern. €. Sch. 2. Recte Muell. 3. restituit *et* e Cdd. Iu. — L. Ern. 1. (5) — *institit* Man. (6) — *ferebantur* Ern. suspic. — *esse ferebantur* L. (7) Sic Crat. (nisi quod hic, ut L. *putares - concideres*) Man. Ern. 1. 2. 3. — *propugnare putares — concideres* Olx. Iu. (8) Sic Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. — *meis* Grut. (9) Sic Cdd. aliq. Ald. Iu. — L. Grut. Sch. 2. 3. — *concidenda* ex Edd. vett. (Olx.) Ern. 1. sed corruptela ista nata est e praeced. *concideris.* (10) Sic Olx. Guelf. A. Ed. s. l. et a. Sch. in Ed. mai. — *si Crassum* Iu. — L. Ern. 1. 2 3. (11) Sic Iu. — L. Ern. 1. ∞ *incidenda* Cdd. aliq. Sch. 2. 3. Sed hoc putide et fere ridicule dictum equidem arbitror, *lingua incisa:* neque idem est *excidere* et *evellere*, ut putat Sch. simili enim gradatione Cic. *Ep. ad Attic.* 15, 4. *Arbor excisa, non evulsa.* (12) — *concitatione* Ed. s. l. et a. prob. Ern. (13) ex Edd. vett. Ern. 1. 2. 3. — *perscriptis* Ald. Iu. — L. Grut. (14) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. — *quem* Sch. €. 2. 3. Sed Muell. meliora iam edoctus a Matthiae, hanc €. postea improbavit. (15) ∞ *exceptantes* Gesneri €. prob. Kidd in Dawesii *Misc. Crit.* p. 14. sed hoc sensu Ciceronianum non est, ac vix Latinum. (16) Sic Cdd. aliq. Iu. Crat. Man. Muell. 3. = *lateris dolore consumptus est* L. Grut. Ern. 1. — *lateris est dol. cons.* Sch. €. 2. (17) — *cogitationes* Ern. suspic. (18) ∞ *aut* Cdd. aliq.

labore vita districta, tamdiu privatis magis officiis et ingenii laude floruit, quam fructu amplitudinis, aut rei publicae dignitate. Qui autem ei annus primus ab honorum perfunctione aditum, omnium concessu, ad summam auctoritatem dabat, is eius omnem spem atque omnia vitae consilia morte pervertit. 8. Fuit hoc luctuosum suis, acerbum patriae, grave bonis omnibus, sed ii tamen rem publicam[1] casus secuti sunt, ut mihi non erepta L. Crasso a diis immortalibus vita, sed donata mors esse videatur. Non vidit flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia senatum, non sceleris nefarii principes civitatis reos, non luctum filiae, non exilium generi, non acerbissimam C. Marii fugam, non illam post reditum eius caedem omnium crudelissimam, non denique in omni genere deformatam eam civitatem, in qua ipse florentissima multum omnibus gloria praestitisset.

III. 9. Sed quoniam attigi cogitatione vim varietatemque fortunae, non vagabitur oratio mea longius, atque eis fere ipsis definietur viris, qui hoc sermone, quem referre coepimus[2], continentur. Quis enim non iure beatam L. Crassi mortem illam, quae est a multis saepe defleta, dixerit, quum horum ipsorum sit, qui tum cum illo postremum fere collocuti sunt, eventum recordatus? Tenemus enim memoria, Q. Catulum, virum omni laude praestantem, quum sibi non incolumem fortunam, sed exilium et fugam deprecaretur, esse coactum, ut vita se ipse privaret. 10. Iam M. Antonii in his ipsis rostris, in quibus ille rem publicam constantissime consul defenderat, quaeque censor imperatoriis manubiis ornarat, positum caput illud fuit, a quo erant multorum civium capita servata. Neque vero longe ab eo C. Iulii caput, hospitis Etrusci scelere proditum, cum L. Iulii fratris capite iacuit, ut ille, qui haec non vidit[3], et vixisse cum re publica pariter, et cum illa simul exstinctus esse videatur. Neque enim propinquum suum, maximi animi virum, P. Crassum, suapte interfectum manu, neque collegae sui, pontificis maximi, sanguine simulacrum Vestae respersum esse[4] vidit: cui maerori (qua mente ille in patriam fuit) etiam C. Carbonis, inimicissimi hominis, eodem illo die mors nefaria fuisset. 11. Non vidit eorum ipsorum, qui tum adolescentes Crasso se dicarant, horribiles miserosque casus. Ex quibus C. Cotta, quem ille florentem reliquerat, paucis diebus post mortem Crassi depulsus per invidiam tribunatu, non multis ab eo tempore mensibus eiectus est e civitate. Sulpicius autem, qui in eadem invidiae flamma fuisset, quibuscum privatus coniunctissime vixerat, hos in tribunatu spoliare instituit omni dignitate: cui quidem ad summam gloriam eloquentiae efflorescenti[5], ferro erepta[6] vita est, et poena temeritatis[7] non sine magno rei publicae malo constituta. 12. Ego vero te, Crasse, quum vitae flore, tum mortis opportunitate, divino consilio et ortum et exstinctum esse arbitror. Nam tibi aut, pro virtute

---

(1) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. — *rei publicae* vel *in re publica* Ern. suspic. Sed accusativus significantius denotat calamitatem casuum illorum. (2) — *suscepimus* Vet. ap. Steph. Guelf. A. (3) — *viderit* Ern. suspic. (4) ∞ om. *esse* L. prob. Sch. (5) ex Ern. C. Sch. 2. 3. — *florescenti* Cdd. Iu. — L. Ern. 1. (6) — *excepta* Steph. solus. (7) — *temeritati* Man.

animi constantiaque tua, civilis ferri subeunda fuit [1] crudelitas, aut, si qua te fortuna ab atrocitate mortis vindicasset, eadem esse te funerum patriae spectatorem coëgisset: neque solum tibi improborum dominatus, sed etiam, propter admixtam [2] civium caedem, bonorum victoria maerori fuisset. IV. 13. Mihi quidem, Quinte frater, et eorum casus, de quibus ante dixi, et ea, quae nosmet ipsi ob amorem in rem publicam incredibilem et singularem pertulimus ac sensimus, cogitanti, sententia saepe tua vera ac sapiens videri solet, qui propter tot, tantos, tamque praecipites casus clarissimorum hominum [3] atque optimorum virorum, me semper ab omni contentione ac dimicatione revocasti. 14. Sed quoniam haec iam neque in integro [4] nobis esse possunt, et summi labores nostri, magna compensati gloria, mitigantur; pergamus ad ea solatia, quae non modo sedatis molestiis, iucunda, sed etiam haerentibus, salutaria nobis esse possunt; sermonemque L. Crassi reliquum, ac paene postremum memoriae prodamus: atque ei, etsi nequaquam parem illius ingenio, at pro nostro tamen studio, meritam gratiam debitamque referamus. 15. Neque enim quisquam nostrûm, quum libros Platonis mirabiliter scriptos legit, in quibus omnibus [5] fere Socrates exprimitur, non, quamquam illa scripta sunt divinitus, tamen maius quiddam de illo, de quo scripta sunt, suspicatur. Quod item nos postulamus, non a te quidem, qui nobis omnia summa [6] tribuis, sed a ceteris, qui haec in manus sument, ut maius [7] quiddam de L. Crasso, quam quantum a nobis exprimetur, suspicentur. 16. Nos enim, qui ipsi [8] sermoni non interfuissemus, et quibus C. Cotta tantummodo locos ac sententias huius disputationis tradidisset, quo in genere orationis utrumque oratorem cognoveramus, id ipsum sumus in eorum sermone adumbrare conati. Quod si quis erit, qui ductus opinione vulgi, aut Antonium iciuniorem, aut Crassum fuisse pleniorem [9] putet, quam quomodo a nobis uterque inductus est [10]; is erit ex iis, qui aut illos non audierint, aut iudicare non possint [11]. Nam fuit uterque, (ut exposui antea) quum studio atque ingenio et doctrina praestans omnibus, tum in suo genere perfectus, ut neque in Antonio deesset hic ornatus orationis, neque in Crasso redundaret.

V. 17. Ut igitur ante meridiem discesserunt, paullulumque requierunt, in primis hoc a se Cotta animadversum esse dicebat, omne illud tempus meridianum Crassum in acerrima atque attentissima cogitatione posuisse, seseque, qui vultum eius, quum ei dicendum esset, obtutumque oculorum in cogitando probe nosset, atque in maximis causis saepe vidisset, tum dedita opera, quiescentibus aliis,

---

([1]) = *fuit subeunda* L. ([2]) e Cdd. Muell. 3. = *admistam* Iu. — L. Ern. 1. 2. ([3]) *hominum* suspectum Sch. ([4]) Sic Iu. Crat. Man. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *neque integro* Cld. unde videtur orta multorum Cdd. et Lamb. lectio — *neque integra* prob. Pearc. ([5]) ∞ om. *omnibus* Cdd. aliq. Victor. Man. ([6]) Sic Edd. vett. L. Ern. 1. 2. 3. — *summa omnia* Iu. Man. Grut. ([7]) ∞ *maius ut* Cdd. aliq. ([8]) ∞ *ipsius* Steph. L. ([9]) Sic Cdd. Iu. Man. Grut. = *pleniorem fuisse* L. Ern. 1. 2. 3. ([10]) Sic Man. Steph. L. 1. 2. 3. — *esset* Iu. Crat. ([11]) Sic Cdd. pauci. L. Pearc. Ern. 1. 2. 3. — *audierit-possit* Cdd. pleriq. Iu. Crat. Man. Grut.

in eam exhedram venisse [1], in qua Crassus lectulo posito recubuisset, quumque eum in cogitatione defixum esse sensisset, statim recessisse, atque in eo silentio duas horas fere esse consumptas. Deinde quum omnes inclinato iam in pomeridianum [2] tempus die, venissent ad Crassum, Quid est, Crasse, inquit Iulius, imusne sessum? etsi admonitum venimus te, non flagitatum. 18. Tum Crassus: An me tam impudentem esse existimatis, ut vobis hoc praesertim [3] munus putem diutius posse debere [4]? Quinam igitur, inquit ille, locus? an in media silva placet? Est enim is maxime et opacus, et frigidus. Sane, inquit Crassus. Etenim est in eo loco sedes huic nostro non inopportuna sermoni. Quum placuisset idem ceteris, in silvam venitur, et ibi magna cum audiendi exspectatione considitur [5].

19. Tum Crassus, Quum auctoritas atque amicitia vestra, tum Antonii facilitas eripuit, inquit, mihi in optima mea causa libertatem recusandi. Quamquam in partienda disputatione nostra, quum sibi de iis, quae [6] dici ab oratore oporteret, sumeret, mihi autem relinqueret, ut explicarem, quemadmodum illa ornari oporteret; ea divisit, quae seiuncta esse non possunt. Nam quum omnis ex re atque verbis constet oratio; neque verba sedem [7] habere possunt, si rem subtraxeris [8], neque res lumen, si verba semoveris. 20. Ac mihi quidem veteres illi, maius quiddam animo complexi, multo plus [9] etiam vidisse videntur, quam quantum nostrorum ingeniorum acies intueri potest: qui omnia haec, quae supra et subter, unum esse, et una vi atque una consensione naturae constricta esse dixerunt. Nullum est enim genus rerum, quod aut avulsum a ceteris per se ipsum constare, aut, quo cetera si careant, vim suam atque aeternitatem conservare possint. VI. 21. Sed si [10] haec maior esse ratio videtur, quam ut hominum possit sensu aut cogitatione comprehendi: est etiam [11] illa Platonis vera, et tibi, Catule, certe non inaudita vox: omnem doctrinam harum ingenuarum et humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri. Ubi enim perspecta vis est rationis eius, qua causae rerum atque exitus cognoscuntur, mirus quidam omnium quasi consensus doctrinarum concentusque reperitur. 22. Sed si hoc quoque videtur esse altius, quam ut id nos, humi strati, suspicere possimus, illud certe tamen, quod amplexi sumus, quod profitemur, quod suscepimus, nosse et tenere debemus. Una est enim, quod et ego hesterna [12] die dixi, et aliquot locis antemeridiano sermone significavit Antonius, eloquentia,

---

([1]) Sic Cdd. pleriq. L. 1. 2. 3. — *exedram venisset* Ald. Iu. Crat. Man. Grut. ([2]) Sic Cdd. aliq. Steph. L. Pearc. 1. 2. 3. cfr. *Orat.* 47. = *postmeridianum* Iu. Man. Grut. ([3]) = *praesertim hoc* L. ([4]) ∞ *deberi* Ascens. prob. Pearc. — *me diut. p. debere* L. ([5]) — *considetur* L. ([6]) — *sibi ea, quae* L. ([7]) Sic Cdd. aliq. Ed. s. l. et a. Man. L. 1. 2. 3. — *fidem* Iu. Crat. ([8]) — *subtraxeris* suspectum sine causa Lambino. ([9]) Sic Cdd. Ed. s. l. et a. Grut. 1. 2. 3. ∞ *plus multo* Iu. — L. quod tamen ab iis profectum videtur, qui dactylicos hos numeros Cicerone indignos censerent. Ceterum probus hic quoque ordo *plus multo*. cfr. Q. Cic. *de pet. cons.* c. 12. *plures enim multo sunt.* ([10]) Sic Edd. vett. Iu. Crat. L. Ern. 1. 2. 3. ∞ *sed haec* Man. Grut. id quod placuit Matthiae *Misc. Crit.* 1, 4. p. 682. ([11]) — *tamen* E. Pearcii et nescio cuius ap. Ern. ([12]) = *hesterno* L. solus.

quascunque in oras disputationis regionesve delata est. 23. Nam sive de caeli natura loquitur, sive de terrae, sive de divina vi, sive de humana, sive ex inferiore loco, sive ex aequo, sive ex superiore, sive ut impellat homines, sive ut doceat, sive ut deterreat, sive ut concitet, sive ut reflectat[1], sive ut incendat, sive ut leniat, sive ad paucos, sive ad multos, sive inter alienos, sive cum suis, sive secum[2], rivis est diducta[3] oratio, non fontibus: et, quocunque ingreditur, eodem est instructu ornatuque comitata. 24. Sed quoniam oppressi iam sumus opinionibus non modo vulgi, verum etiam hominum leviter eruditorum, qui, quae complecti tota nequeunt, haec facilius divulsa et quasi discerpta contrectant; et qui, tamquam ab animo corpus, sic a sententiis verba seiungunt, quorum sine interitu fieri neutrum[4] potest; non suscipiam oratione mea plus, quam mihi imponitur. Tantum significabo brevi, neque verborum ornatum inveniri posse non † partitis[5] expressisque sententiis, neque esse ullam sententiam illustrem sine luce verborum. 25. Sed priusquam illa conor attingere, quibus orationem ornari, atque illuminari putem, proponam breviter, quid sentiam de universo genere dicendi.

VII. Natura nulla est, ut mihi videtur, quae non habeat in suo genere res complures dissimiles inter se, quae tamen consimili laude dignentur. Nam et auribus multa percipimus, quae, etsi nos vocibus delectant, tamen ita sunt varia saepe, ut id, quod proximum audias, iucundissimum esse videatur: et oculis colliguntur paene innumerabiles voluptates, quae nos ita capiunt, ut unum sensum dissimili genere delectent: et reliquos sensus voluptates[6] oblectant[7] dispares, ut sit difficile iudicium excellentis maxime suavitatis. 26. At[8] hoc idem, quod est in naturis rerum, transferri potest etiam ad artes. Una fingendi est ars, in qua praestantes fuerunt Myro, Polycletus, Lysippus; qui omnes inter se dissimiles fuerunt; sed ita tamen, ut neminem sui velis esse dissimilem. Una est ars ratioque picturae, dissimillimique[9] tamen inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles: neque eorum quisquam est, cui quidquam in arte sua deesse videatur. Et, si hoc in his quasi mutis artibus est mirandum, et tamen verum[10]: quanto admirabilius in oratione atque in lingua? quae quum in iisdem sententiis verbisque versetur, summas habet dissimilitudines; non sic, ut alii vituperandi[11] sint, sed ut ii, quos constet esse laudandos, in dispari tamen genere laudentur. 27. Atque id primum in poëtis cerni licet, quibus est proxima cognatio cum oratoribus, quam sint inter sese Ennius, Pacuvius, Acciusque[12]

([1]) — *sive ut reflectat* suspectum Censori Ienensi. ([2]) Refertur hoc potissimum ad *μονολογίας* tragicas et comicas, ideoque immerito suspectum erat Sch. Quid? quod Muell. 3. [ ]. ([3]) Sic Man. L. 1. 2. 3. — *deducta* Iu. Crat. ([4]) = *neutrum fieri* L. ([5]) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. ∞ *partis* €. nescio cuius ap. Pearc. Sch. 2. 3. ∞ *repertis* Lamb. suspic. — *paratis* €. al. ap. Pearc. ([6]) ∞ *sensus singulos singulae voluptates* L. e €., ut videtur. ([7]) Sic Edd. vett. Iu. Man. L. Ern. 1. 2. 3. — *oblectent* Crat. Grut. ([8]) ∞ *Atque* L. — *Et* Pearcii suspic. ([9]) — *dissimillimi* Sch. suspic. ([10]) Haec *et tamen verum* Goerenzio *ad Acad.* 2, 12, 37. spuria visa nimis festinanter del. Sch. 2. Muell. 3. ([11]) ∞ *ut alii laudandi, alii vituperandi* L. e €., ut videtur. ∞ *ut aliqui* (vel — *ulli*) *vitup.* Pearcii suspic. ([12]) Sic Iu. — L. Ern. 1. = *Attiusque* Sch. 2. 3. Lapides Pisaurenses indubitati ap. Oliverium utramque scripturam exhibent.

dissimiles: quam apud Graecos Aeschylus, Sophocles, Euripides, quamquam[1] omnibus par paene laus in dissimili scribendi genere tribuatur. 28. Adspicite nunc eos homines atque intuemini, quorum de facultate quaerimus[2], quid intersit inter oratorum studia atque naturas. Suavitatem Isocrates, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides, sonitum Aeschines, vim Demosthenes habuit. Quis eorum non egregius? tamen[3] quis cuiusquam nisi sui similis? Gravitatem Africanus, lenitatem Laelius, asperitatem Galba, profluens quiddam habuit Carbo et canorum. Quis horum non princeps temporibus illis fuit? et suo tamen quisque in genere princeps. VIII. 29. Sed quid ego vetera conquiram, quum mihi liceat uti praesentibus exemplis atque vivis? Quid iucundius auribus nostris unquam accidit huius oratione Catuli? quae est pura sic, ut Latine loqui paene solus videatur, sic autem gravis, ut in singulari dignitate omnis tamen adsit humanitas ac lepos. Quid multa? istum audiens equidem sic iudicare soleo, quidquid aut addideris, aut mutaveris, aut detraxeris, vitiosius[4] et deterius futurum. 30. Quid? noster hic Caesar nonne novam quandam rationem attulit orationis, et dicendi genus induxit prope singulare? Quis unquam res, praeter hunc, tragicas paene comice[5], tristes remisse, severas hilare[6], forenses scenica prope venustate tractavit: atque ita, ut neque iocus magnitudine rerum excluderetur, nec[7] gravitas facetiis minueretur? 31. Ecce praesentes duo prope aequales Sulpicius et Cotta. Quid tam inter se dissimile? quid tam in suo genere praestans? Limatus alter et subtilis, rem explicans propriis aptisque verbis. Haeret in causa semper, et, quid iudici probandum sit, quum acutissime vidit, omissis ceteris argumentis, in eo mentem orationemque defigit. Sulpicius autem fortissimo quodam animi impetu, plenissima et maxima voce, summa contentione corporis, et dignitate motus, verborum quoque ea gravitate et copia est, ut unus ad dicendum instructissimus a natura esse videatur. IX. 32. Ad nosmet ipsos iam revertor: quoniam sic fuimus semper comparati, ut hominum sermonibus quasi in aliquod contentionis iudicium vocaremur: quid tam dissimile, quam ego in dicendo et Antonius? quum ille is sit orator, ut nihil eo possit esse praestantius: ego autem, quamquam memet mei poenitet, cum hoc maxime tamen in comparatione coniungar[8]. Videtisne, genus hoc quod sit Antonii? forte, vehemens, commotum in agendo, praemunitum et ex omni parte causae saeptum, acre, acutum, enucleatum, in unaquaque re commorans,

---

(1) — *quamque* L. (2) post haec Sch. sine causa excidisse opinatur: *ut intelligatis.* (3) — *et tamen* L. (4) An *vitiosum id?* (5) *tragicas p. comice* suspecta haec Sch. quamvis bis agnoscit Nonius in v. *remissum* et in v. *hilare* (ubi *serias* pro *severas*). Sed haec pertinent ad leporem et sententiarum et sermonis, *scenica* vero *venustas* ad gestum potius et actionem. (6) — *tristes hilare, severas remisse* Pearcii suspic. (7) = *neque* L. (8) *quoniam – coniungar* Lamb. Pearc. Ern. inutiles suspicc. vide apud ipsos, Sch. et Muell. Nihil tamen in Ed. 1566. novavit L. Omnes turbae inde natae sunt, quod v. *sic fuimus comparati*, illi male cepisse videntur pro *collati*, *verglichen*, Ital. *paragonati*, quum, quod vel perfectum *fuimus* docere poterat, non sit particip. sed adiect. *eiusmodi oratores*, *so beschaffen*, *così fatti.*

honeste cedens, acriter insequens, terrens, supplicans, summa orationis varietate, nulla nostrarum aurium satietate. 33. Nos autem, quicunque in dicendo sumus, quoniam esse aliquo in numero vobis videmur, certe tamen ab huius[1] multum genere distamus; quod quale sit, non est meum dicere, propterea quod minime sibi quisque notus est, et difficillime de se quisque sentit: sed tamen dissimilitudo intelligi potest, et ex motus mei mediocritate, et ex eo, quod, quibus vestigiis primum insti, in iis fere soleo perorare, et quod aliquanto me maior in verbis [quam in sententiis] eligendis labor[2] et cura torquet, verentem, ne si paullo obsoletior fuerit oratio, non digna exspectatione et silentio fuisse videatur. 34. Quod si in nobis, qui adsumus, tantae dissimilitudines[3], tam certae res cuiusque propriae, et in ea varietate fere melius a deteriore, facultate magis quam genere distinguitur, atque omne laudatur, quod in suo genere perfectum est: quid censetis, si omnes, qui ubique sunt, aut fuerunt oratores, amplecti voluerimus? nonne[4] fore, ut quod oratores, totidem paene[5] reperiantur genera dicendi? Ex qua mea disputatione forsitan occurrat illud, si paene innumerabiles sint quasi formae figuraeque dicendi, specie dispares, genere laudabiles; non posse ea, quae inter se discrepant[6], iisdem praeceptis, atque in[7] una institutione formari. 35. Quod non est ita: diligentissimeque hoc est eis, qui instituunt aliquos[8] atque erudiunt, videndum, quo sua quemque natura maxime ferre videatur. Etenim videmus, ex eodem quasi[9] ludo summorum in suo cuiusque genere artificum et magistrorum exisse discipulos, dissimiles inter se, ac tamen[10] laudandos; quum ad cuiusque naturam institutio doctoris accommodaretur. 36. Cuius est vel maxime insigne illud exemplum (ut ceteras artes omittamus) quod dicebat Isocrates, doctor singularis, se calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis uti solere. Alterum enim, exsultantem verborum audacia, reprimebat, alterum cunctantem et quasi verecundantem, incitabat. Neque eos similes effecit inter se, sed tantum alteri[11] affinxit, de altero limavit, ut id conformaret[12] in utroque, quoad utriusque natura pateretur. X. 37. Haec eo mihi praedicenda[13] fuerunt, ut, si non omnia, quae proponerentur a me, ad omnium vestrûm studium, et ad genus id, quod quisque vestrûm in dicendo probaret, adhaerescerent, id a me genus exprimi sentiretis, quod maxime mihi ipsi probaretur.

([1]) — *hoc* Cld. prob. Pearc. ([2]) Sic, sed sine [ ] Ald. Iu. Crat. L. Ern. 1. ∞ *quam in sententiis*, quod ego [ ], recte del. Sch. €. 2. Muell. 3. — *me maior in verbis et in sententiis eligendis quam eum* (= *quam Antonium* Edd. aliq. vett. Margo Crat. unde manifestum fit gloss.) *labor* Man. Grut. (ex falsa omnino lect. Vet. ap. Steph. *et in sententiis elig. quam labor*) — *me maior in verbis et in sent. elig. labor* Le Clerc. ([3]) ∞ add. *sunt:* Lambini et Ern. suspic. ([4]) Sic Cdd. (Olx.) Edd. vett. L. Ern. 1. 2. 3. — *numne* Ald. Iu. Grut. ([5]) — *fere* L. ([6]) — *discrepent* Ern. suspic. ([7]) ∞ om. *in* L. al. ([8]) — *alios* Ern. suspic. ([9]) — *quasi* suspectum Sch. ([10]) ex Olx. et Goerenzii Cd. prob. Sch. Muell. 3. — *attamen* Iu. — L. Ern. 1. 2. ([11]) — *tantum quod alteri* Guelf. C. ([12]) Sic Ed. s. l. et a. si fides collatori. Cdd. aliq. Man. L. 1566. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *confirmaret* Cdd. aliq. (Olx.) Iu. Crat. Ed. 1584. ([13]) = *praedicunda* e pluribus Cdd. laudatur hoc antiquioris scripturae vestigium.

Ergo haec et agenda sunt ab oratore, quae explicavit Antonius, et dicenda quodam modo. Quinam igitur dicendi est modus melior, (nam de actione post videro,) quam ut Latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quodcunque agetur, apte congruenterque dicamus? 38. Atque eorum quidem, quae duo prima dixi, rationem non arbitror exspectari a me, puri dilucidique sermonis. Neque enim conamur docere eum dicere [1], qui loqui nesciat; nec sperare [2], qui Latine non possit, hunc ornate esse dicturum: neque vero, qui non dicat, quod intelligamus, hunc posse, quod admiremur, dicere. Linquamus igitur haec, quae cognitionem [3] habent facilem, usum necessarium. Nam alterum traditur literis, doctrinaque puerili; alterum adhibetur ob eam causam, ut intelligatur, quid quisque dicat: quod videmus ita esse necessarium, ut tamen eo minus nihil esse possit. 39. Sed omnis loquendi elegantia, quamquam expolitur scientia literarum, tamen augetur legendis oratoribus, et poëtis. Sunt enim illi veteres, qui ornare nondum [4] poterant ea, quae dicebant, omnes prope praeclare locuti: quorum sermone [5] assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui, nisi Latine. Neque tamen erit utendum verbis iis, quibus iam consuetudo nostra non utitur, nisi quando ornandi causa, parce, quod ostendam [6]; sed usitatis ita poterit uti, lectissimis ut utatur, is [7], qui in veteribus erit scriptis studiose et multum volutatus. XI. 40. Atque, ut Latine loquamur, non solum videndum est, ut et [8] verba efferamus ea, quae nemo iure reprehendat: et ea sic et casibus, et temporibus, et genere, et numero conservemus [9], ut ne quid perturbatum, ac discrepans, aut praeposterum sit: sed etiam lingua, et spiritus, et vocis sonus est ipse moderandus. 41. Nolo exprimi literas putidius, nolo obscurari negligentius; nolo verba exiliter exanimata [10] exire, nolo inflata, et quasi anhelata gravius. Nam de voce nondum ea dico, quae sunt actionis; sed hoc, quod mihi cum sermone quasi coniunctum videtur. Sunt enim certa vitia, quae nemo est, quin effugere cupiat; mollis vox, ut [11] muliebris, aut quasi extra modum absona atque absurda. 42. Est autem vitium, quod nonnulli de industria consectantur. Rustica vox et agrestis quosdam delectat: quo magis antiquitatem, si ita sonet, eorum sermo retinere videatur: ut tuus, Catule, sodalis, L. Cotta, gaudere mihi videtur gravitate [12] linguae, sonoque vocis agresti, et illud, quod loquitur, priscum visum iri putat, si plane fuerit rusti-

---

([1]) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. — *dicere cum docere* Sch. €. 2. 3. ([2]) — *speramus* L. sed ex v. *conamur* ad v. *sperare* eliciendum est *audemus*. ([3]) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. — *cogitationem* Ed. 1584. Grut. ([4]) — *nondum ornare* L. ([5]) — *sermoni* L. ([6]) — *quod ostendam* suspecta haec Ern. et Sch. — *quod ostenderam* O1x. ex correctione. ([7]) — *utatur iis* non Lamb. 1566. sed Alii in marg. 1584. ([8]) — om. *et* Steph. L. ([9]) Hoc corruptum utique videtur. — *construemus* Cd. Reg. 7753. unde exit ∞ *construamus:* ut C. 31. in fine *verba struat*. ∞ *conseramus* Sch. €. 2. 3. Sed huius maxime exempla desidero Ciceroniana. ([10]) Sic omnes, nisi quod O1x. Crat. *examinata* ∞ *exiliter animata* de Ern. €. Sch. 2. 3. ∞ *exilia et quasi exanimata* Schneideri €. quum *quasi* ante v. *anhelata* absit ab Ed. s. l. et a. ([11]) — *aut* O1x. Ed. s. l. et a. Steph. — *atque* L. ([12]) — *pravitate* Pearcii suspic.

canum. Me autem tuus sonus et suavitas [1] ista delectat; omitto verborum, quamquam est caput; verum id affert ratio, docent [2] literae, confirmat consuetudo et legendi et loquendi; sed hanc dico suavitatem, quae exit ex ore: quae quidem, ut apud Graecos, Atticorum, sic, in Latino sermone, huius est urbis maxime propria. 43. Athenis iam diu doctrina ipsorum Atheniensium interiit; domicilium tantum in illa urbe remanet studiorum, quibus vacant cives, peregrini fruuntur, capti quodammodo nomine urbis et auctoritate: tamen eruditissimos homines Asiaticos quivis Atheniensis indoctus, non verbis, sed sono vocis, nec tam bene, quam suaviter loquendo, facile superabit. Nostri minus student literis, quam Latini. Tamen ex istis, quos nostis, urbanis, in quibus minimum est literarum, nemo est, quin literatissimum togatorum omnium, Q. Valerium Soranum [3], lenitate vocis atque ipso oris pressu et sono facile vincat. XII. 44. Quare quum sit quaedam certa vox Romani generis urbisque propria, in qua nihil offendi [4], nihil displicere, nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum; hanc sequamur: neque solum rusticam asperitatem, sed etiam peregrinam insolentiam fugere discamus. 45. Equidem quum audio socrum meam Laeliam, (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes, ea tenent semper, quae prima didicerunt;) sed eam sic audio, ut Plautum mihi, aut Naevium videar audire. Sono ipso vocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis aut imitationis afferre [5] videatur: ex quo sic locutum esse eius patrem iudico, sic maiores; non aspere, ut ille, quem dixi, non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse, et aequabiliter, et leniter. 46. Quare Cotta noster, cuius tu illa lata, Sulpici, nonnunquam imitaris, ut Iota literam tollas, et E plenissimum dicas, non mihi oratores antiquos, sed messores videtur [6] imitari. Hic quum arrisisset ipse Sulpicius, Sic agam vobiscum, inquit Crassus, ut, quoniam me loqui voluistis, aliquid de vestris vitiis audiatis. Utinam quidem! inquit ille: id enim ipsum volumus, idque si feceris, multa (ut arbitror) hic hodie vitia ponemus. 47. At enim non sine meo periculo, Crassus inquit, possum, Sulpici, te reprehendere, quoniam Antonius mihi te simillimum dixit sibi videri. Tu vero; inquit ille, quoniam [7] monuit idem, ut ea, quae in quoque maxima essent, imitaremur: ex quo vereor, ne nihil sim tui, nisi supplosionem pedis, imitatus, et pauca quaedam verba, et aliquem, si forte, motum. Ergo ista, inquit Crassus, quae habes a me, non reprehendo, ne me ipsum [8] irrideam; (sunt autem mea multo et plura, et maiora, quam dicis) quae autem sunt aut tua

---

(1) Sic Crat. Man. L. Ern. 1. 2. 3. — *subtilitas* Otx. Cdd. Regii omnes. Alii ap. Grut. Iu. Steph. (2) — *ratio, quam docent* Sch. suspic. — *verum id docent literae, affert ratio* E. Censoris Ienens. (3) — *Serranum* Lambini suspic. non recepta. Sed vide *Brut.* C. 46. *Q. et D. Valerii Sorani.* (4) — *offendere* Nescio qui ap. Lamb. prob. Pearc. (5) — *offerre* Cd. Reg. 7753. — *animadvertere* Ern. suspic. Sed vide Heusing. *ad Offic.* p. 29. (6) Sic Edd. vett. Man. L. Ern. 1. 2. 3. — *videris* Iu. Grut. (7) Sic e Cld. ut ait, Lamb. Muell. 3. — *Tum ille, Tum quod monuit* Cdd. Iu. Grut. Ern. 1. — *Tum ille, Tum quum monuit* Man. — *Tum ille, Tu vero; quod monuit* Sch. 2. — *Tum ille: Tum quod monuit — ex eo vereor* Heusing. suspic. (8) — *me ipse* Pearcii suspic.

plane, aut imitatione ex aliquo expresa, de iis te, si qui [1] me forte locus admonuerit, commonebo. XIII. 48. Praetereamus igitur praecepta Latine loquendi, quae puerilis doctrina tradit, et subtilior cognitio ac ratio literarum alit, aut consuetudo sermonis quotidiani ac domestici, libri confirmant [2], et lectio veterum oratorum, et poëtarum. Neque vero in illo altero diutius commoremur, ut disputemus, quibus rebus assequi possimus, ut ea, quae dicamus, intelligantur. 49. Latine scilicet dicendo, verbis usitatis, ac proprie demonstrantibus ea, quae significari ac declarari volemus, sine ambiguo verbo aut sermone, non nimis longa continuatione verborum, non valde productis iis, quae similitudinis causa ex aliis rebus transferuntur, non discerptis sententiis, non praeposteris temporibus, non confusis personis, non perturbato ordine. Quid multa? tam facilis est tota res, ut mihi permirum saepe videatur, quum difficilius intelligatur, quid patronus velit dicere, quam si ipse ille, qui patronum adhibet, de re sua diceret. 50. Isti enim, qui ad nos causas deferunt, ita nos plerumque ipsi docent, ut non desideres planius dici. Easdem res autem simulac Fufius [3], aut vester aequalis Pomponius, agere coepit, non aeque, quid dicant, nisi admodum attendi, intelligo: ita confusa est oratio [4], ita perturbata, nihil ut sit primum, nihil ut secundum, tantaque insolentia ac turba verborum, ut oratio, quae lumen adhibere rebus debet, ea obscuritatem et tenebras afferat, atque ut quodammodo ipsi sibi in dicendo obstrepere videantur. 51. Verum, si placet, quoniam haec satis [5] spero, vobis quidem certe maioribus [6], molesta et putida videri, ad reliqua aliquanto odiosiora [7] pergamus. XIV. Atqui vides, inquit Antonius, quam [8] alias res agamus, quam te inviti audiamus, qui adduci possumus [9], (de me enim coniicio,) relictis ut rebus omnibus [10] te sectemur, te audiamus: ita de horridis rebus nitida, de ieiunis plena, de pervulgatis nova quaedam est oratio tua.

52. Faciles enim, inquit, Antoni, partes eae fuerunt duae, quas modo percucurri [11], vel potius paene praeterii, Latine loquendi, planeque dicendi: reliquae sunt magnae, implicatae, variae, graves, quibus omnis admiratio ingenii, omnis laus eloquentiae continetur. Nemo enim unquam est oratorem, quod Latine loqueretur, admiratus. Si est aliter, irridentur; neque eum oratorem tantummodo, sed hominem non putant. Nemo extulit eum verbis, qui ita dixisset, ut, qui ad-

---

([1]) = *si quis* L. ([2]) ∞ *libri* suspectum Ern. quo deleto leg. *confirmat*: idque placuit Censori Ienensi delenti praeterea *et* ante v. *subtilior*, et *aut* ante v. *consuetudo*. ([3]) Sic iam L. tum e Cdd. Pearc. Sch. 2. 3. Sic *Brut.* 62. itidem iunguntur *L. Fufius et Cn. Pomponius*. — *Fusius* Iu. Man. Grut. Ern. ([4]) ∞ *omnis oratio* L. ([5]) — *quoniam equidem satis* Ed. s. l. et a. ([6]) — *maioribus natu* Man. ([7]) — *operosiora* Purgoldi C. ([8]) Sic Cdd. aliq. Man. L. Sch. 2. 3. — *quum* Iu. Crat. Grut. Ern. 1. ([9]) — om. *audiamus* Cdd. multi ap. Grut. Olx. habentque *quam te in vitia qui* — Palat. octav: *quanta in vitia qui* — *abduci* Olx. — *quam abs te, non inviti quidem adduci possimus* Ed. s. l. et a. Nostra lectio est ab Aldo Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. nec tamen satis certa. (— *audiamus* del. Iac. Gronov. in Ed. 1692.) — *quam te inviti audiamus* suspecta Matthiae *Misc. crit.* 1. 4. p. 682. ([10]) = *omnibus rebus* Ed. s. l. et a. — *omnibus* del. censebat L. nec tamen expunxit in Ed. sua. — *rebus* suspectum Grut. ([11]) = *percurri* Cdd. Regii. L.

essent, intelligerent, quid diceret, sed contempsit eum, qui minus id facere potuisset. 53. In quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem deum, ut ita dicam, inter homines putant? Qui distincte, qui explicate, qui abundanter, qui illuminate et rebus et verbis dicunt, et in ipsa oratione quasi quendam numerum versumque conficiunt: id est, quod dico [1], ornate. Qui idem [2] ita moderantur, ut rerum, ut personarum dignitates ferunt, ii [3] sunt in eo genere laudandi laudis [4], quod ego aptum et congruens nomino [5]. 54. Qui ita dicerent, eos negavit adhuc se vidisse Antonius, et iis hoc nomen dixit eloquentiae solis esse tribuendum. Quare omnes istos, me auctore, deridete atque contemnite, qui se horum, qui nunc ita appellantur, rhetorum praeceptis omnem oratorum vim complexos esse arbitrantur, neque adhuc, quam personam teneant [6], aut quid profiteantur [7], intelligere potuerunt. Verum enim vero [8] oratori, quae sunt in hominum vita, quandoquidem in ea versatur orator, atque ea est ei subiecta materies, omnia quaesita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent. 55. Est enim eloquentia una quaedam de summis virtutibus; quamquam sunt omnes virtutes aequales et pares, sed tamen est species alia [9] magis alia formosa et illustris: sicut haec vis, quae scientiam complexa rerum, sensa mentis et consilia sic verbis explicat, ut eos, qui audiunt [10], quocunque incubuerit, possit impellere; quae quo maior est vis, hoc est magis probitate [11] iungenda summaque prudentia: quarum virtutum expertibus si dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, sed furentibus quaedam arma dederimus. XV. 56. Hanc, inquam, cogitandi pronuntiandique rationem, vimque dicendi, veteres Graeci sapientiam nominabant. Hinc illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc Solones, atque ab hac similitudine Coruncanii nostri, Fabricii, Catones, Scipiones fuerunt [12], non tam fortasse docti, sed impetu mentis simili et voluntate. Eadem autem alii prudentia, sed consilio ad vitae studia [13] dispari, quietem atque otium secuti, ut Pythagoras, Democritus, Anaxagoras, a regendis civitatibus totos se ad cognitionem rerum transtulerunt: quae vita propter tranquillitatem, et propter ipsius scientiae suavitatem, qua nihil est hominibus iucundius, plures, quam utile fuit rebus publicis, delectavit.

([1]) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. — Suspecta haec *id* – – *ornate* Matthiae. *Misc. Crit.* 1, 4. p. 682. ∞ *qui dicunt* Sch. 2, €. admodum speciosa, recepta etiam a Muell. 3. Sed ita explicandum: „id est, ornate dicunt; nam hoc ipsum genus dicendi equidem intelligo, si quem ornate dicere iudico." In seqq. Crassus non tam respondet praecedentibus interrogationibus, (id quod coniecturarum ope effecit Sch.) quam quod genus aptum praeterea et congruens nominet, novo sententiarum ordine indicat. ([2]) scil. genus. — *item* vel *iidem* Ern. suspic. — *qui id quidem* Ed. s. l. et a. — *qui hoc idem* L. ([3]) — *et* pro *ii* Sch. €. 2. 3. ([4]) ∞ *laudis* suspectum Ern. del. Sch €. 2. 3. ([5]) Sic Cdd. aliq. etiam Reg. 7706. L. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *nominem* Cdd. alii. Iu. Crat. Man. Ortum hoc e corruptela v. c. Otx. *congruens nomine qui*. ([6]) — *tenerent* Ern. suspic. ([7]) — *profiterentur* Ern. suspic. ([8]) Ern. suspic. confirmata a Cld. Sch. 2. 3. — *Verum enim oratori* Cdd. pleriq. Iu. Grut. Ern. 1. — *Vero enim orat.* L. ([9]) — *sed specie tamen est alia* Sch. in Ed. mai. ([10]) Sic Cdd. aliq. Iu. Grut. Sch. 2. ut solet Cicero — *audiant* Cdd. aliq. (Otx) L. Ern. 1. 3. ([11]) — *cum probitate* e gloss. Steph. L. ([12]) ∞ *fuerunt* suspectum Beiero *ad Offic.* T. 2. p. 242. ([13]) — *ac vitae studio* Lambini suspic. non recepta.

57. Itaque, ut ei studio se excellentissimis ingeniis homines dediderunt, ex ea summa facultate vacui ac liberi temporis, multo plura, quam erat necesse, doctissimi homines, otio nimio et ingeniis uberrimis affluentes, curanda sibi esse ac[1] quaerenda et investiganda duxerunt. Nam vetus quidem illa doctrina, eadem videtur et recte faciendi, et bene dicendi magistra; neque disiuncti doctores, sed iidem erant vivendi praeceptores atque dicendi; ut ille apud Homerum Phoenix, qui se a Peleo patre Achilli iuveni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum efficeret *oratorem verborum, actoremque rerum.* 58. Sed ut homines, labore[2] assiduo et quotidiano assueti, quum tempestatis causa opere prohibentur, ad pilam se, aut ad talos, aut ad tesseras conferunt, aut etiam novum sibi ipsi aliquem excogitant in otio ludum: sic illi a negotiis publicis, tamquam ab opere, aut temporibus exclusi, aut voluntate sua feriati, totos se alii ad poëtas, alii ad geometras, alii ad musicos contulerunt, alii etiam, ut dialectici, novum sibi ipsi studium ludumque pepererunt, atque in iis artibus, quae repertae sunt, ut puerorum mentes ad humanitatem fingerentur atque virtutem, omne tempus atque aetates suas consumpserunt. XVI. 59. Sed quod erant quidam, iique multi, qui aut in re publica propter ancipitem, quae non potest esse seiuncta, faciendi dicendique sapientiam, florerent, ut Themistocles, ut Pericles, ut Theramenes, aut, qui minus ipsi in re publica[3] versarentur, sed huius tamen eiusdem sapientiae doctores essent, ut Gorgias, Thrasymachus, Isocrates: inventi sunt, qui, quum ipsi doctrina et ingeniis abundarent, a re autem civili et a negotiis, animi quodam iudicio abhorrerent, hanc dicendi exercitationem exagitarent atque contemnerent; quorum princeps Socrates fuit. 60. Is[4], qui omnium eruditorum testimonio, totiusque iudicio Graeciae, quum prudentia, et acumine, et venustate, et subtilitate, tum vero eloquentia, varietate, copia, quam se cunque in partem dedisset, omnium fuit facile princeps, iis[5], qui haec, quae nos nunc quaerimus, tractarent, agerent, docerent, quum nomine appellarentur uno[6], quod omnis rerum optimarum cognitio atque in iis exercitatio, philosophia nominaretur, hoc commune nomen eripuit, sapienterque sentiendi et ornate dicendi scientiam, re cohaerentes, disputationibus suis separavit: cuius ingenium variosque sermones immortalitati scriptis suis Plato tradidit, quum ipse literam Socrates nullam reliquisset. 61. Hinc discidium[7] illud exstitit quasi linguae atque cordis, absurdum sane et inutile et reprehendendum, ut alii nos sapere, alii dicere docerent. Nam, quum essent plures orti fere a Socrate, quod et illius variis, et diversis, et in omnem partem diffusis disputationibus alius aliud apprehenderat; proseminatae sunt quasi familiae dissentientes inter se, et multum disiunctae et dispares, quum tamen omnes se philosophi[8] Socraticos et dici vellent, et esse arbitrarentur. XVII.

([1]) Nota *ac* ante *q*. Sicque omnes praeter Lambinum, qui dedit *et*. ([2]) — *labori* L. ([3]) — *ipsi quidem in rep.* L. ([4]) Sic distinxi. — *S. fuit is, qui — princeps.* Iu. L. Ern. 1. Sch. 2. — *S. fuit; is qui* — Muell. 3. ([5]) Sic Man. Muell. 3. — *princeps. Is, qui haec* Ald. Iu. Grut. — *princeps. Is iis, qui haec* Ern. 1. Sch. 2. — *princeps. Hic iis, qui haec* L. Sed Cdd. et Edd. vett. vel *iis*, vel *his* tantum habent, sine *is* vel *hic*. ([6]) = *uno nomine appell.* L. ([7]) Sic Iu. Ern. 1. 2. 3. — *dissidium* Man. L. ([8]) de Ern. €. male del. Sch. 2. 3.

62. Ac primo ab ipso Platone Aristoteles et Xenocrates [1]; quorum alter Peripateticorum, alter Academiae nomen obtinuit, deinde ab Antisthene, qui patientiam, et duritiam in Socratico sermone maxime adamarat, Cynici primum, deinde Stoici: tum ab Aristippo, quem illae magis voluptariae disputationes delectarant, Cyrenaica philosophia manavit, quam ille et eius posteri simpliciter defenderunt [2], ii, qui nunc voluptate omnia metiuntur, dum verecundius id agunt, nec dignitati satisfaciunt, quam non aspernantur, nec voluptatem tuentur, quam amplexari volunt. Fuerunt etiam alia genera philosophorum, qui se omnes fere [3] Socraticos esse dicebant [4]: Eretricorum [5], Herilliorum, Megaricorum, Pyrrhoneorum; sed ea horum [6] vi et disputationibus sunt iamdiu fracta et exstincta. 63. Ex illis autem, quae remanent, ea philosophia, quae suscepit patrocinium voluptatis, etsi cui vera videatur, procul abest tamen ab eo viro, quem quaerimus, et quem auctorem publici consilii, et regendae [7] civitatis ducem, et sententiae atque eloquentiae principem, in senatu, in populo, in causis publicis esse volumus. Nec ulla tamen ei philosophiae fiet iniuria a nobis. Non enim repelletur inde, quo [8] aggredi cupiet: sed in hortulis quiescet suis, ubi vult, ubi etiam recubans molliter et delicate, nos avocat a rostris, a iudiciis, a curia, fortasse sapienter, hac praesertim re publica [9]. 64. Verum ego non quaero nunc, quae sit philosophia verissima, sed quae oratori coniuncta maxime. Quare istos sine ulla contumelia dimittamus, sunt enim et boni viri, et quoniam sibi ita videntur, beati; tantumque eos admoneamus, ut illud, etiam si est verissimum, tacitum tamen, tamquam mysterium, teneant, quod negant versari in re publica esse sapientis. Nam, si hoc nobis, atque optimo cuique persuaserint, non poterunt ipsi esse, id quod maxime cupiunt, otiosi. XVIII. 65. Stoicos autem, quos minime improbo, dimitto tamen, nec eos iratos vereor, quoniam omnino irasci nesciunt: atque hanc iis [10] habeo gratiam, quod soli ex omnibus eloquentiam, virtutem ac sapientiam esse dixerunt. Sed utrumque est in his, quod ab hoc, quem instruimus [11], oratore valde abhorreat: vel [12], quod omnes, qui sapientes non sint, servos, latrones [13], hostes, insanos esse dicunt; neque tamen quemquam esse sapientem. Valde autem est absurdum, ei concionem, aut senatum, aut ullum coetum hominum committere, cui nemo illorum, qui adsint, sanus, nemo civis, nemo liber esse videatur. 66. Accedit quod orationis etiam genus habent fortasse subtile et [14]

([1]) - *Aristotelis et Xenocratis, quorum altera P. altera A.* Sch. susp. ([2]) e Cdd. aliq. Edd. vett. Ern. 1. 2. 3. — *defenderant* Iu. L. Grut. ([3]) Sic Cdd. Iu. Crat. Man. L. 1. 2. 3. — *fere qui se omnes* Grut. ([4]) Sic Cdd. Iu. — L. Grut. — *dicerent* ex inutili Ern. E. 1. 2. 3. ([5]) = *Eretriacorum* L. Pearc. ([6]) — *illorum* Ern. suspic. ([7]) Sic Iu. Crat. Man. L. Grut. Sch. 2. 3. — *gerendae* Ern. 1. errore typogr.? ([8]) Sic Cdd. Iunt. — L. 1. 2. 3. — *unde aggredi* Ern. suspic. sensu cassa. ∞ *inde quo aggredi non cupiet* scil. ad rem publicam tractandam. Matthiae E. *Misc. crit.* 1, 4. p. 682. ([9]) Sic L. E. ut videtur. Grut. 1. 2. 3. — *ac praesertim a re publica* Iu. — Man. ([10]) Sic Man. Steph. L. 1. 2. 3. — *hanc ab his* O1x. — *hanc ab iis* Ed. s. l. et a. Iu. Crat. ([11]) ∞ *instituimus* Cd. Reg. 7705. ([12]) In marg. 1584. Lambino pro *vel* tribuitur *et. vel* habet L. 1566. ([13]) ∞ *latrones* suspectum Matthiae l. l. ([14]) — *et* suspectum Ern.

certe acutum: sed, ut in oratore, exile, inusitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obscurum, inane, ieiunum, *ac tamen[1] eiusmodi, quo uti ad vulgus nullo modo possit[2]. Alia enim et bona, et mala videntur Stoicis, et ceteris civibus, vel potius gentibus: alia vis honoris, ignominiae, praemii, supplicii: vere, an secus, nihil ad hoc tempus: sed ea si sequamur, nullam unquam rem dicendo expedire possimus. 67. Reliqui sunt Peripatetici et Academici: quamquam Academicorum nomen est unum, sententiae duae. Nam Speusippus Platonis sororis filius, et Xenocrates, qui Platonem audierat, et qui Xenocratem, Polemo, et Crantor, nihil ab Aristotele, qui una audierat Platonem, magno opere dissensit[3]: copia fortasse, et varietate dicendi pares non fuerunt. Arcesilas primum, qui Polemonem audierat, ex variis Platonis libris, sermonibusque Socraticis hoc maxime arripuit, nihil esse certi, quod aut sensibus, aut animo percipi possit: quem ferunt, eximio quodam usum lepore dicendi, aspernatum esse omne animi sensusque iudicium, primumque instituisse, (quamquam id fuit Socraticum maxime) non, quid ipse sentiret, ostendere, sed contra id, quod quisque se sentire dixisset, disputare. 68. Hinc haec recentior Academia emanavit[4], in qua exstitit divina quadam celeritate ingenii dicendique copia Carneades: cuius ego etsi multos auditores cognovi Athenis, tamen auctores certissimos laudare possum, et socerum meum Scaevolam, qui eum Romae audivit adolescens, et Q. Metellum L. F. familiarem meum, clarissimum virum, qui illum a se adolescente Athenis, iam affectum senectute, multos dies auditum esse dicebat. XIX. 69. Haec autem, ut ex Apennino fluminum, sic ex communi sapientium iugo, sunt doctrinarum facta divortia[5], ut philosophi, tamquam in superum mare Ionium defluerent, Graecum quoddam, et portuosum: oratores[6] autem in inferum hoc Tuscum, et barbarum, scopulosum[7] atque infestum, laberentur, in quo etiam ipse Ulixes[8] errasset, 70. Quare, si hac eloquentia atque hoc oratore contenti sumus, qui sciat, aut negare[9] oportere, quod arguare[10], aut, si id non possis[11], tum ostendere, quod is fecerit, qui insimuletur, aut recte factum, aut alterius culpa aut iniuria, aut ex lege, aut non contra legem, aut imprudentia, aut necessario, aut non eo nomine usurpandum, quo arguatur, aut non ita agi, ut debuerit ac licuerit; et, si satis esse putatis, ea, quae isti scriptores artis docent, discere, quae multo tamen ornatius, quam ab illis dicuntur, et uberius explicavit Antonius; sed, si his contenti estis, atque iis etiam, quae dici voluistis a me: ex ingenti quodam oratorem immensoque campo in exiguum sane gyrum compellitis. 71. Sin vete-

---

([1]) e Goerenzii €. Muell. 3. ut §. 35. — *attamen* Cdd. Iu. Ern. 1. 2. — *et tandem* L. 1566. ∞ *ac tandem* L. in marg. 1584. — *ac totum* Ern. suspic. Sch. in Ed. mai. ([2]) Scil. orator. Sic Iu. Grut. Ern. 1. 2. 3. ∞ *possis* Man. — *possint* Ed. s. l. et a. Lamb. ([3]) ∞ *dissenserunt* L. suspic. non recepta. — *dissensi* Gulielmii suspic. ([4]) — *manavit* C1d. L. ([5]) = *devortia* L. ([6]) — *rhetores* Pearcii €. prob. Sch. in Ed. mai. Sed mox iidem §. 73. dicuntur *causarum actores*. ([7]) — *ut phil. t. in sup. mare defl. Graecum quietum et port. orat. autem in inferum hoc, barbarum, scop.* €. Censoris Ienens. ([8]) Sic Sch. 2. 3. = *Ulysses* Iu. — Ern. 1. ([9]) — *negari* Ern. suspic. ([10]) — *quo de arguare* €. nescio cuius ap. Pearc. ([11]) Sic Iu. L. Grut. Sch. 2. 3. ∞ *possit* Man. Ern. 1.

rem illum Periclem, aut hunc etiam, qui familiarior nobis propter scriptorum multitudinem est, Demosthenem, sequi vultis, et, si illam praeclaram et eximiam speciem oratoris perfecti[1] et pulchritudinem adamastis; aut vobis haec Carneadia, aut illa Aristotelia vis comprehendenda est. 72. Namque (ut ante dixi) veteres illi usque ad Socratem[2] omnem omnium rerum, quae ad mores hominum, quae ad vitam, quae ad virtutem, quae ad rem publicam pertinebant, cognitionem et scientiam cum dicendi ratione iungebant: postea dissociati (ut exposui) a Socrate diserti a doctis[3], et deinceps a Socraticis item omnibus, philosophi eloquentiam despexerunt, oratores sapientiam: neque quidquam ex alterius parte tetigerunt, nisi quod illi ab his, aut ab illis hi mutuarentur; ex quo promiscue haurirent[4], si manere in pristina communione voluissent. 73. Sed, ut pontifices veteres propter sacrificiorum multitudinem tres viros epulones esse voluerunt, quum essent ipsi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti: sic Socratici a se causarum actores et[5] a communi philosophiae nomine separaverunt, quum veteres dicendi et intelligendi mirificam societatem esse voluissent.

XX. 74. Quae quum ita sint, paullulum[6] equidem de me[7] deprecabor, et petam a vobis, ut ea, quae dicam, non de memet ipso, sed de oratore dicere putetis. Ego enim sum is, qui, quum summo studio patris in pueritia doctus essem, et in forum ingenii tantum, quantum ipse sentio, non [tantum] quantum [ipse] forsitan vobis videar[8], detulissem, non possim dicere, me haec, quae nunc complector, perinde[9], ut dicam discenda esse, didicisse: quippe qui omnium maturrime ad publicas causas accesserim, annosque natus unum et viginti[10], nobilissimum hominem et eloquentissimum, in iudicium vocarim; cui disciplina fuerit forum; magister usus, et leges[11], et instituta populi Romani, mosque maiorum. 75. Paullum[12] sitiens istarum artium, de quibus loquor, gustavi, quaestor in Asia quum essem, aequalem fere meum ex Academia rhetorem nactus, Metrodorum illum, de cuius memoria commemoravit Antonius; et inde decedens, Athenis: ubi ego diutius essem moratus, nisi Atheniensibus, quod mysteria non referrent, ad quae biduo serius veneram, succensuissem. Quare hoc, quod complector tantam scientiam vimque doctrinae, non modo non pro me, sed contra me est potius, (non enim, quid ego, sed quid orator pos-

---

(1) = *perfecti orat. speciem* L. (2) Sic Cdd. pauci. Man. Steph. Ern. 1. 2. 3. — *Isocratem* Iu. Grut. (3) Sic Cdd. Edd. vett. Iu. — L. 1566. Ern. 1. dure sane. ∞ *dissociatis – a Socrate disertis a doctis* L. in marg. 1584. ∞ *dissociatis – a Socrate disertis et doctis* Pearcii C. prob. Ern. recepta a Sch. 2. — *dissociati a Socrate, et deinceps* Mucll. C. 3. (neque tamen verba haec satis elegantia *diserti a doctis* speciem habent glossematis.) (4) — *quum ex eodem fonte promiscue haurire possent* Lamb. suspic. non recepta. (5) Sic Steph. solus inter antiquiores. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *et* om. Iu. Man. L. (6) = *paullum* L. (7) — *me* Pearcii suspic. (8) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. Uncis inclusa suspecta Ernestio del. Sch. C. 2. 3. *ipse* del. etiam Lall. defendit Goerenz. Praeterea *videatur* suspicabatur Ern. (9) = *proinde* L. (10) ∞ *undeviginti* L. admodum probabiliter e Script. *de causis corruptae Eloq.* C. 34. Saepe rariores istae formulae *undeviginti*, *duodeviginti* cet. ab imperitis librariis sunt corruptae. (11) — *doctrina leges* Sch. suspic. in Ed. mai. (12) = *paullulum* Ox. Multi Cdd. Le Clerquii.

sit, disputo:) atque hos omnes, qui artes rhetoricas exponunt, perridiculos. Scribunt enim de litium genere, et de principiis, et de narrationibus. 76. Illa vis autem eloquentiae tanta est, ut omnium rerum, virtutum, officiorum, omnisque naturae, quae mores hominum, quae animos, quae vitam continet, originem, vim mutationesque teneat; eadem morem[1], leges, iura describat, rem publicam regat, omniaque, ad quamcunque[2] rem pertineant, ornate copioseque dicat. 77. In quo genere nos quidem versamur tantum, quantum possumus, quantum ingenio, quantum mediocri doctrina, quantum usu valemus: neque tamen istis, qui in una philosophia quasi tabernaculum vitae suae collocarunt, multum sane in disputatione concedimus. XXI. 78. Quid enim meus familiaris C. Velleius afferre potest, quamobrem voluptas sit summum bonum, quod ego non copiosius possim vel tutari, si velim, vel refellere ex illis locis, quos exposuit Antonius, hac dicendi exercitatione, in qua Velleius est rudis, unusquisque nostrûm[3] versatus? Quid est, quod aut Sex. Pompeius, aut duo Balbi, aut meus amicus, qui cum Panactio vixit, M. Vigellius[4], de virtute, homines Stoici[5] possint dicere, qua in disputatione ego his debeam, aut vestrûm quisquam concedere? 79. Non est enim philosophia similis artium reliquarum. Nam quid faciet in geometria, qui non didicerit? quid in musicis? aut taceat oportebit, aut ne sanus quidem iudicetur. Haec vero, quae sunt in philosophia, ingeniis eruuntur, ad id, quod in quoque verisimile est, eliciendum acutis atque acribus, eaque exercitata[6] oratione poliuntur. Hic noster[7] vulgaris orator, si minus erit doctus, attamen in dicendo exercitatus, hac ipsa exercitatione communi, istos quidem [nostros] verberabit[8], neque se ab iis contemni ac despici sinet. 80. Sin aliquis exstiterit aliquando, qui Aristotelio more de omnibus rebus in utramque partem[9] possit dicere, et in omni causa duas contrarias orationes, praeceptis illius cognitis, explicare, aut hoc Arcesilae modo, et Carneadi[10], contra omne, quod propositum sit, disserat: quique ad eam rationem adiungat hunc rhetoricum[11] usum,

(1) e Sch. €. 2. 3. — *mores* Cdd. Iu. — L. Ern. 1. (2) Sic Cdd. Regii. Edd. vett. Ern. 1. 2. 3. — *omnia, quae ad quamcunque* Iu. Grut. — *omnia, quae ad quamque* L. (3) Sic Cdd. aliq. Margo Crat. Man. L. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *nostrorum* Iu. Crat. Victor. (4) ∞ *M. Visellius* Man. (5) Sic Ascens. Man. Pearc. Muell. 3. e €., ut videtur; sed egregia. — *de virtute hominum Stoici* Iu. Crat. L. Grut. Ern. 1. — *de virtute hominum Stoice* de Heusing. €. Sch. 2. (6) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. ∞ *excogitata* ex ingeniosa Sch. €. 2. 3. Attamen *exercitatam orationem* explicare licet „orationem hominis bene exercitati." (7) Sic Cdd. aliq. L. Ern. 1. 2. ∞ *Hic, hic noster* Ald. Iu. Man. Grut. — *Hinc noster* Muell. €. quasi hoc Pearcio placuisset. Sed is longe scitius volebat ∞ *Hinc hic noster* ut c. 18. *Hinc haec recentior Academia emanavit.* Tu confer etiam infra §. 83. (8) Sic Cdd. Iu. — L. Grut. Sed Ern. 1. [] *nostros* id quod recte del. Sch. 2. 3. — *vestros* C2d. Regii. certissimum gloss. indicium. Neque hoc ipsum *vestros* defendi potest e §. 81. *Coracem istum vestrum*, quum hic de philosophis, non de rhetoribus sermo sit. Pro *verberabit* Sch. malebat *urgebit*, sine ulla, nisi novandi libidinis causa. (9) Sic L. ∞ *in utramque sententiam* Iu. Man. Grut. Ern. 1. 2. 3. Plerique vero Cdd. (Olx.) Edd. vett. — *in utramque partem sententiam*, ubi vel ordo verborum docet, *sententiam* potius esse gloss. v. *partem*, quam contra. (10) Sic Cd. Erl. Sch. 2. 3. = *Carneadis* Iu. — L. Ern. 1. (11) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. Muell. 3. — *rhetoricum* sine causa del. Sch. €. 2.

moremque [exercitationemque] dicendi[1], is sit verus, is perfectus, is solus orator. Nam neque sine forensibus nervis satis vehemens et gravis, nec sine varietate doctrinae satis politus et sapiens esse orator potest. 81. Quare Coracem istum vestrum patiamur nos quidem pullos suos excludere in nido, qui[2] evolent clamatores odiosi ac molesti; Pamphilumque nescio quem sinamus in infulis tantam rem, tamquam pueriles delicias aliquas, depingere: nosque ipsi hac tam exigua disputatione hesterni et hodierni diei totum oratoris munus explicemus, dummodo illa res tanta sit, ut omnibus philosophorum libris, quos nemo oratorum[3] istorum unquam attigit, comprehensa esse videatur. XXII. 82. Tum Catulus, Haudquaquam hercle, inquit, Crasse, mirandum est, esse in te tantam dicendi vel vim, vel suavitatem, vel copiam; quem quidem antea natura rebar ita[4] dicere, ut mihi non solum orator summus, sed etiam sapientissimus homo viderere: nunc intelligo, illa te semper etiam potiora duxisse, quae ad sapientiam spectarent, atque ex his hanc dicendi copiam fluxisse. Sed tamen, quum omnes gradus aetatis recordor tuae, quumque vitam tuam ac studia considero: neque, quo tempore ista didiceris, video, nec[5] magno opere te istis studiis, hominibus, libris[6], intelligo deditum. Neque tamen possum statuere, utrum magis mirer, te illa, quae mihi persuades maxima esse adiumenta, potuisse in tuis tantis[7] occupationibus perdiscere: an, si non potueris, posse isto modo dicere. 83. Hic[8] Crassus, Hoc tibi, inquit, Catule, primum persuadeas velim, me non multo secus facere, quum de oratore disputem, ac facerem, si esset mihi de histrione dicendum. Negarem enim, posse eum satisfacere in gestu, nisi palaestram, nisi saltare didicisset: neque, ea quum dicerem, me esse histrionem necesse esset, sed fortasse non stultum alieni artificii existimatorem. 84. Similiter nunc de oratore, vestro impulsu, loquor, summo scilicet. Semper enim, quaecunque de arte aut facultate quaeritur, de absoluta et perfecta quaeri solet. Quare si iam me vultis esse oratorem, si etiam sat bonum, si bonum denique, non repugnabo. Quid enim nunc sim ineptus? Ita me existimari scio. Quod si ita est, summus tamen certe non sum. Neque enim apud homines res est ulla difficilior, neque maior, neque quae plura adiumenta doctrinae desideret. 85. Attamen quoniam de oratore nobis disputandum[9] est, de summo oratore dicam necesse est. Vis enim, et natura rei, nisi perfecta ante oculos ponitur, qualis, et quanta sit, intelligi non potest. Me autem, Catule, fateor, neque hodie in istis libris, et cum istis hominibus vivere: nec[10] vero,

---

([1]) Hoc sane corruptum, vel propter partice. *que - que*. Habent tamen Cdd. Edd. etiam Muell. 3. nisi quod Lamb. Sch. 2. expunxerunt *moremque*. Sed mihi *exercitationemque* potius e gloss. ad v. *usum* ortum videtur; idque plane confirmant Vet. ap. Steph. Oix. Ed. s. l. et a. supra pro v. *rationem* habentes *rationem exercitationemque*. ([2]) Sic Cdd. pleriq. Iu. Ern. 1. 2. ∞ *excludere, e nido qui* e C3d. L. Muell. 3. Speciose: sed vulgata maiore cum vi irridet umbraticam Coracis doctrinam. Neque interpungendum, ut solent, post v. *evolent*. ([3]) — *rhetorum* Pearcii €. Sch. in Ed. mai. ([4]) — *antea* iterum L. errore typogr. ([5]) = *neque* L. ([6]) — *libris fuisse* L. ([7]) = *tantis tuis* L. ([8]) — *Hinc* Oix. cfr. supra §. 79. ([9]) — *disputatum* Ed. s. l. et a. Margo Crat. ([10]) = *neque* L.

id quod tu recte commeministi, ullum unquam habuisse sepositum tempus ad discendum, ac tantum tribuisse doctrinae temporis, quantum mihi puerilis aetas, forenses[1] feriae concesserint[2]. XXIII. 86. Ac[3], si quaeris, Catule, de doctrina ista, quid ego sentiam, non tantum ingenioso homini, et ei, qui forum, qui curiam, qui causas, qui rem publicam spectet, opus esse arbitror temporis, quantum sibi ii sumpserunt, quos discentes vita defecit. Omnes enim artes aliter ab iis tractantur, qui eas ad usum transferunt: aliter ab iis, qui ipsarum artium tractatu delectati, nihil in vita sunt aliud acturi. Magister hic Samnitium[4] summa[5] iam senectute est, et quotidie commentatur. Nihil enim curat aliud. ⁂ At Q. Velocius[6] puer addidicerat[7]. Sed[8] quod erat aptus ad illud, totumque cognorat, fuit, ut est apud Lucilium,

- - - quamvis bonus ipse
Samnis in ludo ac rudibus cuivis[9] *satis asper.*

Sed plus operae foro tribuebat, amicis, rei familiari. Valerius quotidie cantabat. Erat enim scenicus. Quid faceret aliud? 87. At Numerius Furius, noster familiaris, quum est commodum, cantat. Est enim paterfamilias, est eques Romanus; puer didicit, quod discendum fuit[10]. Eadem ratio est harum artium maximarum. Dies et noctes virum summa virtute et prudentia videbamus, philosopho quum operam daret, Q. Tuberonem. At eius avunculum vix intelligeres id agere, quum ageret tamen, Africanum. Ista discuntur facile, si et tantum sumas, quantum opus sit, et habeas, qui docere fideliter possit, et scias etiam ipse discere. 88. Sed si tota vita nihil velis aliud agere, ipsa tractatio et quaestio quotidie ex se gignit[11] aliquid, quod cum desidiosa delectatione vestiges. Ita fit, ut ⁂ agitatio rerum sit infinita, cognitio facilis, si usus[12] doctrinam confirmet, mediocris opera tribuatur, memoria studiumque permaneat. Libet autem semper discere; ut si velim ego talis optime ludere, aut pilae studio tenear[13], etiam fortasse, si assequi non possim; at alii, quia praeclare faciunt, vehementius, quam causa postulat, delectantur, ut Titius pila, Brulla talis. 89. Quare

---

(1) ∞ *et forenses* Lamb. qui non sine causa in hoc ἀσυνδέτῳ videtur offendisse. (2) ∞ *concesserunt* Ed. s. l. et a. Steph. L. (3) Sic Cdd. aliq. Ed. s. l. et a. Sch. 2. — *At* Iu. — L. Ern. 1. Muell. 3. neque tamen ulla hic est oppositio. (4) = *Samnitum* Steph. — *Samnius* Ed. s. l. et a. (5) Sic Cdd. pleriq. Iu. — L. Grut. Ern. 1. Ellendt *ad Brut.* p. 83. — *et summa* ex Ed. Waldarf. Ern. 1. 3. (6) Ita nunc inde a Lambino edunt ex Victorii ac Turnebi €. (*Venonius* Ursin. *Velonius* Ern. divinarunt, et mirum omnino est nomen hac aetate *Velocius*). Sed Cdd. Iu. Crat. Camer. Man. *aliud atque Velocius* (— *aliud atque puer velocius* Guelf. B.) — *atque ea, quae velocius* Ed. Waldarf. unde Ern. suspic. *atque ea* vel *eadem Q. Velonius puer addidicerat, et quod* — Locus nondum est persanatus. (7) — *didicerat* L. (8) — *sed* del. censuisse Lambinum dicit Pearcius falso. — *et* Pearcii suspic. prob. Ern. (9) Sic Cdd. aliq. (Olx.) Iu. Man. L. Ern. 1. 2. 3. — *civis* Ed. s. l. et a. Grut. prob. Lipsio. — *causis* Crat. Camer. (10) Sic Crat. L. Grut. Ern. 1. 2. 3. — om. *fuit* Cdd. aliq. Iu. Man. (11) Sic Cdd. Iu. — L. Grut. ut paullo ante: *ita discuntur facile, si sumas*: neque igitur necessaria Ern. €. 1. 2. 3. — *gignat* (— *gignet* altera Ern. €.) (12) Sic Muell. €. 3. — *ut agitatione rerum sit infinita cognitio, facilis usus* cet. Cdd. Iu. — L. Ern. 1. — *ut agitatione rerum sit infinita cognitio, facilis, si usus* Sch. €. 2. (13) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. 3. — *aut pila, studio tenear*, ita ut *studio teneat* sit apodosis Sch. €. 2.

nihil est, quod quisquam magnitudinem artium ex eo, quod senes discunt, pertimescat. Namque aut senes ad eas accesserunt; aut usque ad senectutem in studiis detinentur; aut sunt tardissimi. Res quidem se mea sententia sic habet, ut, nisi quod quisque cito potuerit, nunquam omnino possit perdiscere. XXIV. 90. Iam, iam, inquit Catulus, intelligo, Crasse, quid dicas: et hercule assentior. Satis video tibi, homini ad perdiscendum acerrimo, ad ea cognoscenda, quae dicis, fuisse temporis. Pergisne, inquit Crassus, me, quae dicam, de me, non de re putare dicere? Sed iam, si placet, ad instituta redeamus. Mihi vero, Catulus inquit [1], placet.

91. Tum Crassus, Quorsum igitur haec spectat, inquit [2], tam longa, et tam alte repetita oratio? Hae duae partes, quae mihi supersunt, illustrandae orationis, ac totius eloquentiae cumulandae, quarum altera dici postulat ornate [3], altera apte, hanc habent vim, ut sit quam maxime iucunda, quam maxime in sensus eorum, qui audiunt, influat, et quam plurimis sit rebus instructa. 92. Instrumentum autem hoc forense, litigiosum, aere, tractum [4] ex vulgi opinionibus, exiguum sane atque mendicum est. Illud rursus ipsum, quod tradunt isti, qui profitentur se dicendi magistros, non multum [5] est maius, quam illud vulgare ac forense. Apparatu nobis opus est, et rebus exquisitis, undique collectis [6], arcessitis, comparatis, ut tibi, Caesar, faciendum est ad annum; ut ego in aedilitate laboravi, quod quotidianis et vernaculis rebus satisfacere me posse huic populo non putabam. 93. Verborum eligendorum, et collocandorum, et concludendorum facilis est vel ratio, vel sine ratione, ipsa exercitatio. Rerum est silva magna, quam quum Graeci iam non tenerent, ob eamque causam iuventus nostra dedisceret paene discendo, etiam Latini, si diis placet, hoc biennio magistri dicendi exstiterunt: quos ego censor edicto meo sustuleram; non quo (ut nescio quos dicere aiebant) acui ingenia adolescentium nollem, sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam. 94. Nam apud Graecos, cuicuimodi essent [7], videbam tamen esse, praeter hanc exercitationem linguae, doctrinam aliquam et humanitatem dignam scientia [8]: hos vero novos magistros nihil intelligebam posse docere, nisi ut auderent; quod etiam cum bonis rebus coniunctum, per se ipsum est magno opere fugiendum. Hoc quum unum traderetur, et quum impudentiae ludus esset; putavi esse censoris, ne longius id serperet, providere [9]. 95. Quamquam non haec ita statuo atque decerno, ut desperem, Latine ea, de quibus disputavimus, tradi ac perpoliri [10]: patitur

---

([1]) = *inquit Cat.* Heindorf. N. D. p. 16. ([2]) = *igitur, inquit, haec spectat tam l.* L. ([3]) Sic Cdd. pleriq. Iu. — L. Ern. 1. = *altera ornate dici postulat* Ed. s. l. et a. Sch. 2. 3. ([4]) Sic margo Crat. Man. L. Grut. 1. 2. 3. — *tractatum* Olx. Iu. Crat. ([5]) Sic Cdd. (Olx.) Iu. Crat. Grut. 1. 2. 3. ∞ *multo* Man. L. ([6]) Sic Sch. E. confirmata, quod ipsum fugere non debebat, a Cd. Erlang. Olx. Edd. vett. — *exquisitis undique, et collatis* Iu. L. Grut. ([7]) Sic Man. L. Sch. 2. 3. — *apud Gr. cuiusmodi essent* Cdd. Iu. Crat. Grut. Sch. in Ed. mai. — *apud Gr. qui eiusmodi essent* ex Edd. vett. Ern. 1. ([8]) Sic Cdd. Iu. Crat. Man. Ern. 1. 2. 3. ∞ *humanitate dignam scientiam* L. e Cdd. vestigiis. ([9]) Sic omnes, praeter Sch. 2. qui habet — *provideri*, errore typogr.? ([10]) addend. *posse* Pearcii suspic. minime necessaria; probata tamen Sch. et Muell.

enim et lingua nostra, et natura rerum, veterem illam excellentemque prudentiam Graecorum ad nostrum usum moremque transferri: sed hominibus opus est eruditis, qui adhuc, in hoc quidem genere, nostri nulli fuerunt: sin quando exstiterint, etiam Graecis erunt anteponendi.

XXV. 96. Ornatur igitur oratio genere primum, et quasi colore quodam et succo[1] suo. Nam ut gravis, ut suavis, ut erudita[2] sit, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita, ut sensus, ut dolores habeat, quantum opus sit, non est singulorum articulorum: in toto spectantur haec corpore. Ut porro conspersa sit quasi verborum sententiarumque floribus, id non debet esse fusum aequabiliter per omnem orationem, sed ita distinctum, ut sint, quasi in ornatu, disposita quaedam insignia et lumina. 97. Genus igitur dicendi est eligendum, quod maxime teneat eos, qui audiant, et quod non solum delectet, sed etiam sine satietate delectet: (non enim a me iam exspectari puto, ut moneam, ut caveatis, ne exilis, ne inculta sit vestra oratio, ne vulgaris, ne obsoleta: aliud quiddam maius et ingenia me hortantur vestra, et aetates.) 98. Difficile enim dictu est, quaenam causa sit, cur ea, quae[3] maxime sensus nostros impellunt voluptate, et specie prima acerrime commovent, ab iis celerrime fastidio quodam et satietate abalienemur. Quanto colorum pulchritudine et varietate floridiora sunt in picturis novis pleraque, quam in veteribus? quae tamen, etiamsi primo adspectu nos ceperunt, diutius non delectant; quum iidem nos in antiquis tabulis illo ipso horrido obsoletoque teneamur. Quanto molliores sunt et delicatiores in cantu flexiones et falsae voculae, quam certae et severae? quibus tamen non modo austeri, sed, si saepius fiunt, multitudo ipsa reclamat. 99. Licet hoc videre in reliquis sensibus; unguentis minus diu nos delectari summa et acerrima suavitate conditis, quam his moderatis: et magis laudari, quod ceram[4], quam quod[5] crocum olere videatur; in ipso tactu esse modum et mollitudinis et laevitatis[6]. Quin etiam gustatus, qui est sensus ex omnibus maxime voluptarius, quique dulcitudine praeter ceteros sensus commovetur[7], quam cito id, quod valde dulce est, aspernatur ac respuit? Quis potione uti, aut cibo dulci diutius potest? quum utroque in genere ea, quae leviter sensum voluptate moveant, facillime fugiant[8] satietatem. 100. Sic omnibus in rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est: quo hoc minus in oratione miremur; in qua vel ex poëtis, vel oratoribus[9] possumus iudicare, concinnam, distinctam, ornatam, festivam, sine intermissione, sine reprehen-

---

(1) Sic Cdd. pleriq. Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. — *fuco* Wakefieldi €. confirmata a Cd. Reg. 7753. sed cfr. §. 100. ubi *fucus* in reprehensione est. (2) ∞ *condita* Cd. Reg. 7703. (3) Sic Iu. — L. Ern. 1. 2. — *cur, quae* Wetzel. ∞ *cur, etiam quae* Muell. €. 2. (4) Sic Cdd. Iu. Crat. Grut. Ern. 1. 2. 3. ∞ *terram* e Plinii *Hist. Nat.* 13, 4. et 17, 3. Victor. Camer. Man. — *quae terr.* L. (5) — *quae - - videantur* L. (6) Sic Cdd. aliq. Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. — *lenitatis* Olx. C2d. Reg. (7) Sic Cdd. apud Grut. C2d. apud Sch. Nonius in v. *dulcitas* Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. — *dulcedine* Cdd. aliq. Nonii Editio Paris. apud Gourmont. Omnia haec *quique - commovetur* insititia visa sunt Sch. (8) Sic Cdd. (v. c. Regii omnes.) Iu. — L. Grut. Muell. 3. ∞ *effugiant* Ern. €. 1. 2. (9) — *vel oratoribus* suspectum Sch.

sione[1], sine varietate, quamvis claris sit coloribus picta, vel poësis, vel oratio, non posse in delectatione esse diuturna[2]. Atque eo citius in oratoris aut in poëtae cincinnis[3] ac fuco offenditur, quod sensus[4], in nimia voluptate, natura, non mente satiantur[5]; in scriptis et in dictis non aurium solum, sed animi iudicio etiam magis, infucata vitia noscuntur. XXVI. 101. Quare, *bene*, et *praeclare*, quamvis nobis saepe dicatur; *belle*, et *festive*, nimium saepe nolo. Quamquam illa ipsa exclamatio, *Non potest melius*, sit velim crebra: sed habeat tamen illa in dicendo admiratio ac summa laus umbram aliquam et recessum, quo magis id, quod erit illuminatum, exstare atque eminere videatur. 102. Nunquam agit hunc versum Roscius eo gestu, quo potest[6],

Nam sapiens virtuti honorem praemium, haud praedam petit:

sed abiicit prorsus, ut in proximos,

Ecquid[7] *video? ferro saeptus possidet sedes sacras,*

incidat, aspiciat, admiretur, stupescat. Quid? ille alter:

Quid petam praesidi?

quam leniter? quam remisse? quam non actuose? instat enim

O pater, o patria, o Priami domus!

in quo tanta commoveri actio non posset, si esset consumpta superiore motu et exhausta. Neque id actores prius viderunt, quam ipsi poëtae, quam denique illi etiam, qui fecerunt modos, a quibus utrisque summittitur aliquid, deinde augetur, extenuatur, inflatur[8], variatur, distinguitur. 103. Ita sit nobis igitur ornatus et suavis orator, (nec tamen potest aliter esse,) ut suavitatem habeat austeram et solidam, non dulcem atque decoctam. Nam ipsa ad ornandum praecepta, quae dantur, eiusmodi sunt, ut ea quamvis[9] vitiosissimus orator explicare possit. Quare, ut ante dixi, primum silva rerum [ac sententiarum[10]] comparanda est, qua de parte dixit Antonius. Haec formanda filo ipso et genere orationis, illuminanda verbis, varianda sententiis.

104. Summa autem laus eloquentiae est, amplificare rem ornando, quod valet non solum ad augendum aliquid et tollendum altius dicendo, sed etiam ad extenuandum atque abiiciendum. XXVII. Id desideratur omnibus iis in locis, quos ad fidem orationis[11] faciendam adhiberi dixit Antonius, vel quum explanamus aliquid, vel quum conciliamus animos, vel quum concitamus. 105. Sed in hoc, quod postremum dixi, amplificatio potest plurimum,

---

(1) — *respiratione* L. E., ut videtur. (2) — *diuturnam* Alii in marg. 1581. (3) — *cinnis* Nonius in v. *cinnus* — *concinnis* L. (4) — *sensu* L. (5) — *satiatur* Lamb. Utrumque perverse. (6) = *eo, quo potest gestu* L. (7) Sic Iu. Crat. L. Grut. Ern. 1. 2. — *et quid* Cdd. multi, solitâ corruptelâ, quam recipere non debebat Muell. 3. — *in proximo Sed quid* Man. prob. Grut. (8) — *summittitur aliquid atque extenuatur: deinde augetur, inflatur* L. (9) Sic Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. ∞ *quivis* Cdd. multi v. c. Olx. Regii omnes. (10) Sic Iu. — L. Ern. 1. ∞ del. Sch. E. 2. 3. propter seqq. *varianda sententiis.* Nos [ ]. (11) Sic Cdd. pleriq. Iu. Man. Ern. 1. 2. 3. v. Goerenz *ad Acad.* 2, 7, 19. ∞ *oratione* Cd. Reg. 7703. L. ∞ *orationi* Pearc. E. prob. Sch.

eaque una laus oratoris est et propria[1] maxime. Etiam maior est illa exercitatio, quam extremo sermone instruxit Antonius, (primo reiiciebat[2]) laudandi et vituperandi. Nihil est enim ad exaggerandam et amplificandam orationem accommodatius, quam utrumque horum cumulatissime facere posse. 106. Consequenter etiam illi loci, qui quamquam proprii causarum, et inhaerentes in earum nervis esse debent, tamen quia de universa re tractari solent, communes a veteribus nominati sunt: quorum partim habent vitiorum et peccatorum acrem quandam cum amplificatione incusationem, aut querelam, contra quam dici nihil solet, nec potest, ut in depeculatorem, in proditorem, in parricidam; quibus uti, confirmatis criminibus, oportet; aliter enim ieiuni sunt, atque inanes: 107. alii autem habent deprecationem, aut miserationem: alii vero ancipites disputationes, in quibus de universo genere in utramque partem disseri copiose licet. Quae exercitatio nunc propria duarum philosophiarum, de quibus ante dixi, putatur: apud antiquos erat eorum, a quibus omnis de rebus forensibus dicendi ratio et copia petebatur. De virtute enim, de officio, de aequo et bono, de dignitate, utilitate[3], honore, ignominia, praemio, poena, similibusque de rebus in utramque partem dicendi, animos, et vim[4], et artem habere debemus. 108. Sed, quoniam de nostra possessione depulsi, in parvo, et eo litigioso, praediolo relicti sumus, et aliorum patroni, nostra tenere tuerique non potuimus: ab iis, quod indignissimum est, qui in nostrum patrimonium irruperunt, quod opus est nobis mutuemur. XXVIII. 109. Dicunt igitur illi, nunc quidem qui[5] ex particula parva urbis ac loci nomen habent, et Peripatetici philosophi, aut Academici nominantur, olim autem, propter eximiam rerum maximarum scientiam, a Graecis politici philosophi appellati, universarum rerum publicarum nomine vocabantur, omnem civilem orationem in horum alterutro genere versari, aut definitae controversiae[6] certis temporibus ac reis; hoc modo: Placeatne a Karthaginiensibus captivos nostros, redditis suis, recuperari? aut infinite[7] de universo genere quaerentis[8]: Quid omnino de captivo statuendum ac sentiendum sit? Atque horum superius illud genus, causam aut controversiam appellant, eamque tribus, lite, aut deliberatione, aut laudatione definiunt: haec autem altera quaestio infinita et

---

([1]) Sic Cdd. Iu. — L. Grut. — *oratoris est propria* e Pearcii €. Ern. 1. 2. 3. ([2]) — *primo a se reiiciebat* Sch. suspic. ([3]) Primus *utilitate* inseruit Steph. L. Ern. 1. 2. 3. = *honore, utilitate* Otx. — om. *utilitate* Ed. s. l. et a. Iu. Crat. Man. ([4]) Sic distinxi cum Iu. Crat. Camer. ut iungatur: *animos*, i. e. naturalem quendam impetum et fiduciam (*Muth, coraggio*) *habere debemus:* qua tamen in ratione dubius haereo, an non *et vim* sit e gloss. formulae rarioris *animos* hoc sensu accipiendae. ∞ *dicendi, omnino et vim* Man. Muell. 3 emendatione speciosiore quam veriore. ∞ *dicendo ducendi animos, et vim* Walchii €. *Emendatt. Liv.* p. 175. — *dicendo alliciendi animos et vim* Purgoldi €. recepta a Sch. in Ed. mai. In minore idem del. censet *animos*. ([5]) Sic dedi, transpositione longe leniore, quam est Schuetzlana 2. 3.: *Dicunt igitur illi, qui nunc quidem.* — *Dicunt igitur nunc quidem illi, qui ex* Cdd. Edd. vett. Iu. — L. Ern. 1. Mox scribe *πολιτικοί.* ([6]) e Cld. Pearc. Ern. 1. 2. 3. — *definita controversia* Iu. — L. Grut. ([7]) — *infinita* L. ([8]) — *quaestione* L.

quasi proposita, consultatio nominatur. Atque hactenus loquuntur [*illi*. 110. *Quamquam rhetores*] etiam hae in instituendo[1] divisione utuntur, sed ita, non ut iure, aut iudicio, ut vi denique[2] recuperare amissam possessionem, sed ut ex iure civili surenlo defringendo usurpare videantur. Nam illud alterum genus, quod est temporibus, locis, reis definitum, obtinent, atque id ipsum lacinia. Nunc enim apud Philonem, quem in Academia maxime[3] vigere audio, etiam harum iam[4] causarum cognitio exercitatioque celebratur. Alterum vero tantummodo in prima arte tradenda nominant, et oratoris esse dicunt: sed neque vim, neque naturam eius, nec partes, nec genera proponunt[5], ut praeteriri omnino fuerit satius, quam attentatum[6] deseri. Nunc enim inopia reticere intelliguntur; tum iudicio viderentur.

XXIX. 111. Omnis igitur res eandem habet naturam ambigendi, de qua quaeri et disceptari potest, sive in infinitis consultationibus disceptatur[7], sive in iis causis, quae in civitate, et in forensi[8] disceptatione versantur: neque est ulla, quae non aut ad cognoscendi, aut ad agendi vim rationemque referatur. 112. Nam aut ipsa cognitio rei scientiaque perquiritur, ut: Virtus suamne propter dignitatem, an propter fructus aliquos expetatur? aut agendi consilium exquiritur, ut: Sitne sapienti capessenda res publica? 113. Cognitionis autem tres modi, coniectura, definitio, et, ut ita dicam, consecutio. Nam, ecquid[9] in re sit, coniectura quaeritur, ut illud: Sitne in humano genere sapientia? Quam autem vim quaeque res habeat, definitio explicat: ut, si quaeratur, quid sit sapientia? Consecutio autem tractatur, quum, quid quamque rem sequatur, anquiritur[10]: ut illud: Sitne aliquando mentiri boni viri? 114. Redeunt rursus ad coniecturam, eamque in quatuor genera dispertiunt. Nam aut quid sit, quaeritur, hoc modo: Naturane sit ius inter homines, an opinionibus? aut, quae sit origo cuiusque rei? ut, quod sit initium legum, aut rerum publicarum? aut causa et ratio[11]: ut, si quaeratur, cur doctissimi homines de maximis rebus dissentiant? aut de immutatione: ut, si disputetur, num interire virtus in homine, aut num in vitium possit converti? 115. Definitionis autem sunt disceptationes, aut[12], quum quaeritur, quid in communi mente quasi impressum sit: ut, si disseratur[13], idne sit ius, quod maximae parti sit utile: aut, quum, quid cuiusque sit

---

(1) Verba inclinatis literis excusa sunt e supplem. Hotomanni, recepto a Sch. 2. 3. — *loquuntur* habent Crat. Man. L. Ern. 1. 2. 3. — *loquantur* Olx. Iu. ∞ *in* inseruit Ern. €. 1. 2. 3. (2) Sic Iu. Man. Grut. Ern. 1. — *aut denique* Olx. ∞ *aut vi denique* L. €. Sch. 2. 3. (3) — om. *maxime* Olx. et alii Cdd. Ed. s. l. et a. An: *quum maxime?* (4) = *iam harum etiam* L. (5) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. 3. v. Goerenz *de Finib.* 2, 11, 35. — *neque naturam eius generis, nec partes proponunt* Sch. €. 2. (6) Turbant Cdd. v. c. Vet. ap. Steph. Erl. *attactum*, quod recepit L. solus. (7) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. (— *disceptetur* Ern. suspic. — del. *disceptatur* Sch. €. 2. 3.) (8) Sic Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. ∞ *in civili atque in forensi* Man. (9) e Sch. €. 2. 3. — *quid* Cdd. Iu. — L. Ern. 1. (10) e Cld. Sch. 2. 3. (alludit Olx.: *an quaeritur*) — *inquiritur* Cdd. pleriq. Iu. — L. Ern. 1. (11) — *causae tractatio* Olx. Multi e Regiis. (12) e Pearcii €. Ern. 1. 2. 3. — *ut* Cdd. Iu. — L. Grut. (13) — *disquiratur* vel *quaeratur* L. suspic. non recepta; sed §. 116. in simili re iterum est *disseratur*.

proprium, exquiritur: ut, ornate dicere, propriumne sit oratoris, an id etiam aliquis praeterea possit[1]? aut, quum res distribuitur in partes, ut, si quaeratur, quot sint genera rerum expetendarum, et[2], sintne tria, corporis, animi, externarumque rerum: aut, quum, quae forma, et quasi naturalis nota cuiusque sit, describitur, ut, si quaeratur avari species, seditiosi, gloriosi[3]. 116. Consecutionis autem duo prima[4] quaestionum genera ponuntur. Nam aut simplex est disceptatio, ut, si disseratur, expetendane sit gloria: aut ex comparatione; laus an divitiae magis expetendae sint. Simplicium autem sunt tres modi. De expetendis fugiendisve rebus; ut, expetendine honores sint? num fugienda paupertas? De aequo aut iniquo; ut[5], aequumne sit ulcisci iniurias etiam propinquorum? De honesto aut turpi; ut hoc, sitne honestum gloriae causa mortem obire? 117. Comparationis autem duo sunt modi: unus, quum, idemne sit, an aliquid intersit, quaeritur; ut, metuere et vereri, ut[6], rex et tyrannus: ut[7], assentator et amicus: alter, quum, quid praestet aliud alii, quaeritur: ut illud, optimine cuiusque sapientes, an populari laude ducantur? Atque eae quidem disceptationes, quae ad cognitionem referuntur, sic fere a doctissimis hominibus describuntur. XXX. 118. Quae vero referuntur ad agendum, aut in officii disceptatione versantur, quo in genere, quid rectum faciendumque sit, quaeritur; cui loco omnis virtutum et vitiorum est silva subiecta: aut in animorum aliqua permotione aut gignenda, aut sedanda tollendave tractantur. Huic generi subiectae sunt cohortationes, obiurgationes, consolationes, miserationes, omnisque ad omnem animi motum et[8] impulsio, et, si ita res feret, mitigatio. 119. Explicatis igitur his generibus, ac modis disceptationum omnium, nihil sane ad rem pertinet, si qua in re discrepuit[9] ab Antonii divisione nostra partitio. Eadem enim sunt membra in utriusque disputatione[10], sed paullo secus a me, atque ab illo, partita ac distributa[11]. Nunc ad reliqua progrediar, meque ad meum munus pensumque revocabo. Nam ex illis locis, quos exposuit Antonius, omnia sunt ad quaeque genera quaestionum argumenta sumenda: sed aliis generibus alii loci magis erunt apti; de quo non tam quia longum est, quam quia perspicuum, dici nihil est necesse.

120. Ornatissimae sunt igitur orationes eae, quae latissime vagantur, et a privata ac singulari controversia se ad universi generis vim

---

(1) ∞ *praeterea facere possit* Cdd. aliq. Steph. L. *praeter ipsum facere possit* Ed. s. l. et a. (2) e Sch. €. 2. 3. ∞ *ut* Iu. Man. — *aut* L. Grut. Ern. 1. (3) — *gulosi* Cd. Reg. 7703. (4) Id est, *primaria*. Cfr. *Topic.* C. 5. *Definitionum autem duo sunt genera prima.* — *duo contermina* Cod. Memmii. Reg. 7703. (— *duo crimina* vel, *crimmina* Palatt. ap. Grut.) — *duo prima gemina* O1x. — *Consecutionis autem gemina quaestionum genera* — ita ut *gemina* alii exposuerint *contermina*, alii simplicius *duo*, quibus e gloss. textui intrusis denique natum sit mirum illud *duo prima*. Nescio cuius €. (5) *ut* add. Pearc €. Ern. 1. 2. 3. ∞ om. *ut* Cdd. Iu. — L. Grut. (6) ∞ om. *ut* Steph. L. (7) ∞ om. *ut* Steph. L. (8) ∞ om. *et* Steph. L. (9) Sic Cdd. aliq. ap. Sch. Regii duo. Nonius. Sch. 2. 3. — *discrepavit* Iu. — L. Ern. 1. (10) Sic Cdd. aliq. Steph. Pearc. Sch. 2. 3. — *in utriusque disputationibus* ex Edd. vett. Ern. 1. — *in utrisque disputationibus* Ald. Iu. — Man. L. Grut. (11) ∞ *tributa* Cdd. aliq. v. c. Reg. 7703.

explicandam conferunt et convertunt, ut ii, qui audiunt[1], natura, et genere[2], et universa re cognita, de singulis reis, et criminibus, et litibus statuere possint. 121. Hanc ad consuetudinem exercitationis vos, adolescentes, est cohortatus Antonius[3], atque a minutis angustisque concertationibus ad omnem vim varietatemque [vos] disserendi traducendos[4] putavit. Quare non est paucorum libellorum hoc munus, ut ii, qui scripserunt de dicendi ratione, arbitrati sunt, neque Tusculani, atque huius[5] ambulationis antemeridianae, aut nostrae pomeridianae sessionis. Non enim solum acuenda nobis, neque procudenda[6] lingua est, sed onerandum[7] complendumque pectus maximarum rerum et plurimarum[8] suavitate, copia, varietate. XXXI. 122. Nostra est enim (si modo nos oratores sumus, si in civium disceptationibus, si in periculis, si in deliberationibus publicis adhibendi auctores et principes sumus) nostra est, inquam, omnis ista prudentiae doctrinaeque possessio, in quam homines, quasi caducam atque vacuam, abundantes otio, nobis occupatis, involaverunt, atque etiam aut irridentes oratorem, ut ille in Gorgia Socrates, cavillantur, aut aliquid de oratoris arte paucis praecipiunt libellis, eosque rhetoricos inscribunt, quasi non illa sint propria rhetorum[9], quae ab iisdem de iustitia, de officio, de civitatibus instituendis et regendis, de omni vivendi, denique etiam de naturae ratione dicuntur. 123. Quae quoniam iam[10] aliunde non possumus, sumenda sunt nobis ab iis ipsis, a quibus expilati[11] sumus; dummodo illa ad hanc civilem scientiam, quo[12] pertinent, et quam intuentur[13], transferamus: neque (ut ante dixi) omnem teramus in his discendis rebus aetatem; sed quum fontes viderimus, quos nisi qui celeriter cognorit, nunquam cognoscet omnino, tum, quotiescunque opus erit, ex iis tantum, quantum res petet, hauriemus[14]. 124. Nam neque tam est acris acies in naturis hominum, et ingeniis, ut res tantas quisquam, nisi monstratas, possit videre: neque tanta tamen in rebus obscuritas, ut eas non penitus acri vir ingenio cernat, si modo adspexerit. In hoc igitur tanto tam immensoque[15] campo, quum liceat oratori vagari libere, atque, ubicunque constiterit, consistere in suo, facile suppeditat omnis apparatus ornatusque dicendi. 125. Rerum enim copia verborum copiam gignit: et, si est honestas in rebus ipsis, de quibus dicitur, exsistit ex rei

---

([1]) Sic Sch. 2. 3. — *audiant* Iu. — L. Ern. 1. ([2]) — *naturae genere* Cdd. aliq. prob. Gulielm. — *natura generis* Sch. suspic. ([3]) = *est Antonius coh.* L. ([4]) Sic Iu. — L. Ern. 1. sine [ ] — *disserendi vos traduc.* Sch. C. 2. Sed ∞ om. *vos* Guelf. B. Man. Muell. 3. (— *nos* Guelf. C.) Videtur gloss. ([5]) *atque nostrae amb. antem. aut huius pom. sess.* Sch. suspic. in *Addend. Ed. min.* ([6]) — *atque proc.* Ern. suspic. ([7]) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. 3. — *ornandum* de Heusing. C. Sch. 2. ([8]) — om. *et plurim.* C1d. prob. Sch. ([9]) — *oratorum* Sch. C. 2. ([10]) Sic Cdd. pleriq. Iu. — L. Ern. 1. 3. — om. *iam* Sch. 2. cum C1d. ([11]) — *compilati* Alii in marg. 1584. ([12]) — *ad quam* L. ([13]) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. Sch. 2. — *intuemur* Sch. C. in Ed. mai. Muell. 3. ([14]) Sic Cdd. Iu. Crat. Man. (qui recte post v. *aetatem* plenius (;) distinxit.) L. 1566. Grut. Defendit Matthiae *de Anacol.* p. 22. — *hauriamus* Lamb. C. in marg. 1584. Ern. 1. 2. 3. ([15]) e Cdd. aliq. (etiam O1x.) Ern. 1. 2. 3. = *tanto tamque immenso* Iu. Grut. — *tanto immensoque* L.

natura [1] quidam splendor in verbis. Sit modo is, qui dicet aut scribet, institutus liberaliter educatione doctrinaque puerili, et flagret studio, et a natura adiuvetur, et in universorum generum infinitis disceptationibus exercitatus; ornatissimos scriptores oratoresque ad cognoscendum imitandumque delegerit [2]: nae ille haud sane, quemadmodum verba struat et illuminet, a magistris istis requiret. Ita facile in rerum abundantia ad orationis ornamenta sine duce, natura ipsa, si modo est excitata [3], labetur.

XXXII. 126. Hic Catulus, Dii immortales, inquit, quantam rerum varietatem, quantam vim, quantam copiam, Crasse, complexus es, quantisque ex angustiis oratorem educere ausus es, et in maiorum suorum regno collocare! Namque illos veteres doctores auctoresque dicendi nullum genus disputationis a se alienum putasse accepimus, semperque esse in omni orationis ratione [4] versatos. 127. Ex quibus Eleus Hippias, quum Olympiam venisset, maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatus est, cuncta paene audiente Graecia, nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret: nec solum has artes, quibus liberales doctrinae atque ingenuae continerentur [5], geometriam, musicam, literarum cognitionem, et poëtarum, atque illa, quae de naturis rerum, quae de hominum moribus, quae de rebus publicis dicerentur [6]: sed annulum, quem haberet, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse. 128. Scilicet nimis hic quidem est progressus, sed ex eo ipso est coniectura facilis, quantum sibi illi ipsi oratores de praeclarissimis artibus appetierint, qui ne sordidiores quidem repudiarint. Quid de Prodico Ceo [7]? quid de Thrasymacho Chalcedonio, de Protagora Abderita loquar? quorum unusquisque plurimum temporibus illis, etiam de natura rerum et disseruit et scripsit. 129. Ipse ille Leontinus Gorgias, quo patrono (ut Plato voluit) philosopho succubuit orator, (qui aut non est victus unquam a Socrate, neque sermo ille Platonis verus est: aut, si est victus, eloquentior videlicet fuit, et disertior Socrates, et, ut tu appellas, copiosior et melior orator;) sed hic, in illo ipso Platonis libro, de omni re, quaecunque in disceptationem quaestionemque vocaretur, se copiosissime dicturum esse profitetur; isque princeps ex omnibus ausus est in conventu poscere, qua de re quisque vellet audire: cui tantus honos habitus est a Graecia, soli ut ex omnibus Delphis non inaurata statua, sed aurea statueretur. 130. Atque [8] ii, quos nominavi, multique praeterea summi dicendi auctores [9], uno tempore fuerunt: ex quibus intelligi potest, ita se rem habere, ut tu, Crasse, dicis; oratorisque nomen apud antiquos in Graecia, maiore quadam vel copia vel gloria floruisse. 131. Quo quidem magis dubito, tibine

---

(1) Sic pleriq. Iu. — L. Ern. 1. ∞ *ex re naturalis* Guelf. A. Vet. ap. Steph. — *ex ea naturalis* Sch. €. 2. 3. (2) Sic Cdd. complures. Pearc. Sch. 2. 3. — *legerit* L. Olivet. — *cognorit* Olx. Iu. Grut. Ern. 1. (3) e Sch. €. necessaria. 2. 3. — *exercitata* Cdd. Iu. — L. Ern. 1. (4) ∞ *genere* Steph. L. (5) ∞ *continentur* Vet. ap. Steph. L. (6) ∞ *disseruntur* L. (7) Sic scribend. ex Olx. et Lamb. v. Ellendt *ad Brut.* p. 28. — *Ceio* Cdd. aliq. Sch. 2. — *Cio* Man. Muell. 3. — *Chio* Iu. Grut. Ern. 1. (8) — *Sed* Cdd. aliq. (9) ex Erlang. Ern. 1. 2. 3. ∞ *doctores* Cdd. pleriq. Iu. — L. Grut. ∞ utrumque fortasse coniungendum, ut supra. Sch. suspic.

plus laudis, an Graecis vituperationis esse tribuendum statuam: quum tu, in alia lingua ac moribus natus, occupatissima in civitate, vel privatorum negotiis paene omnibus [1], vel orbis terrae procuratione, ac summi imperii gubernatione districtus, tantam vim rerum cognitionemque comprehenderis, eamque omnem cum eius, qui consilio et oratione in civitate valeat, scientia atque exercitatione sociaris: illi nati in literis, ardentesque his studiis, otio vero diffluentes [2], non modo nihil acquisierint, sed ne relictum quidem, et traditum, et suum conservaverint [3]. XXXIII. 132. Tum Crassus, Non in hac, inquit, una, Catule, re, sed in aliis etiam compluribus, distributione partium ac separatione magnitudines sunt artium diminutae. An tu existimas, quum esset Hippocrates ille Cous, fuisse tum alios medicos, qui morbis, alios, qui vulneribus, alios, qui oculis [4] mederentur? Num geometriam Euclide aut Archimede, num musicam, Damone aut Aristoxeno, num ipsas literas Aristophane aut Callimacho tractante, tam discerptas [5] fuisse, ut nemo genus universum complecteretur, atque ut alius aliam sibi partem, in qua elaboraret, seponeret? 133. Equidem saepe hoc audivi de patre et de [6] socero meo, nostros quoque homines, qui excellere sapientiae gloria vellent, omnia, quae quidem tum haec civitas nosset, solitos esse complecti. Meminerant illi Sex. Aelium. M' vero Manilium nos etiam vidimus transverso ambulantem foro; quod erat insigne, cum, qui id faceret, facere civibus omnibus consilii sui copiam: ad quos olim et ita ambulantes, et in solio sedentes domi, sic adibatur, non solum ut de iure civili ad eos, verum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio, aut negotio referretur. 134. Haec fuit P. Crassi illius veteris, haec Ti. Coruncanii, haec proavi generi [7] mei, Scipionis, prudentissimi hominis, sapientia, qui omnes pontifices maximi fuerunt, ut ad eos de omnibus divinis atque humanis rebus referretur: iidemque [8] et in senatu, et apud populum, et in causis amicorum, et domi [9], et militiae consilium suum fidemque praestabant. 135. Quid enim M. Catoni, praeter hanc politissimam doctrinam transmarinam atque adventitiam, defuit? num, quia ius civile didicerat [10], causas non dicebat? aut quia poterat dicere, iuris scientiam negligebat? utroque [11] in genere et elaboravit [12], et praestitit. Num propter hanc ex privatorum negotiis collectam gratiam tardior in re publica capessenda fuit? Nemo apud populum fortior, nemo melior senator: idem facile optimus imperator: denique nihil in hac civitate temporibus illis sciri discive potuit, quod ille non quum investigarit et scierit, tum etiam conscripserit. 136. Nunc contra plerique ad honores adipiscendos et ad rem

(1) — *omnium* Ern. suspic. — *obrutus* Sch. €. 2. 3. Sed cfr. §. 133. ubi non minus hyperbolice *facere civibus omnibus sui copiam*. (2) — *defluentes* Olx. (3) ∞ *conservarint* L. (4) — *alios, qui auribus* addit L. (5) — *discretas* Ed. s. l. et a. Margo Crat. (6) — om. *de* Steph. L. (7) Sic iam Iu. L. Ern. 1. 2. 3. — *proavi, generi mei* Grut. (8) — *hi denique* Olx. (9) Sic omnes. Olx. Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. — male *et domi* om. Olivet. (10) — *ius civ. non didicerat* Olx. et alii Cdd. (11) — e Cdd. Pearc. Sch. 2. 3. — *at utroque* Iu. Crat. Grut. — *atqui utroque* L. (12) Sic Vet. ap. Steph. L. prob. Betero *ad Offic.* T. 1. p. 8. — *laboravit* Iu. Ern. 1. 2. 3.

publicam gerendam nudi veniunt atque inermes; nulla cognitione rerum, nulla scientia ornati. Sin aliquis excellit unus e multis; effert se, si unum aliquid [1] affert, ut [2] bellicam virtutem, aut usum aliquem militarem; quae sane nunc quidem obsoleverunt [3]; aut iuris scientiam, ne eius quidem universi: nam pontificium, quod est coniunctum, nemo discit: aut eloquentiam, quam in clamore et in verborum cursu positam putant: omnium vero bonarum artium, denique virtutum ipsarum societatem cognationemque non norunt. XXXIV. 137. Sed, ut ad Graecos referam orationem, (quibus carere in hoc quidem sermonis genere non possumus: nam ut virtutis a nostris, sic doctrinae sunt ab illis exempla repetenda;) septem fuisse dicuntur uno tempore, qui sapientes et haberentur, et vocarentur. Hi omnes, praeter Milesium Thalen, civitatibus suis praefuerunt. Quis doctior iisdem illis temporibus, aut cuius eloquentia literis instructior fuisse traditur, quam Pisistrati? qui primus Homeri libros, confusos antea [4], sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. Non fuit ille quidem civibus suis utilis, sed ita eloquentia floruit, ut literis doctrinaque praestaret. 138. Quid Pericles? de cuius dicendi copia [5] sic accepimus, ut, quum [6] contra voluntatem Atheniensium loqueretur pro salute patriae severius, tamen id ipsum, quod ille contra populares homines diceret, populare omnibus et iucundum videretur: cuius in labris veteres Comici, etiam quum illi male dicerent (quod tum Athenis fieri licebat), leporem habitasse dixerunt, tantamque in eo [7] vim fuisse, ut in eorum mentibus, qui audissent, quasi aculeos quosdam relinqueret. At hunc non clamator [8] aliquis ad clepsydram latrare docuerat, sed, ut, accepimus, Clazomenius ille Anaxagoras, vir summus in maximarum rerum scientia. Itaque hic doctrina, consilio, eloquentia excellens, quadraginta annos [9] praefuit Athenis et urbanis, eodem tempore, et bellicis rebus. 139. Quid Critias? quid Alcibiades? civitatibus suis quidem non boni, sed certe docti atque eloquentes, nonne Socraticis erant disputationibus eruditi? Quis Dionem Syracusium doctrinis omnibus expolivit? non Plato? atque eum idem ille non linguae solum, verum etiam animi ac virtutis magister, ad liberandam patriam impulit, instruxit, armavit. Aliisne igitur artibus hunc Dionem instituit Plato, aliis Isocrates clarissimum virum Timotheum, Cononis, praestantissimi imperatoris, filium, summum ipsum imperatorem, hominemque doctissimum? aut aliis Pythagoreus ille Lysis Thebanum Epaminondam, haud scio an summum virum unum omnis Graeciae? aut Xenophon Agesilaum? aut Philolaus Archytam Tarentinum [10]? aut ipse Pythagoras totam illam veterem Italiae Graeciam, quae quondam magna vocitata est? XXXV. 140. Equidem non arbitror. Sic enim video unam quandam omnium rerum,

---

([1]) — *aliquod* Ern. suspic. ([2]) — *aut* Otx. Ed. s. l. et a. Steph. L. ([3]) Sic Crat. Man. L. Ern. 1. 2. 3. = *obsoluerunt* Cdd. Regii fere omnes. Iu. ([4]) = *ante* Guelf. A. ([5]) — *ratione* Reg. 7703. ([6]) — *dum* Idem. ([7]) ∞ *eodem* Guelf. A. ([8]) Sic Cdd. aliq. L. Crut. Ern. 1. 2. 3 — *declamator* Cdd. aliq. Iu. Crat. Man. ([9]) — *annis* Cdd. aliq. ([10]) Sic Guelf. A. B. Cod. Stephani. Otx. Erl. Ed. s. l. et a. Recte: Archytas enim minor natu erat. v. Boeckh. *Philolaus* p. 7. — *aut Philolaum Archytas Tarentinus* Cdd. pleriq. Iu. — L. Ern. 1. 2. 3.

quae essent homine erudito dignae, atque eo, qui in re publica vellet excellere, fuisse doctrinam: quam qui accepissent, si iidem ingenio ad pronuntiandum valuissent, et se ad dicendum quoque, non repugnante natura, dedissent, eloquentia praestitisse. 141. Itaque ipse Aristoteles, quum florere Isocratem nobilitate discipulorum videret, quod ipse[1] suas disputationes a causis forensibus et civilibus ad inanem sermonis elegantiam transtulisset, mutavit repente totam formam prope disciplinae suae, versumque quendam de Philocteta[2] paullo secus dixit. Ille enim *turpe* sibi ait *esse tacere*, *quum barbaros*[3]: hic autem, *quum Isocratem pateretur dicere*. Itaque[4] ornavit[5] et illustravit doctrinam illam omnem, rerumque cognitionem cum orationis exercitatione coniunxit. Neque vero hoc fugit sapientissimum regem, Philippum, qui hunc Alexandro filio doctorem accierit, a quo eodem ille et agendi[6] acciperet praecepta et eloquendi[7]. 142. Nunc sive[8] qui[9] volet, cum philosophum, qui copiam nobis rerum orationisque tradat, per me appellet oratorem licet; sive hunc oratorem, quem ego dico sapientiam iunctam habere eloquentiae, philosophum appellare malet[10], non impediam: dummodo hoc constet, neque infantiam eius, qui rem norit, sed eam explicare dicendo non queat; neque inscientiam[11] illius, cui res non suppetat, verba non desint, esse laudandam: quorum si alterum sit optandum, malim equidem indisertam prudentiam, quam stultitiam loquacem[12]. 143. Sin quaerimus, quid unum excellat ex omnibus, docto oratori palma danda est. Quem si patiuntur eundem esse philosophum, sublata controversia est. Sin eos disiungent; hoc erunt inferiores, quod in oratore perfecto inest illorum omnis[13] scientia, in philosophorum autem[14] cognitione non continuo inest eloquentia: quae quamvis contemnatur ab eis, necesse est tamen aliquem cumulum illorum artibus afferre videatur. Haec quum Crassus dixisset, parumper et ipse conticuit, et ceteris silentium fuit.

XXXVI. 144. Tum Cotta, Equidem, inquit, Crasse, non possum queri, quod mihi videare aliud quiddam, et non id, quod susceperis, disputasse; plus enim aliquanto attulisti, quam tibi erat attributum[15] a nobis ac denuntiatum: sed certe et[16] hae partes fuerunt tuae, de illustranda oratione ut diceres, et eras ipse iam ingressus, atque in quatuor partes omnem orationis laudem descripseras: quumque de duabus primis nobis quidem satis, sed, ut ipse dicebas, celeriter exigue-

---

(1) ∞ *ille* Sch. €. 2. (2) Sic boni Cdd. Iu. — L. Sch. 2. 3. cfr. *de Offic.* 3, 21. *versus de Phoenissis. de N. Deor.* 1, 8. *Platonis de Timaeo deum.* — *Philoctetae* Cdd. aliq. Pearc. Ern. 1. (3) e Cdd. Pearc. Ern. 1. 2. 3. (idque Bentleius €. assecutus erat.) — *cum barbaris* Iu. — L. Grut. (4) — *Ita* Sch. in Ed. mai. (5) Sic Cdd. aliq. Man. L. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *armavit* Cdd. aliq. Iu. Crat. (6) — *vivendi* C1d. ap. Steph. (7) Sic Cdd. aliq. Man. Steph. L. prob. Sch. *in Addend.* Muell. 3. — *loquendi* Iu. Crat. Grut. Ern. 1. 2. (8) Sic Cdd. Iu. — L. Sch. 2. 3. — *si* Ern. €. 1. (9) — *quis* L. (10) Sic C1d. L. Sch. 2. 3. — *malit* Iu. Crat. Grut. Ern. 1. (11) Sic Cdd. L. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *inscitiam* Cdd. aliq. Iu. Crat. Man. (12) — *stultam loquacitatem* Gell. *Noct. Attic.* 1, 15. (13) = *omnis illorum* L. (14) ∞ om. *autem* L. (15) e Cdd. (etiam Regiis) Ed. Waldarf. Sch. 2. 3. (— *erat attribuendum* O1x.) — *esset tributum* Iu. — L. Ern. 1. (16) Sic Steph. L. Ern. 1. 2. 3. — om. *et* Iu. Man.

que dixisses, duas tibi reliquas feceras, quemadmodum primum ornate, deinde etiam apte diceremus. 145. Quo quum ingressus esses, repente te quasi quidam aestus ingenii tui procul a terra abripuit, atque in altum a conspectu paene omnium abstraxit. Omnem enim [1] rerum scientiam complexus, non tu quidem eam nobis tradidisti: neque enim fuit tam exigui temporis: sed, apud hos quid profeceris, nescio, me quidem in Academiam totum compulisti. In qua velim sit illud, quod saepe posuisti [2], ut non necesse sit consumere aetatem, atque ut possit is illa omnia cernere, qui tantummodo adspexerit: sed etiam si est aliquanto spissius, aut si ego sum tardior, profecto nunquam conquiescam, neque defatigabor ante, quam illorum ancipites vias rationesque et pro omnibus, et contra omnia disputandi, percepero.

146. Tum Caesar, Unum, inquit, me ex tuo sermone maxime, Crasse, commovit, quod eum negasti, qui non cito quid didicisset, unquam omnino posse perdiscere: ut mihi non sit difficile periclitari, et aut statim percipere ista, quae tu verbis ad caelum extulisti; aut, si non potuerim, tempus non perdere, quum tamen his nostris possim esse contentus. 147. Hic Sulpicius, Ego vero, inquit, Crasse, neque Aristotelem istum, neque Carneadem, nec philosophorum quemquam [3] desidero: vel me licet existimes desperare, ista posse [4] perdiscere, vel, id quod facio, contemnere. Mihi rerum forensium et communium vulgaris haec cognitio satis magna est ad eam, quam specto, eloquentiam: ex qua ipsa tamen permulta nescio; quae tum denique [5], quum causa aliqua, quae a me dicenda est, desiderat, quaero. Quamobrem, nisi forte es iam defessus: et si tibi non graves [6] sumus, refer ad illa te, quae ad ipsius orationis laudem splendoremque pertinent: quae [7] ego ex te audire volui, non ut desperarem me eloquentiam consequi posse, sed ut aliquid addiscerem.

XXXVII. 148. Tum Crassus, Pervulgatas res, inquit, requiris [8], et tibi non incognitas, Sulpici. Quis enim de isto genere non docuit, non instituit, non etiam scriptum [9] reliquit? sed geram morem [10], et ea dumtaxat, quae mihi nota sunt, breviter exponam tibi; censebo tamen ad eos, qui auctores et inventores sunt harum sane minutarum rerum, revertendum. 149. Omnis igitur oratio conficitur ex verbis: quorum primum nobis ratio simpliciter videnda est, deinde coniuncte. Nam est quidam ornatus orationis, qui ex singulis verbis est; alius,

---

([1]) Sic Cdd. aliq. Steph. L. Pearc. Ern. 1. 2. 3. — *omnemque rerum* Iu. Crat. Man. ([2]) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. 3. — *velim* (*illud quod saepe posuisti*) *ut* Sch. €. 2. ([3]) — *quendam* L. 1566. ([4]) e Cdd. (O1x.) Edd. vett. Ern. 1. 2. 3. = *posse ista* Cdd. multi. Iu. — L. Grut. ([5]) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. 2. — *ex qua i. t. permulta*, *quae nescio*, *tum denique* Muell. €. 3. qui egregiam ironiam, in vulgata latentem, perspexisse non videtur. ([6]) ∞ *graves non sumus* L. ([7]) — *quod* Vet. ap. Steph. ([8]) e Cdd. prob. Goerenz *ad l. de Finib.* 5. 26. Muell. 3. = *requiris*, *inquit* Cdd. pleriq. Iu. — L. Ern. 1. 2. ([9]) Sic Cdd. pleriq. Iu. — L. Ern. 1. = *scriptum etiam* vulgariore ordine C1d. Ed. s. l. et a. Sch. 2. 3. ([10]) Sic Iu. Man. Grut. Ern. 1. ∞ *sed geram tibi morem* Ed. s. l. et a. Omnib. L. Sch. 2. 3. Sic necessario cum Lamb. Sch. 2. 3. v. *tibi* post *exponam* expungendum. At prius illud *tibi* ab interpolatore profectum videtur; vide, ne alterum etiam, quam ad suspic. inducit me O1x. ita distinguens: *exponam: tibi.*

qui ex continuatis coniunctisque constat. Ergo utemur verbis aut iis, quae propria sunt, et certa quasi vocabula rerum, paene una nata cum rebus ipsis: aut iis, quae transferuntur, et quasi alieno in loco collocantur: aut iis, quae novamus, et facimus ipsi. 150. In propriis est igitur verbis[1] illa laus oratoris, ut abiecta atque obsoleta fugiat, lectis, atque illustribus utatur, in quibus plenum quiddam et sonans inesse videatur. Sed in hoc verborum genere propriorum delectus est quidam habendus, atque is aurium quodam iudicio ponderandus: in quo consuetudo etiam bene loquendi valet plurimum. 151. Etiam[2] hoc, quod vulgo[3] de oratoribus ab imperitis[4] dici solet, *Bonis is*[5] *verbis*, aut, *aliquis non bonis utitur*, non arte aliqua perpenditur, sed quodam quasi naturali sensu iudicatur: in quo non magna laus est, vitare[6] vitium, (quamquam id[7] est magnum,) verumtamen quasi hoc[8] solum quoddam atque fundamentum est, verborum usus et copia bonorum. 152. Sed quid ipse aedificet orator, et in quo adiungat artem, id esse a nobis[9] quaerendum atque explicandum videtur.

XXXVIII. Tria sunt igitur in verbo simplici, quae orator afferat ad illustrandam atque exornandam orationem: aut inusitatum verbum, aut novatum, aut translatum. 153. Inusitata sunt: prisca fere ac vetusta, et ab usu quotidiani sermonis iamdiu intermissa, quae sunt poëtarum licentiae liberiora, quam nostrae[10]: sed tamen raro habet[11] etiam in oratione poëticum[12] aliquod verbum dignitatem. Neque enim illud fugerim dicere, ut Caelius, *Qua tempestate Poenus in Italiam venit*[13]; nec *prolem*, aut *subolem*, aut *effari*[14], aut *nuncupari*[15]: aut, ut tu soles, Catule, *non rebar*[16], aut *opinabar;* et[17] alia multa, quibus loco positis, grandior atque antiquior oratio saepe[18] videri solet. 154. Novantur autem verba, quae ab eo, qui dicit, ipso gignuntur ac fiunt, vel coniungendis verbis, ut haec:

Tum pavor sapientiam omnem mî exanimato[19] *expectorat.* —
Num non vis[20] *huius me versutiloquas malitias* —

---

(1) — om. *verbis* Cdd. aliq. (2) — *Itaque* Cdd. aliq. (3) — om. *vulgo* Guelf. B. (4) — *ab imperitis* [ ] Sch. 2. (5) Sic Cdd. pleriq. Iu. — L. Ern. 1. — *his* Olx. unde ortum *hic* Guelf. A. Sch. 2. 3. ubi nihil novandum erat. (6) — *evitare* Cdd. aliq. Ed. s. l. et a. (7) Sic pleriq. Iu. — L. — *id* om. Cdd. aliq. — *id est* om. alii Cdd. (8) Sic Cdd. aliq. Steph. L. Sch. 2. — *verum iam hoc* Vet. ap. Steph. quod quum corruptum viderent, scripserunt — *verumhoc* Iu. Man. Ern. 1. — *verum in hoc* e Cdd. Muell. 3. (9) ∞ *id esse nobis* Cdd. aliq. Steph. L. (10) e Cdd. Man. Steph. L. Ern. 1. 2. 3. — *nostra* Iu. Crat. Grut. (11) Sic omnes. — *sed tamen haud raro* Ern. suspic. ∞ *sed, raro tamen*, vel delend. *raro* Matthiae suspic. (12) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. Muell. 3. — *priscum* Sch. E. 2. — *pervetustum* Pearcii suspic. (13) — *Poenorum venit in Italiam exercitus* Vet. apud Steph. (14) Tutius h. l. censui sequi Cdd. Iu. Crat Man. Ern. 1. quam Lamb. Sch. 2. 3. ex Quintil. 8, 3, 27. refingentes: *fari.* (15) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. ∞ *nuncupare* e Quintil. l. l. Sch. 2. 3. (16) — *verebar* Cd. Reg. 7703. (17) ∞ *aut* Cdd. aliq. Pearc. Sch. 2. 3. (18) — om. *saepe* Cld. prob. Sch. (19) Sic pars Cdd. Ern. 1. (nisi quod hic *mihi*) Sch. 2. 3. — *mihi omnem exanimato* Man. Steph. Grut. ∞ *mihi omnem ex animo* Cdd. multi. Iu. Crat. L. idque praefert Bothe *Poëtae scenici* p. 32. modo scribatur *ex animod.* (Idem: *mî omnem* —) (20) Incerta omnino est lectio versiculi huius abrupti, unde Cdd. aliq. Iu. Crat. Man. Ern. 1. Bothe *Poëtae scen.* p. 75. auctoritatem secutus sum — *num vero vis* cet. Guelf. C. — *numquid vero non vis huius me vers. mal.* L. — *an num non vis* cet. Steph. ∞ *nun vis huius me v. m.* Sch. E. 2. 3. ∞ *Non novisse huius me v. m.* Bothe E.

videtis enim et *versutiloquas*, et *expectorat*, ex coniunctione facta esse verba, non nata[1]: vel saepe sine[2] coniunctione verba novantur[3], ut, † *ille senius*, ut, *Dii genitales*[4], ut *bacarum ubertate incurviscere*[5]. 155. Tertius ille modus transferendi verbi late patet, quem necessitas genuit, inopia coacta[6] et angustiis; post autem delectatio iucunditasque celebravit. Nam ut vestis frigoris depellendi causa reperta primo, post adhiberi coepta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem: sic verbi translatio instituta est inopiae causa, frequentata delectationis. Nam *gemmare vites*, *luxuriem esse in herbis*, *laetas segetes*[7] etiam rustici dicunt. Quod enim declarari vix verbo proprio potest, id translato quum est dictum, illustrat, id quod intelligi volumus[8], eius rei, quam alieno verbo posuimus[9], similitudo[10]. 156. Ergo hae translationes quasi mutuationes[11] sunt, quum, quod non habeas, aliunde sumas. Illae paullo audaciores, quae non inopiam indicant[12], sed orationi splendoris aliquid arcessunt: quarum ego, quid vobis aut inveniendi rationem, aut genera ponam? XXXIX. 157. Similitudinis est ad verbum unum contracta brevitas[13], quod verbum in alieno loco, tamquam in suo, positum, si agnoscitur, delectat; si simile nihil habet, repudiatur. Sed ea transferri oportet, quae aut clariorem faciunt rem, ut illa omnia[14]:

Inhorrescit mare,
Tenebrae conduplicantur, noctisque et nimbum occaecat nigror,
Flamma inter nubes coruscat, caelum tonitru contremit,
Grando mixta imbri largifluo[15] *subita praecipitans cadit:*
Undique omnes venti erumpunt, saevi exsistunt turbines;
Fervit[16] *aestu pelagus:*

omnia fere, quo essent clariora, translatis per similitudinem verbis dicta sunt: 158. aut quo significetur magis res tota, sive facti alicuius, sive consilii, ut ille, qui occultantem consulto[17], ne id, quod ageretur, intelligi posset, duobus translatis verbis similitudine ipsa indicat,

Quandoquidem is se[18] *circumvestit dictis, saepit sedulo.*

---

(1) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. Muell. 3. — *nativa* Sch. €. 2. (2) ∞ *sed saepe vel sine* Cdd. apud Grut. — om. *saepe* L. (3) — *verba novantur* del. L. Iterum suspecta Ernestio del. Sch. €. 2. Restituit Muell. 3. (4) Haec corrupta. Sic Cdd. aliq. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *ut ille sensus disertus indigenitalis* Iu. Man. — *ut illud diserti senis: Dii genitales* L. €. — *ut ille Ennius · Dii genitales* Turnebi €. Fuitne simpliciter: *ut illud Ennii: Di genitales?* (5) Sic e Nonio s. h. v. L. Sch. 2. 3. = *incurvescere* Iu. Man. Ern. 1. — *inturgescere* Cld. Sch. in Ed. mai. (6) ∞ *coacta primo* L. (7) Sic Iu. — L. Ern. 1. Muell. 3. ∞ *laetas esse segetes* Sch. €. 2. ex *Orat.* C. 24. Confirmat Cd. Reg. 7753. (8) Sic distinxi. Vulgo Iu. — L. 1. 2. 3. *illustrat id, quod i. v.* ubi Steph. del. *id.* (9) Sic pleriq. Iu. — L. Ern. 1. 3. ∞ *exposuimus* Sch. €. confirmata a Vet. Stephani. (10) ∞ *similitudine* Margo Crat. (11) Sic Edd. vett. Ald. Iu. L. Ern. 1. 2. 3. — *mutationes* Man. Grut. (12) — *vindicant* Olx. Steph. (13) — *Translatio omnis similitudinis est ad unum verbum contr. br.* L. — *Est autem translatio similitudinis* cet. Sch. suspic. (14) Sic Iu. — L. Ern. 1. 3. ∞ del. *omnia* Sch. €. 2. (15) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. Bothe *Poëtae scen.* p. 121. ∞ *largifluo imbri* Sch. €. 2. 3. (— *largifico* Cdd. aliq. v. c. Olx.) (16) Sic Olx. L. Ern. 1. 2. 3. = *fervet* Iu. Crat. Man. Bothe l. l. (17) — *occult. rem consulto* L. (18) Sic Pearc. €. confirmata a Guelf. A. Sch. 2. 3. — *iste* Iu. — L. Grut. Ern. 1.

Nonnunquam etiam brevitas translatione conficitur, ut illud, *Si telum manu fugit.* Imprudentia teli, emissi brevius propriis verbis exponi[1] non potuit, quam est uno significata translato. 159. Atque[2] hoc in genere persaepe mihi admirandum videtur, quid sit, quod omnes translatis et alienis magis delectentur[3] verbis, quam propriis, et suis. XL. Nam si res suum nomen et proprium vocabulum non habet, ut *pes* in navi, ut *nexum*, quod per libram[4] agitur, ut in uxore *divortium;* necessitas cogit, quod non habeas, aliunde sumere: sed in[5] suorum verborum maxima copia, tamen homines aliena multo magis, si sunt ratione translata, delectant. 160. Id accidere credo, vel quod ingenii specimen est quoddam, transilire ante pedes posita, et[6] alia longe repetita sumere: vel quod is, qui audit, alio ducitur cogitatione, neque tamen aberrat, quae maxima est delectatio: vel quod singulis verbis res ac totum simile conficitur: vel quod omnis translatio, quae quidem sumpta[7] ratione est, ad sensus ipsos admovetur, maxime oculorum, qui est sensus acerrimus. 161. Nam et *odor* urbanitatis, et *mollitudo* humanitatis, et *murmur* maris, et *dulcedo*[8] orationis, sunt ducta[9] a ceteris sensibus; illa vero oculorum multo acriora[10], quae ponunt paene in conspectu animi, quae cernere et videre non possumus. Nihil est enim[11] in rerum natura, cuius nos non in aliis rebus possimus uti vocabulo et nomine. Unde enim simile duci potest, (potest autem ex omnibus,) indidem verbum unum, quod similitudinem continet, translatum, lumen affert[12] orationi. 162. Quo in genere primum fugienda est dissimilitudo: *Caeli*[13] *ingentes fornices.* Quamvis sphaeram in scenam (ut dicitur) attulerit Ennius: tamen in sphaera fornicis similitudo non potest inesse.

- - *Vive Ulixes, dum licet:*
Oculis postremum lumen radiatum[14] *rape*[15].

non dixit, *cape;* non, *pete:* haberet enim moram sperantis diutius esse victurum[16]; sed *rape.* Hoc verbum est ad id aptatum, quod ante dixerat, *dum licet.* XLI. 163. Deinde videndum est, ne longe simile sit ductum. *Syrtim patrimonii*, *scopulum* libentius dixerim; *Charybdim bonorum*, *voraginem* potius. Facilius enim ad ea, quae visa, quam ad illa, quae audita sunt, mentis oculi feruntur. Et quoniam

---

(1) — *exprimi* Margo Crat. (2) ∞ om. *atque* O1x. Ed. s. l. et a. Steph. L. (3) Sic Steph. L. Ern. 1. 2. 3. — *delectantur* Iu. Man. Grut. (4) Sic Cdd. Iu. Man. Grut. Ern. 1. 3. ∞ *per aes et libram* L. C. Sch. 2. — *quod libra agitur* O1x. Ed. s. l. et a. (5) — *sed cur in* Cdd. aliq. — *sed qui suorum* Vet. ap. Steph. (6) — om. *et* C1d. prob. Sch. (7) Sic omnes praeter Grut. qui h. — *summa* errore typogr. (8) ∞ *dulcitudo* Cdd. aliq. O1x. Steph. (9) ∞ *deducta* Steph. L. (10) ∞ *acriora sunt* Steph. L. (11) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. 3. — *autem* de Heusing. C. Sch. 2. (12) — *afferre* O1x. Ed. s. l. et a. ∞ *afferet* Steph. L. (13) ∞ *dissimilitudo; ut*, *Caeli* Steph. L. sed in seqq. quoque v. c. §. 164. *ut* in talibus omittitur. (14) — *radiantis* Mureti C. (15) Sic Cdd. pleriq. Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. ∞ om. *rape* Cdd. aliq. ita, ut suspendatur oratio. Non male. (16) Sic Cdd. aliq. (O1x.) Sch. 2. 3. — *diut. esse sese vict.* Cdd. pleriq. Iu. Man. Ern. 1. = *diut. se esse vict.* L.

haec vel summa laus est verbi transferendi[1], ut sensum[2] feriat id, quod translatum sit; fugienda est omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos[3], qui audient, trahet[4] similitudo. 164. Nolo morte dici[5] Africani *castratam* esse rem publicam: nolo *stercus curiae* dici Glauciam: quamvis sit simile, tamen est in utroque deformis cogitatio similitudinis. Nolo esse aut maius, quam res postulet, *Tempestas*[6] *comissationis:* aut minus, *Comissatio tempestatis.* Nolo esse verbum angustius id, quod translatum sit, quam fuisset[7] illud proprium ac suum:

Quidnam est, obsecro? quid te adiri abnutas[8]*?*

Melius esset, *vetas, prohibes. absterres:* quoniam ille dixerat,

Illico istim[9]*, ne contagio mea bonis, umbrave obsit.*

165. Atque etiam, si vereare, ne paullo durior translatio esse videatur, mollienda est, praeposito saepe verbo: ut si olim, M. Catone mortuo, *pupillum* senatum quis relictum diceret, paullo durius; sin, *ut ita dicam, pupillum*, aliquanto mitius[10]. Etenim verecunda debet esse translatio, ut deducta esse[11] in alienum locum, non irruisse[12], atque ut precario, non vi, venisse videatur. 166. Modus autem nullus est florentior in singulis verbis, nec qui plus luminis afferat orationi[13]. Nam illud, quod ex hoc genere profluit, non est in uno verbo translato, sed ex pluribus continuatis connectitur, ut aliud dicatur, aliud intelligendum sit:

\- - *Neque me patiar*[14] *iterum*
Ad unum scopulum et telum classem Achivûm offendere.

Atque illud,

Erras, erras: nam exsultantem te, et praefidentem tibi
Repriment validae legum habenae, atque imperî insistent iugo.

167. Sumpta re simili, verba eius rei propria deinceps in rem aliam (ut dixi) transferuntur. XLII. Est hoc magnum ornamentum orationis, in quo obscuritas fugienda est. Etenim ex hoc genere fiunt ea, quae dicuntur aenigmata. Non est autem in verbo modus hic, sed in oratione, id est, in continuatione verborum. Ne illa quidem traductio atque immutatio in verbo quandam fabricationem habet, sed in oratione[15]:

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

([1]) Sic Cdd. aliq. Iu. Crat. Man. Sch. 2. ∞ *verbis transferendis* Cdd. aliq. (Olx.) Ern. 1. 3. ∞ *in verbis transferendis* Steph. L. Pearc. ([2]) *sensum* habet cum reliquis etiam L. 1566. sed in textu Ed. 1584. — *sensim* sine ulla adnotatione. ([3]) = *animos eorum* L. ([4]) Sic Cdd. aliq. L. Sch. 2. — *audiunt, trahet* Iu. Man. Ern. 1. ∞ *audiunt, trahit* e Cd. Erl. Muell. 3. ([5]) Sic Cdd. aliq. Iu. — L. Ern. 1. 2 3. ∞ *dici morte* e Cdd. Pearc. Sch. in Ed. mai. ([6]) — *postulet, ut, Tempestas* Vet. ap. Steph. ([7]) Sic Iu. Ern. 1. 2. 3. — om. *fuisset* Man. Steph. L. Grut. ([8]) ∞ *ted adiri abnutas* Bothe *Poetae scen.* p. 66. — *te adiri renutas* Bentleii C. ([9]) e Wolfii C. Sch. 2. 3. — *istic* Cdd. Iu. Ern. 1. — *At illico istic* Steph. — *Adsta illico istic* L. ([10]) Sic Cdd. aliq. Pearc. Ern. 1. 2. 3. — *mitius est* Iu. Man. Grut. — *mitius esset* L. ([11]) Sic Cdd. aliq. Iu. Man. L. Sch. in Ed. mai. — om. *esse* Grut. Ern. 1. 2. 3. ([12]) Sic pleriq. Iu. Man. Ern. 1. 2. 3. ut *Brut.* §. 274. ∞ *irrupisse* Cdd. aliq. Steph. L. cfr. mox §. 168. ([13]) Sic Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. — *oratori* Cdd. aliq. Ed. s. l. et a. Post haec excidisse: *quam ἀλληγορία*, sine causa opinabatur Ern. ([14]) — *me* om. Guelf. B. L. — *patiar* Vet. ap. Steph. L. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *patior* Iu. Crat. Man. Steph. ([15]) Verba *sed in oratione* del. Sch. C. 2. Restituit Muell. 3.

Pro *Afris* est sumpta *Africa:* neque factum verbum est, ut, *Mare saxifragis undis:* neque translatum, ut, *Mollitur mare:* sed ornandi causa proprium proprio commutatum[1]. *Desine Roma tuos hostes*: et, *Testes sunt campi magni.* Gravis est modus in ornatu orationis et saepe sumendus; ex quo genere haec sunt, *Martem belli esse communem*, *Cererem* pro frugibus, *Liberum* appellare pro vino, *Neptunum* pro mari, *curiam* pro senatu, *campum* pro comitiis, *togam* pro pace, *arma* ac *tela* pro bello: 168. quo item in genere et virtutes, et vitia pro ipsis, in quibus illa sunt, appellantur: *Luxuries quam in domum irrupit*, et, *Quo avaritia penetravit:* aut *Fides valuit*, *Iustitia confecit.* Videtis profecto genus hoc totum, quum inflexo commutatoque verbo res eadem enuntiatur ornatius: cui sunt finitima illa minus ornata, sed tamen non ignoranda, quum intelligi volumus aliquid, aut ex parte totum, ut, pro aedificiis quum *parietes*, aut *tecta* dicimus: aut ex toto partem, ut, quum unam turmam *equitatum populi Romani* dicimus: aut ex uno plures,

At[2] *Romanus homo, tamen etsi res bene gesta est,*
Corde suo trepidat.

aut quum ex pluribus intelligitur unum[3],

Nos sumu' Romani, qui fuvimus[4] *ante Rudini*[5],

aut quocunque modo, non ut dictum est, in eo genere intelligitur, sed ut sensum est. XLIII. 169. Abutimur saepe etiam verbo non tam eleganter, quam in transferendo: sed etiamsi licentius, tamen interdum non impudenter: ut quum *grandem orationem* pro longa[6], *minutum animum* pro parvo dicimus. Verum illa videtisne esse non verbi, sed orationis, quae ex pluribus, ut exposui, translationibus connexa sunt? haec autem, quae aut immutata esse dixi, aut aliter intelligenda, ac dicerentur, sunt translata quodam modo. 170. Ita fit, ut omnis singulorum verborum virtus atque laus tribus exsistat ex rebus: si aut vetustum verbum sit, quod tamen consuetudo ferre possit: aut factum vel coniunctione, vel novitate; in quo item est auribus consuetudinique parcendum[7]: aut translatum; quod maxime tamquam stellis quibusdam notat et illuminat orationem[8].

171. Sequitur continuatio verborum, quae duas res maxime, collocationem primum, deinde modum quendam formamque desiderat. Collocationis est componere et struere verba sic, ut neve asper eorum concursus, neve hiulcus sit, sed quodammodo coagmentatus et laevis. In quo lepide soceri mei persona[9] lusit is, qui elegantissime id facere potuit, Lucilius,

---

(1) — *commutatum; ut*, *Desine* L. (2) *ut* pro *at* Cdd. multi. Hinc L. *plures*, *ut At Ro.* (3) Sic Cdd. pleriq. Iu. Man. Ern. 1. 2. 3. ∞ *unus* Steph. L. (4) Sic Pearc. Sch. 2. 3. — *fuimus* Cdd. Iu. — L. Ern. 1. (5) Sic Cdd. aliq. Gruteri. (O1x. *Rulini*) — *qui fuimus ante Rutuli* Steph. — *qui fuimus Rutuli* Ald. Iu. Man. L. (6) e C3d. Regiis, Guelf. A. Steph. L. cfr. *ad Her.* 4, §. 45. — *magna* Iu. Man. Ern. 1. 2. 3. (7) Sic Ed. Wald. Iu. Man. Ern. 1. 2. 3. ∞ *parendum* Ed. s. l. et a. Steph. L. (8) — *notat et illustrat* Guelf. C. — *illustrat et notat* Guelf. A. — *illustrat et nobilitat* Vet. ap. Steph. (9) Sic Cdd. pleriq. Iu. Man. Grut. nec nimis durum videtur pro *sub*, *in persona* — *lepide in s. m. persona* e Cd. Erl. Ern. 1. 2. 3. quae correctio videtur corruptae lectionis O1x. Vet. ap. Steph. *in quod lepidi* (sic) *s. m. p.* vel glossema — *lepide s. m. personam* Ascens.

Quam lepide lexeis compostae! ut tesserulae omnes[1]
Arte pavimento[2], *atque emblemate vermiculato.*

Quae quum dixisset in Albucium illudens, ne a me quidem abstinuit,

Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis.

Quid ergo? iste Crassus, quoniam eius abuteris nomine, quid efficit? idem illud scilicet, † ut[3] ille voluit, et ego vellem, melius aliquanto, quam Albucius. Verum in me quidem lusit ille, ut solet. 172. Sed est tamen haec[4] collocatio conservanda verborum, de qua loquor; quae iunctam orationem efficit, quae cohaerentem, quae lenem[5], quae aequabiliter fluentem. Id assequemini, si verba extrema cum consequentibus primis ita iungetis[6], ut neve[7] aspere concurrant, neve vastius diducantur. XLIV. 173. Hanc diligentiam subsequitur modus etiam et forma verborum, quod iam vereor, ne huic Catulo videatur esse puerile. Versus enim veteres illi in hac soluta oratione propemodum[8], hoc est, numeros quosdam, nobis esse adhibendos putaverunt. Interspirationis enim, non defatigationis nostrae[9], neque librariorum notis, sed verborum et sententiarum modo interpunctas clausulas in orationibus esse voluerunt: idque princeps Isocrates instituisse fertur; ut inconditam antiquorum dicendi consuetudinem, delectationis atque aurium causa (quemadmodum scribit discipulus eius Naucrates) numeris adstringeret. 174. Namque haec duo musici, qui erant quondam iidem poëtae[10], machinati ad voluptatem sunt, versum atque cantum, ut et verborum numero, et vocum modo, † delectatione[11] vincerent aurium satietatem. Haec igitur duo, vocis dico moderationem, et verborum conclusionem, quoad orationis severitas pati possit, a poëtica ad eloquentiam traducenda duxerunt[12]. 175. In quo illud est vel maximum, quod versus in oratione si efficitur coniunctione verborum, vitium est; et tamen eam[13] coniunctionem, sicuti versum, numerose cadere et quadrare[14], et perfici[15] volumus. Neque est ex multis res una[16], quae magis ora-

---

(1) — *lepida sinthesis* (sic) *composite* Olx. — *lepida synthesis composita ut* Vet. ap. Steph. quod vix memorassem, nisi Nonius *Aldi* p. 1195. item haberet: *quam lepida synthesis composita ut.* (2) Sic Cdd. Nonius *Aldi* et *Merceri.* Iu. Grut. Ern. 1. — *ut t. omnes*, *Endo pav.* L. Lallem. Le Clerc. ∞ *ut t. arte*, *Endo pav.* Sch. €. 2. 3. (cfr. Plin. *Hist. N.* 36, 26. ubi ante Harduinum legebatur: *Ante pavimento.*) (3) Sic Cdd. Iu. Man. Ern. 1. ∞ *ut et ille* L. ∞ *quod ille* de Ern. €. Sch. 2. 3. (4) om. *haec* Iu. Man. Primus addidit Steph. tum L. Ern. 1. 2. 3. (5) Sic Iu. Man. Ern. 1. 2. 3. — *levem* L. Grut. (6) — *Quam assequemini*, *si extrema consequentibus primis ita iungentur* Vet. ap. Steph. (7) Sic Cdd. aliq. Iu. Crat. Man. L. Sch. 2. 3. — *ut ne* Grut. Ern. 1. (8) = *propemodum* L. collocat ante v. *in hac.* (9) Sic Cdd. Iu. Man. L. Ern. 1. — *Interspirationes enim, non defatigatione nostra* Sch. €. 2. 3. miro ἀσυνδέτῳ, et contra sensum, qui hic est: „In orationibus esse voluerunt clausulas interspirationis, non defatigationis nostrae, id est, ubi non, propter defatigationem, vocem comprimere cogeremur, sed ubi libere et commode interspiraremus; easdemque clausulas interpunctas voluerunt, non librariorum notis, sed cet." (10) Sch. €. 2. haec duo verba *musici – poëtae* transposuit. Pristinum ordinem restituit Muell. 3. (11) Hoc corruptum. — *delectationem* Olx. — Ern. 1. [ ]. Sch. 2. del. — *delicatiorem* Waardenburg. €. Muell. 3. Mihi pro *modo delectatione* leg. videtur: *modulatione.* (12) = *traducenda esse duxerunt* Cdd. aliq. Ed. s. l. et a. (13) — *etiam* Cdd. aliq. (Olx.) (14) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. ∞ *quadrari* Sch. €. 2. 3. Non male. (15) — *perficere* Cdd. aliq. Ed. s. l. et a. (16) — *ulla* Cdd. aliq. v. c. Regii tres.

torem ab imperito dicendi, ignaroque distinguat, quam quod ille rudis incondite fundit, quantum potest, et id, quod dicit, spiritu, non arte, determinat, orator autem sic illigat sententiam verbis, ut eam numero quodam complectatur, et adstricto et soluto. 176. Nam quum vinxit modis et forma, relaxat[1] et liberat immutatione ordinis, ut verba neque alligata sint quasi certa aliqua lege versus, neque ita soluta, ut vagentur. XLV. Quonam igitur modo tantum munus[2] insistemus[3], ut arbitremur nos hanc vim numerose dicendi consequi posse? Non est res tam difficilis, quam necessaria. Nihil est enim tam tenerum, neque tam flexibile, neque quod tam facile sequatur, quocunque ducas, quam oratio. 177. Ex hac versus, ex eadem dispares numeri conficiuntur: ex hac haec etiam[4] soluta variis modis, multorumque generum oratio. Non sunt enim[5] alia sermonis, alia contentionis verba: neque ex alio genere ad usum quotidianum, alio ad scenam pompamque sumuntur: sed ea nos quum iacentia sustulimus e medio, sicut mollissimam ceram ad nostrum arbitrium formamus et fingimus. Itaque ut tum[6] graves sumus, tum subtiles, tum medium quiddam tenemus: sic institutam nostram sententiam sequitur orationis genus, idque ad omnem et aurium[7] voluptatem, et animorum motum mutatur et vertitur. 178. Sed ut in plerisque rebus incredibiliter hoc natura est ipsa fabricata: sic in oratione, ut ea, quae maximam utilitatem in se continerent, eadem haberent plurimum[8] vel dignitatis, vel saepe etiam venustatis. Incolumitatis ac salutis omnium causa videmus hunc statum esse huius totius mundi atque naturae, rotundum ut caelum, terraque ut media sit, eaque sua vi nutuque teneatur; sol ut circumferatur, ut accedat ad brumale signum, et inde sensim ascendat in diversam partem; ut luna accessu et recessu suo[9] solis lumen accipiat; ut eadem spatia quinque stellae dispari[10] motu, cursuque conficiant. 179. Haec tantam habent vim, ut paullum immutata cohaerere non possint: tantam pulchritudinem, ut nulla species ne excogitari[11] quidem possit ornatior. Referte nunc animum ad hominum, vel etiam ceterarum animantium formam et figuram. Nullam partem corporis sine aliqua necessitate affictam, totamque formam quasi perfectam reperietis arte, non casu. XLVI. Quid? in arboribus, in quibus non truncus, non rami, non folia sunt denique, nisi ad suam retinendam conservandamque naturam, nusquam tamen est ulla pars, nisi venusta. 180. Linquamus naturam, artesque videamus. Quid tam in navigio necessarium, quam latera, quam cavernae[12], quam prora, quam puppis, quam antennae, quam vela, quam mali[13]? quae tamen hanc habent in specie venustatem, ut non

(1) Sic Cd. Erl. Ed. Wald. L. Ern. 1. 2. 3. — *modis, forma, et relaxat* Iu. Man. Grut. (2) ∞ *numeris* L. (3) — *instituemus* Margo Strebaei. v. Davis. *ad Caes. B. G.* 3, 14. (4) — *eadem haec soluta* L. (5) e Schaeferi emend. Sch. 2. 3. = *Non enim sunt* Cdd. Iu. L. Ern. 1. (6) e Sch. E. 2. 3. — *Itaque tum* Cdd. Iu. — L. Ern. 1. (7) Sic Cdd. aliq. Gruteri (omisso tamen etiam v. *et*) Sch. 2. 3. — *ad omnem rationem* (*orationem* O1x.) *et aurium* Iu. — L. Ern. 1. (8) = *plurimum haberent* L. (9) — om. *suo* Cdd. aliq. (10) Sic primus Steph. tum L. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *dispares* Iu. Crat. Man. (11) — *cogitari* Cdd. multi. (12) e Cdd. multis Ern. 1. 2. 3. — *carinae* Cdd. aliq. Iu. Grut. — *carina* L. (13) Pleriq. Cdd. Iu. Man. L. addunt ∞ *quam reliqua*. Omittunt Cdd. Gruteri. Grut. Ern. 1. 2. 3.

solum salutis, sed etiam voluptatis causa, inventa esse videantur. Columnae et[1] templa et porticus sustinent: tamen habent non plus utilitatis, quam dignitatis. Capitolii fastigium illud, et ceterarum aedium, non venustas, sed necessitas ipsa fabricata est. Nam quum esset habita ratio, quemadmodum ex utraque tecti parte[2] aqua delaberetur; utilitatem templi fastigii dignitas[3] consecuta est: ut, etiamsi in caelo statueretur[4], ubi imber esse non posset, nullam sine fastigio dignitatem habiturum fuisse[5] videatur. 181. Hoc in omnibus item partibus orationis evenit, ut utilitatem ac prope necessitatem suavitas quaedam et[6] lepos consequatur. Clausulas enim atque interpuncta verborum animae interclusio atque angustiae spiritus attulerunt. Id [inventum[7]] ita est[8] suave, ut, si cui sit infinitus spiritus datus, tamen eum perpetuare verba nolimus. Id enim[9] auribus nostris gratum est inventum, quod hominum lateribus non tolerabile solum, sed etiam facile esse posset. XLVII. 182. Longissima est igitur complexio verborum, quae volvi uno spiritu potest. Sed hic naturae modus est, artis alius. Nam quum sint numeri plures; iambum et trochaeum frequentem segregat ab oratore Aristoteles, Catule, vester, qui natura tamen incurrunt ipsi in orationem sermonemque nostrum; sed sunt insignes[10] percussiones eorum numerorum, et minuti pedes. Quare primum ad heroum nos dactyli, et anapaesti, et spondei pedem invitat[11]: in quo impune progredi licet duo[12] dumtaxat pedes, aut paullo plus, ne plane in versum, aut similitudinem versuum[13] incidamus. Aliae[14] sunt geminae, quibus hi tres heroi pedes in principia continuandorum verborum satis decore cadunt[15]. 183. Probatur autem ab eodem illo maxime paeon; qui est duplex. Nam aut a longa oritur, quam tres breves consequuntur, ut haec verba, *desinite*, *incipite*, *comprimite:* aut a brevibus deinceps tribus, extrema producta atque longa, sicut illa sunt, *domuerant*, *sonipedes*. Atque illi philosopho ordiri placet a superiore paeone, posteriore finire. Est autem paeon[16] hic posterior non syllabarum numero, sed aurium mensura, quod[17] est acrius iudicium et certius, par fere cretico, qui est ex longa, et brevi, et longa: ut

---

([1]) — om. *et* Cdd. aliq. ([2]) = *parte tecti* L. ([3]) Iu. Ern. 1. distinguunt: *utilitatem templi*, *fastigii dignitas* — *utilitatem fastigii*, *templi dignitas* Sch. C. 2. 3. sed, ut saepe, duplex ille genitivus, quorum alter ex altero pendet, in errorem induxit Criticos. Construe: *dignitas consecuta est utilitatem fastigii templi.* ([4]) Sic C2d. Gruteri Ern. 1. 2. 3. ∞ *etiamsi in caelo Capitolium statueretur* Pleriq. Iu. Man. Pearc. — *etiamsi in caelum Capitolium extolleretur* Steph. C. ut videtur, tum L. ([5]) Sic Cdd. pleriq. Iu. — L. Grut. Sch. 2. ∞ *habiturum esse* e Cdd. aliq. Ern. 1. Muell. 3. sed correctio videtur. ([6]) = *ac* L. ([7]) Probo Muell. C. *inventum* esse delendum. — *Id autem ita* Sch. C. 2. ([8]) Sic Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. — om. *est* Grut. errore typogr.? ([9]) — *Idem enim* vel *Idem* om. *enim* Ern. suspic. (— *inventum* sine causa suspectum Ern. et Purgoldo. ([10]) — *singulae* Pearcii suspic. ([11]) ∞ *invitant* C2d. prob. Sch. Totum hunc locum corruptum sic dedit L.: *quare plurimum ad heroos nos pedes dactylum et anapaestum et spondeum invitat.* ([12]) = *duos* L. ([13]) ∞ *versus* e C3d. Pearc. ([14]) — *alterae* C2d. apud Grut. — *at hae* L. suspic. non recepta. — *aliis* Sch. suspic. ([15]) ∞ *cedunt* Sch. C. 2. 3. constructione verborum vix Tulliana. ([16]) — *paean* et sic semper L. ([17]) — *quarum* L.

Quid petam praesidi, aut exsequar? quove nunc?

A quo numero exorsus est Fannius, *Si, Quirites, minas illius.* Hunc ille clausulis aptiorem putat, quas vult longa plerumque syllaba terminari. XLVIII. 184. Neque vero haec tam acrem curam diligentiamque desiderant, quam est illa poëtarum: quos necessitas cogit, et ipsi numeri ac modi, sic verba versu includere, ut nihil sit, ne spiritu quidem minimo, brevius, aut longius, quam necesse est. Liberior est oratio, et plane, ut dicitur, sic est[1] vere soluta; non ut fugiat tamen, aut erret, sed ut sine vinculis sibi ipsa moderetur. Namque ego illud assentior Theophrasto, qui[2] putat orationem, quae quidem sit polita atque facta quodam modo, non adstricte, sed remissius numerosam esse oportere. 185. Etenim, sicut ille suspicatur, ex istis modis[3], quibus hic usitatus versus efficitur, post anapaestus, procerior quidam numerus, effloruit; inde ille licentior et divitior fluxit dithyrambus; cuius membra et pedes, ut ait idem, sunt in omni locupleti oratione diffusa. Et, si numerosum est id in omnibus sonis atque vocibus, quod habet quasdam impressiones, et quod metiri possumus intervallis aequalibus; recte genus hoc numerorum, dummodo ne continuum sit, in orationis laude ponetur. Nam si rudis et impolita[4] putanda est illa sine intervallis loquacitas peremnis et profluens, quid est aliud causae, cur repudietur, nisi quod hominum auribus vocem natura modulatur ipsa[5]? quod fieri, nisi inest[6] numerus in voce, non potest[7]. 186. Numerus autem in continuatione nullus est: distinctio, et aequalium, et saepe variorum intervallorum percussio, numerum conficit; quem in cadentibus guttis, quod intervallis distinguuntur, notare possumus; in amni praecipitante non possumus. Quod si continuatio[8] verborum haec soluta multo est aptior atque iucundior, si est articulis membrisque distincta, quam si continuata ac producta; membra[9] illa modificata esse debebunt[10]: quae si in extremo breviora sunt, infringitur ille quasi verborum ambitus: sic enim has orationis conversiones Graeci nominant. Quare aut paria esse debent posteriora superioribus, extrema[11] primis, aut, quod etiam est melius et iucundius, longiora. XLIX. 187. Atque haec quidem ab iis philosophis, quos tu maxime diligis, Catule, dicta sunt: quod eo saepius testificor, ut auctoribus[12] laudandis ineptiarum crimen effugiam. Quarum tandem? inquit Catulus; aut quid disputatione ista afferri potest elegantius, aut omnino dici subtilius? 188. At enim vereor, inquit Crassus, ne haec aut difficiliora

---

(1) Sic Cdd. Gruteri. Steph. L. Sch. in Ed. mai. e Cld. Muell. 3. — *sic et est* Cdd. pleriq. Iu. Ern. 1. 2. (2) — *quod* Sch. C. 2. 3. (3) e C2d. Sch. 2. 3. ∞ *ex illis modis* Iu. — L. Ern. 1. — *ex his modis* Becichem. Margo Crat. — *et ex illis modis* Grut. (4) Sic Cdd. multi. Grut. Ern. 1. 2. 3. ∞ *et indocta* Ed. s. l. et a. Iu. Man. L. Sch. in Ed. mai. neque prorsus improbabile est, illud huius potius esse glossema, quam contra. (5) Sic Cdd. aliq. Sch. 2. — *hominum aures vocem naturae modulantur ipsae* Iu. Sic et Man. Grut. nisi quod: *natura - ipsa* ∞ *hominum aures vocem natura modulantur ipsae* Ern. 1. 3. — *hominum vocem natura modulatur ipsa* Vet. apud Steph. L. (6) — *inesset* L. (7) — *posset* L. (8) — *complexio* vel *comprehensio* Sch. suspic. (9) Sic Cdd. aliq. Steph. L. Ern. 1. 2. 3. — *verba* Olx. Iu. Crat. Man. (10) — *debent* Vet. ap. Steph. (11) ∞ *et extrema* Cd. Erl. Steph. L. (12) — *auctoritatibus* Vet. ap. Steph.

istis ad persequendum esse videantur, aut, quia non traduntur in vulgari ista disciplina, nos[1] ea maiora ac difficiliora videri velle videamur. Tum Catulus, Erras, inquit, Crasse, si aut me, aut horum quemquam putas a te haec opera[2] quotidiana et pervagata[3] exspectare. Ista, quae dicis, dici volumus: neque tam dici, quam isto dici modo[4]: neque tibi hoc pro me solum, sed pro his omnibus sine ulla dubitatione respondeo. 189. Ego vero, inquit Antonius, inveni tandem, quem negaram in eo, quem scripsi, libello, me invenisse eloquentem. Sed eo te ne laudandi quidem causa interpellavi, ne quid de hoc tam exiguo sermonis tui tempore verbo uno meo deminueretur[5]. 190. Hanc igitur, Crassus inquit, ad legem quum[6] exercitatione, tum stilo, qui et alia, et hoc maxime ornat ac limat, formanda nobis[7] oratio est. Neque tamen hoc tanti laboris est, quanti videtur: nec sunt haec rhythmicorum ac musicorum acerrima norma dirigenda; et[8] efficiendum est illud modo nobis[9], ne fluat oratio, ne vagetur, ne insistat[10] interius, ne excurrat longius: ut membris distinguatur, ut conversiones habeat absolutas. Neque semper utendum est perpetuitate, et quasi conversione verborum, sed saepe carpenda[11] membris minutioribus oratio est, quae tamen ipsa membra sunt numeris vincienda. 191. Neque vos[12] paeon, aut herous ille conturbet. Ipsi occurrent orationi: ipsi, inquam, se offerent, et respondebunt non vocati. Consuetudo modo illa sit scribendi atque dicendi, ut sententiae verbis finiantur, eorumque verborum iunctio[13] nascatur a proceris numeris ac liberis, maxime[14] heroo aut paeone priore[15] aut cretico, sed varie distincteque considat. Notatur enim maxime similitudo in conquiescendo. Et, si primi et postremi illi pedes sunt hac ratione servati, medii possunt latere, modo ne circuitus ipse verborum sit aut brevior, quam aures exspectent, aut longior, quam vires atque anima patiatur. L. 192. Clausulas autem diligentius etiam servandas esse arbitror, quam superiora, quod in his maxime perfectio atque absolutio iudicatur. Nam versus aeque prima, et media, et extrema pars attenditur; qui debilitatur, in quacunque sit parte titubatum: in oratione autem prima pauci cernunt, postrema plerique. Quae, quoniam apparent et intelliguntur, varianda sunt, ne aut animorum iudiciis repudientur, aut aurium satietate. 193. Duo enim aut tres sunt fere extremi servandi et notandi pedes,

---

(1) — *non* Steph. L. (2) — *praecepta* Sch. suspic. v. Ellendt *ad Brut.* p. 145. (3) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. — *pervaga* Grut. errore typogr. propagato ab Oliveto et Oxoniensibus. (4) = *modo dici* L. (5) Sic L. — *diminueretur* Iu. Ern. 1. 2. 3. (6) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. — *tum* Sch. C. 2. 3. (7) e Cdd. etiam Stephani, Olx. Sch. 2. 3. — *vobis* Iu. — L. Ern. 1. (8) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. 3. — *sed eff.* Sch. C. 2. — om. *et* Steph. (9) Sic e Cdd. Sch. 2. 3. — *vobis* Iu. — L. Ern. 1. (10) — *insideat* Vet. ap. Steph. (11) Sic Crat. Steph. L. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *capiendâ* Cdd. pleriq. Iu. Man. (12) ∞ *Neque tamen nos* (sic) Ed. s. l. et a. (13) ∞ *finiantur*, *verborumque coniunctio n.* L. (14) — *maximeque* L. (15) Sic e Cdd. iam Steph. L. Sch. 2. 3. — *et paeone priore* Iu. Crat. Man. Grut. Miro errore Pearcius Lambino adscribit correctionem *paeone posteriore*, de qua ille prorsus silet, eamque refutavit; errore magis etiam ridiculo Ern. Pearcio tribuit eandem illam corruptelam, eamque recepit. Rursus Muellerus putavit se corrigere Ernestium Schuetziumque, Lambino vindicans *p. posteriore.*

si modo non[1] breviora et praecisa erunt superiora; quos aut choreos[2], aut heroos, aut alternos esse oportebit, aut in paeone illo posteriore, quem Aristoteles probat, aut ei[3] pari cretico[4]. Horum vicissitudines efficient, ut neque ii satientur, qui audient, fastidio similitudinis, nec nos id, quod faciemus, opera dedita facere videamur. 194. Quod si Antipater ille Sidonius, quem[5] tu probe, Catule, meministi, solitus est versus hexametros aliosque variis modis atque numeris fundere ex tempore, tantumque hominis ingeniosi ac memoris valuit exercitatio, ut, quum se mente ac voluntate coniecisset in versum, verba sequerentur; quanto id facilius in oratione, exercitatione et consuetudine adhibita, consequemur?

195. Illud autem ne quis admiretur, quonam modo haec vulgus imperitorum in audiendo notet; quum in omni genere, tum in hoc ipso magna quaedam est vis incredibilisque naturae. Omnes enim tacito quodam sensu, sine ulla arte, aut ratione[6], quae sint in artibus ac rationibus recta[7] ac prava, diiudicant: idque quum faciunt in picturis, et in signis, et in aliis operibus, ad quorum intelligentiam a natura minus habent instrumenti; tum multo ostendunt magis in verborum, numerorum, vocumque iudicio; quod ea sunt in communibus infixa sensibus, neque earum rerum quemquam funditus natura voluit esse expertem. 196. Itaque non solum verbis arte positis moventur omnes, verum etiam numeris ac vocibus. Quotus enim quisque est, qui teneat artem numerorum ac modorum? At in his si paullum modo offensum est, ut aut contractione brevius fieret[8], aut productione longius, theatra tota reclamant[9]. Quid? hoc non idem fit in vocibus, ut a multitudine et populo, non modo catervae atque concentus[10], sed etiam ipsi sibi singuli discrepantes eiiciantur? LI. 197. Mirabile est, quum plurimum in faciendo intersit inter doctum et rudem, quam non multum differat in iudicando. Ars enim quum a natura profecta sit, nisi naturam[11] moveat ac delectet, nihil sane egisse videatur. Nihil est autem tam cognatum mentibus nostris, quam numeri atque voces; quibus et excitamur, et incendimur, et leniimur, et languescimus, et ad hilaritatem, et ad tristitiam[12] saepe deducimur: quorum illa summa vis carminibus est aptior et cantibus, non neglecta, ut mihi videtur, a Numa, rege doctissimo, maioribusque nostris, ut epularum sollemnium fides

---

(1) — om. *non* Vet. ap. Steph. (2) = *chorios* L. (3) *ex* Vet. ap. Steph. Ed. s. l. et a. (— *et* Olx. Vet. ap. Steph.) (4) — *finire* add. censebat Pearcius. — *finiendum* Ern. (sed recte se habet *quos – in paeone – esse oportebit.*) — *aut paeanem illum posteriorem — aut ei parem creticum* L. (5) Sic Steph. L. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *ille Sidonius, ille, quem* Iu. Man. Ortum hoc ex altera lectione: *Antip. Sid. ille, quem.* (6) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. 3. — *sine ulla ratione* Sch. €. 2. (7) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. 3. — *in artibus recta* Sch. €. 2. Nec ullam habent verba a Sch. expuncta glossematis suspicionem: prius *sine ratione* significat *Theorie*, posterius *ac rationibus*, *Verhaeltnisse*, *proporzioni*. (8) — *fierent* Pearcii suspic. (9) = *reclamant theatra tota* L. suspic. non recepta. (10) e C2d. Sch. 2. 3. — *conventus* Iu. — L. Ern. 1. (11) Sic Cdd. complures. Edd. quaedam vett. (— *naturam commoveat* Ed. s. l. et a.) Iu. — L. Sch. 2. 3. — *natura* Cdd. aliq. v. c. Olx. Ed. Waldarf. Ern. 1. sed cum [ ]. (12) — *et tristitiam* L.

ac tibiae, Saliorumque versus indicant; maxime autem a Graecia vetere celebrata. [Quibus utinam similibusque de rebus disputari, quam de puerilibus his verborum translationibus maluissetis[1]!] 198. Verum, ut in versu vulgus, si est peccatum, videt: sic, si quid in nostra oratione claudicat, sentit. Sed poëtae non ignoscit, nobis concedit: tacite[2] tamen omnes non esse illud, quod diximus, aptum perfectumque cernunt. Itaque illi veteres, sicut hodie etiam nonnullos videmus, quum circuitum et quasi orbem verborum conficere non possent, (nam id quidem nuper vel posse, vel audere coepimus,) terna, aut bina, aut nonnulli singula etiam verba dicebant[3]: qui in illa infantia naturale illud[4], quod aures hominum flagitabant, tenebant[5] tamen, ut et illa essent paria, quae dicerent, et aequalibus interspirationibus uterentur.

LII. 199. Exposui fere, ut potui, quae maxime ad ornatum orationis pertinere arbitrabar. Dixi enim de singulorum laude verborum, dixi de coniunctione eorum, dixi de numero atque forma. Sed si habitum etiam orationis[6], et quasi colorem aliquem requiritis, est et plena quaedam, sed tamen teres: et tenuis, non sine nervis ac viribus: et ea, quae particeps utriusque generis quadam mediocritate laudatur. His tribus figuris insidere quidam venustatis, non fuco illitus, sed sanguine diffusus debet color. 200. Tum denique nobis hic orator ita conformandus est et verbis et sententiis, ut, quemadmodum qui utuntur armis aut palaestra, non solum sibi vitandi aut feriendi rationem esse habendam putant, sed etiam, ut cum venustate moveantur: sic verbis quidem ad aptam compositionem et decentiam[7], sententiis vero ad gravitatem orationis utatur [ut ii, qui in armorum tractatione versantur][8]. 201. Formantur autem et verba, et sententiae paene innumerabiliter[9], quod satis scio notum esse vobis: sed inter conformationem verborum et sententiarum hoc interest, quod verborum tollitur[10], si verba mutaris; sententiarum permanet, quibuscunque verbis uti velis. Quod quidem vos etsi facitis[11], tamen admonendos puto, ne quid esse aliud oratoris putetis, quod quidem sit egregium atque mirabile, nisi in singulis verbis illa tria tenere, ut translatis utamur frequenter, interdumque factis, raro autem etiam pervetustis. In perpetua autem

---

(1) Haec, tamquam ineptum emblema del. Sch. €. 2. 3. Fraudem prodit v. *disputari*. (2) Sic Edd. omn. ∞ *taciti* Cdd. Steph. et Erl. Bondam e Rufiniano. (3) — *verba numerose dicebant* L. (4) Sic Cdd. aliq. Pearc. Sch. 2. 3. — *naturali*, *illud* Cdd. pleriq. Iu. — L. Ern. 1. (5) Sic Cdd. aliq. apud Sch. Iu. Crat. Man. L. Sch. 2. 3. — *tendebant* ex Edd. vett. Ern. 1. sed haec v. *tendere* constructio Livii potius est, quam Ciceronis. — *perpendebant* Ed. Lips. (6) Sic Iu. Crat. Man. L. — *orationis etiam* Grut. Ern. 1. 2. 3. (7) Sic Cdd. Edd. vett. L. Ern. 1. 2. 3. — *condecentiam* Ald. Iu. Man. Grut. (8) Haec delevit iam L. prob. Grut. Ern. [ ]. Rursus del. Sch. 2. 3. Recte. Verba *Sed etiam – utatur* exciderunt in multis Cdd. et Edd. vett. C2d. Steph. habent: *moveantur*, *ut*, *inquam*, *ii*, *qui in armorum tractatione versantur: sit* (sic) *verbis*, et mox: *utatur*, *versantur*. (9) Sic C1d. Steph. Guelf. A. Lamb. Sch. 2. 3. — *innumerabiles* Iu. Man. Grut. Ern. 1. (10) Sic Iu. Crat. Man. Ern. 1. 2. 3. — *tollitur venustas* Steph. L. (11) — *etsi sat scitis* Sch. suspic.

oratione, quum et coniunctionis lenitatem [1], et numerorum, quam dixi, rationem tenuerimus, tum est quasi luminibus distinguenda et frequentanda omnis oratio [2], sententiarum atque verborum. LIII. 202. Nam et commoratio una in re permultum movet, et illustris explanatio, rerumque, quasi gerantur, sub adspectum [3] paene subiectio: quae et in exponenda re plurimum valet, et ad illustrandum id, quod exponitur, et ad amplificandum; ut iis, qui audient, illud, quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, tantum esse videatur: et huic contraria saepe percursio [4] est, et plus ad intelligendum [5], quam dixeris, significatio, et distincte [6] concisa brevitas, et extenuatio, et huic adiuncta illusio, a praeceptis Caesaris non abhorrens: 203. et ab re degressio [7]; in qua quum fuerit delectatio, tum reditus ad rem aptus et concinnus esse debebit: propositioque, quid sis dicturus, et ab eo, quod est dictum, seiunctio, et reditus ad propositum [8], et iteratio, et rationis apta conclusio: tum augendi minuendive causa, veritatis superlatio atque traiectio: et rogatio, atque huic finitima quasi percontatio, expositioque sententiae suae: tum illa, quae maxime quasi irrepit in hominum mentes, alia dicentis, ac significantis, dissimulatio; quae est perinucunda, quum in oratione non contentione, sed sermone tractatur [9]: deinde dubitatio, tum distributio, tum correctio, vel ante, vel postquam dixeris, vel quum aliquid a te ipso [10] reiicias: 204. praemunitio est etiam ad id, quod aggrediare, et traiectio [11] in alium: communicatio, quae est quasi cum iis ipsis, apud quos dicas, deliberatio: morum ac vitae imitatio [12] vel in personis, vel sine illis, magnum quoddam ornamentum [13] orationis, et aptum ad animos conciliandos vel maxime, saepe autem etiam ad commovendos: 205. personarum ficta inductio, vel gravissimum lumen augendi: descriptio, erroris inductio, ad hilaritatem [14] impulsio: ante occupatio: tum duo illa, quae maxime movent, similitudo

---

(1) ∞ *levitatem* Cd. Quintil. Turic. a pr. m. in Quintil. 9, 1, 27. et sic (*laevitatem*) L. (2) Sic Iu. Crat. Man. Grut. Sch. 2. 3. — *ratio* L. Ern. 1. (non monito lectore) Harles. (3) Sic Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. — *sub aspectu* Edd. vett. (Natum hoc e vitiosa scriptura Cd. Steph. *sub aspectu paene subiecto*). (4) ex Edd. vett. Ern. 1. sicque Cdd. aliq. Quintil. Plerique et Cic. et Quintil. *percussio* ∞ *praecisio* Ascens. Iu. L. Grut. Sch. 2. 3. Secutus sum Ern. et Spaldingii iudicium. ∞ *et huic contraria praecisio* om. *saepe* et *est* L. (5) Sic Ciceronis Cdd. et Edd. omnes. ∞ *ad plus intellig.* Quintil. (6) Sic Cic. et Quint. Cdd. omnes. Iu. — L. Ern. 1. — *districte* Ed. Ienson. Quintiliani, unde *destricte* Sch. €. 2. 3. Sed neutrum, nec *districte*, nec *destricte* Ciceronianum. (7) Sic e Cdd. aliq. Cic. et omnibus Quint. Pearc. Sch. 2. 3. — *a re non longa degr.* Cdd. pleriq. Iu. — L. Grut. — *a re longa degr.* Ern. 1. qui tamen divinabat: *a re bene longa degr.* (8) Suspecta haec *et red. ad prop.* Sch. in Ed. mai. (9) Haec *quae est – tractatur* om. C3d. Ern. [ ]. Vindicant Sch. 2. 3. (pro v. *oratione — orationibus* C2d. Quintiliani.) (10) Sic Cdd. Cic. et Quint. omnes. Iu. — L. Grut. ∞ *ipse* Ern. €. 1. 2. 3. (11) e Cdd. multis (O1x.) Ern. 1. 2. 3. ∞ *reiectio* Cdd. aliq. Cic. Omnes Quint. Iu. — L. Grut. et habet, quo se tueatur, quum supra alia iam memoretur *traiectio.* (12) Sic pleriq. Cic. Omnes Quintil. Iu. — L. Ern. 1 — *mutatio* O1x. ∞ *notatio* Sch. €. 2. 3. Sed *imitatio* videtur significari ea, quam tangit in *Bruto* C. 62. §. 225. (13) ∞ *quoddam habens orn.* Steph. L. (14) Sic Quintil. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *et ad hil.* Steph. L. — *et in hil.* O1x. Ed. s. l. et a. Iu. Man.

et exemplum: digestio, interpellatio, contentio[1], reticentia, commendatio[2]; vox quaedam libera, atque etiam effrenatior[3], augendi causa: iracundia, obiurgatio, promissio[4], deprecatio, obsecratio, declinatio brevis a proposito, non ut superior illa degressio, purgatio, conciliatio, laesio, optatio, atque exsecratio. His fere luminibus illustrant orationem sententiae. LIV. 206. Orationis autem ipsius, tamquam armorum, est vel ad usum comminatio[5] et quasi petitio, vel ad venustatem ipsa[6] tractatio. Nam et geminatio verborum habet interdum vim, leporem alias; et paullum[7] immutatum verbum atque deflexum, et eiusdem verbi crebra tum a primo repetitio, tum in extremum conversio, et in eadem verba impetus et concursio, et adiunctio, et progressio, et eiusdem verbi crebrius positi quaedam distinctio, et revocatio verbi, et illa, quae similiter desinunt, aut quae cadunt similiter, aut quae paribus paria referuntur, aut quae sunt inter se similia. 207. Est etiam gradatio quaedam, et conversio, et verborum concinna transgressio, et contrarium, et dissolutum, et declinatio, et reprehensio, et exclamatio, et imminutio, et quod in multis casibus ponitur, et quod de singulis[8] rebus propositis ductum, refertur ad singula, et ad propositum subiecta ratio, et item in distributis[9] supposita ratio, et permissio, et rursum alia dubitatio, et improvisum quiddam, et dinumeratio, et alia correctio, et dissipatio[10], et quod continuatum[11], et interruptum, et imago, et sibi ipsi responsio, et immutatio, et disiunctio, et ordo, et relatio, et degressio[12], et circumscriptio. 208. Haec enim sunt fere, atque horum similia, vel plura etiam esse possunt[13], quae sententiis[14] orationem, verborumque conformationibus illuminent.

LV. Quae quidem tu, Crasse, video, inquit Cotta, quod nota esse nobis putes, sine definitionibus, et sine exemplis effudisse. Ego vero, inquit Crassus, ne illa quidem, quae supra dixi, nova vobis[15] esse arbitrabar, sed voluntati vestrum omnium parui. 209. His autem de rebus sol me ille admonuit, ut brevior essem, qui ipse iam praecipitans, me quoque haec praecipitem paene evolvere[16] coëgit. Sed

---

(1) Sic Cdd. omnes Cic. et Quintil. Iu. — L. Ern. 1. 3. — *interpellatio*, *interpellantis coercitio*, *contentio* Sch. €. 2. e Quintil. 9, 2, 2. (2) Sic Cdd. Cic. et Quint. omnes. Iu. — L. Ern. 1. — *commentatio* Purgoldi €. — *comminatio* Sch. €. 2. 3. (3) Sic Cdd. Cic. et Quint. Iu. — L. Grut. Sch. 2. 3. — *effrenatio* Ed. Wald. Pearc. Ern. 1. quasi ita legeret etiam Quintil. (4) — *permissio* Steph. solus. Sed recurrit infra §. 207. (5) Sic Cdd. omnes Cic. et Quint. Iu. — L. Ern. 1. — *communitio* Sch. €. 2. 3. (6) Sic Cdd. omnes. C. et Q. Iu. — L. Ern. 1. Recte: est enim αὐτὴ καὶ ἑαυτήν. — *apta* de Ern. €. Sch. 2. 3. (7) Sic etiam Cd. Turic. Quintil. — *paullulum* Cdd. pleriq. et Edd. Quintil. (8) — Haec omnia *et quod - - circumscriptio* Sch. 2. 3. [ ]. etsi leguntur etiam ap. Quintil. (9) — *tributis* Cd. Turic. Quintiliani. (10) Sic meliores, etiam Turic. Quintiliani. Pearc. Ern. 1. 2. 3. — *disputatio* Cic. Cdd. omnes. Iu. — L. Grut. (11) Sic Cic. Cdd. pleriq. Iu. — L. Ern. 1. ∞ *et continuatum* C2d. Steph. Pleriq. Cdd. Quintil. Spalding. Sch. 2, 3. (12) Cur tertium h. l. memoratur *degressio?* Cd. Tur. et al. Quintil. omittunt haec: *et ordo - circumscriptio*. (13) Sic distinxi cum Sch. 2. 3. — *atque horum similia* (*vel plura etiam esse possunt*) Ern. 1. (14) Sic omnes Cic. et Quintil. Cdd. Edd. — *sententiarum* L. solus. (15) Sic Cdd. aliq Iu. Crat. Man. L. Grut. Sch. 2. 3. — *nobis* Ern. 1. solus errore typogr. posteaque Harles. (16) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. ∞ *devolvere* Sch. €. 2. 3.

tamen huius generis demonstratio est[1], et doctrina ipsa, vulgaris: usus autem gravissimus, et in hoc toto dicendi studio difficillimus. 210. Quamobrem, quoniam de ornatu omni[2] orationis, sunt omnes, si non patefacti[3], at certe commonstrati loci, nunc, quid aptum sit, hoc est, quid maxime deceat in oratione, videamus. Quamquam id quidem perspicuum est, non omni causae, nec auditori, neque personae, neque tempori congruere orationis unum genus. 211. Nam et causae capitis alium quendam verborum[4] sonum requirunt, alium rerum privatarum atque parvarum: et aliud dicendi genus deliberationes, aliud laudationes, aliud iudicia, aliud sermones, aliud consolatio, aliud obiurgatio, aliud disputatio[5], aliud historia desiderat. Refert etiam, qui audiant, senatus, an populus, an iudices; frequentes, an pauci, an singuli; et quales: ipsique oratores[6], qua sint aetate, honore, auctoritate, debet videri[7]: item tempus[8], pacis an belli, festinationis an otii. 212. Itaque hoc loco nihil sane est[9] quod praecipi posse videatur, nisi ut figuram orationis plenioris, et tenuioris, et item illius mediocris, ad id, quod agimus, accommodatam deligamus. Ornamentis iisdem[10] uti fere licebit, alias contentius[11], alias summissius: omnique in re posse, quod deceat, facere, artis et naturae est: scire, quid quandoque deceat, prudentiae.

LVI. 213. Sed haec ipsa omnia perinde sunt, ut aguntur. Actio, inquam, in dicendo una dominatur. Sine hac summus orator esse in numero nullo potest: mediocris, hac instructus, summos saepe superare. Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, quum rogaretur, quid in dicendo esset primum; huic secundas, huic tertias. Quo mihi melius etiam illud ab Aeschine dictum videri solet: qui, quum propter ignominiam iudicii cessisset[12] Athenis, et se Rhodum contulisset, rogatus a Rhodiis, legisse fertur orationem illam egregiam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat: qua perlecta, petitum est ab eo postridie, ut legeret illam etiam, quae erat contra a Demosthene pro Ctesiphonte edita: quam quum suavissima et maxima voce legisset, admirantibus omnibus, Quanto, inquit, magis admiraremini, si audissetis ipsum? Ex quo satis significavit, quantum esset in actione, qui orationem eandem aliam fore[13] putaret, actore[14] mutato. 214. Quid fuit in Graccho, quem tu, melius, Catule[15] meminisli, quod me puero

---

(1) = *sed est tamen - demonstratio* L. (2) Sic omnes Iu. — L. Ern. 1. Muell. 3. — *omni* Sch. €. 2. expunxit. (3) e Cdd. Pearc. Ern. 1. 2. 3. — *si non sunt omnes patefacti* Iu. — L. Grut. (4) — del. *verborum* Sch. €. 2. Restituit Muell. 3. (5) — *dissipatio* O1x. — *aliud dissipatio, aliud disputatio* Vet. ap. Steph. (6) e Cdd. suadente Goerenz. *de Fin.* 2, 8. 25. Sch. 2. 3. — *et quales ipsi quoque oratores* Iu. — L. Ern. 1. (7) Sic Crat. Man. L. Ern. 1. 3. prob. Goerenz. — *debent videri* O1x. Iu. Steph. — del. haec *debet videri* Sch. €. 2. (8) e Goerenzii €. Sch. 2. 3. — abest *item* a Cdd. Iu. — L. Ern. 1. (9) — *itaque sane hoc loco nihil est* Goerenz. suspic. *ad Acad.* 2, 44, 139. (10) ∞ *ornam. enim iisdem* L. (11) Sic Cdd. pleriq. Iu. — L. Ern. 1. — *alias incensius* Vet. ap. Steph. — *contemptius alias, summissius* Grut. A. unde: ∞ *contentius alias, alias s.* de Heusing. €. Sch. 2. 3. (12) Sic Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. — *excessisset* C3d. Regii et alii. Steph. (13) Sic Cdd. aliq. Edd. vett. Pearc. Muell. 3. — *esse* Ald. Iu. — L. Ern. 1. 2. (14) Sic L. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *auctore* Iu. — Steph. (15) Sic Nonius *Aldi* p. 1423. et *Merceri.* p. 524. (non *probe*, ut est ap. Sch. et Muell.) Guelf. A. Sch. 2. 3. — *Catule, melius* Iu. — L. Ern. 1.

tanto opere ferretur[1]? *Quo me miser conferam? quo vertam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat*[2]. *An domum? matremne ut miseram lamentantem*[3] *videam et abiectam?* Quae sic ab illo acta esse constabat, oculis, voce, gestu, inimici ut lacrimas tenere non possent. Haec eo[4] dico pluribus, quod genus hoc totum oratores, qui sunt veritatis ipsius actores, reliquerunt: imitatores autem veritatis, histriones, occupaverunt. LVII. 215. Ac sine dubio in omni re vincit imitationem veritas: sed ea si satis in actione efficeret ipsa per sese, arte profecto non egeremus. Verum quia animi permotio, quae maxime aut declaranda, aut imitanda est actione, perturbata saepe ita est, ut obscuretur, ac[5] paene obruatur, discutienda sunt ea, quae obscurant, et ea, quae sunt eminentia et prompta, sumenda. 216. Omnis enim motus animi suum quendam a natura habet vultum, et sonum, et gestum: totumque corpus hominis, et eius omnis vultus, omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant[6], ut a motu animi quoque sunt pulsae[7]. Nam voces, ut chordae sunt intentae, quae ad quemque tactum respondeant; acuta, gravis, cita, tarda, magna, parva; quas tamen inter omnes est suo quaeque in genere[8] mediocris. Atque etiam illa sunt ab his delapsa plura genera, lene, asperum: contractum, diffusum: continenti spiritu, intermisso: fractum, scissum: flexo sono attenuatum[9], inflatum. 217. Nullum est enim horum similium generum, quod non arte ac moderatione tractetur. Hi sunt actori, ut pictori, expositi ad variandum colores. LVIII. Aliud enim vocis genus iracundia sibi sumit[10], acutum, incitatum, crebro incidens:

Impius[11] *hortatur*[12] *me frater, ut meos malis miser*
Manderem[13] *natos: - -*

Et ea, quae tu dudum, Antoni, protulisti,

Segregare abs te ausus . . .

Et

Ecquis hoc[14] *animadvertit? vincite.*

([1]) *tanto opere* dedi e Guelf. A. — *tantopere* Cdd. Iu. — Muell. 3. — *efferretur* L. solus. ([2]) ∞ *madet* Vet. ap. Steph. ([3]) e Cdd. aliq. Sch. 2. 3. — *lamentantemque* Iu. — L. Ern. 1. ([4]) — *ideo* Vet. ap. Steph. ([5]) = *atque* L. ([6]) — *habet vultum et gestum: omnesque voces hominis, ut nervi in fidibus, ita sonant.* Sch. suspic. — *hominis, vultusque omnes voces* Vet. ap. Steph. ([7]) — *ut motu animi cumque sunt pulsae* C3d. Gruteri etiam Erlang. *cumque.* ([8]) — suo *quoque in genere* Iu. Crat. Man. (— *quaeque* Margo Crat. L. Grut. Ern. 1. 2. 3.) Mox *lene* Cdd. aliq. Man. L. Pearc. Ern. 1. 2. 3. — *leve s. laeve.* Iu. Grut. ([9]) Sic Ern. 1. Muell. 3. ut bina membra iterum sibi opponantur. — *flexo sono; attenuatum* Iu. Crat. Man. Grut. Sch. 2. — *flexo sono extenuatum* Cdd. aliq. — *flexo sono; recto, attenuatum* L. Mox pro *similium* ∞ omnium L. ([10]) Sic Ed. s. l. et a. Becich. L. Sch. 2. 3. — *sumat* Iu. Man. Ern. 1. — Pro *sumit* boni Cdd. Gruteri *aliud.* ([11]) Sic Iu. Crat. Man. Ern. 1. 2. 3. — *Ipsus* Ed. s. l. et a. — *Ipse* Vet. ap. Steph. Otx. L. ([12]) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. — *hortatus* Bentleii C. ∞ *hortatust* Bothe. *Poëtae scen.* p. 186. ([13]) — *mandem* L. ([14]) Sic Cdd. pleriq. Iu. Man. Ern. 1. Muell. 3. Bothe. = *Ecquis hoc animum advertit* L. — *Ecquis animadv.* Guelf. A. prob. Heusing. Sch. 2.

Et Atreus fere totus. Aliud miseratio ac maeror; flexibile, plenum, interruptum, flebili voce[1],

Quo nunc me vertam[2]? quod iter incipiam ingredi?
Domum paternamne? anne ad Peliae filias[3]?

Et illa,

O pater, o patria, o Priami domus!

Et quae sequuntur,

Haec omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari.

218. Aliud metus: demissum, et haesitans, et abiectum,

Multi' modis sum circumventus, morbo, exsilio, atque inopia:
Tum pavor sapientiam mihi omnem exanimato[4] expectorat:
Alter[5] terribilem minitatur vitae cruciatum et necem,
Quae nemo est tam firmo ingenio, et[6] tanta confidentia,
Quin refugiat timido sanguen[7], atque exalbescat metu.

219. Aliud vis: contentum, vehemens, imminens quadam incitatione gravitatis:

Iterum Thyestes † Atreum attractum[8] advenit,
Iterum iam aggreditur me, et quietum exsuscitat.
Maior mihi moles, maius miscendum 'st malum,
Qui illius acerbum cor contundam et comprimam.

Aliud voluptas: effusum, lene[9], tenerum, hilaratum ac remissum,

Sed mihi quum tetulit[10] coronam ob collocandas[11] nuptias,
Tibi ferebat, quum simulabat sese alteri[12] dare:
Tum[13] ad te ludibunda[14] docte[15] et delicate detulit.

Aliud molestia: sine commiseratione grave quoddam[16], et uno pressu[17], ac sono obductum[18],

---

([1]) Sic plerique. Iu. — L. Ern. 1. Pro *flebili voce* Vet. ap. Steph.: *flexibili voce* ∞ *flexum, lene, interruptum, flebile: Quo* Sch. €. 2. 3. ([2]) ∞ *vortam* Bothe. ([3]) — *Domum paternam, Peliaene ad filias* L. ([4]) Sic margo Crat. Grut. Ern. 1. 2. 3. ∞ *ex animo* (s. *animod*) Iu. Crat. Man. L. v. supra C. 38. ([5]) — *Alte* Steph. ([6]) — *aut* L. ([7]) Sic Cdd. aliq. Crat. Man. L. Ern. 1. 2. 3 — *sanguine* O1x. Iu. Steph. — *sanguem* Grut. ([8]) Haec corrupta. Turbant Cdd. v. c. O1x. *a terecia tum venit attractatum* ∞ *mecum altercatum* L. Sch. 2. 3. prob. Bothe. (Pro *advenit* cum Cdd. aliq. ∞ *venit* L.) ([9]) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. ∞ *plenum* Sch. €. 2. 3. ([10]) Sic Cdd. Iu. Cr. L. Grut. Sch. 2. 3. — *detulit* ex Edd. vett. Ern. 1. ([11]) — *colligandas* Cd. Erl. ([12]) Sic Ald. Iu. Cr. Ern. 1. 2. 3. — *Aiaci* Edd. vett. — *ad allaci aiaci* O1x. Latere in his videtur nomen aliquod proprium. — *sese eam alteri dare* L. — *alteri sese dare* Sch. in Ed. mai. ([13]) — *Tunc* L. ([14]) ∞ *ludibundu'* L. ([15]) — *dote* C1d. Steph. ([16]) Sic O1x. Alii. Sch. 2. 3. — *quiddam* Iu. — L. Ern. 1. ([17]) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. Muell. 3. — *uno oris pressu* Sch. €. 2. — *uno spiritu* Becich. Sch. in Ed. mai. ([18]) Sic Cdd. quos novi, omnes Iu. — L. Ern. 1. ∞ *ductum* e Cdd., ut aiunt, Becich. Sch. 2. 3.

Qua tempestate Paris[1] *Helenam innuptis iunxit*[2] *nuptiis,*
Ego tum gravida[3]*, expletis iam fere*[4] *ad pariendum mensibus;*
Per idem tempus[5] *Polydorum Hecuba partu postremo parit.*

LIX. 220. Omnes autem hos motus subsequi debet gestus, non hic verba exprimens, scenicus, sed universam rem et sententiam, non demonstratione, sed significatione declarans, laterum inflexione hac forti ac virili, non ab scena et histrionibus, sed ab armis, aut etiam a palaestra[6]. Manus autem minus arguta, digitis subsequens verba, non exprimens: brachium procerius proiectum, quasi quoddam telum orationis: supplosio pedis in contentionibus aut incipiendis, aut finiendis. 221. Sed in ore sunt omnia. In eo autem ipso dominatus est omnis[7] oculorum: quo melius nostri illi senes, qui personatum, ne Roscium quidem, magno opere laudabant. Animi est enim omnis actio, et imago animi vultus est, indices oculi. Nam haec est una pars corporis, quae, quot animi motus sunt, tot significationes et commutationes[8] possit efficere. Neque vero est quisquam, qui eadem contuens efficiat[9]. Theophrastus quidem, Tauriscum quendam, dixit[10], actorem aversum solitum esse dicere, qui in agendo contuens aliquid[11], pronuntiaret. 222. Quare oculorum est magna moderatio. Nam oris non est nimium mutanda species, ne aut ad ineptias, aut ad pravitatem aliquam deferamur. Oculi sunt, quorum tum intentione, tum remissione, tum coniectu, tum hilaritate, motus animorum significemus apte cum genere ipso orationis. Est enim actio quasi sermo corporis: quo magis menti congruens esse debet. Oculos autem natura nobis, ut equo et leoni[12] iubas[13], caudam, aures ad motus animorum declarandos dedit. 223. Quare in hac nostra actione secundum vocem vultus valet. Is autem oculis gubernatur. Atque in iis omnibus, quae sunt actionis, inest quaedam vis a natura data. Quare etiam hac imperiti, hac vulgus, hac denique barbari maxime commoventur. Verba enim neminem movent, nisi eum, qui eiusdem linguae societate coniunctus est; sententiaeque saepe acutae non acutorum hominum sensus praetervolant: actio, quae prae se motum animi fert, omnes movet: iisdem enim omnium animi motibus concitantur, et eos iisdem notis et in aliis agnoscunt, et in se ipsi[14] indicant. LX. 224. Ad actionis autem usum

---

([1]) Sic omnes. ∞ *Paris tempestate* Bothe *Poëtae scen.* p. 280. ([2]) — *sibi iunxit* L. ([3]) — *gravida fui* L. ([4]) — *fui* pro *fere* Bothe. ([5]) — *idem prope tempus* L. ([6]) — *a palaestra sumpta* Vet. ap. Steph. ([7]) — om. *omnis* Guelf. C. prob. Sch. ([8]) Sic Iu. Crat. Man. L. Ern. 1. 2. 3. — *et communicationes* Olivet, Ed. Oxoniensis. ∞ om. *et commutt.* Cdd. haud pauci, prob. Sch. ([9]) Sic Iu. — L. Ern. 1. Sed inter €. varias praestat prior Sch. a Muell. 3. recepta: ∞ *qui eas, idem contuens, efficiat — qui eadem connivens eff.* Gulielmii €. Sch. 2. idque, *conivens* saltem, habere dicuntur Cdd. ap. Grut. (— *continens* O1x. al.) — *qui eadem contuens, quidquam eff.* Waardenburgii €. ([10]) Sic Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. ∞ *dicit* Cdd. aliq. (O1x.) Ed. s. l. et a. Nihil tamen mutandum. cfr. *Tuscul.* 4. 2. *in Originibus dixit Cato;* non est scil. aoristus ital. *disse*, sed verum perfectum, *ha detto.* ([11]) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. 3. — *connivens aliquid* Sch. €. 2. perperam. ([12]) ∞ *aut leoni* L. ([13]) Sic Cd. Reg. 7703. Steph. L. Sch. 2. 3. — *setas* Iu. Crat. Man. Grut. Ern. 1. ([14]) Sic Cdd. Iu. — L. Ern, 1. ∞ *ipsis* Sch. €. 2. 3.

atque laudem, maximam sine dubio partem vox obtinet: quae primum est optanda nobis; deinde, quaecunque erit, ea tuenda. De quo illud iam nihil ad hoc praecipiendi genus, quemadmodum voci serviatur: equidem magno opere[1] censeo serviendum: sed illud videtur ab huius nostri sermonis officio non abhorrere, quod, ut dixi paullo ante, plurimis in rebus quod maxime est utile, id nescio quo pacto etiam decet maxime. Nam ad vocem obtinendam[2] nihil est utilius, quam crebra mutatio: nihil perniciosius, quam effusa sine intermissione contentio. 225. Quid? ad aures nostras, et actionis suavitatem, quid est vicissitudine, et varietate, et commutatione aptius? Itaque idem Gracchus, (quod potes audire, Catule, ex Licinio[3], cliente tuo, literato homine, quem servum sibi ille habuit ad manum,) cum eburneola solitus est habere fistula, qui staret occulte post ipsum, quum concionaretur, peritum hominem, qui inflaret celeriter cum sonum, quo illum aut remissum excitaret, aut a contentione revocaret. Audivi mehercule, inquit Catulus, et saepe sum admiratus hominis quum diligentiam, tum etiam doctrinam et scientiam. 226. Ego vero, inquit Crassus, ac doleo quidem, illos viros in eam fraudem in re publica esse delapsos: quamquam ea tela texitur, et ea incitatur[4] in civitate ratio vivendi, ac posteritati[5] ostenditur, ut eorum civium, quos nostri patres non tulerunt, iam similes habere cupiamus. Mitte, obsecro, inquit, Crasse, Iulius, sermonem istum, et te ad Gracchi fistulam refer: cuius ego nondum plane rationem intelligo. LXI. 227. In omni voce, inquit Crassus, est quiddam[6] medium, sed suum cuique voci. Hinc gradatim ascendere vocem utile et suave est. Nam a principio clamare, agreste quiddam est, et idem illud ad firmandam[7] est vocem salutare. Deinde est quiddam[8] contentionis extremum, quod tamen interius[9] est, quam acutissimus clamor, quo te fistula progredi non[10] sinet, et tamen ab ipsa[11] contentione revocabit. Est item contra quid-

---

([1]) Sic Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. — *equidem tamen magnopere* Vet. ap. Steph. Ed. s. l. et a. ([2]) Sic Cdd. pleriq. (etiam O1x.) Edd. vett. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *ad vocem in dicendo obtinendam* Ald. Iu. Crat. Man. e gloss. — *ad vocem in dicendo tuendam* L. prob. Pearc. ([3]) Sic Plutarch. in *Gracch.* C. 2. Gell. *Noct. Att.* 1, 11. Cd. Erl. Ed. s. l. et a. Margo Crat. Man. L. Grut. ∞ *Erycino* O1x. Edd. vett. Iunt. Crat. Ern. 1. ∞ utrumque coniunxit Sch. C. 2. 3.: *Licinio Erycino* (— *Licino* Iac. Gronov. solus.) ([4]) ∞ om. *incitatur* Cdd. haud pauci prob. Victorio et Grut. ([5]) Sic Crat. Man. L. Ern. 1. 2. 3. — *posteritatis* Cdd. pleriq. Iu. ∞ *posteris* Pearcii suspic. ([6]) Sic Iu. — L. Grut. Sch. 2. 3. v. Goerenz *de Fin.* 1, 11, 38. — *quoddam* Edd. vett. Steph. Ern. 1. ([7]) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. Sed Sch. C. 2.: *Hinc gradatim ascendere vocem et suave est, et idem illud ad firmandam est vocem salutare*, sicque edidit etiam Muell. 3. meliora postea edoctus a Goerenzio. (*et idem illud* Ern. 1. 2. 3. ex Edd. vett. ∞ *et illud idem* Iu Crat. Grut. — *sed illud idem* L. — *ad firmandum* Cdd. aliq. Ald. Iu. Crat. Man. Sed hoc natum e corruptela aliorum v. c. O1x. — *affirmandum*, neque ulla in eo quaerenda est elegantia. cfr. Ellendt *ad Brutum.* §. 62. *ad firmandam* habent Edd. vett. Steph. L. Grut. 1. 2. 3. ∞ *vocem est salutare* L.) ([8]) — *quoddam* L. Ern. 1. v. supra. ([9]) Sic Cdd. plures Gruteri. O1x. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *inferius* Iu. Crat. Man. L. ([10]) — *non* suspectum Ern. ([11]) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. — *et* om. Vet. ap. Steph. ∞ *sed iam ab ista* Sch. C. 2. 3. non prorsus necessaria.

dam[1] in remissione gravissimum, quoque[2] tamquam sonorum gradibus descenditur. Haec varietas, et hic per omnes sonos vocis cursus, et se tuebitur[3], et actioni afferet[4] suavitatem. Sed fistulatorem domi relinquetis, sensum huius[5] consuetudinis vobiscum ad forum deferetis.

228. Edidi, quae potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiae coëgerunt. Scitum est enim, causam conferre in tempus, quum afferre plura, si cupias, non queas. Tu vero, inquit Catulus, collegisti omnia, quantum ego possum iudicare, ita divinitus, ut non a Graecis didicisse[6], sed eos ipsos haec docere posse videare. Me quidem istius sermonis participem factum esse gaudeo; ac vellem, [ut[7]] meus gener, sodalis tuus, Hortensius, affuisset: quem quidem ego confido omnibus istis laudibus, quas tu oratione complexus es, excellentem fore. 229. Et Crassus, Fore dicis? inquit: ego vero esse iam iudico, et tum iudicavi[8], quum, me consule, in senatu causam defendit Africae, nuperque etiam magis, quum pro Bithyniae rege dixit. Quamobrem recte vides, Catule. Nihil enim isti adolescenti neque a natura, neque a doctrina deesse sentio. 230. Quo magis est tibi, Cotta, et tibi, Sulpici, vigilandum ac laborandum. Non enim ille mediocris orator vestrae quasi succrescit aetati[9]: sed et ingenio peracri, et studio flagranti, et doctrina eximia, et memoria singulari. Cui quamquam faveo, tamen illum aetati suae praestare cupio; vobis vero illum tanto minorem praecurrere vix[10] honestum est. Sed iam surgamus, inquit, nosque curemus, et aliquando ab hac contentione disputationis animos nostros, curamque[11] laxemus.

---

(1) Sic h. l. etiam L. — *quoddam* Ern. 1. (2) — *ad quod* Steph. L. (3) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. 3. — *sonos cursus, et vocem tuebitur* Sch. E. 2. (4) — *orationi deferet* Ed. s. l. et a. (5) ∞ *illius* Olx. Ed. s. l. et a. (6) ∞ *sumpsisse* C2d. Stephani. (7) Suspectum hoc *ut* Lambino in marg. 1584. et Ern. tuentur Cdd. Del. Sch. 2. 3. (8) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. ∞ *esse iudico, et iam tum iudicavi* de Heusing. E. Sch. 2. 3. (9) — *in nostram quasi succrescit aetatem* Steph. solus. (10) — *minus* Becich. Margo Crat. (11) ∞ *curaque* L.

M. TULLII CICERONIS

DE

CLARIS ORATORIBUS

LIBER,

QUI DICITUR

BRUTUS.

(Ex recensione potissimum Ellendtiana passim correcta, et quum a pravis coniecturis, tum a multis illis, quibus inquinata est, negligentiae vitiis purgata: cum integra varietate editionis Lambinianae (L.), Ernestianae (Ern. 1.) Lallemandianae, Schuetzianae (Sch. 2.) et Ellendtianae (Ell. 3.); habita praeterea ratione Norimbergensis 1497. (N. vel Nor.) Iuntinae (Iu.) Cratandrinae, Manutianae (M. s. Man.), Wetzelianae, Castigationum Io. Rivii. Salingiaci 1537. cet. (Gu. A. Cd. Guelferbytanus primus; B. secundus.) Caroli Stephani nullae sunt in hoc libro partes.)

I. 1. Quum e Cilicia decedens Rhodum venissem, et eo mihi de Q. Hortensii morte esset allatum, opinione omnium maiorem animo cepi dolorem. Nam et amico amisso, quum consuetudine iucunda, tum multorum[1] officiorum coniunctione me privatum videbam, et interitu talis auguris dignitatem nostri collegii deminutam[2] dolebam: qua in cogitatione, et cooptatum me ab eo in collegium recordabar, in quo iuratus iudicium dignitatis meae fecerat, et inauguratum ab eodem; ex quo, augurum institutis, in[3] parentis eum loco colere debebam. 2. Augebat[4] etiam molestiam, quod magna sapientium civium, bonorumque penuria[5], vir egregius, coniunctissimusque mecum consiliorum omnium societate, alienissimo rei publicae tempore exstinctus, et auctoritatis, et prudentiae suae triste nobis desiderium reliquerat: dolebamque, quod non, ut plerique putabant, adversarium, aut obtrectatorem laudum mearum, sed socium potius, et consortem gloriosi laboris amiseram. 3. Etenim, si in leviorum artium studio memoriae proditum est, poëtas nobiles poëtarum aequalium morte[6] doluisse: quo tandem animo

---

(1) Sic N. Iu. M. L. Ern. 1. Sch. in Ed. mai. — *mutuorum* Sch. 2. Ellendt 3. errore typogr. (2) Sic L. Lallem. = *diminutam* N. Iu. M. Ern. 1. Sch. 2. 3. (3) — om. *in* L. (4) Sic Crat. M. L. Ern. 1. 2. 3. — *augebam* Cdd. aliq. N. Iu. (5) = *magna bonorum sapientiumque civ. penuria* L. (6) — *mortem* L. solus.

eius interitum ferre debui, cum quo certare erat gloriosius, quam omnino adversarium non habere? quum praesertim non modo nunquam sit aut illius a me cursus impeditus, aut ab illo meus, sed contra semper alter ab altero adiutus et communicando, et monendo, et favendo. 4. Sed, quoniam perpetua quadam felicitate usus ille cessit e vita, suo magis, quam suorum civium tempore, et tum occidit, quum lugere facilius rem publicam posset, si viveret, quam iuvare; vixitque tamdiu, quam licuit in civitate bene beateque vivere: nostro incommodo, detrimentoque, si est ita necesse, doleamus: illius vero mortis opportunitatem benevolentia potius, quam misericordia prosequamur, ut, quotiescunque de clarissimo et beatissimo viro cogitemus, illum potius, quam nosmet ipsos, diligere videamur. 5. Nam, si id dolemus, quod eo iam frui nobis non licet[1]; nostrum est id malum: quod modice feramus, ne id non ad amicitiam, sed ad domesticam utilitatem referre videamur. Sin, tamquam illi ipsi acerbitatis aliquid acciderit, angimur; summam eius felicitatem non satis grato animo interpretamur. II. 6. Etenim si viveret Q. Hortensius, cetera fortasse desideraret una cum reliquis bonis et fortibus civibus; hunc aut praeter ceteros[2], aut cum paucis sustineret dolorem, quum forum populi Romani, quod fuisset quasi theatrum illius ingenii, voce erudita, et Romanis Graecisque auribus digna, spoliatum atque orbatum videret. 7. Equidem angor animo[3], non consilii, non ingenii, non auctoritatis armis egere rem publicam, quae didiceram tractare, quibusque me assueferam, quaeque erant propria quum praestantis in re publica viri, tum bene moratae et bene constitutae civitatis. Quod si fuit in re publica tempus ullum, quum extorquere arma posset e manibus iratorum civium boni civis auctoritas et oratio; tum profecto fuit, quum patrocinium pacis exclusum est aut errore[4] hominum, aut timore. 8. Ita nobismet ipsis accidit, ut, quamquam essent multo magis alia lugenda, tamen hoc doleremus, quod, quo tempore aetas nostra perfuncta rebus amplissimis[5], tamquam in portum confugere deberet, non inertiae, neque desidiae, sed otii moderati atque honesti; quumque ipsa oratio iam nostra canesceret, haberetque suam quandam maturitatem, et quasi senectutem; tum arma sunt ea sumpta, quibus illi ipsi, qui didicerant eis uti gloriose, quemadmodum salutariter uterentur, non reperiebant. 9. Itaque ii[6] mihi videntur fortunate beateque vixisse, quum in ceteris civitatibus, tum maxime in nostra, quibus quum auctoritate, rerumque gestarum gloria, tum etiam sapientiae laude perfrui licuit. Quorum memoria et recordatio in maximis nostris gravissimisque curis iucunda sane fuit, quum in eam nuper ex sermone quodam incidissemus.

III. 10. Nam quum inambularem in xysto, et essem otiosus domi, Marcus ad me Brutus, ut consueverat, cum T. Pomponio venerat, homines quum inter se coniuncti, tum mihi ita cari, itaque iucundi,

---

(1) = *nobis frui non licet* Guelf. A. (2) Sic rectissime L. tum Heus. C. *autem*, sic vel similiter saepissime intrusum est. — *autem et praeter cet.* N. Iu. Crat. M. Grut. — *autem praeter cet.* Ern. C. 1. 2. 3. (3) — *animi* Man. (4) Sic Ald. Riv. M. L. 1. 2. 3. — *terrore* Cdd. N. Iu. Crat. (5) — *amplissimis honoribus* Gu. A. e gloss. (6) = *ei* Gu. B. Ed. Ven. 1485. N. prob. Riv. cfr. C. 54. §. 199.

ut eorum adspectu omnis, quae me angebat, de re publica[1] cura consederit. Quos postquam salutavi, Quid vos, inquam, Brute et Attice, nunc? quid tandem novi? Nihil sane, inquit Brutus, quod quidem aut tu audire velis, aut ego pro certo dicere audeam. 11. Tum Atticus, Eo, inquit, ad te animo venimus, ut de re publica esset silentium, et aliquid audiremus potius ex te, quam te afficeremus ulla molestia. Vos vero, inquam, Attice, et praesentem me cura levatis, et absenti magna solatia dedistis. Nam vestris primum literis recreatus, me ad pristina studia revocavi. Tum ille, Legi, inquit, perlubenter epistolam, quam ad te Brutus misit ex Asia, qua mihi visus est et monere[2] te prudenter, et consolari amicissime. 12. Recte, inquam, est visus. Nam me istis scito literis, ex diuturna perturbatione totius valetudinis tamquam ad adspiciendam lucem esse revocatum. Atque ut, post Cannensem illam calamitatem, primum Marcelli ad Nolam praelio populus se Romanus erexit, posteaque prosperae res deinceps multae consecutae sunt: sic post rerum nostrarum et communium gravissimos casus, nihil ante epistolam Bruti mihi accidit, quod vellem, aut quod aliqua ex parte sollicitudines allevaret[3] meas. 13. Tum Brutus, Volui id quidem efficere certe[5], et capio magnum fructum, si quidem quod volui, tanta in re consecutus sum. Sed scire cupio, quae te Attici literae delectaverint[4]. Istae vero, inquam, Brute, non modo delectationem mihi, sed etiam, ut spero, salutem attulerunt. Salutem? inquit ille. Quodnam tandem genus istuc[6] tam praeclarum literarum fuit? An mihi potuit, inquam, esse aut gratior ulla salutatio, aut ad hoc tempus aptior, quam illius libri, quo me hic affatus, quasi iacentem excitavit? 14. Tum ille, Nempe cum dicis, inquit, quo iste omnem rerum memoriam breviter, et, ut mihi quidem visum est, perdiligenter complexus est? Istum ipsum, inquam, Brute, dico librum mihi saluti fuisse. IV. Tum Atticus, Optatissimum mihi quidem[7] est, quod dicis: sed quid tandem habuit liber iste, quod tibi aut novum, aut tanto usui posset esse? 15. Ille vero et nova, inquam, mihi quidem, multa[8], et eam utilitatem, quam requirebam, ut, explicatis ordinibus temporum, uno in conspectu omnia viderem: quae quum studiose tractare coepissem, ipsa mihi tractatio literarum salutaris fuit, admonuitque, Pomponi, ut a te ipso sumerem[9] aliquid ad me reficiendum, teque remunerandum, si non pari, at grato tamen munere: quamquam illud Hesiodium laudatur a doctis, quod eadem mensura reddere iubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, si possis. 16. Ego autem vo-

---

(1) — *angebat, rei publicae* Margo Ed. 1584. (2) ∞ *emonere* Gu. B. prob. Goerenz. *ad Acad.* 1, 3, 9. Sch. 2. Orta est haec lectio e compendio *ē monere*. — *alleviaret* Nor. fort. *levaret*. (3) = *meas allevaret* — Margo Ed. 1584. (4) — *Volui quidem certe* Gulielmii suspic. (5) = *delectarint* al. in marg. Ed. 1584. — *delectaverunt* Gu. A. (6) Sic N. Iu. Cr. M. L. Ern. 1. = *istud* Sch. 2. 3. Sed *istuc* saepius edunt adhuc in hoc praesertim libro etiam Sch. et Ellendt §. 21. 23. cet. (7) — *quidem mihi* N. al. (8) — *multa attulit* Gu. A. prob. Schneidero recepit Sch. in Ed. mai. Rursus eiecit Sch. 2. 3. (9) Sic Cdd. Iu. Crat. M. L. Ern. 1. ∞ *ut a te ipse sumerem* Ell. 3. non satis monito lectore. — *ut ad te ipse scriberem* Sch. E. 2.

luntatem tibi profecto emetiar[1], sed rem ipsam nondum posse videor; idque ut ignoscas, a te peto. Nec enim ex novis (ut agricolae solent) fructibus est, unde tibi reddam quod accepi; sic omnis fetus repressus, exustusque flos siti veteris ubertatis exaruit[2]: nec ex conditis, qui iacent in tenebris, et ad quos omnis nobis aditus, qui paene solis patuit, obstructus est. Seremus igitur aliquid tamquam in inculto et derelicto solo; quod ita diligenter colemus, ut impendiis etiam augere possimus largitatem tui muneris: modo idem noster animus efficere possit, quod ager, qui quum[3] multos annos quievit, uberiores efferre fruges solet. 17. Tum ille, Ego vero et exspectabo ea, quae polliceris, neque[4] exigam, nisi tuo commodo, et erunt mihi pergrata, si solveris. Mihi quoque, inquit Brutus, [et] exspectanda[5] sunt ea, quae Attico polliceris, etsi[6] fortasse ego a te huius voluntarius procurator petam, quod ipse, cui debes, [se] incommodo[7] exacturum negat. V. 18. At vero, inquam, tibi ego, Brute, non solvam, nisi prius a te cavero, amplius eo nomine neminem, cuius petitio sit, petiturum. Non mehercule, inquit, tibi repromittere istuc[8] quidem ausim[9]. Nam hunc, qui negat, video flagitatorem, non illum quidem tibi molestum, sed assiduum tamen, et acrem fore. Tum Pomponius, Ego vero, inquit, Brutum nihil mentiri puto. Videor enim iam te ausurus esse appellare: quoniam longo intervallo modo primum animadverti paullo te hilariorem. 19. Itaque, quoniam hic[10], quod mihi deberetur, se exacturum professus est; quod huic debes, ego a te peto. Quidnam id? inquam. Ut scribas, inquit, aliquid. Iampridem enim contigerunt tuae literae. Nam ut illos de re publica libros edidisti, nihil a te sane postea accepimus: eisque nosmet ipsi ad veterum annalium[11] memoriam comprehendendam impulsi, atque incensi sumus. Sed illa quum poteris, atque ut possis, rogo. 20. Nunc vero, inquit, si es animo vacuo, expone nobis quod quaerimus. Quidnam est id? inquam. Quod mihi nuper in Tusculano inchoasti[12] de oratoribus, quando esse coepissent, qui etiam, et quales fuissent. Quem ego sermonem quum ad Brutum tuum, vel nostrum potius, detulissem, magno opere hic audire se velle dixit. Itaque hunc elegimus diem, quum te sciremus esse vacuum. Quare, si tibi est commodum, ede

---

(1) ∞ *remetiar* e Rivii €. L. Sch. 2. (2) Sic Cdd. Iu. — M. Ern. 1. 2. ∞ *exustusque siti flos vet. ub. exaruit.* L. Sch. in Ed. mai. Ell. 3. Sed ut taceam, parum probabilem esse istam transpositionem, non minus incommode construitur *flos veteris ubertatis*, quam *sitis vet. ub.* quocirca leg. suspicor: *exustusque flos* (scil. segetis, absolute positum, ut ante *fetus*) *situ veteris ubertatis exaruit.* (— *sati* Nor. errore typogr. Erroribus enim referta est haec editio cum Veneta anni 1485. plerumque conspirans. Nec tamen me poenituit eam contulisse cum recentioribus.) (3) — *postquam* L. (4) = *nec* N. L. (5) Sic Cdd. N. Iu. — M. L. Ern. 1. De Lamb. 1584. et Ern. €. del. *et* Sch. 2. 3. Nos [ ]. (6) — *et f.* L. (7) ∞ *se* non male om. Cdd. aliq. Edd. vett. N. Iu. Crat. M. Nos [ ]. Primus, ni fallor, add. L. — *incommodo tuo* L. in marg. 1584. (non vero 1566.) Sch. 2. (8) = *istud* Sch. 2. 3. (9) Sic Cdd. aliq. Lallem. Sch. 2. 3. — *ausus sim* N. Iu. M. L. Ern. 1. (10) — *quoniam id* L. — *qu. hic id, quod* Margo 1584. (11) Sic M. Ern. 1. 2. 3. — *ad rerum nostrarum* L. vide eius adnot. — *ad rerum naturalium* Cdd. N. Iu. Crat. Camer. ∞ *ad veterum rerum* Victorii suspic. (12) = *inchoavisti* N. L.

illa, quae coeperas, et Bruto, et mihi. 21. Ego vero, inquam, si potuero[1], faciam vobis satis. Poteris, inquit: relaxa modo paullum[2] animum, aut sane[3] (si potes) libera.

Nempe igitur hinc tum, Pomponi, ductus est sermo, quod erat a me mentio facta, causam Deiotari, fidelissimi atque optimi regis, ornatissime et copiosissime a Bruto me audisse defensam. VI. Scio, inquit, ab isto initio tractum esse sermonem, teque Bruti dolentem vicem, quasi deflevisse iudiciorum vastitatem, et fori. Feci, inquam, istuc quidem, et saepe facio. 22. Nam mihi, Brute, in te intuenti crebro in mentem venit vereri, ecquodnam[4] curriculum aliquando sit habitura tua et natura admirabilis, et exquisita doctrina, et singularis industria. Quum enim in maximis causis versatus esses, et, quum tibi aetas nostra iam cederet, fascesque summitteret, subito in civitate quum alia ceciderunt[5], tum etiam ea ipsa, de qua disputare ordimur, eloquentia obmutuit. 23. Tum ille, Ceterarum rerum causa, inquit, istuc et doleo, et dolendum puto; dicendi autem me non tam fructus, et gloria, quam studium ipsum, exercitatioque delectat: quod mihi nulla res eripiet, te praesertim tam studioso[6]. Etenim dicere[7] bene nemo potest, nisi qui prudenter intelligit[8]. Quare qui eloquentiae verae dat operam, dat prudentiae, qua ne maximis quidem in bellis aequo animo carere quisquam potest. 24. Praeclare, inquam, Brute, dicis, eoque magis ista dicendi laude delector, quod cetera, quae sunt quondam habita in civitate pulcherrima, nemo est tam humilis, qui se non aut posse adipisci, aut adeptum putet. Eloquentem neminem video factum esse victoria. Sed quo facilius sermo explicetur, sedentes, si videtur, agamus. Quum idem placuisset illis, tum in pratulo propter[9] Platonis statuam consedimus.

25. Hic ego: Laudare igitur eloquentiam, et quanta vis sit eius, expromere, quantamque iis, qui sint[10] eam consecuti, dignitatem afferat, neque propositum nobis est hoc loco, neque necessarium. Hoc vero sine ulla dubitatione confirmaverim, sive illa arte pariatur aliqua, sive exercitatione quadam, sive natura, rem unam esse omnium difficillimam. Quibus enim ex quinque rebus constare dicitur, earum unaquaeque est ars ipsa magna per sese. Quare quinque artium concursus maximarum, quantam vim, quantamque difficultatem habeat[11], existimari potest. VII. 26. Testis est Graecia: quae quum eloquentiae studio sit incensa, iamdiuque excellat in ea, praestetque ceteris, tamen omnes artes vetustiores habet, et multo ante non inventas solum, sed etiam perfectas, quam haec est a Graecis elaborata dicendi vis atque copia. In quam quum intueor, maxime mihi occurrunt, Attice, et quasi lucent Athenae tuae: qua in urbe primum

---

(1) Sic N. Iu. M. Ern. 1. defendit Beier *ad Offic.* T. 2. p. 351. Recte. cfr. *de Republ.* 2, 30. ∞ *potero* L. (prob. Ern.) Sch. 2. 3. (2) = *paullulum* N. (3) — *plane* de Wetzelii C. Sch. 2. (4) — *quodnam* Gu. A. scil. erat *et quodnam* ut habet N. (5) — *conciderunt* Alii in marg. 1584. (6) — *et pr. tam studiosum* N. (7) Sic M. L. 1. 2. 3. — *Et dicere enim* N. Iu. Crat. Camer. (8) — *intelligat* Ern. suspic. (9) — *prope* N. (10) — *sunt* Gu. A. N. (11) Sic L. Sch. 2. 3. — *habeant* N. Iu. Cr. M. Grut. Ern. 1.

se orator extulit, primumque etiam monumentis et literis oratio est coepta mandari. 27. Tamen ante Periclem, cuius scripta quaedam feruntur, et Thucydidem, qui non nascentibus Athenis, sed iam adultis fuerunt, litera nulla est, quae quidem ornatum aliquem habeat, et oratoris esse videatur. Quamquam opinio est, et eum, qui multis annis ante hos fuerit, Pisistratum, et paullo seniorem etiam Solonem, postcaque Clisthenem, multum, ut temporibus illis, valuisse dicendo. 28. Post hanc aetatem aliquot annis, ut ex Atticis monumentis potest perspici, Themistocles fuit, quem constat quum prudentia, tum etiam eloquentia praestitisse: post Pericles, qui quum floreret omni genere virtutis, hac tamen fuit laude clarissimus. Cleonem etiam temporibus illis turbulentum illum quidem civem, sed tamen eloquentem constat fuisse[1]. 29. Huic aetati suppares Alcibiades, Critias, Theramenes: quibus temporibus quod dicendi genus viguerit, ex Thucydidi[2] scriptis, qui ipse tum fuit, intelligi maxime potest. Grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione[3] rerum breves, et ob eam ipsam causam interdum subobscuri. VIII. 30. Sed ut intellectum est, quantam vim haberet accurata, et facta quodam modo oratio; tum etiam magistri dicendi multi subito exstiterunt. Tum Leontinus Gorgias, Thrasymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Ceus[4], Hippias Eleus, in honore magno fuit[5]; aliique multi temporibus eisdem docere[6] se profitebantur, arrogantibus sane verbis, quemadmodum causa inferior (ita enim loquebantur) dicendo fieri superior posset. 31. Iis opposuit sese Socrates, qui subtilitate quadam disputandi refellere eorum instituta solebat [verbis]. Huius[7] ex uberrimis sermonibus exstiterunt doctissimi viri: primumque tum philosophia, non illa de natura, quae fuerat antiquior, sed haec, in qua de bonis rebus et malis, deque hominum vita et moribus disputatur, inventa dicitur. Quod quoniam genus ab hoc, quod proposuimus, abhorret, philosophos aliud in tempus reiiciamus: ad oratores, a quibus degressi sumus, revertamur. 32. Exstitit igitur iam senibus illis, quos paullo ante diximus, Isocrates, cuius domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam patuit, atque officina dicendi; magnus orator, et perfectus magister, quamquam forensi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo, meo quidem iudicio[8], est postea[9] consecutus. Is et ipse scripsit multa praeclare, et docuit alios: et quum cetera melius, quam superiores, tum primus intellexit, etiam in soluta oratione, dum versum effugeres, modum tamen, et numerum quendam oportere servari. 33. Ante hunc enim verborum quasi structura, et quaedam ad numerum conclusio nulla erat:

---

(1) = *fuisse constat* Nor. (2) Sic Ed. Romana, prob. Rivio. M. L. Grut. Sch. 2. 3. — *Thucydidis* N. Iu. Crat. Ern. 1. (3) — *comprehensione* de Gesneri C. Sch. 2. Idque iam Vir doctus Sec. XVI. marg. Lambinianae meae adscripserat. Frustra omnes. (4) Sic margo 1581. Ern. 1. 2. 3. — *Chius* N. Iu. L. — *Cius* M. — *Ceius* Grut. (5) ∞ *fuerunt* N. (6) Sic omnes praeter Sch. C. 2. — *eidem. Hi docere.* (7) Sic N. Iu. Crat. L. Grut. Ern. 1. ∞ *verbis* del. Sch. C. 2. 3. Nos [ ] — *solebat*, *vir is*, *cuius* M. (8) e Cdd. Lall. Ern. 1. 2. 3. — *quidem meo iud.* N. Iu. — L. Grut. (9) Sic Cdd. N. Iu. — L. Sch. 2. 3. — *posta* Lipsius e Rufino Grammatico. Grut. Ern. 1.

aut, si quando erat, non apparebat eam dedita opera esse quaesitam: quae forsitan laus sit: verumtamen natura magis tum[1], casuque nonnumquam, quam aut ratione aliqua, aut observatione fiebat[2]. 34. Ipsa enim natura circumscriptione[3] quadam verborum[4] comprehendit concluditque sententiam: quae quum aptis constricta[5] verbis est, cadit etiam plerumque numerose. Nam et aures ipsae, quid plenum, quid inane sit, iudicant, et spiritu, quasi necessitate aliqua, verborum comprehensio terminatur: in quo non modo defici, sed etiam laborare turpe est. IX. 35. Tum fuit Lysias, ipse quidem in causis forensibus non versatus, sed egregie subtilis scriptor, atque elegans, quem iam prope audeas oratorem perfectum dicere. Nam plane quidem perfectum, et cui[6] nihil admodum desit, Demosthenem facile dixeris. Nihil acute inveniri potuit in eis causis, quas scripsit, nihil (ut ita dicam) subdole, nihil versute, quod ille non viderit; nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius: nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate, vel sententiarum[7], quo quidquam esset elatius. 36. Huic Hyperides proximus, et Aeschines fuit, et Lycurgus, et Dinarchus, et is, cuius nulla exstant scripta, Demades, aliique plures[8]. Haec enim aetas effudit hanc copiam; et, ut opinio mea fert, succus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc aetatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor. 37. Phalereus enim successit eis senibus adolescens, eruditissimus ille quidem horum omnium, sed non tam armis institutus, quam palaestra[9]. Itaque delectabat magis Athenienses, quam inflammabat. Processerat enim in solem, et pulverem, non ut e militari tabernaculo, sed ut e Theophrasti, doctissimi hominis, umbraculis. 38. Hic primus inflexit orationem, et eam mollem teneramque reddidit: et suavis, sicut fuit, videri maluit, quam gravis: sed suavitate ea, qua perfunderet animos, non qua perfringeret[10]: tantum[11] ut memoriam concinnitatis suae, non (quemadmodum de Pericle scripsit Eupolis) cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum, a quibus esset auditus.

X. 39. Videsne igitur, in[12] ea ipsa urbe, in qua et nata, et alta[13] sit eloquentia, quam ea sero prodierit in lucem? Siquidem ante Solonis aetatem, et Pisistrati, de nullo, ut diserto, memoriae proditum est. At hi quidem, ut populi Romani aetas est, senes: ut Atheniensium

---

(1) Sic N. Iu. Ern. 1. 2. 3. = *tunc* Priscian. L. (2) Sic Ald. Iu. Crat. L. — *quam* om. Edd. vett. sed e Prisciano Rivius laudat hanc lectionem Ellendtio non sine causa probatam: ∞ *casuque nonnunquam, haud ratione aliqua, aut o. f.* (3) — *constructione* Sch. €. in Ed. mai. (4) — *verborum* Sch. 2. [ ]. (5) — *circumscripta* Nor. Margo Crat. Sch. in Ed. mai. (6) — *et quo* O1x. e vestig. antiquioris scripturae *et quoi*. Hinc in Cdd. aliq. et Nor. — *in quo* receptum a Sch. 2. (7) — *verb. granditate, vel sent. gravitate* Lamb. suspic. in marg. Ed. 1584. Sine causa Ellendt haesit in hac verborum consecutione: *viderit*, scil. antequam scriberet Demosthenes; *possit* scil. nunc, et omni tempore; *esset*, et tunc, quum scriberet, et nunc, et in futuro tempore. (8) — *complures* L. solus. (9) — *palaestrae* Lamb. suspic. in marg. Ed. 1584. (10) ∞ *perstringeret* Gu. A. Sch. 2. (11) Sic M. Ern. 1. 2. 3. — *et tantum* N. Iu. Crat. L. Grut. (12) Sic Ern. €. 1. Ell. 3. — *ut in ea* N. Iu. M. L. Grut. — *vel in ea* de Heusing. €. Sch. 2. (13) = *alita* Margo 1584. Ell. 3. v. Garaton. *ad Plancian.* Ed. Lips. p. 285.

secula numerantur, adolescentes debent videri. Nam etsi Servio Tullio[1] regnante viguerunt, tamen multo diutius Athenae iam erant, quam est Roma ad hodiernum diem: nec tamen dubito, quin habuerit vim magnam semper oratio. 40. Neque enim iam Troicis[2] temporibus tantum laudis in dicendo Ulixi[3] tribuisset Homerus, et Nestori, (quorum alterum vim habere voluit, alterum suavitatem,) nisi iam tum esset honos eloquentiae; neque ipse poëta hic tam idem ornatus in dicendo, ac plane orator fuisset. Cuius etsi incerta sunt tempora, tamen annis multis fuit ante Romulum: siquidem non infra superiorem[4] Lycurgum fuit, a quo est disciplina Lacedaemoniorum adstricta legibus. 41. Sed studium eius generis, maiorque vis agnoscitur in Pisistrato. Denique hunc proximo seculo Themistocles insecutus est, ut apud nos, perantiquus; ut apud Athenienses, non ita sane vetus. Fuit enim regnante iam Graecia, nostra autem civitate non ita pridem dominatu regio liberata. Nam bellum Volscorum illud gravissimum, cui Coriolanus exsul interfuit, eodem fere tempore, quo Persarum bellum, fuit, similisque fortuna clarissimorum[5] virorum. 42. Siquidem uterque quum civis egregius fuisset, populi ingrati pulsus iniuria, se ad hostes contulit, conatumque iracundiae suae morte sedavit. Nam etsi aliter est apud te, Attice, de Coriolano, concede tamen, ut huic generi mortis potius assentiar. XI. At ille ridens, Tuo vero, inquit, arbitratu: quoniam quidem[6] concessum est rhetoribus ementiri[7] in historiis, ut aliquid dicere possint argutius. Ut enim tu nunc de Coriolano, sic Clitarchus, sic Stratocles de Themistocle finxit. 43. Nam, quem Thucydides, qui et Atheniensis erat, et summo loco natus, summusque vir, et paullo aetate posterior, tantum mortuum scripsit, et in Attica clam humatum; addidit, fuisse suspicionem veneno sibi consciviss mortem: hunc isti aiunt, quum taurum immolavisset, excepisse sanguinem patera, et eo poto[8], mortuum concidisse. Hanc enim mortem rhetorice et tragice ornare potuerunt: illa mors vulgaris nullam praebebat materiem ad ornatum. Quare, quoniam tibi ita[9] quadrat, omnia fuisse in Themistocle paria et Coriolano[10], pateram quoque a me sumas licet: praebebo etiam hostiam, ut Coriolanus sit plane alter Themistocles. 44. Sit sane, inquam, ut lubet, de isto: et ego cautius posthac historiam attingam, te audiente; quem rerum Romanarum auctorem laudare possum religiosissimum. Sed tum fere Pericles, Xanthippi filius, de quo ante dixi, primus adhibuit doctrinam: quae quamquam tum nulla erat dicendi, tamen ab Anaxagora physico eruditus, exercitationem mentis a reconditis abstrusisque rebus ad causas forenses popularesque facile traduxerat. Huius suavitate maxime hilaratae sunt Athenae: huius

(1) Sic N. Crat. M. 1. 2. 3. — *Tullo* Iu. L. (2) — *heroicis* Nescio qui ap. Lamb. (3) Sic Nor. e Cdd. Sch. 2. 3. — *Uyssi* Iu. M. L. Ern. 1. (4) — *superiorem* sine causa suspect. Ellendtio. Distinguitur Lacedaemonius ab oratore Attico. (5) Sic rectissime Crat. Camer. L. — *clarorum* N. Iu. M. Ern. 1. 2. 3. (6) — *quando quidem* Nescio qui ap. Lamb. Nihil opus: *quoniam quidem* saepe legitur ap. Cic. (7) — *et mentiri* O1x. — *mentiri et in h.* Iu. Crat. Camer. (*ementiri* habet iam Nor. Man.) (8) = *epoto* L. solus. (9) = *ita tibi* Nor. — *ita* om. Iu. Crat. (10) Sic Crat. M. Ern. 1. ∞ *in Themistocle paria et in Cor.* L. e E. ut videtur. Sch. 2. 3. ∞ *fuisse Themistocli paria et Cor.* Cdd. aliq. (O1x.) Iu. Sic etiam Nor. sed *Themistocle.*

ubertatem et copiam admiratae, eiusdem vim dicendi terroremque timuerunt. XII. 45. Haec igitur aetas prima Athenis oratorem prope perfectum tulit. Nec enim in constituentibus rem publicam, nec in bella gerentibus, nec in impeditis ac regum dominatione devinctis, nasci cupiditas dicendi solet. Pacis est comes, otiique socia, et iam bene constitutae civitatis quasi alumna quaedam, eloquentia. 46. Itaque ait Aristoteles, quum sublatis in Sicilia tyrannis, res privatae longo intervallo iudiciis repeterentur, tum primum, quod esset acuta illa gens, et controversa natura[1], artem et praecepta Siculos Coracem et Tisiam conscripsisse. Nam antea neminem solitum via, nec arte, sed accurate tamen, et de scripto plerosque dicere: scriptasque fuisse et paratas a Protagora rerum illustrium disputationes, quae nunc communes appellantur[2] loci. 47. Quod idem fecisse Gorgiam, quum singularum rerum laudes vituperationesque conscripsisset: quod iudicaret hoc oratoris esse[3] maxime proprium, rem augere posse laudando, vituperandoque rursus affligere. Huic Antiphontem Rhamnusium similia quaedam habuisse conscripta: quo neminem unquam melius ullam oravisse capitis causam, quum se ipse defenderet, se audiente, locuples auctor scripsit Thucydides. 48. Nam Lysiam primo profiteri solitum artem esse dicendi: deinde, quod Theodorus esset in arte subtilior, in orationibus autem ieiunior, orationes eum scribere aliis coepisse, artem removisse. Similiter Isocratem primo artem dicendi esse negavisse, scribere autem aliis solitum orationes, quibus in iudiciis uterentur: sed, quum ex eo (quia quasi committeret contra legem, quo quis iudicio[4] circumveniretur) saepe ipse in iudicium[5] vocaretur, orationes aliis destitisse scribere, totumque se ad artes componendas[6] transtulisse. XIII. 49. Et Graeciae quidem oratorum partus atque fontes[7] vides, ad nostrorum annalium rationem, veteres; ad ipsorum, sane recentes. Nam antequam delectata est Atheniensium civitas hac laude dicendi, multa iam memorabilia et in domesticis et in bellicis rebus effecerat. Hoc autem studium non erat commune Graeciae, sed proprium Athenarum. 50. Quis enim aut Argivum oratorem, aut Corinthium, aut Thebanum scit fuisse temporibus illis? nisi quid de Epaminonda, docto homine, suspicari libet[8]. Lacedaemonium vero usque ad hoc tempus audivi fuisse neminem. Menelaum ipsum, dulcem illum quidem tradit[9] Homerus, sed pauca dicentem. Brevitas autem laus est interdum in aliqua parte dicendi, in universa eloquentia laudem non habet. 51. At vero extra Graeciam magna dicendi studia fuerunt, maximique huic laudi habiti honores, illustre oratorum nomen reddiderunt. Nam ut semel e Piraeeo eloquentia evecta est, omnes peragravit insulas, atque ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus, † omnemque illam sa-

(1) Sic Crat. Man. L. Ern. 1. Ell. 3. (— *controversi a natura* Olx. — *controversia nat.* Edd. vett. Iu.) — *res privatae l. intervallo controversiis et iudiciis rep. tum pr. quod esset acuta illa gens natura* de Schneideri €. Sch. 2. ∞ *acuta illa gens, et controversiis nata* de Iacobsii €. Sch. in Ed. mai. (2) — *appellentur* Sch. in Ed. mai. (3) — om. *esse* L. (4) ∞ *in iudicio* L. (non Gothofr.) prob. Sch. et Ellendt. (5) — *in invidiam* Ern. suspic. (6) — om. *comp.* Cdd. aliq. (7) Suspecta haec *atque fontes* Ellendtio. — *atque foetus* Ern. suspic. ∞ *artisque fontes* Sch. €. 2. (8) = *lubet* Gu. A. B. (9) — *tradidit* L.

lubritatem Atticae dictionis, et quasi sanitatem[1] perderet, ac loqui[2] paene dedisceret. Hinc Asiatici oratores non contemnendi quidem[3] nec celeritate, nec copia, sed parum pressi et nimis redundantes: Rhodii saniores, et Atticorum similiores. 52. Sed de Graecis hactenus. Etenim haec ipsa forsitan fuerunt[4] non necessaria.

Tum Brutus, Ista vero, inquit, quam necessaria fuerint, non facile dixerim: iucunda certe mihi fuerunt, neque solum non longa, sed etiam breviora, quam vellem. Optime, inquam: sed veniamus ad nostros, de quibus difficile est plus intelligere, quam quantum ex monumentis suspicari licet. XIV. 53. Quis enim putet aut[5] celeritatem ingenii L. Bruto[6] illi, nobilitatis vestrae principi, defuisse? qui de matre suavianda ex oraculo Apollinis tam acute arguteque coniecerit; qui summam prudentiam simulatione stultitiae texerit; qui potentissimum regem, clarissimi regis filium, expulerit, civitatemque, perpetuo dominatu liberatam, magistratibus annuis, legibus iudiciisque devinxerit; qui collegae suo imperium abrogaverit, ut e civitate regalis nominis memoriam tolleret[7]: quod certe effici non potuisset, nisi esset oratione persuasum. 54. Videmus item paucis annis post reges exactos, quum plebes prope ripam Anienis ad tertium miliarium consedisset, eumque montem, qui Sacer appellatus est, occupavisset, M. Valerium dictatorem dicendo sedavisse discordias, eique ob eam rem honores amplissimos habitos, et cum primum ob eam ipsam causam Maximum esse appellatum. Ne L. Valerium quidem Potitum arbitror non aliquid potuisse dicendo, qui post decemviralem invidiam, plebem in patres incitatam, legibus et concionibus suis mitigaverit[8]. 55. Possumus Appium Claudium suspicari disertum, quia senatum iamiam inclinatum, a Pyrrhi pace revocaverit: possumus C. Fabricium, quia sit ad Pyrrhum[9] de captivis recuperandis missus orator: Ti. Coruncanium, quod ex pontificum commentariis longe plurimum ingenio valuisse videatur: M' Curium, quod is tribunus plebis[10], interrege Appio Caeco, diserto homine, comitia contra leges habente, quum de plebe consulem[11] non accipiebat, patres ante auctores fieri coëgerit; quod fuit[12] permagnum, nondum lege Maenia lata. 56. Licet aliquid[13] etiam de M. Popillii ingenio suspicari, qui quum consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum lacna faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebei

(1) Sic ex Ed. Ven. (N.) Ern. 1. 3. ∞ *et* ante *quasi san.* om. Iu. Crat. M. — *omnemque illam Att. dictionis quasi sanitatem* L. C. prob. Ell. — *omnemque illam subtilitatem Att. dictionis, et quasi sanitatem* de Ern. C. Sch. 2. Sed Cicero videtur scripsisse: *omnemque illam quasi salubritatem Att. dictionis perderet.* Vocabulo *salubritatem* adscriptum est gloss. *sanitatem.* Malo autem consilio add. *et*, quo occultatur gloss. (2) — *linguam* Sch. C. 2. (3) ∞ *illi quidem* Nor. L. (4) Sic Iu. Crat. L. Sch. 2. — *fuerint* Man. Ern. 1. 3. Sic mutarunt propter sequens *fuerint.* (5) *aut* hoc ita pendens defendit Walch *Emendd. Liv.* p. 186. cfr. *Orat.* §. 229. — del. *aut* Ell. 3. — *aut eloquentiam* Lamb. in marg. Ed. 1584. inserendum suspicatus est post *ingenii:* inseruit post *texerit* Sch. 2. quem male imitatus est Ell. 3. (6) — *L. Iunio Bruto* L. (7) — *memoria tolleretur* Olx. (8) = *mitigarit*, moxque *revocarit* tribuitur Lambino in marg. ed. 1584. (9) — *Pyrrhum regem* Gu. A. (10) ∞ *plebi*, sive *plebei* proprie ubique restituendum esset. Nolui tamen in hoc quidquam novare. (11) Sic Cdd. N. Iu. — L. 1. 2. 3. — *Coss.* Ed. 1584. unde — *consules* Grut. (12) e Cdd. Lallem. Ern. 1. 2. 3. — *fuerit* N. Iu. Crat M. L. Grut. (13) — om. *aliquid* Olx. = *etiam aliquid* Nor.

contra patres concitatione et seditione nunciata, ut erat laena amictus, ita venit in concionem, seditionemque quum[1] auctoritate, tum oratione sedavit. Sed eos oratores habitos esse, aut omnino tum ullum eloquentiae praemium fuisse, nihil sane mihi legisse videor: tantummodo coniectura ducor ad suspicandum. 57. Dicitur etiam C. Flaminius, is, qui tribunus plebis legem de agro Gallico et Piceno viritim dividendo tulerit[2], qui consul apud Trasimenum sit interfectus, ad populum valuisse dicendo. Quintus etiam Maximus[3] Verrucosus orator habitus est temporibus illis, et Q. Metellus is, qui bello Punico secundo cum L. Veturio Philone consul fuit. XV. Quem vero exstet, et de quo sit memoriae proditum, eloquentem fuisse, et ita esse habitum, primus est M. Cornelius Cethegus, cuius eloquentiae est auctor, et idoneus quidem, mea sententia[4], Q. Ennius; praesertim quum et ipse eum audiverit, et scribat de mortuo: ex quo nulla suspicio est, amicitiae causa esse mentitum. 58. Est igitur sic apud illum in nono (ut opinor) annali:

Additur orator Corneliu' suaviloquenti
Ore Cethegus Marcu', Tuditano collega[5],
Marci filius - -

Et oratorem appellat, et suaviloquentiam tribuit: quae nunc quidem non tam est[5] in plerisque. Latrant enim iam quidam oratores, non loquuntur. Sed est ea laus eloquentiae certe maxima.

- - is dictus, ollis[7] *popularibus olim,*
Qui tum vivebant homines, atque aevum agitabant.
Flos delibatus[8] *populi.*

59. Probe vero. Ut enim hominis decus ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloquentia, qua virum excellentem praeclare tum illi homines florem populi esse dixerunt; - - *Suadaeque medulla.* Πειθώ quam[9] vocant Graeci, cuius effector est orator, hanc Suadam appellavit Ennius; eius autem Cethegum medullam fuisse vult[10], ut, quam deam in Pericli[11] labris scripsit Eupolis sessitavisse, huius hic medullam nostrum oratorem fuisse dixerit. 60. At hic Cethegus consul cum P. Tuditano fuit bello Punico secundo: quaestorque his consulibus M. Cato, modo[12] plane annis CXL ante me consulem, et id ipsum nisi unius esset Ennii testimonio cognitum, hunc vetustas,

(1) Sic Ju. — L. Ern. 1. — *tum* Sch. 2. 3. (2) Sic Cdd. Ju. — L. Ern. 1. ∞ *tulit*, moxque *est interf.* Sch. C. (minime vero e Cdd. et Edd. vett. ut ait Ell.) 2. 3. (3) — *Fabius Maximus* L. (4) Sic Ju. M. L. Ern. 1. Sch. 2. ∞ *mea quidem sententia* N. Omnib. Crat. non improb. Sch. recepit Ell. 3. sed ex hac verborum collocatione plerosque de Ennii auctoritate dubitasse diceret Cicero. (5) — *Marcus studio, collegam* N. Ju. Crat. Camer. — *Cethegus Veturio collega Philoni* Vetus exemplar ap. Rivium. (6) — *nunc quidem nulla est* de Heusing. C. Sch. 2. (7) — *ollis* om. L. Scil. ut Gernhard (v. Ellendt.) sed aliquanto cautius, iungebat haec cum praecedd. *Marci filius.* Quod si faciendum est, praestet Merulae ratio sic legentis: *is dictus, popularibus ollis*, quum *olim*, ex parum intellecto *ollis* ortum videri possit. (8) — *delibutus* Man. — *delibratus* Verburg. ut solebat Lambinus in Lucretio emendare v. *delibare.* — *illibatus* Merula. cfr. Gell. *Noct. Att.* 12, 2. (9) — *quam* Πειθώ L. (10) Haec *eius - - vult* cupidius expunxerunt Sch. 2. Ell. 3. At minus placet ista constructio: *appellavit Ennius, ut - dixerit.* Gratam hic Tullii ipsius negligentiam agnoscamus necesse est. (11) Sic Riv. L. Sch. 2. 3. = *Periclis* Ju. Crat. Ern. 1. (12) Asteriscum his praefixit Man. — om. *modo* L. etsi nulla in his inest difficultas.

ut alios fortasse multos, oblivione obruisset. Illius autem aetatis qui sermo fuerit, ex Naevianis scriptis intelligi potest. His enim consulibus, ut in veteribus commentariis scriptum est, Naevius est mortuus: quamquam Varro noster diligentissimus investigator antiquitatis, putat in hoc erratum, vitamque Naevii producit longius. Nam Plautus P. Claudio, L. Porcio, viginti annis post illos, quos ante dixi, consulibus[1] mortuus est, Catone censore.

61. Hunc igitur Cethegum consecutus est aetate Cato, qui annis IX post eum fuit consul. Eum nos ut perveterem habemus, qui L. Marcio, M' Manilio[2] consulibus mortuus est, annis LXXXIII[3] ipsis ante me consulem. XVI. Nec vero habeo quemquam antiquiorem, cuius quidem scripta proferenda putem, nisi quem Appii Caeci oratio haec ipsa de Pyrrho, et nonnullae mortuorum laudationes forte delectant. 62. Et hercules haec quidem exstant: ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta servabant, et ad usum, si quis eiusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum, et ad illustrandam[4] nobilitatem suam. Quamquam his laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. Multa enim scripta sunt in eis, quae facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, et a plebe[5] transitiones, quum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunderentur[6] genus: ut, si ego me a M' Tullio[7] esse dicerem, qui patricius cum Servio Sulpicio consul[8] anno X post exactos reges fuit. 63. Catonis autem orationes non minus multae fere[9] sunt, quam Attici Lysiae; cuius arbitror plurimas esse. Est enim Atticus, quoniam certe Athenis est et natus, et mortuus, et functus omni civium munere: quamquam Timaeus eum, quasi Licinia et Mucia lege, repetit Syracusas. Et quodam modo[10] est nonnulla in his[11] etiam inter ipsos similitudo. Acuti sunt, elegantes, faceti, breves: sed ille Graecus ab omni laude felicior. 64. Habet enim certos sui studiosos, qui non tam habitus corporis opimos, quam gracilitates consectentur[12]; quos, valetudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat[13]. Quamquam in Lysia saepe sunt[14] etiam lacerti, sic ut fieri nihil possit valentius[15]. Verum est certe genere toto strigosior: sed habet tamen suos laudatores, qui hac ipsa eius subtilitate admodum gaudeant. XVII. 65. Catonem vero quis nostrorum oratorum, qui quidem nunc

(1) Sic rectissime Man. explicavit notam *Coss.* — *consules* N. Iu. Crat. Ern. 1. 2. 3. — *P. Claudio, L. Porcio Cos. quatuor annis post Naevii mortem, viginti post illos q. a. d. Cos.* L. solus. e €. (2) — *Mamilio* L. (3) ∞ LXXXVI. Man. solus. Recte. (4) Sic N. Crat. M. L. Ern. 1. 2. 3. — *ad illustrandum* Iu. Victor. (5) Sic vere M. L. Ern. 1. Sch. 2. 3. probante Heinrich. *ad Cic. fragm. in Ind. p.* 113. contra Niebuhr. *Hist. Rom.* T. 1. p. 228. — *ad plebem* Otx. N. Iu. Crat. Grut. (6) — *infinderentur* Scaligeri suspic. (7) — *Tullo* de Heusing. €. Sch. 2. et sic Almeloveen in *Fastis*, sed Piranesius *Tullius*. (8) Sic Cdd. aliq. Iu. M. Sch. 2. 3. — *Cos.* Crat. L. unde falso: *Consule* Grut. Ern. 1. (9) Sic N. Iu. Crat. M. L. tum rursus Sch. 2. 3. e Gu. B. — *verae* Ed. 1581. Grut. Ern. 1. (10) Sic divisim iam Man. Ern. 1. Mire argutatur in his Ellendt. (11) Sic recte L. Ell. 3. — *iis* Iu. Crat. M. Ern. 1. 2. (12) Sic N. Iu. — L. Ern. 1. 3. — *consectantur* Sch. €. 2. (13) Sic rectissime omnes praeter Ern. €. 1. et Sch. in Ed. mai: — *delectet*. Male in seqq. quoque *Sed* — — *gaudeant* argutatur Ellendt, parum h. l. peritus copiae Tullianae. (14) = *sunt saepe* N. Iu. M. L. (15) = *sic ut fieri valentius nihil possit* L.

sunt, legit? aut quis novit omnino? At quem virum? dii boni! mitto civem, aut senatorem, aut imperatorem: oratorem enim hoc loco quaerimus: quis illo gravior in laudando? acerbior in vituperando? in sententiis argutior? in docendo edisserendoque subtilior? Refertae sunt orationes amplius centum quinquaginta (quas quidem adhuc invenerim, et legerim,) et verbis, et rebus illustribus. Licet ex his eligant ea, quae notatione et laude digna sint; omnes oratoriae virtutes in eis reperientur. 66. Iam vero Origines eius quem florem, aut quod lumen eloquentiae non habent? Amatores huic desunt, sicuti multis iam ante seculis et Philisto Syracusio, et ipsi Thucydidi. Nam ut horum concisis sententiis, interdum etiam non satis apertis quum brevitate, tum nimio acumine[1], officit[2] Theopompus elatione atque altitudine orationis suae, quod idem Lysiae Demosthenes[3]; sic Catonis luminibus obstruxit haec posteriorum quasi exaggerata altius oratio. 67. Sed et[4] in nostris inscitia[5] est, quod ii ipsi, qui in Graecis antiquitate delectantur, eaque subtilitate, quam Atticam appellant, hanc in Catone ne[6] noverunt quidem. Hyperidae volunt esse et Lysiae. Laudo. Sed cur nolunt Catones[7]? Attico genere dicendi se gaudere dicunt. Sapienter id quidem. 68. Atque utinam imitarentur, nec ossa solum, sed etiam sanguinem! Gratum est tamen, quod volunt. Cur igitur Lysias et Hyperides amatur, quum penitus ignoretur Cato? Antiquior est huius sermo, et quaedam horridiora verba. Ita enim tum loquebantur. Id muta, quod tum ille non potuit, et adde numeros, et aptior sit oratio[8]: ipsa verba compone, et quasi coagmenta, quod ne Graeci quidem veteres factitaverunt: iam neminem antepones Catoni. 69. Ornari orationem Graeci putant, si verborum immutationibus utantur, quos appellant τρόπους, et sententiarum orationisque formis, quae vocant σχήματα. Non veri simile est, quam sit in utroque genere et creber et distinctus Cato. XVIII. Nec vero ignoro, nondum esse satis politum hunc oratorem, et quaerendum esse aliquid perfectius: quippe quum ita sit ad nostrorum temporum rationem vetus, ut nullius scriptum exstet dignum quidem lectione, quod sit antiquius. Sed maiore honore in omnibus artibus, quam in hac una dicendi[9], versatur antiquitas. 70. Quis enim eorum, qui haec minora animadvertunt, non intelligit, Canachi signa rigidiora esse, quam ut imitentur veritatem? Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora, quam Canachi: nondum Myronis satis ad veritatem adducta; iam tamen, quae non dubites pulchra dicere: pulchriora etiam Po-

(1) Haec *quum brev. - - acumine* suspecta iam Budaeo et Rivio del. L. Sch. 2. Recte defendit Ell. 3. (2) — *officit* Sch. €. 2. Ell. 3. Sed *officit etiamnunc* Philisto et Thucydidi, qui nihilo minus ab omnibus leguntur, quum paucorum in manibus sint Origines Catonis. (3) — *quod - Demosth.* expunxit Sch. €. 2. (4) ∞ *et* de Heusing. suspic. del. Ell. 3. (5) — *inscientia* L. (6) Sic L. (Ern. €.) Sch. 2. 3. — *non noverunt quidem* Iu. Crat. Ern. 1. ∞ *non noverunt. Quid enim?* Manut. memorabilis omnino lectio. (7) Sic L. Sch. 2. 3. — *Catonis* Iu. Crat. M. Ern. 1. — *cur non Catonis?* Olx. Norimb. unde exit: ∞ *cur non Catones?* (8) ∞ *et adde numeros, ut aptior sit or.* Mss. Reg. Lallem. ut legi iusserat iam Car. Stephanus. — *adde n. ut aptior sit or.* omisso *et* L. — *et adde n. et ut aptior sit or.* Ell. €. 3. (9) — *arte dicendi* Gu. A. B. Norimb. e gloss. Neque huc quadrant exempla ab Ellendtio allata, quum in omnibus idem nomen substantiv. post pronom. relativ. dumtaxat iteretur.

lycleti, et iam plane perfecta, ut mihi quidem videri solent. Similis in pictura ratio est: in qua Zeuxim, et Polygnotum, et Timantem, et eorum, qui non sunt usi plus quam quatuor coloribus, formas et lineamenta laudamus: at in Echione[1], Nicomacho, Protogene, Apelle, iam perfecta sunt omnia. 71. Et nescio an reliquis in rebus omnibus idem eveniat: nihil est enim simul et inventum, et perfectum: nec dubitari debet, quin fuerint ante Homerum poëtae: quod ex eis carminibus intelligi potest, quae apud illum, et in Phaeacum, et in procorum epulis canuntur. Quid? nostri veteres versus ubi sunt?

- - quos olim Fauni, vatesque canebant,
Quum neque Musarum scopulos quisquam superarat,
Nec dicti studiosus erat — —
Ante hunc; — —

ait ipse[2] de se: nec mentitur in gloriando. Sic enim sese[3] res habet. Nam et Odyssea Latina est sic[4], tamquam opus aliquod Daedali, et Livianae fabulae, non satis dignae, quae iterum legantur. 72. Atque hic Livius, qui[5] primus fabulam, C. Clodio Cacci filio et M. Tuditano consulibus, docuit, anno ipso, antequam natus est Ennius; post Romam conditam autem quartodecimo et quingentesimo[6], ut hic ait, quem nos sequimur. Est enim[7] inter scriptores de numero annorum controversia. Attius[8] autem[9] a Q. Maximo[10] quintum consule captum Tarento[11] scripsit Livium, annis xxx post, quam eum fabulam docuisse et Atticus[12] scribit, et nos in antiquis commentariis invenimus: 73. docuisse autem fabulam annis post xi C. Cornelio, Q. Minucio consulibus, ludis Iuventatis[13], quos Salinator Senensi praelio voverat. In quo tantus error Attii[14] fuit, ut his consulibus xl[15] annos natus Ennius fuerit: cui quum[16] aequalis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ii, qui multas docuerant ante hos consules, et[17] Plautus et Naevius. XIX. 74. Haec si minus apta videntur huic sermoni, Brute,

---

([1]) Inter *Echione* Sch. 2. 3. et *Aetione* M. L. Grut. Ern. 1. fluctuavit Rivius. — Cdd. et Edd. vett. turbant: *Eetione* Iu. Crat. — *Etione* al. *Mentione.* al. ([2]) — *Ennius ipse* minime necessaria €. Sch. 2. ([3]) Sic Iu. — L. Ern. 1. — *se* Sch. 2. 3. negligenter. ([4]) Verissima haec est lectio Iu. M. L. Ern. 1. dummodo recte interpungatur: *Latina sic, tamquam:* id est, Odyssea (*Ulixea* fortasse scripsit Cic.) a Livio conversa, sic Latina est, sive, eundem locum occupat inter Latinarum literarum monumenta, quem inter Graecorum artificum opera Daedali statuae. Egregium hunc sensum parum intelligentes, Sch. €. 2. dedit: *Latina est Livii, tamquam.* Ell. 3. vero delevit *sic.* (— *sic in t.* N.) ([5]) ∞ *qui* h. l. habent Iu. — L. Ern. 1. Delevit Sch. 2. 3. Pendet sane; id quod placebit anacoluthorum apud Cic. amatoribus. ∞ *atque hic est Livius, qui* L. solus. ([6]) Sic Man. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *quadringentesimo decimo* Iu. Crat. (= CCCC. X. Lamb.) ∞ *tertio decimo quingentesimo* Osann. *Anal. crit.* p. 50. Nihil opus. (∞ *post Romam autem conditam* e Cd. Regio (Nor.) Lallem. Est tamen correctio.) ([7]) — *autem* Ell. €. 3. Nihil opus his deliciis. ([8]) — *Accius* Iu. M. L. — *Atticus* Nor. — *Ateius* Osanni emendatio. l. l. *pag.* 39. sed cfr. §. 229. ([9]) — *enim* Ell. €. 3. Nihil opus. ([10]) Sic Iu. Crat. M. L. Sch. 2. 3. — *autem: Q. Maximo* Ern. 1. errore typogr. quem patienter tulit Osann. ([11]) — *capto T.* Nor. ([12]) ∞ *Attius*, id est Osanni *Ateius*, in marg. Ed. 1584. Perperam. ([13]) Sic emendasse dicitur Victorius. M. L. Ern. 1. 2. 3. — *ludis Luctatiis* N. Iu. Crat. Camer. ([14]) — *Ateii* Osann. ([15]) — XXX. Nor. ([16]) — *si* Man. Postea rursus Schneider €. prob. Sch. Hoc tamen requireret *fuit.* Alia videsis in Sch. Ed. mai. ([17]) — *et* del. Sch. €. 2. Ell. 3.

Attico assigna, qui me inflammavit studio, illustrium hominum aetates et tempora persequendi. Ego vero, inquit Brutus, et delector ista quasi notatione temporum, et ad id, quod instituisti, oratorum genera distinguere aetatibus, istam diligentiam esse accommodatam puto. 75. Recte, inquam, Brute, intelligis: atque utinam exstarent illa carmina, quae multis seculis ante suam aetatem in epulis esse cantitata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus, in Originibus scriptum reliquit Cato! Tamen illius, quem in vatibus et Faunis numerat[1] Ennius, bellum[2] Punicum, quasi Myronis opus, delectat. 76. Sit Ennius sane, ut est certe, perfectior: qui si illum, ut simulat, contemneret, non omnia bella persequens, primum illud Punicum, acerrimum bellum, reliquisset. Sed ipse dicit, cur id faciat, - - *scripsere*, inquit, *alii rem Versibus*[3], - - et luculente quidem scripserunt, etiamsi minus, quam tu, polite. Nec vero tibi aliter videri debet; qui a Naevio vel sumpsisti multa, si fateris: vel, si negas, surripuisti.

77. Cum hoc Catone grandiores natu fuerunt C. Flaminius, C. Varro, Q. Maximus, Q. Metellus, P. Lentulus, P. Crassus, qui cum superiore Africano consul fuit. Ipsum Scipionem accepimus non infantem fuisse. Filius quidem eius, is, qui hunc minorem Scipionem a Paullo adoptavit, si corpore valuisset, in primis habitus esset disertus. Indicant quum[4] orationculae, tum historia quaedam Graeca[5], scripta dulcissime. XX. 78. Numeroque eodem fuit Sex. Aelius, iuris quidem civilis omnium peritissimus, sed etiam ad dicendum paratus. De minoribus autem, C. Sulpicius Gallus, qui[6] maxime omnium nobilium Graecis literis studuit, isque et oratorum in numero est habitus, et fuit reliquis rebus ornatus, atque elegans. Iam enim erat unctior[7] quaedam splendidiorque consuetudo loquendi. Nam, hoc praetore ludos Apollini faciente, quum Thyesten fabulam docuisset, Q. Marcio, Cn. Servilio consulibus, mortem obiit Ennius. 79. Erat iisdem temporibus Ti. Gracchus, P. F. qui bis consul et censor fuit, cuius est oratio Graeca apud Rhodios: quem civem quum gravem, tum etiam eloquentem constat fuisse. Publium etiam Scipionem Nasicam, qui est Corculum appellatus, qui item bis consul et censor fuit, habitum eloquentem, [M. alium] illius, qui sacra acceperit, filium[8]: etiam L. Lentulum, qui cum C. Figulo consul fuit: Q. Nobiliorem, M. F. iam patrio instituto deditum studio literarum, qui etiam Q. Ennium, qui cum

(1) Sic Margo 1584. prob. Ellendtio in Adnotatt. a quibus saepenumero verba Ciceronis ipsius apud eum discrepant. ∞ *quem in vat. et F. enumerat* N. Iu. M. Ern. 1. ∞ *quem vat. et F. annumerat* omisso *in* Lamb. Ell. 3. (*annumerat* Gu. A. B. Ignoramus, an omisso *in*.) — *quem in vat. et F. annumerat* Sch. 2. (2) — *et bellum* L. (3) = *versibu*' M. Vide diligentiam. (4) = *tum* e Cdd. Sch. 2. 3. (5) An *Graece scripta*? ut mox §. 81. Alia enim ratio videtur *orationis Graecae* §. 79. (6) — *qui* suspectum Ern. (7) — *mitior* Gu. A. B. (8) Locus corruptus. Turbant Cdd. etiam Gu. A. B. — *eloquentem. M. alium illius, qui sacra acceperit* (∞ *accepit* Sch. E. 2. 3.) *filium, dicunt* (hoc v. primus delevit Ern. E. 1. 2. 3.) N. Iu. Crat. — *eloquentem M. illius, qui sacra acceperit filium dicunt* L. — *eloquentem aiunt* (— *aiunt* recepit Lallem.) *illius, qui sacra acceperit, filium. Dicunt etiam* Man. ∞ *eloquentem, maioris illius* — *filium* Ed. 1469. probante Le Clerc. ∞ *eloq. Publii illius qui s. accepit, filium, etiam* de Pighii E. Sch. 2. 3. Sch. praeterea e vestigg. Cdd. tentavit: *P. illius, Idacae matris qui s. accepit.*

patre eius in Aetolia militaverat, civitate donavit, quum triumvir coloniam deduxisset: et T. Annium Luscum, huius Q. Fulvii collegam, non indisertum dicunt fuisse. 80. Atque etiam L. Paullus, Africani pater, personam principis civis facile dicendo tuebatur; et vero[1] etiam tum Catone vivo, qui annos quinque et octoginta natus excessit e vita, quum quidem eo ipso anno contra Ser. Galbam, ad populum summa contentione dixisset: quam etiam orationem scriptam reliquit. XXI. 81. Sed vivo Catone minores natu multi uno tempore oratores floruerunt. Nam et A. Albinus, is, qui Graece scripsit historiam, qui consul cum L. Lucullo fuit, et literatus et disertus fuit: et tenuit cum hoc locum quendam etiam Ser. Fulvius, et una Ser. Fabius Pictor, et iuris, et literarum, et antiquitatis bene peritus. Quintusque Fabius Labeo fuit ornatus iisdem fere laudibus. Nam[2] Q. Metellus, is, cuius quatuor filii consulares fuerunt, in primis est habitus eloquens, qui pro L. Cotta dixit, accusante Africano; cuius et aliae sunt orationes, et contra Ti. Gracchum exposita est[3] in C. Fannii annalibus. 82. Tum ipse L. Cotta veterator habitus, sed C. Laelius et P. Africanus in primis eloquentes: quorum exstant orationes, ex quibus existimari de ingeniis oratorum[4] potest. Sed inter hos, aetate paullum his antecedens, sine controversia Ser. Galba eloquentia praestitit: et nimirum is princeps ex Latinis, illa oratorum propria, et quasi legitima opera tractavit, ut egrederetur[5] a proposito ornandi causa, ut delectaret animos, ut[6] permoveret, ut augeret rem, ut miserationibus, ut communibus locis uteretur. Sed nescio quomodo huius, quem constat eloquentia praestitisse, exiliores orationes sunt, et redolentes magis antiquitatem, quam aut Laelii, aut Scipionis, aut etiam ipsius Catonis: itaque exaruerunt[7], vix iam ut apparent.

83. De ipsius Laelii et Scipionis ingenio quamquam ea iam est[8] opinio, ut plurimum tribuatur ambobus; dicendi tamen laus est in Laelio illustrior. At oratio Laelii de collegiis[9], non melior, quam de multis quam voles, Scipionis: non quo illa Laelii quidquam sit dulcius, aut quo[10] de religione dici possit augustius; sed multo tamen vetustior, et horridior ille, quam Scipio: et, quum sint in dicendo variae voluntates, delectari mihi magis antiquitate videtur, et lubenter verbis etiam uti paullo magis priscis Laelius. 84. Sed est mos[11] hominum, ut nolint eundem pluribus rebus excellere. Nam ut ex[12] bellica laude adspirare ad Africanum nemo potest, in qua ipsa egregium Viriathico[13]

([1]) Sic iam L. Rursus Ern. €. 1. 2. 3. — *at vero* N. Iu. Crat. M. Grut. ([2]) an *Iam?* ([3]) ∞ om. *est* Sch. €. 2. ([4]) — *eorum* de Ern. €. Sch. 2. 3. Sed, quod hi non viderunt, *oratorum* h. l. plane dictum est, ut §. 91. *in oratore Galba.* id est: eorum, tamquam oratorum. ([5]) — *degrederetur* L. v. Beier. *ad Offic.* T. 2. p. 150. ([6]) Sic iam Man. Rursus Ern. €. 1. 2. 3. — *aut* N. Iu. Crat. L. Grut. ([7]) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. ∞ *evanuerant* ex ingeniosa Purgoldi €. Sch. 2. 3. cfr. §. 106. unum tamen dubium restat, quod sic idem fere bis dicitur *itaque evanuerunt, vix iam ut apparent.* — *ecraruerunt* Goerenzii €. ([8]) = *est iam* L. ([9]) — *de collegis* N. L. In marg. 1584. *a collegis.* ([10]) De Heusing. sententia Sch. 2. 3. — *quod* Iu. — L. Ern. 1. Sed Olx. haud male utrobique *quod.* ([11]) — *Sed iste mos* Gu. A. — *sed est iste mos* Sch. €. 2. ([12]) — om. *ex* cum Gu. B. Sch. 2. 3. Sed *ex bellica laude* longe est exquisitius. ([13]) Sic Ell. 3. (*Viriathi* Olx.) — *Viriatico* Edd. vett. N. L. Ern. 1. 2. — *Viriati bello* Iu. Crat. M. Grut.

bello reperimus fuisse Laelium: sic ingenii, literarum, eloquentiae, sapientiae denique, etsi utrique primas, priores tamen libenter[1] deferunt Laelio. Nec mihi ceterorum iudicio solum videtur, sed etiam ipsorum inter ipsos concessu ita tributum fuisse. 85. Erat omnino tum mos, ut in reliquis rebus melior, sic in hoc ipso humanior, ut faciles essent in suum cuique tribuendo. XXII. Memoria teneo, Smyrnae me ex P. Rutilio Rufo audisse[2], quum diceret, adolescentulo se accidisse, ut ex Senatusconsulto P. Scipio et D. Brutus (ut opinor) consules de re atroci magnaque quaererent. Nam quum in silva Sila[3] facta caedes esset, notique homines interfecti, insimularenturque familia, partim etiam liberi, societatis eius, quae picarias[4] de P. Cornelio, L. Mummio censoribus redemisset, decrevisse senatum, ut de ea re cognoscerent et statuerent consules. 86. Causam pro publicanis accurate, ut semper solitus esset, eleganterque dixisse Laelium. Quum consules, re audita, *amplius* de consilii sententia pronuntiavissent; paucis interpositis diebus iterum Laelium multo diligentius meliusque dixisse, iterumque[5] eodem modo a consulibus rem esse prolatam. Tum Laelium, quum cum socii domum reduxissent, egissentque gratias, et, ne defatigaretur, oravissent, locutum esse ita: se, quae fecisset, honoris eorum causa, studiose accurateque fecisse; sed se arbitrari, causam illam a Ser. Galba, quod is in dicendo †gravior[6] acriorque esset, gravius et vehementius posse defendi. Itaque auctoritate C. Laelii publicanos causam detulisse ad Galbam. 87. Illum autem, quod ei viro succedendum esset, verecunde et dubitanter recepisse. Unum quasi comperendinatus[7] medium diem fuisse, quem totum Galbam in consideranda causa, componendaque posuisse. Et, quum cognitionis dies esset, et ipse Rutilius rogatu sociorum domum ad Galbam mane venisset, ut eum admoneret, et ad dicendi tempus adduceret; usque illum, quoad ei nuntiatum esset, consules descendisse, omnibus exclusis, commentatum in quadam testudine cum servis literatis fuisse, quorum alii aliud[8] dictare eodem tempore solitus esset. Interim quum esset ei nuntiatum tempus esse, exisse in aedes eo colore, et iis oculis, ut egisse causam, non commentatum putares. 88. Addebat etiam, idque[9] ad rem pertinere putabat, scriptores illos male mulcatos[10] exisse cum Galba; ex quo significabat, illum non in agendo solum, sed etiam in meditando vehementem atque incensum fuisse. Quid multa? magna exspectatione, plurimis audientibus, coram ipso Laelio sic illam causam, tanta vi, tantaque gravitate dixisse Galbam, ut nulla fere pars orationis silentio prae-

---

([1]) ∞ *libenter* om. Norimb. Sch. 2. ([2]) = *audivisse* Cdd. aliq. N. Iu. Crat. L. ([3]) de Turnebi €. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *silva sua* Iu. Crat. — *s. Scantia* M. L. — *aestivis ita* Nor. ([4]) Sic Cdd. aliq. Nor. M. Ern. 1. 2. 3. (= *piccarias* Gothofr.) — *pecuaria* Iu. Crat. L. ([5]) ∞ *iterum* Nor. ([6]) Hoc corruptum. — *gravior* ex Ed. Med. Ern. 1. Ell. 3. Sed vix convenit, quum mox sequatur *gravius*. — *ornatior* Ald. Iu. Crat. L. Grut. — *fortior* Victor. Man. Sch. in Ed. mai. ∞ *ardentior* de Reitzii €. Sch. 2. — *atrocior* Buttmann. Quum Cdd. fluctuent inter *adhortor* (Nor.) et *adhortator* mihi leg. videtur ∞ *acerbior*. Sic *acres et acerbi* §. 136. *acer, acerbus* §. 222. ([7]) — *comperendinatum* e Cd. Reg. Lallem. ([8]) Sic dedi ego. = *quorum aliud alii* Man. L. €. — *quorum aliis aliud* Ern. €. 1. 2. 3. — *alii* om. Cdd. Iu. Crat. Grut. ([9]) — *id quod* L. ([10]) — *mulcatos* Iu. M. L.

teriretur. Itaque multis querelis, multaque miseratione adhibita, socios, omnibus approbantibus, illa[1] die quaestione liberatos esse. XXIII. 89. Ex hac Rutiliana[2] narratione suspicari licet, quum duae summae sint in oratore laudes, una subtiliter disputandi, ad docendum; altera graviter agendi, ad animos audientium permovendos; multoque plus proficiat is, qui inflammet iudicem, quam ille, qui doceat: elegantiam in Laelio, vim in Galba fuisse. Quae quidem vis tum maxime cognita est, quum, Lusitanis a Ser. Galba praetore contra interpositam, ut existimabatur, fidem, interfectis, T. Libone[3] tribuno plebis populum incitante, et rogationem in Galbam, privilegii similem, ferente, summa senectute, ut ante dixi, M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit: quam orationem in Originibus suas retulit, paucis antequam mortuus est, an diebus, an mensibus. 90. Tum igitur [*] nihil[4] recusans Galba pro sese, et populi Romani fidem implorans, quum[5] suos pueros, tum C. Galli etiam filium flens commendabat; cuius orbitas et fletus mire miserabilis fuit propter recentem memoriam clarissimi patris: isque se tum eripuit flamma[6], propter pueros misericordia populi commota, sicut idem scriptum reliquit Cato. Atque etiam ipsum Libonem non infantem video fuisse, ut ex orationibus eius intelligi potest. 91. Quum haec dixissem, et paullum[7] interquievissem, Quid igitur, inquit, est causae, Brutus, si tanta virtus in oratore Galba fuit, cur ea nulla in orationibus eius apparcat[8]? quod mirari non possum in eis, qui nihil omnino scripti reliquerunt. XXIV. Nec enim est[9] eadem, inquam, Brute, causa non scribendi, et non tam bene scribendi, quam dixerint. Nam videmus alios oratores inertia nihil scripsisse, ne domesticus etiam labor accederet ad forensem, (pleraeque enim scribuntur orationes habitae iam, non ut habeantur:) 92. alios non laborare, ut meliores fiant: nulla enim res tantum ad dicendum proficit[10], quantum scriptio: (memoriam autem in posterum ingenii sui non desiderant, quum se putant satis magnam adeptos esse dicendi gloriam, eamque etiam maiorem visum iri, si in existimantium arbitrium sua scripta non venerint:) alios, quod melius putent[11] dicere se posse, quam scribere: quod peringeniosis hominibus, neque satis doctis, plerumque contingit[12], ut ipsi Galbae. 93. Quem fortasse vis non ingenii solum, sed etiam animi, et naturalis quidam dolor[13] dicentem incendebat, efficiebatque, ut et incitata, et gravis, et vehemens esset oratio: dein[14] quum otiosus stilum prehenderat, motusque omnis animi, tamquam ventus, hominem defecerat, flaccescebat oratio: quod iis, qui limatius dicendi consectantur genus, accidere non solet, propterea quod prudentia nunquam deficit oratorem, qua ille utens eodem modo possit et dicere et scribere; ardor animi non semper adest, isque quum consedit, omnis illa vis et quasi flamma oratoris

---

(1) Sic Cdd. Iu. M. Ern. 1. 2. 3. = *illo* L. (2) — *Rutilia* Gu. A. B. (3) — *L. Scribonio* Manso Crat. (4) e Valer. Max. 8, 1, 2. Ern. 1. 2. 3. — om. *nihil* Cdd. Iu. — L. Grut. (5) = *tum* Olx. (6) — *flamme* (sic) Norimb. (7) = *paullulum* L. (8) — *apparet* Cdd. aliq. N. Iu. Crat. M. (9) Hic nemodum emendavit: *Nec est enim* — (10) — *valet* Gu. A. B. e gloss. (11) = *putent melius* N. (12) Sic Olx. Cd. Reg. Man. Ern. 1. 2. 3. — *contigit* N. Iu. Crat. L. Grut. (13) — *calor* Schneideri C. recepta a Wetzelio. (14) — *deinde* Gu. A.

exstinguitur. 94. Hanc igitur ob causam videtur Laelii mens spirare etiam in scriptis, Galbae autem vis occidisse[1].

XXV. Fuerunt etiam in oratorum numero mediocrium L. et Sp. Mummii, fratres, quorum exstant amborum orationes: simplex quidem L.[2] et antiquus: Sp. autem nihilo ille quidem ornatior, sed tamen adstrictior. Fuit enim doctus ex disciplina Stoicorum. Multae sunt Sp. Albini orationes. Sunt etiam L. et C. Aureliorum Orestarum, quos aliquo video in numero oratorum fuisse. 95. P. etiam Popillius quum civis egregius, tum non indisertus fuit. C. vero, filius eius, disertus. Caiusque Tuditanus quum omni vita atque victu[3] excultus atque expolitus, tum eius elegans est habitum etiam orationis genus. Eodemque in genere est habitus is, qui iniuria accepta fregit Ti. Gracchum patientia, civis in rebus optimis constantissimus, M. Octavius. At vero M. Aemilius Lepidus, qui est Porcina dictus, iisdem temporibus fere[4], quibus Galba, sed paullo minor natu, et summus orator est habitus, et fuit, ut apparet ex orationibus[5], scriptor sane bonus. 96. Hoc in oratore Latino primum mihi videtur et lenitas apparuisse illa Graecorum, et verborum comprehensio, et iam[6] artifex (ut ita dicam) stilus. Hunc studiose duo adolescentes ingeniosissimi, et prope aequales, C. Carbo, et Ti. Gracchus audire soliti sunt: de quibus iam dicendi locus erit, quum de senioribus pauca dixero. Q. enim Pompeius non contemptus orator, temporibus illis, fuit, qui summos honores, homo per se cognitus, sine ulla commendatione maiorum est adeptus. 97. Tum L. Cassius[7] multum potuit, non eloquentia, sed dicendo tamen; homo, non liberalitate[8], ut alii, sed ipsa tristitia et severitate popularis: cuius quidem legi tabellariae M. Antius Briso, tribunus plebis diu restitit, M. Lepido consule adiuvante; eaque res P. Africano vituperationi fuit, quod eius auctoritate de sententia deductus Briso putabatur. Tum duo Caepiones multum[9] clientes consilio et lingua[10], plus auctoritate tamen et gratia sublevabant. Sed Pompeii[11] sunt scripta nec nimis extenuata, (quamquam veterum est similis,) et plena prudentiae. XXVI. 98. P. Crassum valde probatum oratorem iisdem fere temporibus accepimus, qui et ingenio valuit, et studio, et habuit quasdam etiam[12] domesticas disciplinas. Nam et cum summo illo oratore, Ser. Galba, cuius C. filio filiam suam collocaverat, affinitate sese devinxerat: et, quum esset P. Mucii filius, fratremque haberet P. Scaevolam, domi ius civile cognoverat. In eo indu-

(1) — *cecidisse* Gu. A prob. Sch. (2) — *Lucius fuit* L. (3) *victu* sine ulla causa suspect. Ern. et Ellendtio. Est scil. (venia sit verbis): *vita interiore et exteriore.* (4) = *fere temp.* L. (5) — *oratoribus* Norimb. Sch. 2. Ell. 3. eodem errore typogr. temporibus tam distantibus. (6) Sic emendarunt Petrus Faber, (ut video ex adnot. Mss. ad marg. Lambinianae meae:) et Walch *Emendd. Liv.* p. 98. Rectissime. Sic C. 12. pro *et iam bene* Olx. *etiam bene* — *etiam* Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. (7) — *Crassus* Ern. 1. errore typogr. (8) — *hilaritate* Ern. suspic. (9) — *Caepiones Cn. et Q. multum* Sch. €. 2. e Cic. *pro Fonteio* C. 7. (10) Non est hoc a Lamb. profectum, ut ait Ell. sed habet iam Iu. Crat. Man. L. 1. 2. 3. — *dicentes de cons.* Gu. A. — *dicentes cons. et l.* N. (*eluentes* Gothofr.) (11) Sic Cdd. Iu. L. Ern. 1. Ad Pompeium, qui scripta reliquerat, ab iis, quorum nulla exstabant, denuo revertitur. ∞ *Quinti* de Corradi €. Sch. 2. 3. — *Publii* Man. (12) — *etiam quasdam* Gu. A. N.

striam constat summam fuisse, maximamque gratiam, quum et consulerctur plurimum, et diceret. 99. Horum aetatibus adiuncti duo C. Fannii, C. et M. [1] filii, fuerunt: quorum Caii filius, qui consul cum Domitio fuit, unam orationem de sociis et nomine Latino contra Gracchum reliquit; sane et bonam, et nobilem. Tum Atticus: Quid ergo? estne ista Fannii? nam varia opinio pueris nobis erat. Alii a C. Persio, literato homine, scriptam esse [2] aiebant, illo, quem significat valde doctum esse Lucilius: alii multos nobiles, quod quisque potuisset, in illam orationem contulisse. 100. Tum ego, Audivi equidem ista, inquam, de maioribus natu, sed nunquam sum adductus, ut crederem; eamque suspicionem propter hanc causam credo fuisse, quod Fannius in mediocribus oratoribus habitus esset: oratio autem vel optima esset illo quidem tempore orationum omnium. Sed nec eiusmodi est, ut a pluribus [3] confusa videatur: (unus enim sonus est totius orationis, et idem stilus [4], nec de Persio reticuisset Gracchus, quum ei [5] Fannius de Menelao Maratheno, et de ceteris obiecisset:) praesertim quum Fannius nunquam sit habitus elinguis. Nam et causas defensitavit, et tribunatus eius, arbitrio et auctoritate P. Africani gestus, non obscurus fuit. 101. Alter autem C. Fannius, M. filius, C. Laelii gener, et moribus, et ipso genere dicendi durior. Is soceri instituto [6], (quem, quia cooptatus [7] in augurum collegium non erat, non admodum diligebat, praesertim quum ille Q. Scaevolam sibi minorem natu generum practulisset: cui tamen [8] Laelius se excusans, non genero minori dixit se illud, sed maiori filiae detulisse:) is tamen, instituto Laelii, Panactium audiverat. Eius omnis in dicendo facultas ex historia ipsius non ineleganter scripta perspici [9] potest: quae neque nimis est infans, neque perfecte diserta. 102. Mucius autem augur, quod pro se opus erat, ipse dicebat [10], ut de pecuniis repetundis contra T. Albucium. Is oratorum in numero non fuit: iuris civilis intelligentia, atque omni prudentiae genere praestitit. L. Caelius Antipater, scriptor (quemadmodum videtis) fuit, ut temporibus illis, luculentus, iuris valde peritus, multorum etiam, ut L. Crassi, magister.

XXVII. 103. Utinam in Ti. Graccho, Caioque Carbone talis mens ad rem publicam bene gerendam fuisset, quale ingenium ad bene dicendum fuit! profecto nemo his viris gloria praestitisset. Sed eorum alter propter turbulentissimum tribunatum, ad quem ex invidia foederis Numantini bonis iratus accesserat, ab ipsa re publica est interfectus: alter propter perpetuam in populari ratione levitatem, morte voluntaria se a severitate iudicum vindicavit. Sed fuit uterque summus orator. Atque [11]

([1]) *Caii Marci f.* Cdd. aliq. N. Iu. (non *Caii Marcique*, ut ait Ern.) Crat. M. ([2]) ∞ om. *esse* Nor. ([3]) — *e plur.* Ern. suspic. ([4]) ∞ *filum* Victor. prob. Ern. Sch. 2. ([5]) Sic de Iac. Gronovii C. non e Guelf. Sch. 2. 3. admodum probabiliter — *et* Cdd. N. — L. Ern. 1. ([6]) — *durior, soceri inst.* Ern. suspic. ([7]) ∞ *quia ab eo cooptatus* Testeri C. egregia. Cfr. §. 1. ([8]) ∞ *tum* Gu. A. ([9]) — *percipi* Olx. ([10]) Sic Ed. Rom. prob. Rivio. M. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *quod per se opus erat, ipse dic.* N. Iu. Crat. — *quod peropus* (non *per opus*) *erat, ipse per se dic.* L. — *quod opus erat, pro se ipse dic.* Sch. suspic. — *quod opus erat, dic.* Ell. suspic. Perperam. ([11]) Sic Cdd. N. Iu. — Ern. 1. Ell. 3. — *atque hoc etiam* L. — *neque* de Corradi C. prob. Schneid. Sch. 2.

hoc memoria patrum teste dicimus[1]. 104. Nam et Carbonis, et Gracchi habemus orationes, nondum satis splendidas verbis, sed acutas, prudentiaeque plenissimas. Fuit Gracchus diligentia Corneliae matris a puero doctus, et Graecis literis eruditus. Nam semper habuit exquisitos e Graecia magistros, in eis iam adolescens Diophanem Mitylenaeum, Graeciae, temporibus illis, disertissimum. Sed ei[2] breve tempus ingenii augendi et declarandi fuit. 105. Carbo, quod[3] vita suppeditavit, est in multis iudiciis causisque cognitus. Hunc qui audierant prudentes homines, in quibus familiaris noster L. Gellius, qui se illi contubernalem in consulatu fuisse narrabat, canorum oratorem, et volubilem, et satis acrem, atque eundem et vehementem, et valde dulcem, et perfacetum fuisse dicebat: addebat, industrium etiam, et diligentem, et in exercitationibus, commentationibusque multum operae solitum esse ponere. 106. Hic optimus, illis temporibus, est patronus habitus, eoque forum tenente plura fieri iudicia coeperunt. Nam et quaestiones perpetuae hoc adolescente constitutae sunt, quae antea nullae fuerunt; (L. enim Piso, tribunus plebis legem primus de pecuniis repetundis, Censorino et Manilio consulibus tulit; ipse etiam Piso et causas egit, et multarum legum aut auctor, aut dissuasor fuit: isque et orationes reliquit, quae iam evanuerunt, et annales, sane exiliter scriptos;) et iudicia populi, quibus aderat Carbo, iam magis patronum desiderabant, tabella data: quam legem L. Cassius, Lepido et Mancino consulibus, tulit.

XXVIII. 107. Vester etiam D. Brutus, M. filius, ut ex familiari eius L. Attio poëta sum audire solitus, et dicere non inculte solebat, et erat quum literis Latinis, tum etiam Graecis, ut temporibus illis, eruditus[4]. Quae tribuebat[5] idem Attius etiam Q. Maximo, L. Pauli nepoti: et vero ante Maximum, illum Scipionem, quo duce privato Ti. Gracchus occisus esset, quum omnibus in rebus vehementem, tum acrem aiebat in dicendo fuisse. 108. Tum etiam P. Lentulus ille princeps, ad rem publicam dumtaxat quod opus esset, satis habuisse eloquentiae dicitur. Iisdemque[6] temporibus L. Furius Philus perbene Latine loqui putabatur, literatiusque, quam ceteri. P. Scaevola valde prudenter et acute, paullo etiam copiosius: nec multo minus prudenter M' Manilius. Appii Claudii volubilis, sed paullo fervidior erat oratio. In aliquo numero etiam M. Fulvius Flaccus, et C. Cato, Africani sororis filius, mediocres oratores; etsi Flacci scripta sunt, sed ut studiosi literarum. Flacci autem aemulus P. Decius fuit, non infans ille quidem, sed ut vita, sic oratione etiam turbulentus. 109. M. Drusus, C. F., qui in tribunatu C. Gracchum, collegam, iterum tribunum, fregit[7], vir et oratione gravis, et auctoritate, eique proxime adiunctus C. Drusus frater fuit. Tuus etiam gentilis, Brute, M. Pennus facile agitavit in tribunatu C.

([1]) — *didicimus* Cdd. aliq Nor. probb. Schneid et Le Clerquio. ([2]) de Lamb €. Sch. 2. 3. — *et* Iu. Man. Lamb. 1566. ([3]) Sic Ald. Iu. M. Ern. 1. 2 3. = *quoad* L. — *quo* Cdd. Edd. vett. N. ([4]) Sic M. Grut. Ern. 1. 2. 3. ∞ *satis eruditus* Nor. Iu. Crat. Camer. L. e Cdd. nihil notatur. ([5]) Sic Ern. 1. 2. 3. ∞ *quod* (non *quae*) *tribuebat* Cd. Reg. Lallem. — *quae tribuerat* Iu. M. L. Grut. (= *Accius* Iu. — L.) ([6]) = *iisdem* Nor. ([7]) Sic de Corradi €. L. 1. 2. 3. — *fecit* Cdd. N. Iu. M. Grut.

Gracchum, paullum aetate antecedens. Fuit enim M. Lepido et L. Oreste consulibus quaestor Gracchus, tribunus Pe anus, illius M. filius, qui cum Q. Aelio consul fuit: sed is omnia summa[1] sperans, aedilicius est mortuus. Nam de T. Flaminino[2], quem ipse vidi, nihil accepi, nisi Latine diligenter locutum.

XXIX. 110. His[3] adiuncti sunt C. Curio, M. Scaurus, P. Rutilius, C. Gracchus. De Scauro et Rutilio breviter licet dicere, quorum[4] neuter summi oratoris habuit laudem: et[5] uterque in multis causis versatus erat. In quibusdam laudandis viris[6], etiamsi maximi ingenii non essent, probabilis tamen industria: quamquam his[7] quidem non omnino ingenium, sed oratorium ingenium defuit. Neque enim refert videre, quid dicendum sit, nisi id queas solute et suaviter dicere. Ne id quidem satis est, nisi id, quod dicitur, fit[8] voce, vultu, motuque conditius. 111. Quid dicam, opus esse doctrina? sine qua etiam si quid bene dicitur, adiuvante natura, tamen id, quia fortuito[9] fit, semper paratum esse non potest. In Scauri oratione sapientis hominis et recti[10], gravitas summa, et naturalis quaedam inerat auctoritas, non ut causam, sed ut testimonium dicere putares, quum pro reo diceret[11]. 112. Hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum videbatur: ad senatoriam vero sententiam, cuius erat ille princeps, vel maxime. Significabat enim non prudentiam solum, sed quod maxime rem continebat, fidem. Habebat hoc a natura ipsa, quod a doctrina non facile posset. Quamquam huius quoque ipsius rei, quemadmodum scis, praecepta sunt. Huius et orationes sunt, et tres ad L. Fufidium libri scripti de vita ipsius acta[12] sane utiles; quos nemo legit: at[13] Cyri vitam et disciplinam legunt, praeclaram illam quidem, sed neque tam rebus nostris aptam, nec tamen Scauri laudibus anteponendam. XXX. 113. Ipse etiam Fufidius in aliquo patronorum numero fuit: Rutilius autem in quodam tristi et severo genere dicendi versatus est; et uterque natura vehemens, et acer. Itaque quum una consulatum petivissent, non ille solum, qui repulsam tulerat, accusavit ambitus designatum competitorem, sed Scaurus etiam absolutus, Rutilium in iudicium vocavit; multaque opera, multaque industria Rutilius fuit; quae

---

([1]) Sic Gu. A. B. N. Man. Ell. 3. cfr. §. 239. et *de Orat.* 3, 4, 15. — *omnia is summa* Iu. Crat. L. Ern. 1. 2. ([2]) — *Flaminio* Iu. L. ([3]) Sic Sch. 2. 3. — *iis* Iu. Crat. L. Ern. 1. ([4]) — om. *quorum* L. ([5]) — om. *et* L. — *at* de Ern. C. Sch. 2. — *etsi* Schneideri suspic. ([6]) Sic Olx. Crat. Camer. Grut. Ern. 1. Ell. 3. ∞ *versatus. Erat in quibusd.* cet. Iu. Man. — *erat; in quibus sane laudandis viris* de Ern. C. Sch. 2. — *versatus. Erat in eis, etiam si maximi ingenii non essent, prob.* L. ([7]) Sic Gu. A. Man. Ell. 3. — *iis* Iu. Crat. L. Ern. 1. 2. ([8]) Sic Gu. A. B. Olx. Nor. Omnib. Victor. — *sit* Iu. Crat. Man. L. Ern. 1. 2. 3. Sed hoc perperam significaret: *sit conditius, quam vox* cet. neque obstat praecedens *queas.* ([9]) = *fortuito* mavult Goerenz. ([10]) Sic N. Ald. Iu. L. Ern. 1. 2. 3. — *recti* Victor. Man. Grut. ([11]) — haec *quum pro reo diceret* om. Gu. A. B. del. Sch. 2. sed abesse nequeunt. ([12]) Sic Iu. — L. Ern. 1. Ell. 3. — *acta* del. censebat Coler. *ad Val. Max.* 4, 3, 11. — *de vita ipsius apta, sane* Gu. A. *de v. i. apte sane* Olx. Hinc Sch. C. 2. *de v. i. apte, ac sane.* — *de vita ipsius ante acta* Lamb. suspic. in marg. 1584. Totum autem locum ita deformavit Sch. C. 2. *Huius - - sunt, et tres ad L. Fufidium (qui ipse etiam in aliquo patronorum numero fuit) libri, scripti de vita ipsius apte, ac sane utiles;* omittens in seqq. *Ipse - - fuit.* ([13]) ∞ om. *at* Nor.

erat propterea gratior, quod idem magnum munus de iure respondendi sustinebat. 114. Sunt eius orationes iciunae: multa praeclara[1] de iure: doctus vir, et Graecis literis eruditus, Panaetii auditor, prope perfectus in Stoicis: quorum peracutum et artis plenum orationis genus, scis tamen esse exile[2], nec satis populari assensioni accommodatum. Itaque illa, quae propria est huius disciplinae, philosophorum de se ipsorum opinio[3], firma in hoc viro[4] et stabilis inventa est. 115. Qui quum[5] innocentissimus in iudicium vocatus esset, (quo iudicio convulsam penitus scimus esse rem publicam,) quum essent eo tempore eloquentissimi viri L. Crassus et M. Antonius consulares, eorum adhibere neutrum voluit. Dixit ipse pro sese; et pauca C. Cotta, quod sororis erat filius, et is quidem tamen ut orator; quamquam erat admodum adolescens. Sed Q. Mucius enucleate ille quidem et polite, ut solebat, nequaquam autem ea vi atque copia, quam genus illud iudicii et magnitudo causae postulabat. 116. Habemus igitur in Stoicis oratoribus Rutilium, Scaurum in antiquis: utrumque tamen laudemus, quoniam per illos ne haec quidem in civitate genera haec oratoria laude[6] carucrunt. Volo enim, ut in scena, sic etiam[7] in foro, non eos modo laudari, qui celeri motu et difficili utantur, sed eos etiam, quos statarios appellant, quorum sit illa simplex in agendo veritas, non molesta[8].

XXXI. 117. Et quoniam Stoicorum est facta[9] mentio, Q. Aelius Tubero fuit illo tempore, L. Paulli nepos, nullo in oratorum numero, sed vita severus, et congruens cum ea disciplina, quam colebat: paullo etiam durior: qui quidem in triumviratu[10] iudicaverit contra P. Africani, avunculi sui, testimonium, vacationem augures, quo minus iudiciis operam darent, non habere: sed ut vita, sic oratione durus, incultus, horridus. Itaque honoribus maiorum respondere non potuit. Fuit autem constans civis, et fortis, et in primis Graccho molestus, quod indicat Gracchi in eum oratio. Sunt etiam in Gracchum, Tuberonis. Is fuit mediocris in dicendo, doctissimus in disputando. 118. Tum Brutus: Quam hoc idem in nostris contingere intelligo, quod in Graecis! ut omnes fere Stoici, prudentissimi in disserendo sint, et id arte[11] faciant, sintque architecti paene verborum: iidem traducti a disputando ad dicendum, inopes reperiantur. Unum excipio Catonem, in quo, perfectissimo Stoico, summam eloquentiam non desiderem: quam exiguam in Fannio, ne in Rutilio quidem magnam, in Tuberone nullam video fuisse. 119. Et ego, Non, inquam, Brute, sine causa, propterea quod istorum in dialecticis omnis cura consumitur: vagum illud

---

(1) ∞ *praeclare* Ern. suspic. (2) Sic Cdd. ut videtur, omnes. Nor. Omnib. Lallem. e Mss. regiis. Sch. 2. Ell. 3. — *sed tamen exile* Ald. Iu. — L. Grut. Ern. 1. (3) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. — *philosophorum de se opinio* Ell. E. 3. nata ex audaciore Sch. 2: *philosophorum de sapiente opinio.* (4) Sic Nor. Camer. Man. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *uno* Olx. Iu. Crat. L. (5) Sic Victor. Camer. M. Sch. 2. 3. — *qui quamquam* Iu. Crat. L. Ern. 1. — *quamquam* omisso *qui* Nor. (6) — *ne hac quid. in civ. genera haec or. laude* Sch. suspic. (7) ∞ om. *etiam* Nor. Omnib. Sch. 2. 3. (*etiam* sic statim repetitum etiam §. 155.) (8) — *molestia* Ern. prava suspicio confirmata tamen a Gu. B. (9) = *facta est* Nor. (10) ∞ *tribunatu* Sch. suspic. (11) — *cum arte* Ell. suspicio. Recte se habet vulgata; est διὰ τῆς τέχνης, non vero σὺν τῇ τέχνῃ, τεχνικῶς.

orationis, et fusum, et multiplex non adhibetur genus. Tuus autem avunculus, quemadmodum scis, habet a Stoicis id, quod ab illis petendum fuit: sed dicere didicit a dicendi magistris, eorumque more se exercuit. Quod si omnia a philosophis essent petenda, Peripateticorum institutis commodius fingeretur oratio. 120. Quo magis tuum, Brute, iudicium probo, qui eorum [id est, ex vetere Academia][1] philosophorum sectam secutus es, quorum in doctrina atque praeceptis disserendi ratio coniungitur cum suavitate dicendi et copia: quamquam ea ipsa Peripateticorum Academicorumque consuetudo in ratione dicendi talis est, ut nec perficere oratorem possit ipsa per sese, nec sine ea orator esse perfectus. Nam, ut Stoicorum adstrictior est oratio, aliquantoque contractior, quam aures populi requirunt: sic illorum liberior et latior[2], quam patitur consuetudo iudiciorum et fori. 121. Quis enim uberior in dicendo Platone? Iovem sic aiunt philosophi, si Graece loquatur, loqui[3]. Quis Aristotele nervosior, Theophrasto dulcior? Lectitavisse Platonem studiose, audivisse etiam Demosthenes dicitur: idque apparet ex[4] genere et granditate verborum. Dicit etiam in quadam epistola hoc ipse de sese. Sed et huius oratio in philosophiam translata, pugnacior (ut ita dicam) videtur[5], et illorum in iudicia, pacatior.

XXXII. 122. Nunc reliquorum oratorum aetates, si placet, et gradus persequamur. Nobis vero, inquit Atticus, et vehementer quidem, ut pro Bruto etiam respondeam. Curio fuit igitur eiusdem aetatis fere, sane illustris orator, cuius de ingenio ex orationibus eius existimari potest. Sunt enim et aliae, et pro Ser. Fulvio de incestu, nobilis oratio. Nobis quidem pueris haec[6] omnium optima putabatur, quae vix iam comparet in hac turba novorum voluminum. 123. Praeclare, inquit Brutus, teneo qui istam turbam voluminum effecerit. Et ego, inquam, intelligo, Brute[7], quem dicas; certe enim et boni aliquid attulimus iuventuti, magnificentius, quam fuerat, genus dicendi, et ornatius: et nocuimus fortasse, quod veteres orationes post nostras, non a me quidem (meis enim illas antepono) sed a plerisque legi sunt desitae. Numera[8], inquit, me in plerisque: quamquam video mihi multa legenda iam te auctore, quae antea contemnebam. 124. Atqui haec, inquam, de incestu laudata oratio, puerilis est locis multis: de amore, de tormentis, de rumore, loci sane inanes: veruntamen nondum tritis nostrorum hominum auribus, nec erudita civitate, tolerabiles. Scripsit etiam alia nonnulla, et multa[9]

(1) Haec del. censuit L. Ern. [ ]. del. Sch. 2. Ell. 3. (hic ne dicens quidem, quid expunxerit.) Defendit Goerenz *ad Fin.* 5, 3, 7. (2) — *lactior* Ell. susp. vix digna, quae memoretur. (3) Sic Cld. apud Grut. Sch. 2. 3. — *Iovem sic, ut aiunt ph. si Gr. l. loqui* Nor. (nisi quod *sicut*) Iu. Man. — *Iovem sicut aiunt ph. si Gr. l. sic loqui* Crat. quae lectio non displicuit Matthiaeo *de Anacol.* p. 9. (*sicut* iunctim etiam Gu. A. B. omisso *sic* ante *loqui.*) ∞ *Iovem aiunt philos. si Gr. l. sic loqui* Riv. L. Grut. Ern. 1. (4) Sic omnes quos vidi, praeter Oxoniensem Ed. quae habet – *in.* (5) — *videatur* Ern. suspic. (6) Sic Nor. Iu. Crat. M. L. — om. *haec* Ed. 1584. Grut. Ern. 1. 2. 3. (7) — *Et ego: Intelligo, inquam, Brute.* Sch. suspic. (8) Sic Ell. 3. de Ern. sententia. cfr. §. 315. — *Enumera* Nor. (haec om. mox *me*) Iu. Crat. M. L. Ern. 1. — *Annumera* Sch. 2. (sed hoc requireret *plerisque* pro *in plerisque* cfr. §. 207.) (9) — *multum* per se probabiliter ut fere §. 128 Sch. €. 2. Ell. 3. sed non convenit cum seqq. *et illustria*, quocirca haec temere del. Ell. 3. Schuetzius 2. vero de Schneideri €. dedit: — *et illustrium in numero.* (— *et illustris* Ed. Ven. Nor.)

dixit, et illustria, et in numero patronorum fuit, ut eum mirer, quum et vita suppeditavisset, et splendor ei non defuisset, consulem non fuisse. XXXIII. 125. Sed ecce in manibus vir, et praestantissimo ingenio, et flagranti studio, et doctus a puero, C. Gracchus. Noli enim putare, quemquam, Brute, pleniorem et[1] uberiorem ad dicendum fuisse. Et ille, Sic prorsus, inquit, existimo; atque istum de superioribus paene solum lego. Immo plane, inquam, Brute, legas censeo. Damnum enim illius immaturo interitu res Romanae Latinaeque literae fecerunt. 126. Utinam non tam fratri pietatem, quam patriae, praestare voluisset! Quam ille facile tali ingenio, diutius si vixisset, vel paternam esset, vel avitam gloriam consecutus! Eloquentia quidem nescio an habuisset parem neminem. Grandis est verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis: manus extrema non accessit operibus eius[2]: praeclare inchoata multa, perfecta non plane. Legendus, inquam, est hic orator, Brute, si quisquam alius, iuventuti. Non enim solum acuere, sed etiam alere ingenium potest.

127. Huic successit aetati[3] C. Galba[4], Servii illius eloquentissimi viri filius, P. Crassi eloquentis et iurisperiti gener. Laudabant hunc patres nostri, favebant etiam propter patris memoriam, sed cecidit in cursu. Nam rogatione Mamilia[5], Iugurthinae comurationis invidia, quum pro sese ipse dixisset, oppressus est. Extat eius peroratio, qui epilogus dicitur: qui tanto in honore, pueris nobis, erat, ut eum etiam ediscceremus[6]. Hic, qui in collegio sacerdotum esset, primus post Romam conditam iudicio publico est condemnatus. XXXIV. 128. P. Scipio, qui est in consulatu mortuus, non multum ille quidem, nec saepe dicebat, sed et Latine loquendo cuivis erat par, et omnes sale facetiisque superabat. Eius collega L. Bestia bonis initiis orsus tribunatus, (nam P. Popillium vi C. Gracchi expulsum sua rogatione restituit,) vir et acer, et non indisertus, tristes exitus habuit[7] consulatus. Nam invidiosa lege Mamilia quaestione[8] C. Galbam sacerdotem, et quatuor consulares, L. Bestiam, C. Catonem, Sp. Albinum, civemque praestantissimum L. Opimium, Gracchi interfectorem, a populo absolutum, quum is contra populi studium stetisset, Gracchani iudices sustulerunt. 129. Huius dissimilis in tribunatu, reliquaque omni vita, civis improbus C. Licinius Nerva non indisertus fuit. C. Fimbria temporibus iisdem fere, sed longius aetate provectus, habitus est sane (ut ita dicam) truculentus[9], asper, maledicus, genere toto paullo fervidior, atque commotior: diligentia tamen, et virtute animi, atque vita bonus auctor in senatu.

---

(1) ∞ *aut* Cdd. aliq N. Omnib. Victor. Camer. (2) — om. *eius* cum Gu. A. Sch. 2. (3) — *aetate* Purgoldi suspic. (4) — *P. Galba* Nor. Margo Crat. L. (5) Sic Corrad. L. 1. 2. 3. — *Manilia* Iu. Man. Grut. (6) ∞ *eum* om. Nor. — *discerémus* Grut. (7) = *habuit exitus* Gu. A. L. Ceterum Ellendt sine causa suspecta habet verba *tribunatus* et *consulatus*. (8) Sic Ald. Man. Sch. 2. — *quaestio* N. Iu. Crat. Grut. Hoc [ ] Ern. 1. Ell. 3. Del. L. Lallem. Sed rectissime se habet lectio Aldina. Construe: *invidiosa quaestione lege Mamilia*, id est *invid. quaestione constituta s. habita ex lege M.* — *de quaestione* Schneideri prava suspic. (9) Sic de Ern. egregia C. Ell. 3. (— *truculentus accusatori* Sch. C. 2.) — *luculentus patronus* Cdd. Iu. Cr. M. L. Ern. 1. *patronus* expunxi ego quoque. Pighio et Grut. suspecta erant seqq. *tolerab. patronus*.

Idem tolerabilis patronus, nec rudis in iure civili, et quum virtute, tum etiam ipso orationis genere liber: cuius orationes pueri legebamus, quas iam reperire vix possumus. 130. Atque etiam ingenio, et sermone eleganti, valetudine incommoda, C. Sextius Calvinus fuit: qui etsi, quum remiserant dolores pedum, non deerat in causis, tamen id non saepe faciebat. Itaque consilio eius, quum volebant, homines utebantur: patrocinio, quum licebat. Iisdem temporibus M. Brutus, in quo magnum fuit, Brute, dedecus[1] generi vestro, qui, quum tanto nomine esset, patremque optimum virum habuisset et iuris peritissimum, accusationem factitaverit, ut Athenis Lycurgus. Is magistratus non petivit, sed fuit accusator vehemens, et molestus, ut facile cerneres naturale quoddam stirpis bonum degeneravisse vitio depravatae voluntatis. 131. Atque eodem tempore accusator de plebe L. Caesulenus[2] fuit, quem ego audivi iam senem, quum ab L. Sabellio mulctam lege Aquilia[3] damni iniuria[4] petivisset. Non fecissem hominis paene infimi mentionem, nisi iudicarem, qui suspiciosius aut criminosius diceret, audivisse[5] me neminem. XXXV. Doctus etiam Graecis T. Albucius, vel potius paene Graecus. Loquor, ut opinor: sed licet ex orationibus iudicare. Fuit autem Athenis adolescens: perfectus Epicureus evaserat, minime aptum ad dicendum genus.

132. Iam Q. Catulus[6], non antiquo illo more, sed hoc nostro (nisi quid fieri potest perfectius) eruditus. Multae literae, summa non vitae solum, atque naturae, sed orationis etiam comitas, incorrupta quaedam Latini sermonis integritas: quae perspici quum ex orationibus eius potest, tum facillime ex eo libro, quem de consulatu et de rebus gestis suis conscriptum molli et Xenophonteo genere sermonis, misit ad A. Furium poëtam, familiarem suum: qui liber nihilo notior est, quam illi tres, de quibus ante dixi, Scauri libri. 133. Tum Brutus: Mihi quidem[7] nec iste notus est, nec illi: sed haec[8] mea culpa est. Nunquam enim in manus inciderunt; nunc autem et a te sumam, et conquiram ista posthac curiosius. Fuit igitur in Catulo sermo Latinus: quae laus dicendi[9] non mediocris, ab oratoribus plerisque neglecta est. Nam de sono vocis, et suavitate appellandarum literarum, quoniam filium cognovisti, noli exspectare quid dicam. Quamquam filius quidem non fuit in oratorum numero, sed non deerat ei tamen in sententia dicenda quum prudentia, tum elegans quoddam et eruditum orationis genus. 134. Nec habitus est tamen pater ipse Catulus princeps in numero patronorum: sed erat talis, ut, quum quosdam audires[10], qui tum erant praestantes, videretur esse inferior: quum autem ipsum audires

---

(1) Sic Iu. Crat. M. L. Ern. 1. 3. ∞ *vulnus* Ed. Rom. Sch. 2. (Cdd. corrupte *genus*, Nor. *decus*) — *dedecus inustum generi v.* Lambini suspic. non recepta. (2) Sic Nor. Margo Crat. L. 1. 2. 3. — *Caesidenus* Iu. Crat. Camer. Man. (3) Sic Iu. M. L. — *Aquillia* Ern. 1. 2. 3. (4) Sic dedi de Hotomanni C. prob. Chifletio in *Thesauro Iuris Rom.* T. 5. p. 873. (Gaius. 3, 202: *Damni iniuriae actio constituitur per legem Aquiliam.*) ∞ *de institia* Cdd. N. Iu. Crat. Grut. Ern. 1. — *de iniuria* Man. L. Sch. 2. 3. (5) = *audisse* N. (6) *famque Q. Catulus* N. Omn. Iu. Crat. L. (7) „Post *quidem* inserunt multi Mss. *inquit*." Le Clerc. (8) ∞ *nec* Ald. prob. Rivio. Man. L. Sch. 2. (9) ∞ *in dicendo* Ed. Rom. prob. Rivio. L. Sch. 2. (10) — *cum is quosdam aud.* Gu. A. — *ut si cum iis aud.* de Schneideri C. Sch. 2.

sine comparatione, non modo contentus[1] esses, sed melius non quaereres. 135. Q. Metellus Numidicus, et eius collega M. Silanus, dicebant de re publica quod esset illis viris et consulari dignitati satis. M. Aurelius Scaurus non saepe dicebat, sed polite: Latine vero inprimis est eleganter locutus. Quae laus eadem in A. Albino bene loquendi fuit. Nam flamen Albinus etiam in numero est habitus disertorum. Q. etiam Caepio, vir acer, et fortis, cui fortuna belli, crimini; invidia populi, calamitati fuit. XXXVI. 136. Tum etiam C. et L. Memmii fuerunt oratores mediocres, accusatores acres, atque acerbi. Itaque in iudicium capitis multos vocaverunt, pro reis non saepe dixerunt. Sp. Thorius satis valuit in populari genere dicendi, is, qui agrum publicum vitiosa et inutili lege, vectigali levavit. M. Marcellus Aesernini pater, non ille quidem in patronis[2], sed et[3] in promptis tamen, et non inexercitatis ad dicendum fuit, ut filius eius, P. Lentulus. 137. L. etiam Cotta, praetorius, in mediocrium oratorum numero, dicendi non ita multum laude processerat, sed de industria quum verbis, tum etiam ipso sono quasi subrustico persequebatur[4], atque imitabatur antiquitatem.

Atque ego et in hoc ipso Cotta, et in aliis pluribus, intelligo, me non ita disertos homines et retulisse in oratorum numerum, et relaturum. Est enim propositum colligere eos, qui hoc munere in civitate functi sint[5], ut tenerent oratorum locum: quorum quidem quae fuerit ascensio[6], et quam in omnibus rebus difficilis optimi perfectio, atque absolutio, ex eo, quod dicam, existimari potest. 138. Quam multi enim iam oratores commemorati sunt, et quam diu in eorum enumeratione versamur, quum tamen spisse, atque vix, ut dudum ad Demosthenem et Hyperidem, sic nunc ad Antonium Crassumque pervenimus[7]? Nam ego sic existimo, hos oratores fuisse maximos, et in his primum cum Graecorum gloria Latine dicendi copiam aequatam. XXXVII. 139. Omnia veniebant Antonio in mentem; eaque suo quaeque loco, ubi plurimum proficere et valere possent, ut ab imperatore equites, pedites, levis armatura, sic ab illo in maxime opportunis orationis partibus collocabantur. Erat memoria summa, nulla meditationis suspicio. Imparatus semper aggredi ad dicendum videbatur: sed ita erat paratus, ut iudices, illo dicente, nonnunquam viderentur non satis parati ad cavendum fuisse. 140. Verba ipsa, non illa quidem elegantissimo sermone: (itaque diligenter loquendi laude caruit, neque tamen est admodum inquinate locutus:) sed illa, quae proprie[8] laus oratoris est in verbis[9]: (nam ipsum Latine loqui, est illud quidem, ut paullo ante dixi, in magna laude ponendum: sed non tam sua sponte, quam quod est a plerisque neglectum; non enim tam praeclarum est scire Latine, quam turpe nescire: neque tam id mihi oratoris boni, quam civis Romani proprium videtur:) sed tamen Antonius in verbis et eligendis, (neque id ipsum tam leporis causa, quam ponderis,) et collocandis, et com-

(1) — *eo contentus* L. (2) — *in magnis patronis* Sch. E. 2. (3) ∞ om. *et* Nor. Omnib. Sch. 2. 3. (4) Sic Gu. B. Man. L. Sch. 2. — *prosequebatur* N. Iu. Crat. Grut. Ern. 1. Ell. 3. — *subsequebatur* Gu. A. Sch. in Ed. mai. (5) — *sunt* Nor. Sch. 2. 3. (6) Sic Riv. M. L. 1. 2. 3. — *assensio* N. Iu. Crat. (7) — *perveniamus* Gu. A. (8) ∞ *propria* L. (9) *in verbis* del. censet Ellendt.

prehensione[1] devinciendis, nihil non ad rationem, et tamquam ad artem dirigebat; verum multo magis hoc idem in sententiarum ornamentis et conformationibus. 141. Quo genere quia praestat omnibus Demosthenes, idcirco a doctis oratorum est princeps iudicatus. *Σχήματα* enim quae vocant Graeci, ea maxime ornant oratorem[2]; eaque non tam in verbis pingendis habent pondus, quam in illuminandis sententiis. XXXVIII. Sed quum haec magna in Antonio, tum actio singularis: quae si partienda est in gestum atque vocem, gestus erat non verba exprimens, sed cum sententiis congruens; manus, humeri, latera, supplosio pedis, status, incessus, omnisque motus cum verbis[3] sententiisque consentiens; vox permanens, verum subrauca natura. Sed hoc vitium huic uni in bonum convertebat[4]. 142. Habebat enim flebile quiddam in questionibus[5], aptumque quum ad fidem faciendam, tum ad misericordiam commovendam: ut verum videretur in hoc illud, quod Demosthenem ferunt ei, qui quaesivisset, quid primum esset in dicendo, actionem; quid secundum, idem, et idem tertium, respondisse. Nulla res magis penetrat in animos, eosque fingit[6], format[7], flectit: talesque oratores videri facit, quales ipsi se videri volunt[8].

143. Huic alii parem esse dicebant, alii anteponebant L. Crassum. Illud quidem certe omnes ita iudicabant, neminem esse, qui, horum alterutro patrono, cuiusquam ingenium requireret. Equidem, quamquam Antonio tantum tribuo, quantum supra dixi, tamen Crasso nihil statuo fieri potuisse perfectius. Erat summa gravitas: erat cum gravitate iunctus facetiarum et urbanitatis oratorius, non scurrilis, lepos: Latine loquendi accurata, et sine molestia diligens elegantia: in disserendo mira explicatio: quum de iure civili, quum de aequo et bono disputaretur, argumentorum et similitudinum copia. XXXIX. 144. Nam, ut Antonius, coniectura[9] movenda, aut sedanda[10] suspicione aut excitanda[11], incredibilem vim habebat: sic in interpretando, in definiendo, in explicanda aequitate, nihil erat Crasso copiosius: idque quum saepe alias, tum apud centumviros in M' Curii causa cognitum est. 145. Ita enim multa tum contra scriptum pro aequo et bono dixit, ut hominem acutissimum, Q. Scaevolam, et in iure, in[12] quo illa causa vertebatur[13], paratissimum[14], obrueret argumentorum exemplorumque copia: atque ita tum ab his patronis aequalibus, et iam[15] consularibus, causa illa

---

(1) — *compressione* Gu. A. B. Nor. Margo Crat. (2) — *orationem* Lamb. suspic. non recepta. Minime vero est in multis Edd. ut ait Sch. (3) ∾ *rebus* Sch. €. 2. 3. (— *gestus erat non verba exprimens, sed cum sententiis congruens; vox permanens, verum subrauca natura* Sch. suspic. — *gestus erat n. v. expr., sed manus h. l. s. p. st. i. o. m. cum rebus sententiisque congruens.* cet. Ell. suspic.) (4) Sic O1x. N. Iu. Crat. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *convertebatur* Man. — *vertebat* L. (5) Sic omnes praeter Lamb. qui probabiliter: ∾ *conquestionibus*; scriptum erat per compendium *cquestiqnibus*. Sic *Orat.* §. 135. Cd. Turic. Quintil. itidem pro *conquestionis* habet *questionis*. v. *Questio* non habent nec Nizolius nec Forcell. nec Schuetz. Lex. Cic. nec omnino agnoscenda est. (6) — *tangit* Purgoldi €. (7) — *firmat* O1x. (8) — *velint* Ern. suspic. (9) — *in coni.* Sch. €. 2. (10) — *et in sed.* Sch. €. 2. — *et sed.* Ell. 3. etsi probat *aut sed.* (11) — *et excitanda* Ern. susp. nequaquam recepta a Schuetzio, etsi hoc dicit Ellendt. (12) — om. *in* L. (13) — *versabatur* Cd. Reg. Ed. Ven. N. Lallem. (14) — *peritissimum* L. (15) Sic dedi €. — *etiam* Omnes.

dicta est, quum uterque ex contraria parte ius civile[1] defenderet, ut eloquentium iurisperitissimus Crassus, iurisperitorum eloquentissimus Scaevola putaretur: qui quidem quum peracutus esset ad excogitandum, quid in iure, aut in aequo verum aut esset, aut non esset, tum verbis erat ad rem cum summa brevitate mirabiliter aptus. 146. Quare sit[2] nobis orator in hoc interpretandi, explanandique[3], et disserendi genere mirabilis, sic ut simile nihil viderim: in augendo, in ornando, in refellendo magis existimator metuendus, quam admirandus orator. XL. 147. Verum ad Crassum revertamur. Tum Brutus, Etsi satis, inquit, mihi videbar habere cognitum Scaevolam ex iis rebus, quas audiebam saepe ex C. Rutilio, † quo utebatur propter familiaritatem Scaevolae nostri[4], tamen ista mihi eius dicendi tanta laus nota non erat. Itaque cepi voluptatem, tam ornatum virum, tamque excellens ingenium fuisse in nostra re publica. 148. Hic ego, Noli, inquam, Brute, existimare, his duobus quidquam fuisse in nostra civitate praestantius. Nam, ut paullo ante dixi, consultorum alterum disertissimum, disertorum alterum consultissimum fuisse: sic in reliquis rebus ita dissimiles erant inter sese, statuere ut tamen non posses, utrius te malles similiorem. Crassus erat elegantium parcissimus, Scaevola parcorum elegantissimus. Crassus in summa comitate habebat etiam severitatis satis, Scaevolae multa in severitate non deerat tamen comitas. 149. Licet omnia hoc modo: sed vereor, ne fingi videantur haec: ut[5] dicantur a me quodam modo[6]; res se tamen sic habet. Quum omnis virtus sit, ut vestra[7], Brute, vetus Academia dixit, mediocritas; uterque horum medium quiddam volebat sequi: sed ita cadebat, ut alter ex alterius laude partem, uterque autem suam totam haberet. 150. Tum Brutus, Quum ex tua oratione mihi videor, inquit, bene Crassum et Scaevolam cognovisse, tum de te et de Ser. Sulpicio cogitans, esse quandam vobis cum illis similitudinem iudico. Quonam, inquam, istuc modo? Quia mihi et tu videris, inquit, tantum iuris civilis scire voluisse, quantum satis esset oratori; et Servius eloquentiae tantum assumpsisse, ut ius civile facile possit[8] tueri: aetatesque vestrae, ut illorum, nihil, aut non fere multum differunt. XLI. 151. Et ego, De me, inquam, dicere nihil est necesse: de Servio autem et tu probe dicis, et ego dicam, quod sentio. Non enim facile quem dixerim[9] plus studii, quam illum, et ad dicendum, et ad omnes bonarum rerum disciplinas adhibuisse. Nam et in iisdem exercitationibus, incunte aetate, fuimus; et postea una Rhodum[10] ille etiam profectus est, quo melior esset et doctior; et, inde ut rediit, videtur

---

([1]) = *ius civ. ex contr. p.* Nor. ([2]) — *fuit* Scb. E. 2. ([3]) — *explicandique* Omnib. ∞ *in hoc interpretandi, explanandi, edisserendi gen.* Gu. A. B. Nor. (nisi quod *explicandi.*) ([4]) Locus corruptus. — *Rutilio: qua utebatur pater, familiaritem Scaevolae nosti* Arnoldi E. — *Rutilio: qui qua utebatur familiaritate Scaevolae, nosti* Ell. suspic. Si Corrado fides, *nostri* a quibusdam omittitur, unde mihi in mentem venit: *Rutilio, quo utebar propter familiaritatem avunculi, tamen*, i. e. quem ego subinde visebam, quia familiaris fuerat avunculi mei, Catonis. ([5]) — *ni* Cld. ap. Grut. ([6]) Sic divisim Gu. A. B. Man. Ern. 1. 2. 3. — *quodammodo* N. Iu. L. — *commode* Buttmanni E. v. Walch *Emendd. Liv.* p. 48. ([7]) — *nostra* Gu. A. B. ([8]) — *posset* Margo Ed. 1581. Ell. 3. ([9]) — *quemquam dixeris* L. ([10]) Sic N. L. 1. 2. 3. = *Rhod. una* Iu. M.

mihi in secunda arte primus esse maluisse, quam in prima secundus. Atque haud scio, an par principibus esse potuisset: sed fortasse maluit, id quod est adeptus, longe omnium, non eiusdem modo aetatis, sed eorum etiam, qui fuissent, in iure civili esse princeps. 152. Hic Brutus, Ain' tu? inquit. Etiamne Q. Scaevolae Servium nostrum anteponis? Sic enim, inquam, Brute, existimo, iuris civilis magnum usum et apud Scaevolam, et apud multos fuisse; artem, in hoc uno: quod nunquam effecisset ipsius iuris scientia, nisi eam praeterea didicisset artem, quae doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando; ambigua[1] primum videre, deinde distinguere; postremo habere regulam, qua vera et falsa iudicarentur, et quae, quibus positis[2], essent, quaeque non essent consequentia. 153. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam[3], quasi lucem, ad ea, quae confuse ab aliis aut respondebantur, aut agebantur. XLII. Dialecticam mihi videris dicere, inquit[4]. Recte, inquam, intelligis: sed adiunxit etiam[5] et literarum scientiam, et loquendi elegantiam, quae ex scriptis eius, quorum similia nulla sunt, facillime perspici potest. 154. Quumque discendi[6] causa duobus peritissimis[7] operam dedisset, L. Lucilio[8] Balbo, C. Aquillio[9] Gallo; Galli, hominis acuti et exercitati, promptam et paratam in agendo et in respondendo celeritatem subtilitate diligentiaque superavit: Balbi, docti et eruditi hominis, in utraque re consideratam tarditatem vicit expediendis conficiendisque rebus; sic et habet, quod uterque eorum habuit, et explevit, quod utrique defuit. 155. Itaque, ut Crassus mihi videtur sapientius fecisse, quam Scaevola: (hic enim causas studiose recipiebat, in quibus a Crasso superabatur; ille se consuli nolebat[10], ne qua in re inferior esset, quam Scaevola:) sic Servius sapientissime. Quum enim duae[11] civiles artes ac forenses plurimum et laudis haberent et gratiae; perfecit, ut altera praestaret omnibus, ex altera tantum assumeret, quantum esset, et ad tuendum ius civile, et ad obtinendam consularem dignitatem, satis. 156. Tum Brutus, Ita prorsus, inquit, et[12] antea putabam: (audivi enim nuper cum studiose et frequenter Sami, quum ex eo ius nostrum pontificium, qua ex parte cum iure civili coniunctum esset, vellem cognoscere;) et nunc meum iudicium multo magis confirmo testimonio et iudicio tuo: simul illud gaudeo, quod et aequalitas vestra, et pares honorum gradus, et artium studiorumque quasi finitima vicinitas, tantum abest ab obtrectatione invidiaque[13], quae solet lacerare plerosque, uti[14] ea non modo non exulcerare vestram gratiam, sed etiam conciliare videatur. Quali enim te erga illum

---

(1) — *ambiguam* N. Iu. Crat. Man. prob. Wetzelio. (2) e Cdd. L. Grut. 1. 2. 3. — *propositis* N. Iu. Crat. M. (3) ∞ *magistram* Sch. C. 2. ingeniose. (4) = *inquit*, *dicere* Gu. A. B. (5) — om. *etiam* Crat. improb. Rivio. (6) Sic L. 1. prob. Ell. — *dicendi* Olx. N. Iu. Crat. Man. — *iuris discendi* Sch. C. 2. 3. (7) — *iure peritissimis* Purgoldi C. (8) — *Lucillio* L. (9) ∞ *et C. Aquillio* L. 1. 2. 3. (*Aquilio* N. Iu. Man. Utramque scripturam praebent lapides.) (10) Sic Crat. Camer. Ern. 1. 2. 3. — *volebat* M. L. (11) ∞ *sic Servius sapientissime*, *quum duae* Gu. A. B. Sch. in Ed. mai. (12) — *etiam* Ell. C. 3. perperam. Huic *et* respondet in seqq. *et nunc*. v. Matthiae *de Anacol.* p. 5. (13) Sic Ed. Rom. prob. Rivio. L. 1. 2. 3. — *obtrectatione invidiae*, *quae* N. Iu. Crat. Grut. — *obtrect. et invidia* Man. (14) = *ut* Sch. 2. 3.

perspicio, tali illum in te voluntate iudicioque cognovi. 157. Itaque doleo et illius consilio, et tua voce populum Romanum carere tam diu: quod quum per se dolendum est, tum multo magis consideranti, ad quos ista, non translata sint, sed nescio quo pacto devenerint. Hic Atticus, Dixeram, inquit, a principio, de re publica ut sileremus: itaque facianus. Nam si isto modo volumus singulas res desiderare, non modo querendi[1], sed ne lugendi quidem finem reperiemus. XLIII. 158. Pergamus ergo, inquam, ad reliqua, et institutum ordinem persequamur. Paratus igitur veniebat Crassus, exspectabatur, audiebatur: a principio statim (quod erat apud eum semper accuratum) exspectatione dignus videbatur: non multa iactatio corporis, non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra supplosio pedis: vehemens, et interdum irata, et plena iusti doloris oratio, multae et cum gravitate facetiae: quodque difficile est, idem et perornatus, et perbrevis. 159. Iam in altercando invenit parem neminem: versatus est in omni fere genere causarum: mature in locum principum oratorum venit. Accusavit C. Carbonem, eloquentissimum hominem, admodum adolescens: summam ingenii non laudem modo, sed etiam admirationem est consecutus. 160. Defendit postea Liciniam virginem, quum annos xxvii natus esset. In ea ipsa causa fuit eloquentissimus, orationisque eius scriptas quasdam partes reliquit. Voluit adolescens, in colonia Narbonensi causae popularis aliquid attingere, eamque coloniam, ut fecit, ipse deducere. Exstat in eam legem senior, ut ita dicam, quam illa aetas ferebat, oratio. Multae deinde causae; sed ita tacitus tribunatus, ut, nisi in eo magistratu coenavisset apud praeconem Granium, idque bis nobis[2] narravisset Lucilius, tribunum plebis nesciremus fuisse. 161. Ita prorsus, inquit Brutus: sed ne de Scaevolae quidem tribunatu quidquam audivisse videor, et cum collegam Crassi credo fuisse. Omnibus quidem aliis, inquam, in[3] magistratibus, sed tribunus anno post fuit, eoque in rostris sedente suasit Serviliam legem Crassus. Nam censuram sine Scaevola gessit. Eum enim magistratum nemo unquam Scaevolarum petivit. Sed haec Crassi quum edita oratio est, quam te saepe legisse certo[4] scio, quatuor et triginta tum habebat annos, totidemque annis mihi aetate praestabat. His enim consulibus eam legem suasit, quibus nati sumus, quum ipse esset Q. Caepione consule natus, et C. Laelio, triennio ipso minor, quam Antonius. Quod idcirco posui, ut, dicendi Latine prima maturitas in[5] qua aetate exstitisset, posset notari; et intelligeretur iam ad summum paene esse perductam, ut eo nihil ferme quisquam addere posset, nisi qui a philosophia, a iure civili, ab historia fuisset instructior. XLIV. 162. Erit, inquit Brutus, an iam est iste[6], quem exspectas? Nescio, inquam. Sed est etiam L. Crassi in consulatu, pro Q. Caepione, defensione iuncta[7] non brevis,

---

(1) Sic Ald. Iu. Crat. L. Ern. 1. 3. — *quaerendi* Man. Grut. prob. Heusing. Sch. 2. (2) Sic Gu. A. B. Sch. 2. 3. = *nobis bis* N. Iu. Crat. M. Ern. 1. — om. *bis* Ed. Rom. prob. Rivio. N. L. (3) — *in* om. Edd. Ven. N. Med. (4) — *certe* N. (5) — *in* del. censet Ell. (6) Sic de Heusing. C. Sch. 2. 3. — *inquit M. Brutus aut i. e. iste* Cdd. Iu. — L. Ern. 1. (7) — *Q. Caepionis defensione iuncta* Ell. susp. Scil. non intellexit *iuncta* esse nominativum; ut saepe ap. Cic. *iunctus* cum simplici ablat. construitur: *laudatio iuncta* (cum) *defensione*.

ut laudatio, ut oratio autem, brevis: postrema censoris[1] oratio, qua anno duodequinquagesimo usus est. In his omnibus inest quidam sine ullo fuco veritatis color. Quin etiam comprehensio, et ambitus ille verborum (si sic periodum appellari placet) erat apud illum contractus et brevis, et in membra quaedam, quae κῶλα Graeci vocant, dispertiebat orationem lubentius. 163. Hoc loco Brutus, Quandoquidem tu istos oratores, inquit, tanto opere laudas; vellem aliquid Antonio, praeter illum de ratione dicendi sane exilem libellum, plura Crasso libuisset scribere; quum enim omnibus memoriam sui, tum etiam disciplinam dicendi nobis reliquissent. Nam Scaevolae dicendi elegantiam satis ex iis[2] orationibus, quas reliquit, habemus cognitam. 164. Et ego, Mihi quidem a pueritia quasi magistra fuit, inquam, illa in legem Caepionis oratio: in qua et auctoritas ornatur senatus, quo pro ordine illa dicuntur, et invidia concitatur in iudicum[3] et in accusatorum factionem, contra quorum potentiam populariter tum dicendum fuit. Multa in illa oratione graviter, multa leniter, multa aspere, multa facete dicta sunt: plura etiam dicta, quam scripta, quod ex quibusdam capitibus expositis[4], nec explicatis intelligi potest. Ipsa illa censoria contra Cn. Domitium collegam non est oratio, sed quasi capita rerum, et orationis commentarium paullo plenius. Nulla est enim altercatio clamoribus unquam habita maioribus. 165. Et[5] vero fuit in hoc et[6] popularis dictio excellens: Antonii genus dicendi multo aptius iudiciis, quam concionibus.

XLV. Hoc loco ipsum Domitium non relinquo. Nam etsi non fuit in oratorum numero, tamen pono, satis in eo fuisse orationis[7] atque ingenii, quo et magistratus personam, et consularem dignitatem tueretur: quod idem de C. Caelio dixerim, industriam in eo summam fuisse, summasque virtutes, eloquentiae tantum, quod esset in rebus privatis, amicis eius, in re publica, ipsius dignitati satis. 166. Eodem tempore M. Herennius in mediocribus oratoribus, Latine et diligenter loquentibus, numeratus est: qui tamen summa nobilitate hominem, cognatione, sodalitate, collegio., summa etiam eloquentia, L. Philippum, in consulatus petitione superavit. Eodem tempore C. Clodius, etsi propter summam nobilitatem, et singularem potentiam magnus erat, tamen etiam eloquentiae quandam mediocritatem afferebat. 167. Eiusdem fere temporis fuit eques Romanus C. Titius, qui meo iudicio, eo pervenisse videtur, quo potuit fere Latinus orator sine Graecis literis, et sine multo usu pervenire. Huius orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum[8] urbanitatis habent, ut paene Attico stilo scriptae esse videantur. Easdem argutias in tragoedias, satis ille quidem[9] acute, sed parum tragice transtulit. Quem studebat imitari L. Afranius poëta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut scitis, disertus. 168. Fuit etiam Q. Rubrius Varro, qui a senatu hostis cum C. Mario iu-

---

(1) Lego *censoria*, ut est §. 164. (2) — om. *iis* Gu. A. B. — *his* N. (3) — *iudicium* Nor. (4) Lego *positis* i. e. propositis. (5) *At* Gu. A. (6) — *etiam* Gu. A. B. Sch. in Ed. mai. — del. *et* Ell. 3. (7) — *Nam etsi non in oratorum numero pono, tamen puto satis in eo fuisse industriae atque ing.* Sch. suspic. (*oratio* sic usurpatur etiam §. 240.) (8) — *etiam* Nor. (9) Sic Gu. A. B. Sch. 2. 3. — *quidem ille* N. lu. — L. Ern. 1.

dicatus est, acer et vehemens accusator. In eo genere sane probabilis, doctus autem Graecis literis, propinquus noster, factus ad dicendum, M. Gratidius, M. Antonii perfamiliaris, cuius praefectus quum esset in Cilicia, est interfectus; qui accusavit C. Fimbriam, M. Marii Gratidiani pater[1].

XLVI. 169. Atque etiam apud socios et Latinos oratores habiti sunt Q. Vettius Vettianus[2], e Marsis, quem ipse cognovi, prudens vir, et in dicendo brevis; Q. et D.[3] Valerii Sorani, vicini, et familiares mei, non tam in dicendo admirabiles, quam docti et Graecis literis et Latinis: C. Rusticellus[4] Bononiensis, is quidem et exercitatus, et natura volubilis. Omnium autem eloquentissimus extra hanc urbem T. Betucius Barrus Asculanus, cuius sunt aliquot orationes Asculi habitae. Illa Romae contra Caepionem, nobilis sane, cui orationi Caepionis ore respondit Aelius: qui scriptitavit orationes multis[5], orator ipse nunquam fuit. 170. Apud maiores autem nostros video disertissimum habitum ex Latio L. Papirium Fregellanum, Ti. Gracchi, P. F.[6] fere aetate: eius autem[7] oratio est pro Fregellanis, coloniisque[8] Latinis, habita in senatu. Tum Brutus, Quid tu igitur, inquit, tribuis istis externis quasi oratoribus? Quid censes, inquam, nisi idem[9], quod urbanis? praeter unum, quod non est eorum urbanitate quadam quasi colorata oratio? 171. Et Brutus, Qui est, inquit, iste tandem urbanitatis color? Nescio, inquam; tantum esse quendam scio. Id tu, Brute, iam intelliges, quum in Galliam veneris. Audies tu quidem etiam verba quaedam non trita Romae: sed haec mutari, dediscique possunt; illud est maius, quod in vocibus nostrorum oratorum recinit[10] quiddam et resonat urbanius. Nec hoc in oratoribus modo apparet, sed etiam in ceteris. 172. Ego memini T. Tincam Placentinum, hominem facetissimum, cum familiari nostro Q. Granio praecone dicacitate certare. Eon', inquit Brutus, de quo multa Lucilius? Isto ipso: sed Tincam non minus multa ridicule dicentem Granius obruebat nescio quo sapore vernaculo: ut ego iam non mirer, illud Theophrasto accidisse, quod dicitur, quum percontaretur ex anicula quadam, quanti aliquid venderet, et respondisset illa, atque addidisset, *Hospes, non pote minoris:* tulisse eum moleste, se non effugere hospitis speciem, quum aetatem ageret Athenis, optimeque loqueretur. Omnino, sicut opinor[11], in nostris est quidam urbanorum, sicut illic[12] Atticorum sonus. Sed domum redeamus, id est, ad nostros revertamur[13].

([1]) Sic Man. Lamb. in marg. 1584. Ern. 1. Ell. 3. v. Beier *ad Offic.* T. 2. p. 303. — *patrem* Cdd. N. Iu. Crat. L. 1566. Sch. 2. ([2]) = *Q. Vectius Vectianus* N. Iu. Crat. M. L. ([3]) = *Q. D.* om. *et* Nor. ut in talibus ubique Edd. vett. huius scripti. ([4]) — *Rusticelius* ex numo Ursin. ([5]) Sic Cdd. etiam Olx. Reg. Lallem. Sch. 2. 3. — *multas* N. Iu. — L. Ern. 1. ([6]) ∞ *Ti. F.* Ell. suspic. ([7]) Sic omnes (N. Iu. — L. Gothofr.) ante Gruterum, qui tacite mutavit propter praecedens, puto, *autem.* — *etiam* Grut. Ern. 1. 2. 3. ([8]) Sic L. 1. 2. 3. — *colonisque* Cdd. (Olx.) N. Iu. — M. ([9]) — *id* L. ([10]) Sic Iu. — L. Ern. 1. — *recinuit* Nor. — *retinuit* Cdd. Regii. Gu. A. B. (Ell. 3. operarum errore;) unde Schneider C. ∞ *retinnit* Sch. 2. Sed hoc, quum sit in reprehensione positum, omnino probari nequit. ([11]) Sic emendavit Rivius. L. Ern. 1. 2. 3. ∞ *optimeque loqueretur omnium. Sic, ut opinor* Ed. Rom. — *loqueretur. Omnium* (*sicut opinor*) N. Iu. Crat. M. (*sicut opinor* vix unquam dixit Cic. sed semper *ut opinor*, vel *opinor* simpliciter, et molestum est etiam propter seq. *sicut.* Fuitne: *Omnino hic, ut opinor?* ([12]) e Cdd. Edd. vett. Ern. 1. 2. 3. — *ille* N. Iu. — L. Grut. ([13]) ∞ *id est - revert.* Spuria visa sunt Lambino Sch. Ell. 3. (qui [ ]) Defendit Goerenz. iisque omissis, nimis sane attenuatur oratio.

XLVII. 173. Duobus igitur summis, Crasso et Antonino, L. Philippus proximus accedebat, sed longo intervallo tamen proximus. Itaque eum, etsi nemo intercedebat, qui se illi anteferret, neque secundum tamen, neque tertium dixerim. Nec enim in quadrigis eum secundum numeraverim, aut tertium, qui vix e carceribus exierit, quum palmam iam primus acceperit: nec in oratoribus, qui tantum absit a primo, vix ut in eodem curriculo esse videatur. Sed tamen erant ea[1] in Philippo, quae, qui sine comparatione illorum spectaret, satis magna diceret: summa libertas in oratione, multae facetiae: satis creber in reperiendis, solutus in explicandis sententiis: erat etiam inprimis, ut temporibus illis, Graecis doctrinis institutus, in altercando cum aliquo aculeo et maledicto facetus. 174. Horum aetati prope coniunctus L. Gellius[2] non tam vendibilis orator, quam ut nescires, quid ei deesset. Nec enim erat indoctus, nec tardus ad excogitandum, nec Romanarum rerum immemor, et verbis solutus satis; sed in magnos oratores inciderat eius aetas: multam tamen operam amicis, et utilem praebuit; atque ita diu vixit, ut multarum aetatum oratoribus implicaretur, multum etiam in causis versaretur. 175. Iisdem fere temporibus D. Brutus, is, qui consul cum Mamerco fuit, homo et Graecis doctus literis et Latinis. Dicebat etiam L. Scipio non imperite, Cnaeusque Pompeius, Sex. F. aliquem numerum obtinebat. Nam Sex. frater eius praestantissimum ingenium contulerat ad summam iuris civilis, et ad perfectam geometriae et rerum Stoicarum scientiam. Item in iure[3] et ante hos M. Brutus, et paullo post eum C. Bilienus[4], homo per se magnus, prope simili ratione summus[5] evaserat: qui consul factus esset, nisi in Marianos consulatus, et in eas petitionis angustias incidisset. 176. Cn. autem Octavii eloquentia, quae fuerat ante consulatum ignorata, in consulatu multis concionibus est vehementer probata. Sed ab eis, qui tantum in dicentium numero, non in oratorum fuerunt, iam ad oratores revertamur. Censeo, inquit Atticus: eloquentes enim videbare, non sedulos velle conquirere.

XLVIII. 177. Festivitate igitur, et facetiis, inquam, C. Iulius, L. F. et superioribus et aequalibus suis omnibus praestitit, oratorque fuit minime ille quidem vehemens, sed nemo unquam urbanitate, nemo lepore, nemo suavitate conditior. Sunt eius aliquot orationes, ex quibus, sicut ex eiusdem tragoediis, lenitas eius sine nervis perspici potest. 178. Eius aequalis P. Cethegus, cui de re publica satis suppeditabat oratio. Totam enim tenebat eam, penitusque cognorat. Itaque in senatu consularium auctoritatem assequebatur: sed in causis publicis nihil, in privatis satis veterator videbatur. Erat in privatis causis Q. Lucretius Vispillo[6], et acutus, et iurisperitus. Nam Ofella[7], concionibus aptior[8], quam iudiciis. Prudens etiam T.[9] Annius Velina, et in eius generis causis orator sane tolerabilis. In eodem genere causarum multum erat

---

(1) — om. *ea* Gu. B. (2) — *L. Caelius* Nor. (3) ∞ *Item in iure* suspecta Ell. Turbant Cdd. (— *Ita minime. Et* N.) (4) ∞ *Bellienus* cum Pighio Ell. 3. (5) — *simili rat. prope summus* Sch. C. 2. 3. Nihil opus: legendo enim distinguebant: *prope, simili ratione, summus.* (6) ∞ *Vespillo* Man. (7) Sic Corrad. Man. L. Sch. 2. 3. — *Aphilia* Iu. Ern. 1. (∞ *Asella* ap. Ascon. *ad Or. in toga cand.* p. 216. Sch.) (8) Sic Victor. L. Sch. 2. 3. = *aptior conc.* N. Iu. M. Ern. 1. (9) ∞ *D.* Nor.

T. Inventius, nimis ille quidem lentus in dicendo, et paene frigidus: sed et callidus, et in capiendo adversario versutus, et praeterea nec indoctus, et magna cum iuris civilis intelligentia. 179. Cuius auditor P. Orbius, meus fere aequalis, in dicendo non nimis exercitatus, in iure autem civili non inferior, quam magister fuit. Nam T. Aufidius, qui vixit ad summam senectutem, volebat esse similis horum, eratque et bonus vir, et innocens, sed dicebat parum. Nec sane plus frater eius M. Virgilius[1], qui tribunus plebis L. Sullae imperatori diem dixit. Eius collega P. Magius, in dicendo paullo tamen copiosior. 180. Sed omnium oratorum, sive rabularum, qui aut plane indocti, et inurbani[2], aut rustici etiam fuerunt, quos quidem ego cognoverim, solutissimum in dicendo et acutissimum iudico, nostri ordinis Q. Sertorium, equestris C. Gorgonium. Fuit etiam facilis, et expeditus ad dicendum, et vitae splendore multo, et ingenio sane probabili, T. Iunius, L. F. tribunicius, quo accusante P. Sextius, praetor designatus, damnatus est ambitus. Is processisset honoribus longius, nisi semper infirma atque etiam aegra valetudine fuisset.

XLIX. 181. Atque ego praeclare intelligo, me in eorum commemoratione versari, qui nec habiti sint oratores, neque fuerint[3], praeteririque a me aliquot ex veteribus, commemoratione aut laude dignos: sed hoc quidem ignoratione. Quid enim est[4] superioris aetatis, quod scribi possit de iis, de quibus nulla monumenta loquuntur, nec aliorum, nec ipsorum? De iis autem, quos ipsi vidimus, neminem fere praetermittimus eorum, quos aliquando dicentes vidimus[5]. 182. Volo enim sciri, in tanta et tam vetere re publica maximis praemiis eloquentiae propositis, omnes cupisse dicere, non plurimos ausos esse, potuisse paucos. Ego tamen ita de unoquoque dicam, ut intelligi possit, quem existimem clamatorem[6], quem oratorem fuisse. Iisdem fere temporibus, aetate inferiores paullo, quam Iulius, sed aequales propemodum fuerunt C. Cotta, P. Sulpicius, Q. Varius, Cn. Pomponius, C. Curio, L. Fufius[7], M. Drusus, P. Antistius[8], nec ulla aetate uberior oratorum fetus fuit. 183. Ex his Cotta et Sulpicius quum meo iudicio, quum[9] omnium, facile primas tulerunt. Hic Atticus, Quomodo istuc dicis, inquit, quum tuo iudicio, tum omnium? Semperne in oratore probando aut improbando vulgi iudicium cum intelligentium iudicio congruit? An alii probantur a multitudine, alii autem ab iis, qui intelligunt? Recte requiris, inquam, Attice: sed audies ex me fortasse, quod non omnes probent. 184. An tu, inquit, id laboras, si huic[10] modo Bruto probaturus es[11]? Plane, inquam, Attice, disputationem hanc de oratore probando aut improbando[12], multo

---

([1]) ∞ *Virginius* Plutarchus. Ald. (— *Vergilius* Iu. Crat.) ([2]) Sic de Heusing. C. (∞ *et inurb.* Gu. A.) Sch. 2. 3. — *et plane indocti aut inurbani* N. Iu. — L. Ern. 1. ([3]) ∞ *sunt - - fuerunt* Gu. A. B. ([4]) ∞ *quid est enim* e Schaeferi regula Sch. C. 2. 3. (— *enim* om. Gu. A. B.) ([5]) — *audivimus* Sch. suspic. ([6]) — *declamatorem* Gothofr. suspic. sed cfr. §. 176. ([7]) — *Fusius* N. Iu. Crat. M. (*Fufius* L.) ([8]) Sic Ed. Rom. Riv. M. L. 1. 2. 3. — *M. Drusus patricius* N. Iu. Crat. ([9]) — *tum* Gu. B. ([10]) Sic Ald. M. L. 1. 2. 3. — *id laborasse huc* Gu. A. B. — *inquit adlaborasse huic* Iu. Crat. Camerar. ([11]) — *te probaturus es* L. in marg. 1584. ([12]) expunxit haec *de or. pr. aut impr.* Sch. C. 2.

malim tibi et Bruto placere: eloquentiam autem meam populo probari velim. Etenim necesse est, qui ita dicat, ut a multitudine probetur, eundem doctis probari. Nam, quid in dicendo rectum sit, aut pravum, ego iudicabo, si modo is sum, qui id possim aut sciam iudicare: qualis vero sit orator, ex eo, quod is dicendo efficiet, poterit intelligi. 185. Tria sunt enim, (ut quidem ego sentio) quae sint[1] efficienda dicendo: ut doceatur is, apud quem dicetur, ut delectetur, ut moveatur vehementius. Quibus virtutibus oratoris horum[2] quidque efficiatur, aut quibus vitiis orator aut non assequatur haec, aut etiam in his labatur et cadat, artifex aliquis iudicabit. Efficiatur autem ab oratore, necne, ut ii, qui audiunt[3], ita afficiantur, ut orator velit, vulgi assensu et populari approbatione iudicari solet. Itaque nunquam de bono oratore, aut non bono, doctis hominibus cum populo dissensio fuit. L. 186. An censes, dum illi viguerunt, quos ante dixi, non eosdem gradus oratorum vulgi iudicio et doctorum fuisse? De populo si quem ita rogavisses: *Quis est in hac civitate eloquentissimus?* in Antonio et Crasso aut dubitaret, aut hunc alius[4], illum alius diceret. Nemone[5] Philippum, tam suavem oratorem, tam gravem, tam facetum, his anteferret, quem nosmet ipsi, qui haec arte aliqua volumus expendere, proximum illis fuisse diximus? Nemo profecto. Id enim ipsum est summi oratoris, summum oratorem populo videri. 187. Quare tibicen Antigenidas dixerit discipulo sane frigenti ad populum, *Mihi cane et Musis:* ego huic Bruto dicenti, ut solet, apud multitudinem, *Mihi cane et populo, mi Brute*, dixerim: ut, qui audient[6], quid efficiatur: ego, etiam cur id[7] efficiatur, intelligam. Credit iis, quae dicuntur, qui audit oratorem: vera putat, assentitur, probat[8], fidem facit[9] oratio. 188. Tu artifex, quid quaeris amplius? Delectatur audiens multitudo, et ducitur oratione, et quasi voluptate quadam perfunditur. Quid habes quod disputes? Gaudet, dolet, ridet, plorat, favet, odit, contemnit, invidet, ad misericordiam inducitur, ad pudendum, ad pigendum; irascitur, miratur[10], sperat, timet: haec perinde[11] accidunt, ut eorum, qui adsunt, mentes verbis, et sententiis, et actione tractantur. Quid est, quod exspectetur docti alicuius sententia? Quod enim probat multitudo, hoc idem doctis probandum est. Denique hoc specimen est popularis iudicii, in quo nunquam fuit populo cum doctis intelligentibusque dissensio. 189. Quum multi essent oratores in vario genere dicendi, quis unquam ex his excellere iudicatus est vulgi iudicio, qui non idem a doctis probaretur? Quando autem dubium fuisset apud patres nostros, eligendi cui patroni daretur optio, quin aut Antonium optaret, aut Crassum? Aderant[12] multi alii: tamen, utrum de his potius, dubitasset aliquis,

---

(1) — *sunt* Gu. A. B. (2) — om. *horum* Victor. (Habent N. Iu. Cr. M. L.) (3) — *audiant* Ern. C. 1. (4) — *aliquis* Gu. A. Sch. in Ed. mai. (5) ∞ *Nemo ut Ph.* Cdd. aliq. prob. Grut. ∞ *nemone ut Ph.* Ern. suspic. prob. Heindorf. *ad Horat. Serm.* 1, 1, 108. (6) — *audiant* Ern. C. 1. (7) — *ita* L. (8) — *probatur* N. Omnib. (9) — *fidem enim facit* Goerenzii suspic. (10) — *mitigatur* Sch. C. 2. — *minatur* Le Clerquii suspic. (— *favet, invidet; diligit, odit; admiratur, contemnit; ad mis.* Sch. suspic.) (11) = *proinde* L. (12) — *At erant* de Ern. C. Sch. 2.

quin[1] alterum, nemo. Quid? adolescentibus nobis, quum esset[2] Cotta et Hortensius, num quis, cui quidem eligendi potestas esset, quemquam his anteponebat? LI. 190. Tum Brutus, Quid tu, inquit, quaeris alios? de te ipso nonne, quid optarent rei, quid ipse Hortensius iudicaret, videbamus? qui, quum partiretur tecum causas, (saepe enim interfui) perorandi locum, ubi plurimum pollet oratio, semper tibi relinquebat. Faciebat ille quidem, inquam: et mihi, benevolentia, credo, ductus, tribuebat omnia. Sed ego, quae de me populi sit opinio, nescio: de reliquis hoc affirmo, qui vulgi opinione disertissimi habiti sint, eosdem intelligentium quoque iudicio fuisse probatissimos. 191. Nec enim posset idem Demosthenes dicere, quod dixisse Antimachum, Clarium[3] poëtam, ferunt, qui quum, convocatis auditoribus, legeret eis[4] magnum illud, quod novistis, volumen suum, et eum legentem omnes, praeter Platonem, reliquissent, *Legam*, inquit, *nihilo minus: Plato enim mihi unus instar est omnium millium*[5]. Et recte. Poëma enim reconditum, paucorum approbationem, oratio popularis, assensum vulgi debet movere[6]. At si eundem hunc Platonem unum auditorem haberet Demosthenes, quum esset relictus a ceteris, verbum facere non posset. 192. Quid? tu, Brute, posses, si te[7], ut Curionem quondam, concio reliquisset? Ego vero, inquit ille, ut me tibi iudicem, in eis etiam causis, in quibus omnis res nobis cum iudicibus est, non cum populo, tamen, si a corona relictus sim, non queam dicere. Ita se, inquam, res habet: ut, si tibiae inflatae non referant sonum, abiiciendas eas sibi tibicen putet: sic oratori populi aures tamquam tibiae sunt; eae si inflatum non recipiunt, aut si auditor omnino[8] tamquam equus non facit[9], agitandi finis faciendus est. LII. 193. Hoc tamen interest, quod vulgus interdum non probandum oratorem probat; sed probat sine comparatione: quum a mediocri, aut etiam a malo delectatur, eo est contentus, esse melius non sentit; illud, quod est, qualecunque est, probat. Tenet enim aures vel mediocris orator, sit modo aliquid in eo: nec res ulla plus apud animos hominum, quam ordo et ornatus orationis valet. 194. Quare quis ex populo, quum Q. Scaevolam pro M. Coponio dicentem audiret[10] in ea causa, de qua ante dixi, quidquam politius, aut elegantius, aut omnino melius aut exspectaret, aut posse fieri putaret? 195. Quum is hoc probare vellet, M' Curium, quum ita heres institutus esset, si pupillus ante mortuus esset, quam in suam tutelam venisset, pupillo non nato heredem esse non posse; quid ille non

---

(1) — *an* Ern. suspic. (2) — *essent* Ern. suspic. (3) Sic Crat. M. L. 1. 2. 3. — *clarum* N. Iu. (4) — *eis* del. Sch. in Ed. mai. suspect. Ellendtio. (5) Locus nondum persanatus. Sic Grut. Ern. 1. Ell. 3. — *instar est omnium, me illum, et recte* Olx. N. Iu. Crat. Camer. Hinc Riv. C. — *omnium. Merito ille, et recte.* (At *merito ac iure* alicubi iungit Cic. non item *merito et recte.*) — *omnium. Haec illum. et recte.* M. — *instar est multorum millium. Et recte* L. — *instar est millium* Sch. C. 2. (Fortasse: *instar est centum millium. Et recte.*) — *instar est omnium illûm* pro *illorum* Lipsii suspic. (6) Sic Corrad. L. Ern. 1. 2. 3. — *approbatione, or. p. ad sensum* (*assensum* N.) *vulgi d. moveri.* N. Iu. Crat. M. — *approbationem - assensum - mereri* Rivii C. (7) — *posses, nisi te* Cdd. aliq. Nor. unde Gulielm. C. Sch. 2. — *possesne, si te.* (8) — *cum illo* L. (9) — *facit* corruptum videtur. Fort. *subit*, scil. equitem, ut *subire onus* de iumentis dicitur. *aut - facit* Sch. 2. [ ] sed *agitandi* verbum hoc vetat. (10) — *audisset* N.

dixit de testamentorum iure? de antiquis formulis? quid[1]? quemadmodum scribi oportuisset, si etiam filio non nato heres instituereturr? 196. quam captiosum esse[2] populo, quod scriptum esset, negligi, et opinione quaeri voluntates, et interpretatione disertorum scripta simplicium hominum pervertere? 197. Quam ille multa de auctoritate patris sui, qui semper ius illud esse defenderat? quam omnino multa de conservando iure civili? quae quidem omnia quum perite et scienter, tum ita[3] breviter, et presse, et satis ornate, et perelegantер diceret; quis esset in populo, qui aut exspectaret, aut fieri posse quidquam melius putaret? LIII. At vero, ut contra Crassus ab adolescente delicato, qui in litore ambulans scalmum reperisset, ob eamque rem aedificare navem concupivisset, exorsus est: similiter Scaevolam ex uno scalmo captionis, centumvirale iudicium hereditatis effecisse, hoc in illo initio[4] consecutus, multis eiusdem generis sententiis delectavit, animosque omnium, qui aderant, in hilaritatem a severitate traduxit: quod est unum ex tribus, quae dixi ab oratore effici debere. Deinde hoc voluisse eum, qui testamentum fecisset, hoc sensisse, quoquo modo filius non esset, qui in suam tutelam veniret[5], sive non natus, sive ante mortuus, Curius heres ut esset: ita scribere plerosque, et id valere, et valuisse semper. Haec et multa eiusmodi dicens, fidem faciebat: quod est ex tribus oratoris officiis alterum. 198. Deinde aequum bonum, testamentorum sententias, voluntatesque[6] tutatus est: quanta esset in verbis captio, quum[7] in ceteris rebus, tum in testamentis, si negligerentur voluntates: quantam sibi potentiam Scaevola assumeret, si nemo auderet testamentum facere postea, nisi de illius sententia. Haec quum graviter, tum ab exemplis copiose, tum varie, tum etiam ridicule et facete explicans, eam admirationem assensionemque commovit, dixisse ut contra nemo videretur. Hoc erat oratoris officium partitione tertium, genere maximum. Hic ille de populo iudex, qui separatim alterum admiratus esset, idem, audito altero, iudicium suum contemneret: at vero intelligens et doctus, audiens Scaevolam, sentiret esse quoddam uberius dicendi genus et ornatius. Ab utroque autem, causa perorata, si quaereretur, uter praestaret orator, nunquam profecto sapientis iudicium a iudicio vulgi discreparet. LIV. 199. Qui praestat igitur intelligens imperito? Magna re et difficili: siquidem magnum est scire, quibus rebus efficiatur, amittaturve[8] dicendo illud quidquid est, quod aut effici dicendo oportet, aut amitti[9] non oportet. Praestat etiam illo doctus auditor indocto, quod saepe, quum oratores duo, aut plures populi iudicio probantur, quod dicendi genus optimum sit, intelligit. Nam illud, quod populo non probatur, ne intelligenti quidem auditori[10] probari potest. Ut enim ex nervorum sono in fidibus,

(1) Sic Olx. Ed. Rom. prob. Rivio. M. Ern. 1. 2. 3. — om. *quid* cum Cdd. aliq. N. Iu. Crat. L. (2) Sic Cdd. N. Iu. — L. — *esset* Ern. E. 1. 2. 3. (3) — *et* Ald. Man. prob. Sch. in Ed. mai. (4) ∞ *in* non sine causa suspect. Ern. — *hoc ille initio* Ell. E. 3. — *Scaev. ex uno scalmo captionis hereditatem effecisse: hoc ille initio consecutisque multis eiusdem generis sententiis delectavit centumvirale iudicium, animosque* Sch. E. 2. (*consecutis* Gu. A. Norimb.) (5) Sic Cdd. Iu. — L. Sch. 2. 3. — *venisset* Ed. Ven. N. Med. Ern. 1. (6) — *mortuorumque voluntates* L. (7) — *tum* Sch. E. 2. (8) — *omittaturve* L. (9) — *omitti* L. (10) — *oratori* Ern. 1. Wetz. errore typogr.

quam scienter ei pulsi sint, intelligi solet: sic ex animorum motu cernitur, quid tractandis his[1] perficiat orator. 200. Itaque intelligens dicendi existimator, non assidens, et attente audiens, sed uno adspectu, et praeteriens, de oratore saepe iudicat. Videt oscitantem iudicem, loquentem cum altero, nonnunquam etiam circulantem[2], mittentem ad horas, quaesitorem, ut dimittat, rogantem: intelligit, oratorem in ea causa non adesse, qui possit animis iudicum admovere orationem, tamquam fidibus manum. Idem si praeteriens adspexerit erectos, intuentes[3] iudices, ut aut doceri de re, idque etiam vultu probare videantur: aut, ut avem cantu aliquo, sic illos viderit oratione quasi suspensos teneri: aut, id quod maxime opus est, misericordia, odio, motu animi aliquo perturbatos esse vehementius: ea si praeteriens (ut dixi) adspexerit, si nihil audierit[4], tamen oratorem versari in illo iudicio, et opus oratorium fieri, aut perfectum iam esse, profecto intelliget.

LV. 201. Quum haec disseruissem, uterque assensus est, et ego tamquam de integro ordiens, Quando igitur, inquam, a Cotta et Sulpicio hace omnis fluxit oratio, quum hos maxime iudicio illorum hominum, et illius aetatis dixissem[5] probatos, revertar ad eos ipsos: tum reliquos, ut institui, deinceps persequar. Quoniam ergo oratorum bonorum (hos enim quaerimus) duo genera sunt, unum attenuate presseque, alterum sublate ampleque dicentium: etsi id melius est, quod splendidius et magnificentius, tamen in bonis omnia, quae summa sunt, iure laudantur. 202. Sed cavenda est presso illi oratori inopia et ieiunitas: amplo autem inflatum et corruptum orationis genus. Inveniebat igitur acute Cotta, dicebat pure ac solute: et ut ad infirmitatem laterum perscienter contentionem omnem remiserat, sic ad virium imbecillitatem dicendi accommodabat genus. Nihil erat in eius oratione nisi sincerum, nihil nisi siccum, atque sanum: illudque maximum, quod, quum contentione orationis flectere animos iudicum vix posset, nec omnino eo genere diceret, tractando tamen impellebat, ut idem facerent a se commoti, quod a Sulpicio concitati. 203. Fuit enim Sulpicius vel maxime omnium, quos quidem ego audiverim, grandis, et, ut ita dicam, tragicus orator. Vox quum[6] magna, tum suavis, et splendida: gestus et motus corporis ita venustus, ut tamen ad forum, non ad scenam institutus videretur: incitata et volubilis, nec ea[7] redundans tamen, nec circumfluens oratio. Crassum hic volebat imitari; Cotta malebat Antonium: sed ab hoc vis aberat Antonii, Crassi ab illo lepos. 204. O magnam, inquit, artem! Brutus: siquidem istis, quum summi essent oratores, duae res maximae, altera alteri defuit. LVI. Atque in his oratoribus illud animadvertendum est[8], posse esse summos, qui inter se sint dissimiles. Nihil enim tam dissimile, quam Cotta Sulpicio, et[9] uterque aequalibus suis plurimum praestitit. Quare

---

(1) = *his tract.* L. (2) — *calculantem* Ed. Rom. nequaquam id probante Rivio. (3) Sic cum virgula L. (*erectos intuentes* reliqui) — *intentos* Ern. suspic. ∞ *intuentes* Ell. 3. [ ]. (4) = *audiverit* L. (5) — *duxissem* Gu. A. B. — *dixerim* Ell. suspic. minime necessaria. (6) — *tum* Sch. 2. cum Gu. A. (7) — *ita* (fort. pro *illa*) Gu. A. (8) — om. *est* Nor. (9) — *at* L. solus.

hoc doctoris intelligentis est, videre, quo ferat natura sua quemque[1]: et ea duce utentem sic instituere, ut Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi, et lenissimo[2] Ephori dixisse traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri frenos. 205. Sulpicii orationes, quae feruntur, eas post mortem eius scripsisse P. Canutius putatur, aequalis meus, homo extra nostrum ordinem meo iudicio disertissimus. Ipsius Sulpicii nulla oratio est: saepeque ex eo audivi, quum se scribere neque consuesse, neque posse diceret. Cottae pro se, lege Varia[3], quae inscribitur, eam L. Aelius scripsit[4] Cottae rogatu. Fuit is omnino vir egregius, et eques Romanus cum primis honestus, idemque eruditissimus et Graecis literis, et Latinis: antiquitatisque nostrae et in inventis rebus, et in actis, scriptorumque veterum literate peritus: quam scientiam Varro noster acceptam ab illo, auctamque per sese, vir ingenio praestans, omnique doctrina, pluribus et illustrioribus literis explicavit. 206. Sed idem Aelius, Stoicus esse voluit, orator autem nec studuit unquam, nec fuit. Scribebat tamen orationes, quas alii dicerent; ut Q. Metello F.[5], ut Q. Caepioni, ut Q. Pompeio Rufo: quamquam is etiam ipse scripsit eas, quibus pro se est usus, sed non sine Aelio. 207. His enim scriptis[6] etiam ipse interfui, quum essem apud Aelium adolescens, eumque audire perstudiose solerem. Cottam autem miror, summum ipsum[7] oratorem minimeque ineptum, Aelianas leves oratiunculas voluisse existimari suas. LVII. His duobus eiusdem aetatis annumerabatur nemo tertius: sed mihi placebat Pomponius maxime, vel dicam, minime displicebat. Locus erat omnino in maximis causis, praeter eos, de quibus supra dixi, nemini: propterea quod Antonius, qui maxime expetebatur, facilis in causis recipiendis erat; fastidiosior Crassus, sed tamen recipiebat. Horum qui neutrum habebat, confugiebat ad Philippum fere, aut ad Caesarem: [secundum Philippum et Caesarem[8]] Cotta et Sulpicius expetebantur. Ita ab his[9] sex patronis causae illustres agebantur, neque tam multa, quam nostra aetate, iudicia fiebant; neque hoc, quod nunc fit, ut causae singulae defenderentur a pluribus, quo nihil est vitiosius. 208. Respondemus iis, quos non audivimus: in quo primum saepe aliter est dictum, aliter ad nos relatum[10]: deinde magni interest coram videre me[11], quemadmodum adversarius de quaque re asseveret, maxime autem quemadmodum quaeque res audiatur. Sed nihil vitiosius, quam, quum unum corpus debeat esse defensionis, nasci de integro causam, quum sit ab altero perorata. 209. Omnium enim causarum, unum est naturale principium, una peroratio: reliquae partes, quasi membra, suo quaeque loco locata, suam et[12] vim et dignitatem tenent. Quum autem difficile sit, in longa oratione

---

(1) = *sua quemque natura* L. (2) — *lentissimo* Ell. suspic. (3) — *pro lege Varia* L. (4) — *scribit* Ed. 1584. Grut. errore typogr. (5) — *Q. Metello Balearici F.* Lamb. suspic. non recepta. prob. Ell. Nihil opus; sic: *Q. Catulum F.* § 222. (6) — *scribendis* L. e E. (7) — om. *ipsum* Ern. 1. errore typogr. (8) ∞ *sec. - - Caesarem* est Lamb. 1566. supplem. receptum ab Ern. 1. (sed peiori ordine: *Cotta* [*s. Ph. et C.*] *et S.*) Sch. 2. 3. Non receperunt Grut. Lallem. (9) Sic Ell. 3. — *iis* Ceteri omnes. (10) — *delatum* L. (11) — om. *me* L. (12) — om. *et* N. Iu. — L. (Habet Man.)

non aliquando aliquid ita dicere, ut sibi ipse non conveniat[1]: quanto difficilius cavere, ne quid dicas[2], quod non conveniat eius orationi, qui ante te[3] dixerit? Sed quia et labor multo maior est, totam causam, quam partem dicere, et quia plures inuntur gratiae, si uno tempore dicas pro pluribus, ideirco hanc consuetudinem lubenter[4] adscivimus.

LVIII. 210. Erant tamen, quibus videretur illius aetatis tertius Curio, quia splendidioribus fortasse verbis utebatur: et quia Latine non pessime loquebatur, usu, credo, aliquo domestico; nam literarum admodum nihil sciebat. Sed magni interest, quos quisque audiat quotidie domi, quibuscum loquatur a puero, quemadmodum patres, paedagogi, matres etiam loquantur. 211. Legimus epistolas Corneliae, matris Gracchorum: apparet, filios non tam in gremio educatos, quam in sermone matris. Auditus est nobis Laeliae C. F. saepe sermo. Ergo illam patris elegantia tinctam vidimus, et filias eius Mucias ambas, quarum sermo mihi fuit notus: et neptes Licinias, quas nos quidem ambas, hanc vero Scipionis etiam tu, Brute, credo, aliquando audisti loquentem. Ego vero, ac lubenter quidem, inquit Brutus; et eo lubentius, quod L. Crassi erat filia. 212. Quid Crassum, inquam, illum censes, istius Liciniae filium, Crassi testamento qui fuit adoptatus? Summo iste quidem dicitur ingenio fuisse, inquit. Et vero hic Scipio, collega meus, mihi sane bene et loqui videtur, et dicere. Recte, inquam, iudicas, Brute. Etenim istius genus est ex ipsius sapientiae stirpe generatum. Nam et de duobus avis iam diximus, Scipione et Crasso; et de tribus proavis, Q. Metello, cuius quatuor filii, P. Scipione, qui ex dominatu Ti. Gracchi privatus in libertatem rem publicam vindicavit, Q. Scaevola augure, qui peritissimus iuris, idemque percomis[5] est habitus. 213. Iam duorum abavorum quam est illustre nomen, P. Scipionis, qui bis consul fuit, qui est Corculum dictus, alterius omnium sapientissimi, C. Laelii! O generosam, inquit, stirpem, et tamquam in unam arborem plura genera[6], sic in istam domum multorum insitam atque †illuminatam[7] sapientiam! LIX. Similiter igitur suspicor, (ut conferamus parva magnis,) Curionis, etsi pupillus relictus est, patrio fuisse instituto puro sermone[8] assuefactam domum: et eo magis hoc iudico, quod neminem ex iis quidem, qui aliquo in numero fuerunt, cognovi in omni genere honestarum artium tam indoctum, tam rudem. 214. Nullum ille poëtam noverat[9], nullum legerat oratorem, nullam memoriam antiquitatis collegerat: non publicum ius, non privatum et civile cognoverat: quamquam id quidem fuit etiam in aliis, et magnis quidem oratoribus, quos parum his instructos artibus vidimus,

---

(1) ∞ *ut sibi ipsi non conveniat* Beier *ad Offic.* T. 1. p. 256. — *ut sibi ipsum non conveniat* L. — *ut tibi ipsi non convenias* Ern. suspic. prob. Ell. (2) — *dicat* Ell. suspic. (3) Habent *te* N. Iu. Crat. Camer. L. 1. 2. 3. ∞ om. *te* Gu. A. B. Man. prob. Ell. si legatur *dicat*. (4) = *libenter* N. L. (5) — *idemque patronus* Rivii suspic. (6) ∞ Quid h. l. *genera? Surculorum* vel *fructuum*, inquient. Audio; sed lego: *germina*. Virg. *Georg.* 2, 76. *huc aliena ex arbore germen Includunt* – (7) Hoc corruptum. Iu. M. 1. 3.: — *illiminatam* L. — *illatam* vel *illigatam* Ern. suspic. (— *illigatam* recepit Sch. 2.) — *innatam* vel ∞ *inoculatam* Sch. suspic. in Ed. mai. (8) — *sermoni* L. (9) ∞ *viderat* Gu. A.

ut Sulpicium, ut Antonium. Sed ii[1] tamen unum illud habebant dicendi opus elaboratum: idque quum constaret ex quinque notissimis partibus, nemo in aliqua parte earum omnino nihil poterat. In quacunque enim una plane clauderet[2], orator esse non posset. 215. Sed tamen alius in alia excellebat[3] magis: reperiebat[4], quid dici opus esset, et quomodo praeparari[5], et quo loco locari: memoriaque ea comprehendebat Antonius: excellebat autem actione; erantque ei quaedam ex his paria cum Crasso, quaedam etiam superiora. At Crassi magis enitebat[6] oratio. Nec vero Sulpicio, neque Cottae dicere possumus, neque cuiquam bono oratori, rem[7] ullam ex illis quinque partibus plane atque omnino defuisse. 216. Itaque in Curione hoc verissime iudicari potest, nulla re una magis oratorem commendari, quam verborum splendore et copia. Nam quum tardus in cogitando, tum in instruendo dissipatus fuit. LX. Reliqua duo sunt, agere et meminisse. In utroque cachinnos irridentium commovebat. Motus erat is, quem et C. Iulius in perpetuum notavit, quum ex eo, in utramque partem toto corpore vacillante, quaesivit, *quis loqueretur e lintre:* et Cn. Sicinius, homo impurus, sed admodum ridiculus, neque aliud in eo oratoris simile quidquam. 217. Is quum tribunus plebis Curionem et Octavium consules produxisset, Curioque multa dixisset, sedente Cn. Octavio collega, qui devinctus erat fasciis, et multis medicamentis, propter dolorem artuum, delibutus, *Nunquam*, inquit, *Octavi, collegae tuo gratiam referes: qui nisi se suo more iactavisset, hodie te istic muscae comedissent*[8]. Memoria autem ita fuit nulla, ut aliquotics, tria quum proposuisset, aut quartum adderet, aut tertium quaereret. Qui in iudicio privato vel maximo, quum ego pro Titinia Cottae peroravissem, ille contra me pro Ser.[9] Naevio diceret, subito totam causam oblitus est, idque veneficiis et cantionibus Titiniae factum esse dicebat. 218. Magna haec immemoris ingenii signa: sed nihil turpius, quam quod etiam in scriptis obliviscebatur[10], quid paullo ante posuisset; ut in eo libro, ubi se, exeuntem e senatu, et cum Pansa nostro, et cum Curione filio, colloquentem facit, [quum senatum Caesar consul habuisset[11],] omnisque ille sermo ductus[12] e percontatione filii, quid in senatu esset actum. In quo multis verbis quum inveheretur in Caesarem Curio, disputatioque esset inter eos, ut est consuetudo dialogorum, quum sermo esset institutus senatu misso, quem senatum Caesar consul habuisset, reprehendit eas res, quas idem Caesar anno post, et deinceps reliquis annis administravisset in Gallia. LXI. 219. Tum Brutus admirans, Tantamne

(1) = *ei* Nor. ut frequenter in hoc libro editur. (2) Sic Cdd. plures; neque hoc librariis debetur. (etsi §. 227. *claudicabat.*) — *claudicaret* e gloss. Iu. — L. 1. 2. 3. (3) — *excedebat* Nor. (4) Sic distinguunt Man. Ern. 1. 2. 3. — *excellebat; magis reperiebat* N. Iu. Crat. L. (5) Sic M. L. Ern. 1. 2. 3. — *praeparare* Cdd. N. Iu. Crat. Grut. (6) — *nitebat* Olx. ut §. 238. *nitens oratio.* (7) — del. *rem* L. Ell. 3. [ ]. (8) — *Is* - - *produxisset, Curioque multum se suo more iactasset, sedente* - - - *referes; qui nisi fuisset, hodie* cet. Sch. €. ?. partim de Schneideri suspic. (9) — *Ser.* L. (10) Sic N. Iu. Crat. L. Sch. 2. 3. — *oblivisceretur* Man. Grut. Ern. 1. (11) Haec [ ] Sch. 2. Ell. 3. Rectius quam Ern. qui inferiora: *quem S. C. c. habuisset* [ ]. (12) ∞ *ductus esset* L. prob. Ell. Iacobsii suspic. v. in Sch. Ed. mai. — *ducitur* Sch. €. in Ed. mai.

fuisse oblivionem, inquit, in scripto praesertim, ut ne legens quidem unquam senserit, quantum flagitii commisisset? Quid autem, inquam, Brute, stultius, quam, si ea vituperare volebat, quae vituperavit, non eo tempore instituere sermonem, quum illarum rerum iam tempora praeteriissent? Sed ita totus errat, ut in eodem sermone dicat, in senatum[1] se, Caesare consule, non accedere, sed[2] id dicat ipso consule, exiens e senatu. Iam qui hac parte animi, quae custos est ceterarum ingenii partium, tam debilis esset, ut ne in scripto quidem meminisset, quid paullo ante posuisset, huic, minime mirum est, ex tempore dicenti solitam effluere mentem. 220. Itaque quum ei nec officium deesset, et flagraret studio dicendi, perpaucae ad eum causae deferebantur. Orator autem, vivis eius aequalibus, proximus optimis numerabatur, propter verborum bonitatem, ut ante dixi, et expeditam ac profluentem quodammodo celeritatem. Itaque eius orationes adspiciendas tamen censeo. Sunt illae quidem languidiores, veruntamen possunt augere et quasi alere id bonum, quod in illo mediocriter fuisse concedimus: quod habet tantam vim, ut solum, sine aliis, in Curione speciem[3] oratoris alicuius effecerit. Sed ad instituta redeamus.

LXII. 221. In eodem igitur numero eiusdem aetatis C. Carbo fuit, illius eloquentissimi viri filius, non satis acutus orator; sed tamen orator numeratus est. Erat in verbis gravitas[4], et facile dicebat, et auctoritatem naturalem quandam[5] habebat oratio. Acutior Q. Varius rebus inveniendis, nec minus verbis expeditus: fortis vero actor, et vehemens, et verbis nec inops, nec abiectus, et quem plane oratorem dicere auderes. Cn. Pomponius lateribus pugnans, incitans animos, acer, acerbus, criminosus. 222. Multum ab his[6] aberat L. Fufius[7], tamen ex accusatione M' Aquilii diligentiae fructum ceperat. Nam M. Drusum, tuum magnum avunculum, gravem oratorem, ita dumtaxat quum de re publica diceret: L. autem Lucullum etiam acutum, patremque tuum, Brute, iuris quoque, et publici, et privati sane peritum: M. Lucullum, M. Octavium, Cn. F. (qui tantum auctoritate, dicendoque valuit, ut legem Sempronian frumentariam, populi frequentis suffragiis abrogaverit), Cn. Octavium, M. F., M. Catonem patrem, Q. etiam Catulum filium, abducamus ex acie, [id est, a iudiciis[8],] et in praesidiis rei publicae, cui facile satisfacere possint, collocemus. 223. Eodem Q. Caepionem referrem, nisi nimis equestri ordini deditus, a senatu dissedisset[9]. Cn. Carbonem, M. Marium, et ex eodem genere complures minime dignos elegantis conventus auribus, aptissimos cognovi turbulentis concionibus. Quo in genere (ut in his[10] perturbem aetatum ordinem) nuper L. Quinctius[11] fuit: aptior etiam[12]

(1) Sic Man. L. De Ern. C. Sch. 2. 3. — *senatu* Iu. Crat. Ern. 1. (2) *et id dicat* Lamb. suspic. non recepta. Item Ern. suspic. (3) — *specimen* Sch. 2. Ell. 3. errore typogr. (4) — *granditas* Lamb. suspic. non recepta. (5) = *auct. quandam nat.* (non *nat. qu. auct.* ut ait Ell.) Gu. A. (6) e Gu. A. Sch. 2. 3. — *iis* Ceteri omnes. (7) Sic L. Ern. 1. 2. 3. — *Fusius* Iu. Cr. M. (8) Spuria haec visa Man. L. Rhunckenio *ad Ell.* 2, 23. Sch. 2. 3. [ ]. (9) — *discessisset* L. solus. (10) Sic Man. — *iis* Ceteri omnes. (11) Sic L. Ell. 3. — *Quintius* al. (12) Sic Gu. A. B. Nor. Man Sch. 2. 3. — *aptior autem etiam* Iu. Crat. L. Ern. 1.

Palicanus auribus imperitorum. 224. Et, quoniam huius generis facta mentio est, seditiosorum omnium post Gracchos, L. Appuleius[1] Saturninus eloquentissimus visus est; magis specie tamen, et motu, atque ipso amictu capiebat homines, quam aut dicendi copia, aut mediocritate prudentiae. Longe autem post natos homines[2] improbissimus C. Servilius Glaucia, sed peracutus et callidus, cum primisque ridiculus. Is ex summis et fortunae et vitae sordibus, in praetura consul[3] factus esset, si rationem eius haberi licere iudicatum esset. Nam et plebem tenebat, et equestrem ordinem beneficio legis devinxerat. Is praetor eodem die, quo Saturninus tribunus plebis, Mario et Flacco consulibus, publice[4] est interfectus; homo simillimus Atheniensis Hyperboli, cuius improbitatem veteres Atticorum comoediae notaverunt. 225. Quos Sex. Titius consecutus, homo loquax sane, et satis acutus, sed tam solutus et mollis in gestu, ut saltatio quaedam nasceretur, cui saltationi Titius nomen esset. Ita cavendum est, ne quid in agendo dicendove facias, cuius imitatio rideatur. LXIII. Sed ad paullo superiorem aetatem revecti sumus: nunc ad eam, de qua aliquantum locuti sumus, revertamur.

226. Coniunctus igitur Sulpicii actati P. Antistius fuit, rabula sane probabilis, qui multos quum tacuisset annos, neque contemni solum, sed irrideri etiam solitus esset, in tribunatu primum contra C. Iulii illam consulatus petitionem extraordinariam, veram causam agens, est probatus: et eo magis, quod eandem causam quum ageret eius collega, ille ipse Sulpicius, hic plura et acutiora dicebat. Itaque post tribunatum primo multae ad eum causae, deinde omnes, maximae quaecunque erant, deferebantur. 227. Rem videbat acute, componebat diligenter, memoria valebat: verbis non ille quidem ornatis utebatur, sed tamen non abiectis. Expedita autem erat et perfacile currens oratio. Et erat eius quidem[5] tamquam habitus non inurbanus: actio paullum quum vitio vocis, tum etiam ineptiis claudicabat. Hic temporibus floruit iis, quibus, inter[6] profectionem reditumque L. Sullae, sine iure fuit et sine ulla dignitate res publica. Hoc etiam [autem[7]] magis probabatur, quod erat ab oratoribus quaedam in[8] foro solitudo. Sulpicius occiderat, Cotta aberat, et Curio: vivebat e reliquis patronis eius aetatis nemo, praeter Carbonem et Pomponium, quorum utrumque facile superabat. LXIV. 228. Inferioris autem aetatis erat proximus L. Sisenna, doctus vir, et studiis optimis deditus, bene Latine loquens, gnarus rei publicae, non sine facetiis: sed neque laboris multi, nec satis versatus in causis; interiectusque inter duas aetates, Hortensii et Sulpicii, nec maiorem consequi poterat, et minori necesse erat cedere. Huius omnis facultas ex historia ipsius perspici potest: quae quum facile omnes vincat superiores, tum indicat

(1) Sic Nor. Ell. 3. — *Apuleius* Ceteri. (2) = *post hom. natos* L. (3) Male distinxit L. *sordibus in praetura. Consul.* (4) *publice* Ern. 1. [ ]. Perperam. (5) ∞ *quidam* Man. L. prob. Schneidero. Sed cfr. §. 259. *alia quidem quasi inculta – via*, et videbis, nihil esse mutandum. (6) — *ante* Crat. Refutat Rivius. (7) ∞ *hoc etiam magis* Gu. A. B. ut Ern. C. idque praefero, quum particulae adversativae intrudi saepius soleant, quam reliquae. ∞ *hoc autem magis* Man. Sch. 2. Ell. 3. (8) — om. *in* Gu. A. B. unde Ell. suspic. *quaed. fori sol.*

tamen[1], quantum absit a summo, quamque genus hoc scriptionis nondum sit satis Latinis literis illustratum. Nam Q. Hortensii admodum adolescentis ingenium, ut Phidiae signum, simul adspectum et probatum est. 229. Is, L. Crasso, Q. Scaevola consulibus, primum in foro dixit, et apud hos ipsos quidem consules, et quum eorum, qui affuerunt, tum ipsorum consulum, qui omnes intelligentia anteibant, iudicio discessit probatus. Undeviginti annos natus erat eo tempore. Est autem L. Paullo, C. Marcello consulibus mortuus; ex quo videmus, eum in patronorum numero annos quatuor et quadraginta[2] fuisse. Hoc de oratore paullo post plura dicemus: hoc autem loco voluimus † aetatem eius in disparem oratorum aetatem[3] includere: quamquam id quidem omnibus usu venire necesse fuit, quibus paullo longior vita contigit, ut et cum multo maioribus natu, quam essent ipsi, et cum aliquanto minoribus compararentur. Ut Attius[4], iisdem aedilibus, ait, se et Pacuvium docuisse fabulam, quum ille octoginta[5], ipse triginta annos natus esset: 230. sic Hortensius non cum suis aequalibus solum, sed et mea cum aetate, et cum tua, Brute, et cum aliquanto superiore coniungitur; siquidem et Crasso vivo dicere solebat, et magis iam etiam vigebat cum[6] Antonio, et cum Philippo, iam sene pro Cn. Pompeii bonis dicente[7]. In illa causa adolescens quum esset, princeps fuit, et in eorum, quos in Sulpicii aetate posui, numerum facile pervenerat: et suos inter aequales M. Pisonem, M. Crassum, Cn. Lentulum, P. Lentulum[8] Suram longe praestitit: et me adolescentem natus octo annis minorem, quam erat ipse, multos annos in ° stadio[9] eiusdem laudis exercuit: et tecum simul, sicut ego pro multis, sic ille pro Appio Claudio dixit, paullo ante mortem.

LXV. 231. Vides igitur, ut ad te oratorem, Brute, pervenerimus, tam multis inter nostrum tuumque initium dicendi interpositis oratoribus? ex quibus, quoniam in hoc sermone nostro statui neminem eorum, qui viverent, nominare; ne vos curiosius ° elicieretis[10] ex me, quid de quoque iudicarem, eos, qui iam sunt mortui, nominabo. Tum Brutus, Non est, inquit, ista causa, quam dicis, quamobrem de iis, qui vivunt, nihil velis dicere. Quaenam igitur, inquam, est? Vereri te, inquit, arbitror, ne per nos hic sermo tuus emanet, et ii tibi succenseant, quos praeterieris. Quid? vos, inquam, tacere non poteritis? Nos quidem, inquit, facillime: sed tamen te arbitror malle ipsum[11] tacere, quam taciturnitatem nostram experiri. 232. Tum ego, Vere, inquam, tibi[12], Brute, dicam. Non me existimavi in hoc sermone usque

---

([1]) v. Beier *ad Offic.* T. 2. p. 191. ([2]) — *quadraginta unum* Gu. A. ([3]) Locus corruptus. Sic L. Grut. Ern. 1. Ell. 3. ∞ *eius* om. Cdd. aliq. Ed. Ven. N. Med. Iu. Crat. ∞ *voluimus aetatem in disparem oratorum includere* Man. ∞ *voluimus in disparem oratorum aetatem includere* Sch. 2. — *voluimus eum in disp. or. aet. incl.* Ern. suspic. — *voluimus iuventutem eius in d. o. ae. i.* Schneideri suspic. (— *volumus* Nor.) ([4]) = *Accius* Iu. — L. ([5]) — *octuaginta* Iu. ([6]) — om. *cum* Cdd. aliq. Ald. Iu. Cr. Man. ([7]) — *dicens* Sch. €. 2. ([8]) — *C. Lentulum* Sch. 2. Ell. 3. errore typogr. ([9]) Sic de Rivii €. L. Sch. 2. 3. — *studio* Cdd. Iu. Crat. Man. Grut. Ern. 1. qui defendit. ([10]) de Rivii €. M. L. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *eligeretis* Cdd. Iu. Crat. ([11]) Sic Iu. Crat. Camer. Tum rursus e Cdd. Gruteri Ern. 1. 2. 3. — *id ipsum* N. M. L. Grut. ([12]) = *tibi, inquam* L.

ad hanc aetatem esse venturum: sed ita traxit ordo aetatum orationem, ut iam ad minores etiam pervenerim. Interpone igitur, inquit, si quos videtur: deinde redeamus ad te, et ad Hortensium. Immo vero, inquam, ad Hortensium: de me alii dicent[1], si qui volent. Minime vero, inquit: nam etsi me facile omni tuo sermone tenuisti, tamen is mihi longior videtur, quod propero audire de te; nec vero tam de virtutibus dicendi tuis, quae quum omnibus, tum certe mihi notissimae sunt, quam quod[2] gradus tuos, et quasi processus dicendi studeo cognoscere. 233. Geretur, inquam, tibi mos: quoniam me non ingenii praedicatorem esse vis, sed laboris mei. Verum interponam, ut placet, alios, et a M. Crasso, qui fuit aequalis Hortensii, exordiar.

LXVI. Is igitur mediocriter a doctrina instructus, angustius etiam a natura, labore et industria, et quod adhibebat ad obtinendas causas curam etiam, et gratiam, in principibus aliquot annos fuit. In huius oratione sermo Latinus erat, verba non abiecta, res compositae diligenter; nullus flos tamen, neque lumen ullum: animi magna, vocis parva contentio[3], omnia fere ut similiter atque uno modo dicerentur. Nam huius aequalis et inimicus C. Fimbria, non ita diu iactare se potuit: qui omnia magna voce dicens, verborum sane bonorum cursu quodam incitato, ita furebat tamen, ut mirarere[4] tam alias res agere populum, ut esset insano inter disertos locus. 234. Cn. autem Lentulus multo maiorem opinionem dicendi actione faciebat, quam quanta in eo facultas erat: qui quum esset nec peracutus, quamquam et ex facie et ex vultu videbatur, nec abundans verbis, (etsi fallebat in eo ipso), sic intervallis, exclamationibus, voce suavi et canora, † admirando irridebat, calebat in agendo[5], ut ea, quae deerant, non desiderarentur. Ita, tamquam Curio copia nonnulla verborum, nullo alio bono, tenuit oratorum locum: 235. sic Cn. Lentulus ceterarum virtutum dicendi mediocritatem actione occultavit: in qua excellens fuit. Neque multo secus P. Lentulus, cuius et excogitandi et loquendi tarditatem tegebat formae dignitas, corporis motus plenus et artis et venustatis, vocis et suavitas et magnitudo. Sic in hoc nihil praeter actionem fuit, cetera etiam minora, quam in superiore. LXVII. 236. M. Piso quidquid habuit, habuit ex disciplina, maximeque ex omnibus, qui ante fuerunt, Graecis doctrinis eruditus fuit. Habuit a natura genus quoddam acuminis, (quod etiam arte limaverat,) quod erat in reprehendendis verbis versutum et sollers, sed saepe stomachosum, nonnunquam frigidum, interdum etiam facetum. Is laborem, quasi cursum, forensem[6], diutius non tulit, quod et corpore erat infirmo, et hominum ineptias ac stultitias, quae devorandae nobis sunt, non ferebat,

---

(1) — *dicant* Ern. suspic. (2) *quod* Ern. 1. Ell. 3. [ ]. (3) — *animi magna vocis firmitudo parva contentio* Gu. A. unde Sch. in Ed. mai suspic.: *animi magna firmitudo*, *v. p. c.* (4) — *mirarer* Iu. Crat. M. (5) Locus corruptus. Sic Cdd. N. Iu. Crat. M. Ern. 1. — *admirando irridendo latebat in agendo*, *ut ea* L. ∞ *admirando irridendo calebat*, *in agendo ut ea* Ell. C. 3. quae inter omnes C. adhuc prolatas longe praestat. — *admirantes irretiebat*, *et sic calebat in agendo*, *ut ea* Sch. C. 2. — *admirando*, *irridendo*, *splendebat*, *calebat in agendo*, *ut ea* Buttmanni C. (6) Sic distinxi, ut iungatur *lab. forensem.* — *laborem*, *quasi cursum forensem* Ern. 1. 2. 3.

iracundiusque respuebat, sive morose[1], ut putabatur, sive ingenuo liberoque fastidio. Is quum satis floruisset adolescens, minor haberi est coeptus postea. Deinde ex virginum iudicio magnam laudem est adeptus, et ex eo tempore quasi revocatus in cursum, tenuit locum tam diu, quam ferre potuit laborem: postea, quantum detraxit ex studio[2], tantum amisit ex gloria. 237. P. Murena mediocri ingenio, sed magno studio rerum veterum, literarum et studiosus et non imperitus, multae industriae et magni laboris fuit. C. Censorinus Graecis literis satis doctus, quod proposuerat, explicans expedite, non invenustus actor, sed iners, et inimicus fori. L. Turius[3] parvo ingenio, sed multo labore, quoquo modo poterat, saepe dicebat. Itaque ei[4] paucae centuriae ad consulatum defuerunt. 238. C. Macer auctoritate semper eguit, sed fuit patronus propemodum diligentissimus. Huius si vita, si mores, si vultus denique non omnem commendationem ingenii everteret[5], maius nomen in patronis fuisset. Non erat abundans, non inops tamen: non valde nitens, non plane horrida oratio: vox, gestus, et omnis actio sine lepore: at in inveniendis, componendisque rebus mira accuratio: ut non facile in ullo diligentiorem maioremque cognoverim, sed eam, ut citius veteratoriam, quam oratoriam diceres. Hic etsi[6] etiam in publicis causis probabatur, tamen in privatis illustriorem obtinebat locum. LXVIII. 239. C. deinde Piso, statarius, et sermonis[7] plenus orator, minime ille quidem tardus in excogitando, verumtamen vultu, et simulatione, multo etiam acutior, quam erat, videbatur. Nam eius aequalem M' Glabrionem, bene institutum avi Scaevolae diligentia, socors ipsius natura negligensque tardaverat. Etiam L. Torquatus, elegans in dicendo, in existimando admodum prudens, toto genere perurbanus. Meus autem aequalis Cn. Pompeius, vir ad omnia summa natus, maiorem dicendi gloriam habuisset, nisi eum maioris gloriae cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset. Erat oratione satis amplus, rem prudenter videbat: actio vero eius habebat et in voce magnum splendorem, et in motu summam dignitatem. 240. Noster item aequalis D. Silanus, vitricus tuus, studii ille quidem habuit non multum, sed acuminis et orationis satis. Q. Pompeius A. F. qui Bithynicus dictus est, biennio, quam nos, fortasse maior, summo studio dicendi[8], multaque doctrina, incredibili labore atque industria; quod scire possum. Fuit enim mecum et cum M. Pisone, quum[9] amicitia, tum studiis, exercitationibusque coniunctus. Huius actio non satis commendabat orationem: in hac enim satis erat copiae: in illa autem leporis parum. 241. Erat eius aequalis P. Autronius[10], voce peracuta, atque magna, nec alia re ulla probabilis: et L. Octavius Reatinus; qui quum multas iam causas diceret, adolescens est mortuus. Is tamen ad dicendum veniebat magis audacter[11], quam parate. Et C. Stalenus[12], qui se ipse adoptaverat, et de Staleno Aelium[13] fecerat,

(1) — *moroso* L. (2) — *de studio* L. ut est §. 247. (3) ∞ *Thorius* Pigh. (4) — *et* Cdd. aliq. Edd. vett. Iu. Crat. (5) — *evertisset* Ern. C. 1. v. Garaton. *ad Milon.* p. 129. Bonon. (6) ∞ *si* Iu. Crat. improbante Rivio. v. tamen infra §. 263. (7) — *leporis* Ern. prava suspic. (8) ∞ *discendi* L. (9) — *tum* Sch. C. 2. 3. (10) — *Antronius* N. Iu. M. L. (sed in marg. 1584. *Autronius.*) (11) = *audacter magis* L. (12) Sic de Rivii C. M. L. 1. 2. 3. — *Staienus* et mox *Staieno* Cdd. Iu. Crat. Grut. (13) — *Paetum* Pighii C.

fervido quodam, et petulanti, et furioso genere dicendi: quod quia multis gratum erat et probabatur, ascendisset ad honores, nisi in facinore manifesto deprehensus, poenas legibus et iudicio dedisset. LXIX. 242. Eodem tempore C. et L. Caepasii[1] fratres fuerunt, qui multa opera, ignoti homines et repentini, quaestores celeriter facti sunt, oppidano quodam et incondito genere dicendi. Addamus huc etiam, ne quem vocalem praeteriisse videamur, C. Cosconium Calidianum, qui nullo acumine, eam tamen verborum copiam, si[2] quam habebat, praebebat populo cum multa concursatione magnoque clamore. Quod idem faciebat Q. Arrius, qui fuit M. Crassi quasi secundarum[3]. Is omnibus exemplo debet esse, quantum in hac urbe polleat [multorum[4]] obedire tempori, multorumque vel honori, vel periculo servire[5]. 243. His enim rebus, infimo loco natus, et honores, et pecuniam, et gratiam consecutus, etiam in patronorum, sine doctrina, sine ingenio, aliquem numerum pervenerat. Sed ut pugiles inexercitati, etiam si pugnos et plagas, Olympiorum cupidi, ferre possunt, solem tamen saepe ferre non possunt: sic ille, quum omni iam fortuna prospere functus, labores etiam magnos excepisset, illius iudicialis anni severitatem, quasi solem, non tulit.

244. Tum Atticus, Tu quidem de faece, inquit, hauris, idque iamdudum: sed tacebam: hoc vero non putabam, te usque ad Stalenos et Autronios[6] esse venturum. Non puto, inquam, existimare te, ambitione me labi: quippe de mortuis: sed ordinem sequens, in memoriam notam et aequalem necessario incurro. Volo autem hoc perspici, omnibus conquisitis, qui in multitudine dicere ausi sint[7], memoria quidem dignos perpaucos; verum qui omnino nomen habuerint[8], non ita multos fuisse. Sed ad sermonem institutum revertamur. LXX. 245. T. Torquatus, T. F. et doctus vir ex Rhodia disciplina Molonis, et a[9] natura ad dicendum satis solutus atque expeditus: (cui si vita suppeditavisset, sublato ambitu, consul factus esset:) plus facultatis habuit ad dicendum, quam voluntatis. Itaque studio huic non satisfecit: officio vero nec in suorum[10] necessariorum causis, nec in sententia senatoria defuit. 246. Etiam M. Pontidius, municeps noster, multas privatas causas actitavit, celeriter sane verba volvens, nec hebes in causis, vel dicam, plus etiam quam non hebes, sed effervescens in dicendo stomacho saepe iracundiaque vehementius: ut non cum adversario solum, sed etiam (quod mirabile esset[11]) cum iudice ipso, cuius delenitor[12] esse debet orator, iurgio saepe contenderet. M. Messala minor natu, quam nos, nullo modo inops, sed non nimis ornatus genere verborum: prudens, acutus, minime incautus pa-

(1) ∞ *Cepasii* Gu. B. ut *pro Cluent.* 20. (= *C. L. Caepasii* Nor.) (2) — *si* suspect. Ern. et Sch. in Ed. mai. (3) Sic O1x. Gu. A. B. Ed. Ven. N. M. prob. Lamb. Gronov. 1692. Ern. 1. 2. 3. — *secundanus* Ed. Rom. — *secundarius* Iu. Crat. L. 1566. contra ipsius voluntatem. Grut. (4) ∞ om. *multorum* Gu. B. (prob. Grut. Wakefield. Schneid.) del. Sch. 2. Ell. 3. [ ]. (5) — *inservire* alii memorante Rivio. (6) ut supra. (7) — *sunt* Gu. A. B. (8) — *habuerunt* Gu. A. B. — *verum etiam* mavult Ell. non videns, quod iamdudum Nizolius perspexerat, *verum* esse adiect. iungendum cum v. *nomen*, *verum nomen*, ut *vera gloria*, *fama*. Sed vitiose distinguunt *verum*, *qui*. (9) — om. *a* L. (10) *suorum* suspect. Ern. (11) Sic N. Iu. Crat. Man. L. (etiam in Ed. 1584.) Gothofr. — *esset* primus, ut videtur, tacite expunxit Grut. Ern. 1. 2. 3. (12) Sic L. — *delinitor* Ceteri omnes.

tronus[1], in causis cognoscendis componendisque diligens, magni laboris, multae operae, multarumque causarum. 247. Duo etiam Metelli, Celer et Nepos, nihil[2] in causis versati, nec sine ingenio, nec indocti, hoc erant populare dicendi genus assecuti. Cn. autem[3] Lentulus Marcellinus, nec unquam indisertus, et in consulatu pereloquens visus est, non tardus sententiis, non inops verbis, voce canora, facetus satis. C. Memmius, L. F. perfectus literis, sed Graecis; fastidiosus sane Latinarum: argutus orator, verbisque dulcis, sed fugiens non modo dicendi, verum etiam cogitandi laborem, tantum sibi de facultate detraxit, quantum imminuit industriae.

LXXI. 248. Hoc loco Brutus, Quam vellem, inquit, de his etiam oratoribus, qui hodie sunt, tibi dicere liberet, et, si de aliis minus, de duobus tamen, quos a te scio laudari solere, Caesare et Marcello, audirem non minus lubenter, quam audivi de iis, qui fuerunt. Cur tandem? inquam, an exspectas, quid ego iudicem de istis, qui tibi sunt[4] aeque noti ac mihi? Mihi mehercule, inquit, Marcellus satis est notus; Caesar autem parum. Illum enim saepe audivi: hic, quum ego iudicare iam aliquid possem, abfuit. 249. Quid igitur de illo iudicas, quem saepe audisti? Quid censes, inquit, nisi id, quod habiturus es similem tui? Nae ego, inquam, si ita est, velim[5] tibi cum placere quam maxime. Atqui et ita est, inquit, et vehementer placet: nec vero sine causa. Nam et didicit, et, omissis ceteris studiis, unum id egit, seseque quotidianis commentationibus acerrime exercuit. 250. Itaque et lectis utitur verbis et frequentibus, et splendore vocis, et dignitate motus fit speciosum et illustre, quod dicitur; omniaque sic suppetunt, ut ei nullam deesse virtutem oratoris putem: maximeque laudandus est, qui hoc tempore ipso, quum liceat[6], in hoc communi nostro, et quasi fatali malo, consoletur se quum conscientia optimae mentis, tum etiam usurpatione et renovatione doctrinae. Vidi enim Mitylenis[7] nuper virum, atque, ut dixi, vidi plane virum. Itaque quum cum antea tui similem in dicendo viderim, tum vero nunc a doctissimo viro, tibique, ut intellexi, amicissimo, Cratippo, instructum omni copia, multo videbam similiorem. 251. Hic ego, Etsi, inquam, de optimi viri, nobisque amicissimi laudibus lubenter audio, tamen incurro in memoriam communium miseriarum, quarum oblivionem quaerens, hunc ipsum sermonem produxi longius. Sed de Caesare cupio audire, quid tandem Atticus iudicet. LXXII. Et ille, Praeclare, inquit, tibi constas, ut de iis, qui nunc sint[8], nihil velis ipse dicere: et hercule[9] si sic ageres, ut de iis egisti, qui iam mortui sunt, neminem ut praetermitteres: nae tu in multos Autronios et Stalenos[10] incurreres. Quare sive hanc turbam effugere voluisti, sive veritus es, ne quis se aut praeteritum, aut non satis laudatum queri posset[11]:

---

(1) ∞ *minime incautus, patronus in causis* distinguunt N. M. L. Ern. 1. (2) ∞ *nonnihil* de Rivii €. L. Sch. 2. (3) — *C. autem* Nor. Grut. Ern. 1. Sch. 2. errore typogr. (4) ∞ *sint* Gu. A. B. (5) — *vellem* Gu. A. B. (6) — *quum iaceat* L. — *quantum liceat* Nescio cuius €. ap. Grut. prob. Lallem. ∞ *quoad liceat* Sch. suspic. (7) Sic N. Iu. M. L. Sch. 2. 3. — *Mytilenis* Grut. Ern. 1. (8) ∞ *sunt* L. (9) = *hercule* Gu. A. B. ut §. 254. (10) ut supra. (11) Sic Ern. 1. €. confirmata a Cd. Regio. Lallem. Sch. 2. 3. — *possit* N. Iu. Cr. M. L. Grut.

de Caesare tamen potuisti dicere, praesertim quum et tuum de illius ingenio notissimum iudicium esset, nec illius de tuo obscurum. 252. Sed tamen, Brute, inquit Atticus, de Caesare et ipse ita iudico, et de hoc huius generis acerrimo existimatore[1] saepissime audio, illum omnium fere oratorum Latine loqui elegantissime. Nec id solum domestica consuetudine, ut dudum de Laeliorum et Muciorum familiis audiebamus, sed, quamquam id quoque credo fuisse, tamen ut esset perfecta illa bene loquendi laus, multis literis, et iis quidem reconditis et exquisitis, summoque studio et diligentia est consecutus. 253. Quin etiam[2], in maximis occupationibus, quum ad te ipsum (inquit, in me intuens) de ratione Latine loquendi accuratissime scripserit, primoque in libro dixerit, verborum delectum originem esse eloquentiae; tribueritque, mi Brute, huic nostro, qui me de illo maluit, quam se dicere, laudem singularem: (nam scripsit his verbis, quum hunc nomine esset affatus: *ac, si cogitata praeclare eloqui possent*[3], *nonnulli studio et usu elaboraverunt, cuius te paene principem copiae atque inventorem, bene de nomine ac dignitate populi Romani meritum esse existimare debemus:)* hunc facilem et quotidianum novisse sermonem, † nunc pro relicto est habendum[4]. LXXIII. 254. Tum[5] Brutus, Amice, hercule, inquit, et magnifice te laudatum puto, quem non solum principem atque inventorem copiae dixerit, quae erat magna laus, sed etiam bene meritum de populi Romani nomine et dignitate. Quo enim uno vincebamur a victa Graecia, id aut ereptum illis est, aut certe nobis cum illis[6] communicatum. 255. Hanc autem, inquit, gloriam, testimoniumque Caesaris, tuae quidem supplicationi non[7], sed triumphis multorum antepono. Et recte quidem, inquam, Brute: modo sit hoc Caesaris iudicii, non benevolentiae testimonium. Plus enim certe attulit huic populo dignitatis, quisquis est ille, si modo est aliquis, qui non illustravit modo, sed etiam genuit in hac urbe dicendi copiam, quam illi, qui Ligurum castella expugnaverunt: ex quibus multi sunt, ut scitis, triumphi. 256. Verum quidem si audire volumus, omissis illis divinis consiliis, quibus saepe constituta est imperatorum sapientia[8] salus civitatis aut belli, aut domi; multo magnus[9] orator praestat minutis imperatoribus. At prodest plus imperator. Quis negat? sed tamen,

---

(1) Sic Cdd. aliq. N. Iu. Crat. L. Sch. 2. 3. — *aestimatore* Man. Grut. Ern. 1. (2) — *qui etiam* Sch. €. 2. (3) — *ac si, ut cog. pr. el. possent* L. €. — *ac, si cog. pr. eloqui ut possent* Ern. 1. €. (4) Locus corruptus. Sic Cdd. N. Iu. Crat. Man. Grut. Ern. 1. — *non pro derelicto est habendum* L. — *num pro derelicto est habendum?* Lallem. €. non recepta. Ell. 3. — *num pro delicto est habendum?* Sch. in Ed. mai., haec *hunc facilem - habendum* pessime cum Caesaris verbis coniungens, quum sint Attici: (ne tamen tota periodus apodosi careret, in Ed. mai. non item in min. dedit: *etiam scripsit.*) — *nunc pro derelicto est habendum* Sch. €. 2. — *nunc pro evicto est habendum* Wetz. €. Mihi in mentem venit: *nunc prope reliquum est faciendum* id est, omittendum, παρέργου loco habendum. (5) = *Tunc* L. (6) — *Graecis* O1x. (7) Sic O1x. Cod. Rivii, qui probat. M. L. Ern. 1. 2. 3. — *non solum, sed tr.* Cdd. aliq. N. Iu. Crat. defendente Schellero. *non* sic aliquoties v. c. *ad Attic.* 14, 12. (8) — *imp. sap.* tacite [ ]. Ell. 3. Delenda scil. censuerat Lamb. (9) Sic O1x. Nor. Man. — *magis* Iu. Crat. L. Ern. 1. 2. 3. sed *magis* non habet, quo referatur. Alterum enim requireret membrum v. c. *quam imperator artifice*, ideoque locum non habet.

(non metuo ne mihi[1] acclametis: est autem, quod sentias, dicendi liber locus:) malim mihi L. Crassi unam pro M' Curio dictionem, quam castellanos triumphos duos[2]. At plus interfuit rei publicae, castellum capi Ligurum, quam bene defendi causam M' Curii. Credo. 257. Sed[3] Atheniensium quoque plus interfuit firma tecta in domiciliis habere, quam Minervae signum ex ebore pulcherrimum; tamen ego me Phidiam esse mallem, quam vel optimum fabrum tignarium. Quare non, quantum quisque prosit, sed quanti quisque sit, ponderandum est: praesertim quum pauci pingere egregie possint, aut fingere; operarii autem, aut baiuli deese non possint[4]. LXXIV. 258. Sed perge, Pomponi, de Caesare, et redde, quae restant.

Solum quidem, inquit ille, et quasi fundamentum oratoris vides, locutionem[5] emendatam et Latinam; cuius penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis, aut scientiae, sed quasi bonae consuetudinis. Mitto C. Laelium, P. Scipionem. Aetatis illius ista fuit laus, tamquam innocentiae, sic Latine loquendi: nec omnium tamen. Nam illorum aequales, Caecilium et Pacuvium, male locutos videmus. Sed omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat[6], recte loquebantur. Sed hanc certe rem deteriorem vetustas fecit et Romae, et in Graecia. Confluxerunt enim et Athenas, et in hanc urbem multi inquinate loquentes ex diversis locis. Quo magis expurgandus est sermo, et adhibenda, tamquam obrussa[7], ratio, quae mutari non potest, nec utendum pravissima consuetudinis regula. 259. T. Flamininum[8], qui cum Q. Metello consul fuit, pueri vidimus. Existimabatur bene Latine, sed literas nesciebat. Catulus erat ille quidem minime indoctus: ut a te paullo est ante dictum: sed tamen suavitas vocis, et lenis appellatio literarum, bene loquendi famam confecerat. Cotta, quia[9] se valde dilatandis literis a similitudine Graecae locutionis abstraxerat, sonabatque contrarium Catulo, subagreste quiddam planeque subrusticum, alia quidem[10], quasi inculta et silvestri via, ad eandem laudem pervenerat. Sisenna autem[11], quasi emendator sermonis usitati quum esse vellet, ne a C. Rusio[12] quidem accusatore deterreri potuit, quo minus inusitatis verbis uteretur. 260. Quidnam istuc[13] est? inquit Brutus: aut quis est iste C. Rusius? Et ille, Fuit accusator, inquit, vetus, quo accusante C. Rutilium[14], Sisenna defendens, dixit, quaedam eius *sputatilica* esse crimina. LXXV. Tum C. Rusius, *Circumvenior*, inquit, *iudices*, *nisi subvenitis*. *Sisenna quid dicat*[15], *nescio:*

(1) ∞ om. *mihi* Gu. A. (2) = *duo* c Cdd. Sch. 2. (3) — *sed* tacite del. Sch. 2. Habet in Ed. mai. (4) ∞ *possunt* Nor. ita ut hoc membrum non pendeat a. v. *quum*. (5) — *elocutionem* Gu. A. B. Nor. (6) Locus est sanissimus. — *nec aliqua barbarie d. infuscati fuerant* L. — *nec os a. barbarie d. infuscaverant* de Gulielmii, non Ern. C. Sch. 2. (7) Sic Victor. Grut. Ern. 1. 2. 3. — om. *tamquam obrussa* L. — *adhibenda quam obtrusa r.* N. Iu. Crat. Camer. M. (8) — *Flaminium* N. Iu. Crat. L. (9) — *qui* Ern. suspic. (10) Sic N. Iu. Crat. Ern. 1. Ell. 3. ∞ *quadam* Ald. Man. L. Sch. 2. probb. Heusing. et Ern. cfr. §. 227. (11) ∞ *autem* om. Nor. (12) Sic iam Nor. 1. 2. 3. ∞ *C. Ruscio* Iu. Crat. L. ∞ *C. Rufio* Man. ∞ *C. Erucio* Pighii C. prob. Lall. Schneid. Sch. Et sic in seqq. (13) = *istud* Sch. 2. 3. In hoc pronomine variat iam Nor. passim. (14) Sic Ed. Rom. Sch. 2. Ell. 3. — *Chirtilium* N. Iu. Crat. M. L. — *Chritilium* Grut. Ern. 1. (15) Haec Ern. erat suspicio prob. Sch. confirmata ab Olx. et Nor. Egregie. — *dicas* Iu. — L. Ern. 1. 2. 3.

metuo insidias. Sputatilica, quid est hoc? sputa quid sit scio, tilica nescio. Maximi risus: sed ille tamen familiaris meus recte loqui putabat esse, inusitate loqui. 261. Caesar autem, rationem adhibens, consuetudinem vitiosam et corruptam, pura et incorrupta consuetudine[1] emendat. Itaque quum ad hanc elegantiam verborum Latinorum (quae, etiamsi orator non sis, et[2] sis ingenuus civis Romanus, tamen necessaria est) adiungit illa oratoria ornamenta dicendi: tum videtur tamquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine. Hanc quum habeat praecipuam laudem in communibus, non video cui debeat cedere. Splendidam quandam, minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica et generosa[3] quodammodo. 262. Tum Brutus: Orationes quidem eius mihi vehementer probantur, complures autem legi. Atque etiam commentarios quosdam scripsit rerum suarum. Valde quidem, inquam, probandos: nudi enim sunt, recti, et venusti, omni ornatu orationis, tamquam veste detracta[4]. Sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam: ineptis gratum fortasse fecit, qui volent[5] illa calamistris inurere: sanos quidem homines a scribendo deterruit. Nihil enim est in historia pura et illustri brevitate dulcius. Sed ad eos, si placet, qui vita[6] excesserunt, revertamur.

LXXVI. 263. C. Sicinius igitur, Q. Pompeii illius, qui censor fuit, ex filia nepos, quaestorius mortuus est, probabilis orator, iam vero etiam[7] probatus; ex hac inopi ad ornandum, sed ad inveniendum expedita Hermagorae disciplina. Ea dat rationes certas et praecepta dicendi: quae si[8] minorem habent apparatum, (sunt enim exilia) tamen habent ordinem, et quasdam errare in dicendo non patientes vias. Has ille tenens, et paratus ad causas veniens, verborum non egens, ipsa illa comparatione disciplinaque dicendi iam in patronorum numerum pervenerat. 264. Erat etiam vir doctus in primis C. Visellius Varro, consobrinus meus, qui fuit cum Sicinio aetate coniunctus. Is, quum post curulem aedilitatem iudex quaestionis esset, est mortuus: in quo fateor vulgi iudicium a iudicio meo dissensisse. Nam populo non erat satis vendibilis: praeceps quaedam, et quum idcirco obscura, quia peracuta, tum rapida, et celeritate caecata[9] oratio: sed neque verbis aptiorem cito alium dixerim, neque sententiis crebriorem. Praeterea perfectus in literis, iurisque civilis iam a patre Aculeone traditam tenuit disciplinam. 265. Reliqui sunt, qui mortui sint[10], L. Torquatus, quem tu non tam cito rhetorem dixisses, (etsi non deerat oratio) quam, ut Graeci dicunt, *πολιτικόν*. Erant in eo plurimae literae, nec eae

---

([1]) — *locutione* Sch. €. 2. Sed rectissime Cicero, qui nil molitur inepte, voc. *consuetudo* sic repetivit. Utrumque scil. et corruptum et incorruptum erat in consuetudine s. usu loquendi, oppidanorum, urbanorum: Stalenorum, Muciorum, sed purum Caesar deligebat. ([2]) — *at* vel *sed* Ern. suspic. ([3]) — *forma et magnificam et generosam* L. e Suet. *Caes.* 55. ([4]) Sic Cdd. Cic. et Suet. N. Iu. Crat. M. Grut. Sch. 2. 3. ∞ *detracto* L. Ern. 1. ([5]) Sic Riv. L. Ern. 1. 2. 3. — *volunt* N. Iu. Crat. M. Grut. ([6]) ∞ *e vita* L. ex usu Tulliano. ([7]) — *immo vero etiam* L. ([8]) — *etsi* Cd. Rivii. L. ([9]) — *citata* Cd. Rivii. — *tum rapida celeritate caecata* Sch. €. 2. ([10]) Sic Cdd. aliq. N. Iu. — L. Ern. 1. ∞ *sunt* e Cdd. Sch. 2. 3. Vide tamen ne auribus hic aliquid dederit Tullius.

vulgares, sed interiores quaedam et reconditae: divina memoria, summa verborum et gravitas et elegantia. Atque haec omnia vitae decorabat gravitas [1] et integritas. Me quidem admodum delectabat etiam Triarii, in illa aetate, plena literatae senectutis oratio. Quanta severitas in vultu! quantum pondus in verbis! quam nihil non consideratum exibat ex ore! 266. Tum Brutus, Torquati et Triarii mentione commotus, (utrumque enim eorum admodum dilexerat) Nae ego, inquit, (ut omittam cetera, quae sunt innumerabilia) de istis duobus quum cogito, doleo, nihil tuam perpetuam [2] auctoritatem de pace valuisse! Nam nec istos excellentes viros, nec multos alios praestantes cives res publica perdidisset. Sileamus, inquam, Brute de istis, ne [3] augeamus dolorem. Nam et praeteritorum recordatio est acerba, et acerbior exspectatio reliquorum. Itaque omittamus lugere, et tantum, quid quisque dicendo potuerit, (quoniam id quaerimus,) praedicemus. LXXVII. 267. Sunt etiam ex iis, qui eodem bello occiderunt, M. Bibulus, qui et [4] scriptitavit accurate, quum praesertim non esset orator, et egit multa constanter: Appius Claudius, socer tuus, collega et familiaris meus; hic iam et satis studiosus, et valde quum [5] doctus, tum etiam exercitatus orator, et quum auguralis, tum omnis publici iuris, antiquitatisque nostrae bene peritus fuit. L. Domitius nulla ille quidem arte, sed Latine tamen, et multa cum libertate dicebat. 268. Duo praeterea Lentuli consulares, quorum Publius ille, nostrarum iniuriarum ultor, auctor salutis, quidquid habuit, quantumcunque [6] fuit, illud totum habuit ex [7] disciplina: instrumenta naturae deerant: sed tantus animi [8] splendor, et tanta magnitudo, ut sibi omnia, quae clarorum virorum essent, non dubitaret adsciscere, eaque omni dignitate obtineret. L. autem Lentulus satis erat fortis orator, si modo orator, sed cogitandi non ferebat laborem. Vox canora, verba non horrida sane, ut plena esset animi et terroris [9] oratio: quaereres in iudiciis fortasse melius: in re publica, quod erat, esse iudicares satis. 269. Ne T. quidem Postumius contemnendus in dicendo: de re publica vero non minus vehemens orator, quam bellator fuit: effrenatus, et acer nimis, sed bene iuris publici leges atque instituta cognoverat.

Hoc loco Atticus, Putarem te, inquit, ambitiosum esse, si (ut dixisti) ii, quos iamdiu colligis, viverent. Omnes enim commemoras, qui ausi aliquando sunt stantes loqui, ut mihi imprudens M. Servilium praeteriisse videare. LXXVIII. 270. Non, inquam, ego istuc ignoro, Pomponi, multos fuisse qui verbum nunquam in publico fecissent, quum melius aliquanto possent, quam isti oratores, quos colligo, dicere: sed

(1) Sic Cdd. omnes. Edd. vett. Nor. Iu. Crat. Cam. ∞ *dignitas* de Rivii C. M. L. Grut. Ern. 1. 2. 3. Sed alia utique est vivendi, alia dicendi gravitas. Itaque ut verb. *excellebat* §. 215. et sexcenta alia paucis interiectis repetit Tullius, sic hoc quoque loco v. *gravitas*. Nec iuvat coniicere *gravitas*, quod semel habet *ad Divers.* 10, 25. (2) = *perpetuam tuam* Nor. (3) ∞ *nec* Cdd. aliq. Lallem. Sch. 2. (4) — om. *et* Sch. in Ed. mai. (5) = *tum* Sch. 2. (6) — *quantumque* Ern. 1. errore typogr. (7) = *e* N. Iu. Man. ut §. 272. — om. *ex* Crat. (8) — *tantus erat animi* Lamb. suspic. in marg. 1584. (9) ∞ *fervoris* e Purgoldi C. Sch. 2. Ell. 3. (— *verba non horrida sane, plena an. ac fervoris* or. Sch. suspic.) Nihil opus his deliciis. Nam *terror* Ciceroni nihil aliud est, nisi δεινότης. cfr. §. 44. — *horroris* Nor.

his commemorandis etiam illud assequor, ut intelligatis primum ex omni numero, quam non multi ausi sint dicere, deinde ex iis ipsis, quam pauci fuerint laude digni. 271. Itaque ne hos quidem equites Romanos, amicos nostros, qui nuper mortui sunt, P. Cominium Spoletinum, quo accusante defendi C. Cornelium; in quo et compositum dicendi genus, et acre, et expeditum fuit: T. Accium [1] Pisaurensem, cuius accusationi respondi pro A. Cluentio; qui et accurate dicebat, et satis copiose: eratque praeterea doctus Hermagorae praeceptis: quibus etsi ornamenta non satis opima [2] dicendi, tamen, ut hastae velitibus amentatae, sic apta quaedam, et parata singulis causarum generibus argumenta traduntur. 272. Studio autem neminem, nec industria maiore cognovi, quamquam [3] ne ingenio quidem qui praestiterit, facile dixerim, C. Pisoni, genero meo. Nullum tempus illi unquam [4] vacabat aut a forensi dictione, aut a commentatione domestica, aut a scribendo, aut a cogitando. Itaque tantos processus efficiebat, ut evolare, non excurrere videretur: eratque verborum et delectus elegans, et apta et quasi rotunda constructio: quumque argumenta excogitabantur ab eo multa, et firma ad probandum, tum concinnae acutaeque sententiae: gestusque natura ita venustus, ut ars etiam, quae non erat, et e disciplina motus quidam [5] videretur accedere. Vereor, ne amore videar plura, quam fuerint [6] in illo, dicere: quod non ita est: alia enim de illo maiora dici possunt. Nam nec continentia, nec pietate, nec nullo genere virtutis quemquam eiusdem aetatis cum illo conferendum puto. LXXIX. 273. Nec vero M. Caelium praetereundum arbitror, quaecunque eius in exitu vel fortuna, vel mens fuit: qui quamdiu auctoritati meae paruit, talis tribunus plebis fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem turbulentamque dementiam, a senatu, et a bonorum causa steterit constantius: quam eius actionem, multum tamen et splendida, et grandis, et eadem inprimis faceta et perurbana commendabat oratio. Graves eius conciones aliquot fuerunt, acres accusationes tres, eaeque omnes ex rei publicae contentione susceptae: defensiones, etsi illa erant in eo [7] meliora, quae dixi, non contemnendae tamen, saneque tolerabiles. Hic quum summa voluntate bonorum aedilis curulis factus esset, nescio quomodo discessu meo discessit a sese, ceciditque, posteaquam [8] eos imitari coepit, quos ipse perverterat. 274. Sed de M. Calidio [9] dicamus aliquid, qui non fuit orator unus e multis: potius inter multos prope [10] singularis fuit: ita reconditas exquisitasque sententias mollis et pellucens vestiebat oratio. Nihil tam tenerum, quam illius comprehensio verborum: nihil tam flexibile, nihil, quod magis ipsius arbitrio fingeretur, ut nullius oratoris aeque in potestate fuerit: quae primum ita pura erat, ut nihil liquidius; ita libere fluebat, ut nusquam adhaeresceret: nullum, nisi loco positum, et tamquam *in vermiculato emblemate*, ut ait Lu-

(1) = *Attium* Sch. 2. 3. Variant etiam lapides Pisaurenses. (2) — Non est Rivii E. sed sic praeter Cdd. habent iam N. Iu. Crat. — *optima* Nescio qui apud Riv. (3) Pessime in Ed. 1584. Gothofr. Grut. Ern. 1. distinguitur: *traduntur: studio - - cognovi. Quamquam.* (4) — om. *unquam* O1x. (5) — om. *quidam* L. 1566. (6) ∞ *fuerunt* Gu. A. B. (7) — *illo* Cd. Reg. (8) Sic Cdd. Nor. L. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *postea, quum* Ald. Iu. Crat. Man. (9) — *Callidio* Crat. L. (10) — om. *prope* Gu. A. B. Male prob. Heusing.

cilius, structum verbum videres. Nec vero ullum aut durum, aut insolens, aut humile, aut longius[1] ductum: ac non propria verba rerum, sed pleraque translata[2]: sic tamen, ut ea non irruisse in alienum locum, sed immigrasse in suum diceres. Nec vero haec soluta, nec diffluentia, sed adstricta numeris, non aperte, nec eodem modo semper, sed varie dissimulanterque[3] conclusis. 275. Erant autem et verborum et sententiarum illa lumina, quae vocant Graeci *σχήματα*, quibus tamquam insignibus in ornatu[4], distinguebatur omnis oratio. Qva de re agitvr autem[5] illud, quod multis locis in iurisconsultorum includitur formulis, id[6] ubi esset, videbat. LXXX. 276. Accedebat ordo rerum plenus artis, actio liberalis, totumque dicendi placidum et sanum genus. Quod si est optimum, suaviter dicere; nihil est, quod melius hoc quaerendum putes. Sed quum a nobis paullo ante dictum sit, tria videri esse, quae orator efficere deberet, ut doceret, ut delectaret, ut moveret: duo summe tenuit, ut et rem illustraret disserendo, et animos eorum, qui audirent, devinciret[7] voluptate. Aberat tertia illa laus, qua permoveret atque incitaret animos, quam plurimum pollere diximus, nec erat ulla vis atque contentio: sive consilio, quod eos, quorum altior[8] oratio, actioque esset ardentior, furere et bacchari arbitraretur, sive, quod natura non esset ita factus, sive, quod non consuesset; sive, quod non posset[9]. Hoc unum illi, si nihil utilitatis habebat, abfuit: si opus erat, defuit. 277. Quin etiam memini, quum in accusatione sua Q. Gallio crimini dedisset, sibi cum venenum paravisse, idque a se esse deprehensum, seseque chirographa, testificationes, indicia, quaestiones, manifestam rem deferre diceret, deque eo crimine accurate et exquisite disputavisset: me in respondendo, quum essem argumentatus, quantum res ferebat, hoc ipsum etiam posuisse pro argumento, quod ille, quum pestem capitis sui, quum indicia mortis se comperisse manifesto[10], et manu tenere diceret, tam solute egisset, tam leniter, tam oscitanter. 278. *Tu istuc*[11], *M. Calidi*, *nisi fingeres*, *sic ageres? praesertim quum ista eloquentia alienorum*[12] *hominum pericula defendere acerrime soleas*, *tuum negligeres? ubi dolor? ubi ardor animi*, *qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces et querelas solet? nulla perturbatio animi*, *nulla corporis*, *frons non percussa*[13], *non femur: pedis (quod minimum est) nulla supplosio. Itaque tantum abfuit*[14], *ut inflammares nostros animos; somnum isto*

---

(1) — *in longius* Nor. (2) Sic N. Iu. Crat. M. L. = *tralata* Grut. Ern. 1. 2. 3. sed cfr. §. 121. et 157. (3) — *dissimiliterque* Lamb. suspic. in marg. 1584. non recepta. (4) ∞ om. *in ornatu* L. (5) — *qua de re autem agitur* Gu. A. B. Male quoque Ern. distinguit: *autem*, *illud*. (6) Sic Man. L. Tum rursus E. Ern. 1. 2. 3. — *et* N. Iu. Crat. Grut. (7) Sic N. Iu. Crat. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *devinceret* Gu. A. Man. — *demulceret* L. — *deliniret* Ern. suspic. (8) — *elatior* Lambini suspic. in Adnotatt. Ed. 1584. (9) Haec *sive*, *quod non posset* pro gloss. praecedentium *sive*, *quod natura non ita esset factus* habet Walch. *Emendd. Liv.* p. 213. Sed quis talia gloss. adscripserit? Illud refer ad indolem animi, hoc vero ad vires corporis. (10) = *manifesto comp.* L. (11) = *istud* Sch. 2. 3. (12) Nihil mutandum, etsi — *ageres*, *praesertim ista eloquentia? quum alienorum* L. E. — *ageres? tu*, *ista praesertim eloquentia quum alienorum* Sch. E. 2. (13) Ell. 3. e Quintil. 11, 3, 123: ∞ *non frons percussa*. (14) — *abest* Quintil. 11, 3, 153.

loco vix tenebamus. Sic nos summi oratoris vel sanitate, vel vitio, pro argumento ad diluendum crimen usi sumus. 279. Tum Brutus, Atque[1] dubitamus, inquit, utrum ista sanitas fuerit, an vitium? Quis enim non fateatur, quum ex omnibus oratoris laudibus longe ista sit maxima, inflammare animos audientium, et, quocunque res postulet modo, flectere, qui hac virtute caruerit, id ei, quod maximum fuerit, defuisse? LXXXI. Sit sane ita: inquam: sed redeamus ad eum, qui iam unus restat, Hortensium, tum de nobismet ipsis, quoniam id etiam, Brute, postulas, pauca dicemus, quamquam facienda mentio est, ut quidem mihi videtur, duorum adolescentium, qui si diutius vixissent, magnam essent eloquentiae laudem consecuti.

280. C. Curionem te, inquit Brutus, et C. Licinium Calvum arbitror dicere. Recte, inquam, arbitraris[2]: quorum quidem alter[3] ita facile soluteque verbis volvebat satis interdum acutas, crebras quidem certe sententias, ut nihil posset ornatius esse, nihil expeditius. Atque[4] hic a magistris parum institutus naturam habuit admirabilem ad dicendum. Industriam non sum expertus: studium certe fuit. Qui si me audire voluisset, ut coeperat, honores, quam opes, consequi maluisset. Quidnam est, inquit, istuc[5]? et quemadmodum distinguis? 281. Hoc modo, inquam. Quum honos sit praemium virtutis, iudicio studioque civium delatum ad aliquem, qui eum sententiis, qui suffragiis adeptus est, is mihi et honestus et honoratus videtur. Qui autem occasione aliqua, etiam invitis suis civibus, nactus est imperium, ut ille cupiebat, hunc nomen honoris adeptum, non honorem puto[6]. Quae si ille audire voluisset, maxima cum gratia et gloria ad summam amplitudinem pervenisset, ascendens gradibus magistratuum, ut pater eius fecerat, ut reliqui clariores viri. Quae quidem etiam cum P. Crasso, M. F. quum initio aetatis ad amicitiam se meam contulisset, saepe egisse me arbitror, quum eum vehementer hortarer, ut eam laudis viam rectissimam esse duceret, quam maiores eius ei tritam reliquissent. 282. Erat enim quum institutus optime, tum etiam perfecte planeque eruditus: ineratque et ingenium satis acre, et orationis non inelegans copia: praetereaque sine arrogantia gravis esse videbatur, et sine segnitia verecundus. Sed hunc quoque absorbuit aestus quidam non[7] insolitae adolescentibus gloriae: qui quia navarat miles operam imperatori, imperatorem se statim esse cupiebat: cui muneri mos maiorum aetatem certam, sortem incertam reliquit. Ita gravissimo suo casu, dum Cyri et Alexandri similis esse voluit, qui suum cursum transcurrerant[8]; et L. Crassi, et multorum Crassorum inventus est dissimilli-

---

(1) Sic N. Iu. Ern. 1. 2. 3. — *Atqui* Crat. M. L. Grut. — *At qui* Le Clercquii suspic. (2) ∞ *Brute, arbitraris* Nor. (3) Post haec inserunt Cdd. Iu. Crat. M. Grut. Ern. (hic cum [ ]) — *quod verisimile dixisset* quod del. L. Sch. 2. Ell. 3. Est absurdum glossema ad illa, *Recte - arbitraris*, ut in scholis solebant facere medii aevi magistri. (4) — *At* Nor. (5) Sic Otx. Iu. M. L. = *istud* Ern. 1. 2. 3. (6) = *hunc nomen honoris, non honorem adeptum puto* e Cd. Regio recepit Lallem. (7) Sic Crat. Camer. L. Ern. 1. Ell. 3. — om. *non* Gu. A. B. Nor. Ald. Iu. M. Sch. 2. Pessime. (8) Ne quid tentes, adscribo Forcellini explicat. in v. *transcurrere*: „qui non per gradus, sed quasi saltibus cursum gloriae confecerant." Omisit v. *transcurrere* cum plurimis aliis Schuetz in Lex. Cic.

mus. LXXXII. 283. Sed ad Calvum (is enim nobis erat propositus) revertamur: qui orator fuisset, quum literis[1] eruditior, quam Curio, tum etiam accuratius quoddam dicendi et exquisitius afferebat genus: quod quamquam scienter eleganterque tractabat, nimium tamen inquirens in se, atque ipse sese observans, metuensque ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat[2]. Itaque eius oratio nimia religione attenuata, doctis et attente audientibus erat illustris: a multitudine autem, et a foro, cui nata eloquentia est, devorabatur[3].

284. Tum Brutus, Atticum se, inquit, Calvus noster dici oratorem volebat: inde erat ista exilitas, quam ille de industria consequebatur[4]. Dicebat, inquam, ita: sed et ipse errabat, et alios etiam errare cogebat. Nam si quis eos, qui nec inepte dicunt, nec odiose, nec putide, Attice putat dicere; is recte, nisi Atticam, probat neminem. Insulsitatem enim et insolentiam, tamquam insaniam quandam orationis, odit: sanitatem autem et integritatem, quasi religionem et verecundiam oratoris[5] probat. Haec omnium debet oratorum eadem esse sententia. 285. Sin autem iciunitatem, et siccitatem, et inopiam, dummodo sit polita, dum urbana, dum elegans, in Attico genere ponit, hoc recte dumtaxat: sed quia sunt in Atticis alia meliora, videat, ne ignoret et gradus, et dissimilitudines[6], et vim, et varietatem Atticorum. Atticos, inquit, volo imitari. Quos? nec enim est unum genus. Nam quid est tam dissimile, quam Demosthenes et Lysias? quam iidem[7], et Hyperides? quam omnium horum Aeschines? Quem igitur imitaris? Si aliquem, ceteri ergo Attice non dicebant. Si omnes: qui potes, quum sint ipsi dissimillimi inter se? In quo etiam illud[8] quaero, Phalereus ille Demetrius Attice ne dixerit. Mihi quidem ex illius orationibus redolere ipsae Athenae videntur. At est floridior, ut ita dicam, quam Hyperides, quam Lysias. Natura quaedam, aut voluntas ita dicendi fuit. LXXXIII. 286. Et quidem duo fuerunt per idem tempus dissimiles inter se; sed Attici tamen: quorum Charisius multarum orationum[9], quas scribebat aliis, quum cupere videretur imitari Lysiam: Democharen autem,

---

(1) Turbatum hic aliquid videtur. Sic Ald. Iu. Crat. M. L. Ern. 1. — *qui orator fuit, sed cum lit.* Corradi C. (unde non male, puto, legas: *qui orator fuit, quum*) — *qui fuit quum lit.* Ern. suspic. — *qui quum fuisset literis* Sch. C. 2. — *qui orator quum fuisset lit.* Ell. 3. coniectura sua, non cum Ald. ut ait. Sed neuter animadvertit, sic tolli necessariam oppositionem inter *quum* et *tum*; uti nec Lamb. (non Gothofr.) in marg. 1584. proponens: *qui quum orator fuisset lit.* (2) Non est haec Rivii correctio, sed habet sic iam Crat. (M. L. 1. 2. 3.) — *dependebat* Edd. vett. N. Iu. (3) — *deserebatur* Purgoldi suspic. verum sensum v. *devorare* parum intelligentis. (4) ∞ *consectabatur* L. Sed cfr. §. 287. (5) ∞ *oratoris* suspect. Ellendtio. Potest videri διττογραφία superioris voc. *orationis*, alieno loco perperam intrusa. Sed oppositionem quandam h. l. inter *orationem* atque *oratorem* captasse videtur Tullius: aurium quidem iudicio si stabis, vocabulo *oratoris* h. l. carere vix poteris. (6) — *similitudines* Gu. A. (7) Sic Cld. ap. Grut. prob. Gulielm. Sch. 2. — *idem* N. Iu. — L. Ern. 1. Ell. 3. Sed *Idem* scribebatur; et pro *idem*, hoc, quem vult Ellendt, sensu requireretur: *hic.* (8) = *illud etiam* L. (9) Sic N. Iu. Crat. Camer. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *multas orationes* Ald. M. — *multas orationes scripsit, quas* L.

qui fuit Demosthenis[1] sororis filius, et orationes scripsit aliquot; et earum rerum historiam, quae erant Athenis ipsius aetate gestae, non tam historico, quam oratorio genere perscripsit. At Charisii vult Hegesias esse similis, isque se ita putat Atticum, ut veros illos prae se paene agrestes putet. 287. At quid est tam fractum, tam minutum, tam in ipsa (quam tamen consequitur) concinnitate puerile? Atticorum similes esse volumus. Optime. Suntne igitur ii Attici oratores? Quis negare potest? Hos imitamur. Quo modo[2], qui sunt et inter se dissimiles, et aliorum? Thucydidem, inquit, imitamur. Optime, si historiam scribere, non si causas dicere cogitatis. Thucydides enim rerum gestarum pronuntiator sincerus, et grandis etiam fuit: hoc forense, concertatorium, iudiciale non tractavit genus. Orationes autem, quas interposuit, (multae enim sunt) eas ego laudare soleo; imitari neque possim, si velim, nec velim fortasse, si possim. Ut, si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis consulibus natum velit; nec rursus ita vetere, ut Opimium aut Anicium consulem quaerat: (atqui eae notae sunt optimae; credo: sed nimia vetustas nec habet eam, quam quaerimus, suavitatem, nec est iam sane tolerabilis:) 288. num igitur, qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putet? minime: sed quandam sequatur aetatem; sic ego istis censuerim et novam istam, quasi † de musto ac lacu[3] fervidam orationem fugiendam, nec illam praeclaram Thucydidi[4] nimis veterem, tamquam Anicianam notam, persequendam. Ipse enim Thucydides si posterius fuisset, multo maturior fuisset et mitior. Demosthenem igitur imitemur. LXXXIV. 289. O dii boni! quid, quaeso[5], nos aliud agimus, aut quid aliud optamus? At non assequimur. Isti enim videlicet Attici nostri, quod volunt, assequuntur. Ne illud quidem intelligunt, non modo ita memoriae proditum esse, sed ita necesse fuisse, quum Demosthenes dicturus esset, ut concursus, audiendi causa, ex tota Graecia fierent. At quum isti Attici dicunt, non modo a corona, quod est ipsum miserabile, sed etiam ab advocatis relinquuntur. Quare si anguste et exiliter dicere, est Atticorum, sint sane Attici: sed in comitium veniant, † ad stantem iudicem[6] dicant. Subsellia grandiorem et pleniorem vocem desiderant. 290. Volo hoc oratori contingat, ut, quum auditum sit eum esse dicturum, locus in subselliis occupetur, compleatur tribunal, gratiosi scribae sint in dando et cedendo loco, corona multiplex, iudex erectus: quum surgit[7]

---

(1) Sic Nor. tum rursus Iac. Gronov. E. 1692. Ern. 1. 2. 3. = *Demosthenis* Ceteri omnes. Cfr. §. 292. *Aeschinis.* Gratificatus sum in his elegantioribus Grammaticis, quamquam sexcenta alia non minus essent mutanda. v. c. Genitivi in *I.* Nom. Accus. plur. in *eis*, vel *is* cet. (2) — *quoquo modo* Nor. (3) Sic Cdd. Iu. — L. Ern. 1. — *quasi musteam de lacu ac fervidam* Schneideri E. ∞ *quasi musteam ac de lacu ferv.* Ell. E. 3. ∞ *quasi mustum de lacu, fervidam* Sch. E. 2. Sed haec omnia nimis incerta. Videndum etiam atque etiam, ne hoc proverbium quasi fuerit Latinorum: *de musto ac lacu.* (4) Sic N. M. L. Grut. Sch. 2. 3. = *Thucydidis* Iu. Crat. Ern. 1. (5) Sic margo Ed. 1581. Manutio tribuitur a Grut. Ern. 1. 2. 3. — *quasi* N. Iu. Man. — *ergo* Crat. Cam. L. (6) Locus corruptus. Sic Cdd. et Edd. omnes. Sed nullum iudicum genus tam stultum erat, ut staret. Lego: *stantes ad iudicem dicant*, plane ut § 269. *qui assi aliquando sunt stantes loqui.* (7) ∞ *surgat* Ell. E. 3. Perperam: sic enim punctum temporis, quo surgat orator, definite significare voluit Tullius.

is, qui dicturus sit, significetur a corona silentium, deinde crebrae assensiones, multae admirationes: risus, quum velit; quum velit, fletus: ut, qui haec procul videat, etiamsi, quid agatur, nesciat, at placere tamen, et in scena esse Roscium intelligat. Haec cui contingant, cum scito Attice dicere, ut de Pericle audimus[1], ut de Hyperide, ut de Aeschine, de ipso quidem Demosthene maxime. 291. Sin autem acutum, prudens, et idem sincerum, et solidum, et exsiccatum genus orationis probant, nec illo graviore ornatu oratorio utuntur, et hoc proprium esse Atticorum volunt: recte laudant. Est enim in arte tanta, tamque varia, etiam huic minutae subtilitati locus. Ita fiet, ut non omnes, qui Attice, iidem bene; sed, ut omnes, qui bene, iidem etiam Attice dicant. Sed redeamus rursus ad Hortensium.

LXXXV. 292. Sane quidem, inquit Brutus: quamquam ista mihi tua fuit peruenunda a proposita oratione degressio. Tum Atticus, Aliquoties sum, inquit, conatus, sed interpellare nolui. Nunc, quoniam ad perorandum spectare videtur sermo tuus, dicam, opinor, quod sentio. Tu vero, inquam, Tite[2]. Tum ille, Ego, inquit, ironiam illam, quam in Socrate dicunt fuisse, qua ille in Platonis, et Xenophontis, et Aeschini[3] libris utitur, facetam et elegantem puto. Est enim et minime inepti hominis, et eiusdem etiam faceti, quum de sapientia disceptetur[4], hanc sibi ipsum detrahere, eis tribuere illudentem, qui eam sibi arrogant[5]: ut apud Platonem Socrates in caelum effert laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, ceteros; se autem omnium rerum inscium fingit et rudem. Decet hoc nescio quomodo illum: nec Epicuro, qui id reprehendit, assentior. Sed in historia, qua tu es usus in omni sermone, quum, qualis quisque orator fuisset, exponeres, vide, quaeso, inquit, ne tam reprehendenda sit ironia, quam in testimonio. Quorsus[6], inquam, istuc[7]? non enim intelligo. 293. Quia primum, inquit, ita laudavisti quosdam oratores, ut imperitos posses[8] in errorem inducere. Equidem in quibusdam risum vix tenebam, quum Attico[9] Lysiae Catonem nostrum comparabas, magnum mehercule hominem, vel potius summum et singularem virum: nemo dicet secus: sed oratorem? sed etiam Lysiae similem? quo nihil potest esse pictius. Bella ironia, si iocaremur[10]: sin asseveramus, vide, ne religio nobis tam adhibenda sit, quam si testimonium diceremus[11]. 294. Ego enim Catonem tuum, ut civem, ut senatorem, ut imperatorem, ut virum denique quum prudentia et diligentia, tum omni virtute excellentem, probo: orationes autem[12] eius, ut illis temporibus,

---

(1) Sic Gu. A. B. Ed. Ven. Nor. Sch. 2. Vide Heusing. Gerhard. et Beier *ad Offic.* 1, 6, 5. Eleganter: scrupulus tamen mihi remanet, num sic *audio* quoque reperiatur, an semper *audivi*? v. c. §. 50. et 296. ubi ex ista regula numero plurali sane dicendum fuisset: *audimus*. ∞ *audivimus* Iu. — L. Ern. 1. Ell. 3. (2) — *Attice* Nor. Margo Crat. L. (3) Sic constantiae causa dedi e Gu. A. B. Nor. = *Aeschinis* Ceteri. (4) Sic Nor. Iu. — L. Ern. 1. — *disceptatur* e Gu. A. B. qui ubique indicativum praebent, Sch. 2. 3. (5) — *arrogent* Ern. suspic. (6) = *Quorsum* Gu. A. B. (7) = *istud* Sch. 2. 3. (8) — *possis* Ellendt suspic. Male: *posses* fortasse: *possis* contra significaret, id fere egisse Ciceronem, ut lecturos in errorem induceret. (9) — *ut quum Attico* Ell. suspic. (10) — *si iocamur* (non *iocemur*) Margo Ed. 1584. (11) — *dicamus* Ern. €. 1. (12) — *autem* suspectum.

valde laudo: significant enim quandam formam[1] ingenii, sed admodum impolitam, et plane rudem. Origines vero quum omnibus oratoriis[2] laudibus refertas diceres, et Catonem cum Philisto et Thucydide comparares, Brutone te[3] id censebas, an mihi probaturum? Quos enim ne e Graecis quidem quisquam imitari potest, iis tu comparas hominem Tusculanum, nondum suspicantem, quale esset copiose et ornate dicere. LXXXVI. 295. Galbam laudas. Si ut illius aetatis principem, assentior: sic enim accepimus[4]: sin ut oratorem, cedo, quaeso, orationes, (sunt enim) et dic, hunc, quem tu plus, quam te, amas, Brutum, velle te illo modo dicere. Probas Lepidi orationes. Paullum[5] hic tibi assentior, modo ita laudes, ut antiquas: quod item[6] de Africano, de Laelio, cuius tu oratione negas fieri quidquam posse dulcius. Addis etiam nescio quid augustius. Nomine nos capis summi viri, vitaeque elegantissimae verissimis laudibus. Remove haec: nae ista dulcis oratio ita sit abiecta, ut eam aspicere nemo velit. 296. Carbonem in summis oratoribus habitum scio: sed quum in ceteris rebus, tum in dicendo, semper, quo[7] nihil est melius, id laudari, qualecunque est, solet. Dico idem de Gracchis: etsi de iis[8] ea sunt a te dicta, quibus ego assentior. Omitto ceteros: venio ad eos, in quibus iam perfectam putas esse eloquentiam, quos ego audivi sine controversia magnos oratores, Crassum et Antonium. De horum laudibus tibi prorsus assentior: sed tamen non isto modo[9], ut Polycleti Doryphorum sibi Lysippus aiebat, sic tu suasionem legis Serviliae tibi magistram fuisse. Haec germana ironia est. Cur ita sentiam, non dicam, ne me tibi assentari putes. 297. Omitto igitur, quae de his[10] ipsis, quae de Cotta, quae de Sulpicio, quae modo de Caelio dixeris[11]. Hi[12] enim fuerunt certe oratores; quanti autem, et quales, tu videris. Nam illud minus curo, quod congessisti operarios omnes: ut mihi videantur mori voluisse nonnulli, ut a te in oratorum numerum referrentur. LXXXVII. Haec quum ille dixisset, Longi sermonis initium pepulisti[13], inquam, Attice, remque commovisti, nova disputatione dignam, quam in aliud tempus differamus. 298. Volvendi enim sunt libri quum aliorum, tum inprimis Catonis. Intelliges, nihil illius lineamentis, nisi eorum pigmentorum, quae inventa nondum erant, florem et colorem defuisse. Nam de Crassi oratione sic existimo, ipsum fortasse melius potuisse scribere: alium, ut[14] arbitror, neminem. Nec in hoc ironiam dixeris[15] esse, quod eam orationem mihi magistram fuisse dixerim. Nam etsi tu

(1) = *formam quandam* L. (2) Sic Man. L. verissime. Eadem confusio Orat. §. 11. Alia ratio est in *oratoris laudibus* §. 279. — *oratoris* N. Iu. Crat. Ern. 1. 2. 3. (3) — om. *te* Nor. (4) Num hic quoque, §. 77. et §. 333. emendabunt *accipimus?* cfr. Beier *ad Offic.* 1, 6, 5. Non credo. Falsum id omnino videtur. (5) = *Paullulum* Gu. B. — om. Gu. A. (6) — *idem* Ed. Rom. improb. Rivio. (7) Sic Crat. Camer. L. Ern. 1. 2. 3. — *quoniam* Gu. A. B. Iu. — *quum* N. Ald. Man. (8) = *eis* N. Iu. Crat. M. L. (9) — om. *isto modo* L. (10) Sic Nor. Man. — *iis* Ceteri. (11) — *dixisti* Sch. C. in Ed. mai. (12) Si Gu. A. B. Man. Sch. 2. 3. — *ii* Iu. L. Ern. 1. (13) Hoc Victorio tribuitur, sed habet iam Crat. Gronov. 1692. Ern. 1. 2. 3. — *depulisti* Cdd. N. Iu. — *detulisti* M. L. — *intulisti* vel — *propulisti* Sch. suspic. (— *pepulisti* a remorum pulsu desumpta metaphora recte se habet.) (14) — del. *ut* Sch. C. 2. — Ell. 3. [] sine causa. (15) Sic Ed. Rom. Ern. 1. Ell. 3. — *duxeris* Gu. A. Ed. Ven. prob. Rivio. Iu. Crat. M. L. Sch. 2. — *eduxeris* Gu. B. Nor. in quo latet, quod mihi verum videtur ∞ *edixeris* v. Ern. Clav.

melius existimare videris de ea, si quam nunc habemus, facultate; tamen, adolescentes quid in Latinis potius imitaremur, non habebamus. 299. Quod autem plures a nobis nominati sunt, eo pertinuit, (ut paullo ante dixi) quod intelligi volui, in eo, cuius omnes cupidissimi essent, quam pauci digni nomine evaderent. Quare εἰρωνεία me, ne si Africanus quidem fuit, (ut ait in historia sua C. Fannius) existimari velim. Ut voles, inquit Atticus. Ego enim non alienum a te putabam, quod et in Africano fuisset, et in Socrate. 300. Tum Brutus, De isto postea: sed tu (inquit, me intuens) orationes nobis veteres explicabis? Vero[1], inquam, Brute: sed in Cumano, aut in Tusculano, aliquando, si modo licebit[2]: quoniam utroque in loco vicini sumus. LXXXVIII. Sed iam ad id, unde degressi sumus, revertamur.

301. Hortensius igitur, quum admodum adolescens orsus esset in foro dicere, celeriter ad maiores[3] causas adhiberi coeptus est. Quamquam inciderat in Cottae et Sulpicii aetatem, qui annis decem maiores, excellente tum Crasso et Antonio, deinde[4] Philippo, post Iulio, cum iis[5] ipsis dicendi gloria comparabantur[6]. Primum memoria tanta, quantam in nullo[7] cognovisse me arbitror, ut, quae secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet, quibus cogitavisset[8]. Hoc adiumento ille tanto sic utebatur, ut sua et[9] commentata, et scripta, et, nullo referente, omnia adversariorum dicta meminisset. 302. Ardebat autem cupiditate sic, ut in nullo unquam flagrantius studium viderim. Nullum enim patiebatur esse diem, quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum. Saepissime autem eodem die utrumque faciebat. Attuleratque minime vulgare genus dicendi: duas quidem res, quas nemo alius: partitiones, quibus de rebus dicturus esset, et collectiones[10], memor et[11] quae essent dicta contra, quaeque ipse dixisset. 303. Erat in[12] verborum splendore elegans, compositione aptus, facultate copiosus: eaque erat quum summo ingenio, tum exercitationibus maximis consecutus. Rem complectebatur memoriter, dividebat acute, nec praetermittebat fere quidquam, quod esset in causa, aut ad confirmandum, aut ad refellendum. Vox canora, et suavis. Motus et gestus etiam plus artis habebat, quam erat oratori satis. Hoc igitur florescente, Crassus est mortuus, Cotta pulsus, iudicia intermissa bello, nos in forum venimus. LXXXIX. 304. Erat Hortensius in bello, primo anno miles, altero tribunus militum: Sulpicius legatus aberat, etiam M. Antonius: exercebatur una lege iudicium Varia, ceteris propter bellum intermissis: cui frequens aderam[13]

(1) — *ego vero* L. Sed cfr. *de Republ.* 1, 37. *Vero minus.* (2) — *libebit* Ern. suspic. (3) — *omnes* Olx. An coniungendum: *omnes maiores*, ut fere §. 226? (4) = *dein* Nor. (5) Melius esset *his.* (6) Sic Sch. C. 2. necessaria; nam *qui annis maiores* — — *comparabatur* (ut habent ceteri omnes) merus est soloecismus. (7) Sic Man. L. Sch. 2. 3 — *ullo* Crat. Grut. Ern. 1. prob. Goerenz. *ad Fin.* 5, 21, 59. — *viro* N. Ald. Iu. (8) Sic Nor. M. Grut. Ern. 1. 2. 3. ∞ *excogitavisset* Iu. Crat. L. cfr. *Orat.* §. 9. (9) — om. *et* L. (10) — *coniunctiones* Ed. Ven. N. Med. — *coniectiones* Cdd. apud Grut. (11) Nota *et quae* — *quaeque*, nisi pro *et* legendum *eorum.* (12) — *in* suspect. Ellendtio. (13) Sic Sch. C. 2. confirmata ab Ed. principe, teste Le Clercquio. Eodem alludit lectio: *qui* (id est *quoi*) *frequens aderam* Cdd. regii. Gu. A. B. Nor. uti vidit iam Schneider, *frequens* tamen sine causa in *frequenter* mutans. Non intellecto illo *qui* s. *quoi*, dederunt: *qui frequentes aderant* Iu. Crat. M. L. Ern. 1. Ell. 3. (qui exemplis minime huc facientibus defendere studet insolitum alias usum v. *adesse:* quum in singulis his membris semper dicatur, Tullius quomodo versatus sit in studio discendi).

quamquam[1] pro se ipsi dicebant oratores, non illi quidem principes, L. Memmius et Q. Pompeius, sed oratores tamen, teste diserto uterque Philippo, cuius in testimonio contentio et vim accusatoris habebat, et copiam.

305. Reliqui, qui tum principes numerabantur, in magistratibus erant, quotidieque fere a nobis in concionibus audiebantur. Erat enim tribunus plebis tum[2] C. Curio: quamquam is quidem silebat, ut erat semel a concione universa relictus. Q. Metellus Celer, non ille quidem orator, sed tamen non infans: diserti autem Q. Varius, C. Carbo, Cn. Pomponius: et ii[3] quidem habitabant in rostris. C. etiam Iulius, aedilis curulis quotidie fere accuratas conciones habebat. Sed me cupidissimum audiendi primus dolor percussit, Cotta quum est[4] expulsus. Reliquos frequenter audiens acerrimo studio tenebar, quotidieque et scribens, et legens, et commentans, oratoriis[5] tantum[6] exercitationibus contentus non eram. Iam consequente anno Q. Varius sua lege damnatus excesserat. 306. Ego autem, iuris civilis studio, multum operae dabam Q. Scaevolae, P. F.[7] qui quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen, consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat. Atque huic anno proximus Sulla consule et Pompeio, fuit. Tum P. Sulpicii in tribunatu quotidie concionantis totum genus dicendi penitus cognovimus. Eodemque tempore, quum princeps Academiae Philo cum Atheniensium optimatibus Mithridatico bello domo profugisset, Romamque venisset, totum ei me tradidi, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus[8], in quo hoc etiam commorabar attentius, quod etsi rerum ipsarum varietas et magnitudo summa me delectatione retinebat, tamen[9] sublata iam esse in perpetuum ratio iudiciorum videbatur. 307. Occiderat Sulpicius illo anno, tresque proximo trium aetatum oratores erant crudelissime interfecti, Q. Catulus, M. Antonius, C. Iulius. Eodem anno etiam Moloni Rhodio Romae dedimus operam, et actori summo causarum, et

---

(1) *quamquam* Cdd. et Edd. vett. Iu. Crat. Cam. M. Ern. 1. Ell. 3. Et rectissime se habet. Aderam, inquit, huic iudicio, quamquam una lege Varia causis simillimis inter se, vel potius iisdem §. 321., non sine fastidio quodam, exercebatur, et aderam, quamquam identidem pro se ipsi dicebant isti, minus utique solute ac libere, minoreque cum artificio, quam si sine ullo timore pro aliis dixissent. Pro v. *quamquam* temere igitur Lamb. *tantum*, Sch. C. 2. aliquanto melius: *quum*. Sequentia sanissima sunt. Ludunt Critici: v. c. — *teste diserto utentes uterque Philippo* Buttmann. Quae optima est explicatio, non emendatio. — *cuius ille testimonio contentionem accusatoris habebat et copiam* C. partim Purgoldi, partim Censoris Ienensis. — *teste Philippo, cuius testimonio contentionem et vim accusatoris uterque habebat et copiam* Ellendt suspicatus est satis mire, postquam longe meliorem Schneideri aliorumque interpretationem ipse probasset. (2) — *tunc* L. — *tunc Curio* N. (3) ∞ fort. *hi*. (4) — *esset* Olx. (5) Sic Ald. Iu. Crat. M. L. Ern. 1. 2. 3. — *oratoris* Ed. Ven. Med. — om. *oratoriis* Nor. (6) Sic Olx. Gu. A. B. Iu. Crat. L. Ern. 1. ∞ *tamen* Corrad. Man. Sch. 2. Ell. 3. Mihi contra delendum videtur v. *non*, ita ut significet, se tunc oratoriae tantum arti, nondum vero philosophiae operam dedisse. (7) ∞ *Q. F.* Wetzelii suspic. (8) ∞ *incitatus* Nor. Margo Crat. (9) Sic e vet. exemplari Riv. L. Ern. 1. 2. 3. — *in quo etiam* (omisso *hoc*) *comm. alt.* - - *retinebat, sed tamen* Nor. Iu. Crat. Camer. — *in quo hoc etiam* - - *retinebat, sed tamen* Man.

magistro. XC. Haec etsi videntur esse a proposita ratione[1] diversa, tamen ideireo a me proferuntur, ut nostrum cursum perspicere, quoniam voluisti, Brute, possis, (nam Attico haec nota sunt) et videre, quemadmodum simus in spatio Q. Hortensium ipsius vestigiis persecuti. 308. Triennium fere fuit urbs sine armis, sed oratorum aut interitu, aut discessu, aut fuga, (nam aberant etiam adolescentes M. Crassus et Lentuli duo) primas in causis agebat Hortensius[2]: magis magisque[3] quotidie probabatur Antistius[4]; Piso saepe dicebat; minus saepe Pomponius, raro Carbo: semel aut iterum Philippus. At vero ego hoc tempore omni, noctes et dies, in omnium[5] doctrinarum meditatione versabar. 309. Eram cum Stoico Diodoto: qui quum habitavisset apud me mecumque[6] vixisset, nuper est domi meae mortuus. A quo quum in aliis rebus, tum studiosissime in dialectica exercebar; quae quasi contracta et adstricta eloquentia putanda est: sine qua etiam tu, Brute, iudicavisti, te illam iustam eloquentiam, quam dialecticam dilatatam esse[7] putant, consequi non posse. Huic ego doctori, et eius artibus variis atque multis, ita eram tamen deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. 310. Commentabar declamitans (sic enim nunc loquuntur) saepe cum M. Pisone, et cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie; idque faciebam multum etiam Latine, sed Graece saepius: vel quod Graeca oratio plura ornamenta suppeditans, consuetudinem similiter Latine dicendi afferebat[8]: vel quod a Graecis summis doctoribus, nisi Graece dicerem, neque corrigi possem, neque doceri. 311. Tumultus interim pro recuperanda re publica, et crudelis interitus oratorum trium, Scaevolae, Carbonis, Antistii: reditus Cottae, Curionis, Crassi, Lentulorum, Pompeii: leges et iudicia constituta: recuperata res publica: ex numero autem oratorum Pomponius, Censorinus, Murena sublati. Tum primum nos ad causas, et privatas et publicas, adire coepimus, non ut in foro discceremus, quod plerique fecerunt, sed ut, quantum nos efficere potuissemus, docti in forum veniremus. 312. Eodem tempore Moloni dedimus operam: dictatore enim Sulla, legatus ad senatum de Rhodiorum praemiis venerat. Itaque prima causa publica, pro Sex. Roscio dicta, tantum commendationis habuit[9], ut non ulla esset, quae non digna nostro[10] patrocinio videretur. Deinceps inde multae, quas non minus diligenter[11] elaboratas, et tamquam[12] elucubratas afferebamus[13].

XCI. 313. Nunc, quoniam totum me, non naevo aliquo aut crepundiis, sed corpore omni videris velle cognoscere, complectar nonnulla etiam, quae fortasse videantur minus necessaria. Erat eo tempore in nobis summa gracilitas et infirmitas corporis: procerum et tenue

(1) — *oratione* L. (2) Sic recte distinguunt, non Gronovius, sed Nor. Iu. Crat. Man. L. Grut. Sch. 2. 3. — prave Ern. 1. dumtaxat: *fuga; nam - - duo; primas.* (3) — *magisque magisque* L. (4) Sine distinctione Nor. Prave Iu. Crat. M. L.: *probatur. Antistius, Piso.* cfr. §. 227. Lamb. 1566. praeterea *dicebant.* (5) — *omni* Gu. A. (6) Sic Hervagius, non Rivius. M. L. 1. 2. 3. — *me, cumque v.* N. Iu. Crat. — *me, cum Quinto v.* Ed. Rom. (7) = *esse dilat.* L. (8) — *afferret* Ern. suspic. (9) Sic Iu. Cr. M. L. 1. 2. 3. — *habui* Gu. A. B. Edd. vett. Nor. non improb. Ern. sed non convenit cum *nostro patrocinio.* (10) = *nostro digna* Nor. (11) — *non diligenter* Nor. — *nos diligenter* Iu. Crat. Camer. (12) *etiam quam* N. Iu. Crat. Camer. (13) Sic Olx. N. Crat. M. L. 1. 2. 3. — *efferebamus* Iu. Oxoniensis Ed.

collum: qui habitus et quae figura non procul abesse putatur a vitae periculo, si accedit[1] labor et laterum magna contentio. Eoque magis hoc eos, quibus eram carus, commovebat, quod omnia sine remissione, sine varietate, vi summa vocis, et totius corporis contentione dicebam. 314. Itaque quum me et amici et medici hortarentur, ut causas agere desisterem: quodvis potius periculum mihi adeundum, quam a sperata dicendi gloria discedendum[2] putavi. Sed quum censerem, remissione et moderatione vocis, et commutato genere dicendi, me et periculum vitare posse, et temperatius dicere: ut consuetudinem dicendi mutarem, ea causa mihi in Asiam proficiscendi fuit. Itaque quum essem biennium versatus in causis, et iam in foro celebratum meum nomen esset, Roma sum profectus. 315. Quum venissem Athenas, sex menses cum Antiocho, veteris Academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho, fui, studiumque philosophiae nunquam intermissum, a primaque adolescentia cultum, et semper auctum[3], hoc rursus summo auctore et doctore renovavi. Eodem tamen tempore Athenis apud Demetrium Syrum[4], veterem et non ignobilem dicendi magistrum, studiose exerceri solebam. Post a me Asia tota peragrata est, cum[5] summis quidem oratoribus, quibuscum exercebar ipsis lubentibus, quorum erat princeps Menippus Stratonicensis, meo iudicio, tota Asia illis temporibus disertissimus: et, si nihil habere molestiarum, nec[6] ineptiarum, Atticorum est, hic orator in illis numerari recte potest. 316. Assiduissime autem mecum fuit Dionysius Magnes. Erat etiam Aeschylus Cnidius, Adramyttenus Xenocles. Hi tum in Asia rhetorum principes numerabantur. Quibus non contentus Rhodum veni, meque ad eundem, quem Romae audiveram, Molonem, applicavi, quum actorem in veris causis, scriptoremque praestantem, tum in notandis animadvertendisque vitiis, et instituendo docendoque prudentissimum. Is dedit operam, (si modo id consequi potuit) ut nimis redundantes nos, et superfluentes[7] iuvenili quadam dicendi impunitate et licentia, reprimeret, et quasi extra ripas diffluentes coërceret. Ita recepi me biennio post, non modo exercitatior, sed prope mutatus. Nam et contentio nimia vocis reciderat[8], et quasi deferverat[9] oratio, lateribusque vires, et corpori[10] mediocris habitus accesserat.

XCII. 317. Duo tum excellebant oratores, qui me imitandi cupiditate incitarent, Cotta et Hortensius: quorum alter remissus, et lenis, et propriis verbis comprehendens solute et facile sententiam: alter or-

---

(1) ∞ *accedat* Margo Ed. 1584. Ern. suspic. (2) — *discendum* Gu. A. — *desciscendum* Ern. suspic. (3) — *actum* Olx. (4) ∞ *Syrium* Margo Ed. 1584. Probabiliter, ut *Pherecydes Syrius*. Nam *Syrus* rhetor hoc tempore admodum mirus. (5) ∞ *cum* suspectum erat nonnemini. Quasi vero per istam peregrinationem in cohorte amicorum summos oratores secum habuerit Cicero, neque potius, ubi singuli vitam degebant, eos audisset! *Asia tum summis quidem oratt.* esset: Asia, quae summos tum numerabat oratores. (6) — *et* Nor. (7) — *superfluentes* Gu. A. B. N. — *et superfl.* del. Sch. C. 2. Ell. 3. quasi invitus [ ]. Fateor, varietatem illam barbaram *superfluentes* me in Schuetzii partes quasi traxisse. (8) Sic omnes Cdd. et Edd. praeter L. C. Sch. 2. Ell. 3. ∞ *resederat*. Ingeniose cfr. §. 93. *ardor - consedit*. Non tamen ausus sum recipere. (9) Sic Man. Sch. 2. 3. = *deferbuerat* L. v. Struve *Lat. Decl. u. Conjug.* p. 210. — *referverat* N. Iu. Crat. Camer. Grut. Ern. 1. (10) Sic Gu. A. Lallem. Ern. 1. 2. 3. — *corporis* N. Iu. — L. Grut.

natus, acer, et non talis, qualem tu eum, Brute, iam deflorescentem cognovisti, sed verborum et actionis genere commotior. Itaque cum Hortensio mihi magis arbitrabar rem esse, quod[1] et dicendi ardore eram propior, et aetate coniunctior. Etenim videram in iisdem causis, ut pro M. Canuleio, pro Cn. Dolabella consulari, quum Cotta princeps adhibitus esset, priores tamen agere partes Hortensium. Acrem enim oratorem, incensum, et agentem, et canorum, concursus hominum, foriique strepitus desiderat. 318. Unum igitur annum, quum rediissemus ex Asia, causas nobiles egimus, quum quaesturam nos, consulatum Cotta, aedilitatem peteret Hortensius. Interim me quaestorem Siciliensis excepit annus: Cotta ex consulatu est profectus in Galliam: princeps et erat et habebatur Hortensius. Quum autem anno post e Sicilia me recepissem, iam videbatur illud in me, quidquid esset, esse perfectum, et habere maturitatem quandam suam. Nimis multa videor de me, ipse praesertim: sed omni huic sermoni propositum est, non ut ingenium et eloquentiam meam perspicias, unde longe absum, sed ut laborem, et industriam. 319. Quum igitur essem in plurimis causis, et in principibus patronis quinquennium fere versatus, tum in patrocinio Siciliensi maxime in certamen veni designatus aedilis cum designato consule Hortensio. XCIII. Sed quoniam omnis hic sermo noster non solum enumerationem oratoriam[2], verum etiam praecepta quaedam desiderat: quid tamquam notandum et animadvertendum sit in Hortensio, breviter licet dicere. 320. Nam is post consulatum (credo quod videret, ex consularibus neminem esse secum comparandum, negligeret autem eos, qui consules non fuissent,) summum illud suum studium remisit, quo a puero fuerat incensus, atque in omnium rerum abundantia voluit beatius, ut ipse putabat, remissius certe vivere. Primus, et secundus annus, et tertius tantum quasi de picturae veteris colore detraxerat, quantum non quivis unus ex populo, sed existimator doctus et intelligens posset cognoscere[3]. Longius autem procedens ut[4] in ceteris eloquentiae partibus, tum maxime in celeritate et continuatione verborum adhaerescens, sui dissimilior videbatur fieri quotidie. 321. Nos autem non desistebamus, quum omni genere exercitationis, tum maxime stilo, nostrum illud, quod erat[5], augere, quantumcunque erat. Atque (ut multa omittam) in hoc spatio, et in his[6] post aedilitatem annis[7], et praetor primus, et incredibili populi[8] voluntate sum

(1) — *quia* N. (2) Recte sic Cdd. et Edd. vett. N. Iu. Crat. Ern. 1. Ell. 3. Est scilicet: *enumerationem oratorum – et praecepta quaedam oratoria s. rhetorica:* — *oratorum* L. C. Sch. 2. (3) — pro v. *cognoscere* habent *magnum scelus* Gu. A. B. Nor. An *agnoscere?* (4) Sic Gu. A. B. Nor. et praestat certe: *ut – tum maxime* alteri lect.: *et – tum max.* Iu. Crat. M. Ern. 1. Ell. 3. — *et quum in cet.* L. ∞ *quum in cet.* Probabiliter, sed non ex Lamb. Sch. C. 2. (5) ∞ om. *quod erat* Nor. et mire sane sic se excipiunt ista duo membra. (6) *ut multa omittam*, in parenthesi Nor. L. Ern. 1. 2. extra parenthesin Man. Ellendt. 3. Difficilis quaestio est, utrum interpres verbis *in hoc spatio* superscripserit *in his* (sic recte Riv. Man. M. Sch. 2. Ell. 3. — *et in iis* Nor. Iu. Ern. 1. *et iis* Crat.) *post aedil. annis*, quae Ell. 3. [ ]; cui glossemati alius, addiderit *et*, an a Tullio ipso fluxerint. Ad hoc tamen propendeo, quum ipse verborum ordo Tullianus sit, *spatium*que commode ad studia eloquentiae, reliqua ad tempus dumtaxat referri queant. (7) — *praetor et primus* nimis accurate L. (8) Sic L. 1566. C. Ern. suspic. Sch. 2. Ell. 3. — *populari* Cdd. N. Iu. Crat. M. Ern. 1.

factus. Nam quum propter assiduitatem in causis et industriam, tum propter exquisitius et minime vulgare orationis genus, animos hominum ad me dicendi novitate converteram. 322. Nihil de me dicam: dicam de ceteris, quorum nemo erat, qui videretur exquisitius, quam vulgus hominum, studuisse literis, quibus fons perfectae eloquentiae continetur: nemo, qui philosophiam complexus esset, matrem omnium bene factorum beneque dictorum: nemo, qui ius civile didicisset, rem ad privatas causas, et ad oratoris prudentiam, maxime necessariam: nemo, qui memoriam rerum Romanarum teneret, ex qua, si quando opus esset, ab inferis[1] locupletissimos testes excitaret: nemo, qui breviter arguteque, incluso[2] adversario, laxaret iudicum animos, atque a severitate paullisper ad hilaritatem risumque traduceret: nemo, qui dilatare posset, atque a propria ac definita disputatione hominis ac temporis, ad communem quaestionem universi generis orationem traduceret[3]: nemo, qui delectandi gratia degredi parumper a causa, nemo, qui ad iracundiam magno opere iudicem, nemo, qui ad fletum posset adducere: nemo, qui animum eius (quod unum est oratoris maxime proprium) quocunque res postularet, impelleret[4]. XCIV. 323. Itaque, quum iam paene evanuisset Hortensius, et ego anno meo, sexto autem post illum consulem, consul factus essem, revocare se ad industriam coepit: ne, quum pares honore essemus, aliqua re superiores videremur. Sic duodecim post meum consulatum annos in maximis causis, quum ego mihi illum, sibi me ille anteferret, coniunctissime versati sumus: consulatusque meus, qui illum primo leviter perstrinxerat, idem nos rerum mearum gestarum, quas ille admirabatur, laude coniunxerat. 324. Maxime vero perspecta est utriusque nostrûm exercitatio paullo ante, quam perterritum armis hoc studium, Brute, nostrum conticuit subito et obmutuit: quum lege Pompeia ternis horis ad dicendum datis, ad causas simillimas inter se, vel potius easdem, novi veniebamus quotidie. Quibus quidem causis tu etiam, Brute, praesto fuisti, compluresque et nobiscum, et solus egisti: ut, qui non satis diu vixerit Hortensius, tamen hunc cursum confecerit. Annis ante decem causas agere coepit, quam tu es natus. Idem quarto et sexagesimo anno, perpaucis ante mortem diebus, una tecum socerum tuum defendit Appium. Dicendi autem genus quod fuerit in utroque, orationes utriusque etiam posteris nostris indicabunt.

XCV. 325. Sed, si quaerimus, cur adolescens magis floruerit dicendo, quam senior Hortensius, causas reperiemus verissimas duas. Primum[5], quod genus erat orationis Asiaticum, adolescentiae magis concessum, quam senectuti. Genera autem Asiaticae dictionis duo sunt: unum sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis, quam concinnis et venustis; qualis[6] in historia Timaeus, in dicendo autem, pueris nobis, Hierocles Alabandeus, magis etiam Menecles, frater eius, fuit: quorum utriusque orationes sunt in primis, ut Asiatico in genere, laudabiles. Aliud autem genus est non tam sententiis frequentatum, quam verbis volucre atque incitatum; quali[7] est nunc Asia tota, nec flumine

(1) — *quasi ab inferis* Ern. suspic. prob. Sch. Ell. Nimiam Ciceronis audaciam scil. castigant. (2) — *illuso* Sch. €. 2. (3) — *traducere* Ern. €. 1. (— *revocaret* Sch. suspic.) (4) — *impellere* Ern. €. 1. (5) — *primam* Ern. susp. (6) — *quali* Sch. €. Ed. mai. 3. (7) Non est a L. sed sic Iu. Cr. M. L. 1. 3.—*quale* N.—*qualis* Sch.€. 2. perperam.

solum orationis, sed etiam exornato et faceto genere verborum: in quo fuit Aeschylus Cnidius, et meus aequalis Milesius Aeschines. In his[1] erat admirabilis orationis cursus, ornata sententiarum concinnitas non erat. 326. Haec autem (ut dixi) genera dicendi aptiora sunt adolescentibus: in senibus gravitatem non habent. Itaque Hortensius utroque genere florens, clamores faciebat adolescens. Habebat enim et Menecliun illud studium crebrarum venustarumque sententiarum: in quibus, ut in illo Graeco, sic in hoc, erant quaedam magis venustae dulcesque sententiae, quam aut necessariae, aut interdum utiles: et erat oratio quum incitata et vibrans, tum etiam accurata et polita. Non °probabantur[2] haec senibus. Saepe videbam quum irridentem, tum etiam irascentem et stomachantem Philippum: sed mirabantur adolescentes, multitudo movebatur. 327. Erat excellens iudicio vulgi, et facile primas tenebat adolescens[3]. Etsi enim genus illud dicendi auctoritatis habebat parum, tamen aptum esse aetati videbatur: et certe, quod et ingenii quaedam forma lucebat, et exercitatione perfecta erat, verborumque adstricta comprehensio[4], summam hominum admirationem excitabat. Sed, quum iam honores, et illa senior auctoritas gravius quiddam requireret, remanebat idem, nec decebat idem: quodque exercitationem studiumque dimiserat, quod in eo fuerat acerrimum, concinnitas illa crebritasque sententiarum pristina manebat, sed ea vestitu illo orationis, quo consueverat, ornata non erat. Hoc tibi ille, Brute, minus fortasse placuit, quam placuisset, si illum flagrantem studio, et florentem facultate[5] audire potuisses. XCVI. 328. Tum Brutus, Ego vero, inquit, et ista, quae dicis, video qualia sint[6], et Hortensium magnum oratorem semper putavi, maximeque probavi pro Messala dicentem, quum tu abfuisti. Sic ferunt, inquam, idque declarat totidem, quot dixit, ut aiunt, scripta verbis oratio. Ergo ille a Crasso consule et Scaevola usque ad Paullum et Marcellum consules floruit; nos in eodem cursu fuimus a Sulla dictatore ad eosdem fere consules. Sic Q. Hortensii vox exstincta fato suo est, nostra publico. 329. Melius, quaeso, ominare, inquit Brutus. Sit sane ut vis, inquam, et id non tam mea causa, quam tua: sed fortunatus illius exitus, qui ea non vidit quum fierent, quae providit[7] futura. Saepe enim inter nos impendentes casus deflevimus, quum belli civilis causas, in privatorum cupiditatibus inclusas, pacis spem a publico consilio esse exclusam videremus. Sed illum videtur felicitas ipsius, qua semper est usus, ab eis miseriis, quae consecutae sunt, morte vindicasse[8].

330. Nos autem, Brute, quoniam post Hortensii, clarissimi oratoris, mortem orbae eloquentiae quasi tutores relicti sumus, domi teneamus eam, septam liberali custodia; et hos ignotos atque impu-

---

(1) Sic Man. qui in his omnium est accuratissimus. — *iis* Ceteri. (2) e necessaria €. Ern. 1. 2. 3. — *probantur* Cdd. N. Iu. L. Grut. (3) — Haec *Erat - - adolescens* Sch. €. 2. Ell. 3. [ ]. Verba sunt Tulliana, e redundantia illa iuvenili. (4) Sanissima haec ita deformavit Sch. €. 2: *quod ingenii quaedam forma lucebat, exercitatione perfecta, eratque verborum adstricta comprehensio.* Scil. Gu. A. om. — *et* ante: *ingenii.* In B. (et Nor.) legitur: *verborum, eratque adstr. c.* (5) — *aetate* Ern. suspic. recepta a Sch. in Ed. mai. (6) — *sunt* Gu. A B. (7) — *praevidit* L. (8) = *vindicavisse* L.

dentes procos repudiemus, tueamurque, ut adultam virginem, caste, et ab amatorum[1] impetu, quantum possumus, prohibeamus. Equidem, etsi doleo, me in vitam paullo serius, tamquam in viam, ingressum, priusquam confectum iter sit, in hanc rei publicae noctem incidisse: tamen ea consolatione sustentor, quam tu mihi, Brute, adhibuisti tuis suavissimis literis; quibus me forti animo esse oportere censebas, quod ea gessissem, quae de me, etiam me tacente, ipsa loquerentur, mortuoque viverent[2]: quae, si recte esset, salute[3] rei publicae; sin secus, interitu ipso, testimonium meorum de re publica consiliorum darent. XCVII. 331. Sed in te intuens, Brute, doleo; cuius in adolescentiam, per medias laudes quasi quadrigis vehentem[4], transversa incurrit misera fortuna rei publicae. Hic me dolor tangit[5], haec me[6] cura sollicitat, et hunc mecum, socium eiusdem et amoris et iudicii. Tibi favemus, te tua frui virtute cupimus: tibi optamus eam rem publicam, in qua duorum generum amplissimorum renovare memoriam atque augere possis. Tuum enim forum, tuum erat illud curriculum: tu illuc veneras unus, qui non linguam modo acuisses exercitatione dicendi, sed et ipsam eloquentiam locupletavisses graviorum artium instrumento, et iisdem artibus decus omne virtutis cum summa eloquentiae laude iunxisses[7]. 332. Ex te duplex nos afficit sollicitudo, quod et ipse re publica careas, et illa te. Tu tamen, etsi cursum ingenii tui, Brute, premit haec importuna clades civitatis, contine te in tuis perennibus studiis, et effice id, quod iam propemodum, vel plane potius effeceras, ut te eripias ex ea, quam ego congessi in hunc sermonem, turba patronorum. Nec enim decet te ornatum uberrimis artibus, quas quum domo haurire non posses, arcessivisti ex urbe ea, quae domus est semper habita doctrinae, numerari in vulgo patronorum. Nam quid te exercuit Pammenes, vir longe eloquentissimus Graeciae? quid illa vetus Academia, atque eius heres Aristus, hospes et familiaris meus, si quidem similes maioris partis oratorum futuri sumus? 333. Nonne cernimus, vix singulis aetatibus binos oratores laudabiles constitisse[8]? Galba fuit inter tot aequales unus excellens, cui, quemadmodum accepimus, et Cato cedebat senior, et qui temporibus illis aetate inferiores fuerunt[9]: Lepidus postea, deinde Carbo: nam[10] Gracchi in concionibus multo faciliore et liberiore genere dicendi; quorum tamen ipsorum ad aetatem laus eloquentiae perfecta nondum fuit: Antonius, Crassus, post Cotta, Sulpicius, Hortensius, nihil dico amplius: tantum dico, si mihi accidisset, ut numerarer in multis, * si operosa est concursatio magis opportunorum, * * *

(1) Sic M. L. Ern. 1. 2. 3. — *armatorum* N. Iu. Crat. Grut. Defendit Wetzel. (2) Sic Iu. Crat. M. Ern. 1. — *quae de me etiam me tac. ipsa loq. mortuo viverentque* N. — *quae de me etiam tac. ipsa loq. mortuoque me viv.* de Ern. sententia Sch. 2. — *quae de me etiam tac. ipsa loq. mortuoque viv.* L. Ell. 3. (3) — *saluti* Ed. Rom. N. (4) — *volantem* L. v. Oudendorp. *ad Appul.* T. 1. p. 12. (5) — *angit* Corrad. L. Sch. 2. (6) — om. *me* Gu. A. B. (7) — *cum summa eloquentia devinxisses.* Gu. A. B. (8) — *exstitisse* de Rivii C. I. (9) Sic recte distinguunt Nor. Corr. L. Ell. 3. — *fuerunt*, *Lepidus* Iu. Crat. Man. Ern. 1. 2. (10) ∞ *iam* Nescio cuius suspic.

M. TULLII CICERONIS

AD

MARCUM BRUTUM

ORATOR.

(Ex recensione potissimum Ernestiana passim correcta, cum integra varietate editionis Lambinianae, (L.) Ernestianae (Ern. 1.) Lallemandianae, Schuetzianae (Sch. 2.) habita praeterea ratione Norimbergensis MCCCCXCVII. (Nor. s. N.) Iuntinae (Iu.) Cratandrinae (Crat.) Manutianae (Man. s. M.) Caroli Stephani, (Steph.) Gruterianae, et Le Clercquianae.)

I. 1. Utrum difficilius aut maius esset negare tibi saepius idem roganti, an efficere id, quod rogares, diu multumque, Brute, dubitavi. Nam et negare ei, quem unice diligerem, cuique me carissimum esse sentirem, praesertim et iusta petenti, et praeclara cupienti, durum admodum mihi videbatur: et suscipere tantam rem, quantam non modo facultate consequi difficile esset, sed etiam cogitatione complecti; vix arbitrabar esse eius[1], qui vereretur reprehensionem doctorum atque prudentium[2]. 2. Quid enim est[3] maius, quam, quum tanta sit inter oratores bonos dissimilitudo, iudicare, quae sit optima species, et quasi figura dicendi? Quod quoniam me saepius rogas, aggrediar, non tam perficiendi spe, quam experiendi[4] voluntate. Malo enim, quum studio tuo sim obsecutus, desiderari a te prudentiam meam, quam, si id non fecerim, benevolentiam. 3. Quaeris igitur, idque iam saepius, quod eloquentiae genus probem maxime, et quale mihi videatur illud, cui[5] nihil addi possit, quod ego summum et perfectissimum iudicem. In quo vereor, ne, si id, quod vis, effecero, eumque oratorem, quem quaeris, expressero, tardem studia multorum, qui desperatione debilitati, experiri id nolent[6], quod se assequi posse diffidant. 4. Sed par est omnes omnia experiri, qui res magnas et magno opere expetendas concupiverunt[7]. Quod si quem aut natura sua, aut illa praestantis inge-

(1) = *eius esse* L. (2) = *prudentum* Nor. (3) *Quid est enim* alii emendabunt. (4) Sic L. — *perficiendi – experiundi* Nor. Ern. 1. ∞ *perficiundi – experiundi* Cdd. aliq. Crat. M. Sch. 2. sed cur uno fere hoc loco antiquior scriptura retineretur, exputare non potui. (5) — *quo* (id est *quoi*) Cdd. aliq. N. (male, sensu quo accepit, prob. Heusing.) (6) Sic Cdd. aliq. Iu. Crat. M. L. Grut. Sch. 2. — *experiri id nolint* Gu. B. Sch. in Ed. mai. — *experiri nolint* Ern. 1. (— *id* om. Nor.) (7) — *concupivere* L. sed hoc historicorum est.

nii vis forte deficiet, aut minus instructus[1] erit magnarum artium disciplinis: teneat tamen eum cursum, quem poterit. Prima enim sequentem, honestum est in secundis tertiisque consistere. Nam in poëtis, non Homero[2] soli locus est, (ut de Graecis loquar) aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro: sed horum vel secundis, vel etiam infra secundos. 5. Nec vero Aristotelem in philosophia deterruit a scribendo amplitudo Platonis: nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientia, et copia, ceterorum studia restinxit. II. Nec solum ab optimis studiis excellentes viri deterriti[3] non[4] sunt, sed ne opifices quidem se artibus[5] suis removerunt, qui aut Ialysi, quem Rhodi vidimus, non potuerunt, aut Coae Veneris pulchritudinem imitari. Nec simulacro Iovis Olympii, aut Doryphori statua deterriti, reliqui minus experti sunt, quid efficere, aut quo progredi possent: quorum tanta multitudo fuit, tanta in suo cuiusque genere laus, ut, quum summa miraremur[6], inferiora tamen probaremus. 6. In oratoribus [vero[7],] Graecis quidem[8], admirabile est, quantum inter omnes unus excellat. Ac tamen[9], quum esset Demosthenes, multi oratores magni et clari fuerunt, et antea fuerant, nec postea defecerunt. Quare non est, cur eorum, qui se studio eloquentiae dediderunt[10], spes[11] infringatur, aut langueseat industria. Nam neque illud ipsum, quod est optimum, desperandum est: et in praestantibus[12] rebus magna sunt ea, quae sunt optimis proxima. 7. Atque ego in summo oratore fingendo talem informabo, qualis fortasse nemo fuit. Non enim quaero, quis fuerit, sed quid sit illud, quo nihil possit esse[13] praestantius: quod in perpetuitate dicendi non saepe, atque haud scio an unquam[14], in aliqua autem parte elucear[15] aliquando, idem apud alios densius, apud alios fortasse rarius. 8. Sed ego sic statuo, nihil esse in ullo genere tam pulchrum, quo non pulchrius id sit, unde illud, ut ex ore aliquo, quasi imago, exprimatur, quod neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipi potest: cogitatione[16] tantum, et mente complectimur. Itaque et Phidiae simulacris, quibus nihil in illo genere perfectius videmus[17], et his picturis, quas nominavi, cogitare tamen possumus pulchriora. 9. Nec vero ille artifex, quum faceret Iovis formam, aut Minervae, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret; sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quaedam, quam intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat. III. Ut igitur in formis et figuris est aliquid perfectum et excellens, cuius ad cogitatam[18]

---

(1) ∞ *minus si instr.* Sch. E. 2. tacite. (2) *An in p.* Olx. N. Iu. — *Non enim in poëtis Homero* Crat. (3) — *deducti* Sch. suspic. supervacanea. (4) — *non* del. censebat Ern. (5) ∞ *ab art.* L. (6) ∞ *miremur* Nor. (7) = *autem* Gu. B. ∞ del. Sch. 2. auctore Goerenzio. Nos [] propter isthanc varietatem. (8) — *quiddam* Man. (9) e Cdd. Sch. 2. — *Attamen* Ceteri. (10) = *qui studio e. se ded.* e Cld. Sch. 2. (11) — *aut spes* L. (12) — *praesentibus* Nor. al. (13) = *esse possit* Gu. B. C. (14) Sic omnes etiam L. 1566. — *nunquam* de Lamb. suspic. in marg. Ed. 1584. Sch. 2. prob. Beier *Offic.* T. 2. p. 192. Sed cfr. Ramshorn *Lat. Gr.* p. 500. cuius iudicium cum Cdd. convenire video: idque distat, nec tamen falso, a Germanorum sensu. (15) — *elucet* Ern. E. 1. (16) — *quod cog.* Sch. E. 2. (17) ∞ *vidimus* Nor. (18) Sic C2d. Lambini. Margo Ed. 1584. Grut. Ern. 1. 2. ∞ *cogitatum* N. Iu. Crat. M. L.

speciem imitando referuntur ea, quae sub oculos ipsa non cadunt[1]: sic perfectae eloquentiae speciem animo videmus, effigiem auribus quaerimus. 10. Has rerum formas appellat ἰδέας[2] ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister, Plato: easque gigni negat, et ait semper esse, ac ratione et intelligentia contineri: cetera nasci, occidere, fluere, labi; nec diutius esse uno et eodem statu. Quidquid est igitur, de quo ratione et via disputetur, id est ad ultimam sui generis formam speciemque redigendum.

11. Ac video, hanc primam ingressionem meam non ex oratoriis[3] disputationibus ductam, sed e media philosophia repetitam, et eam quidem quum[4] antiquam, tum subobscuram, aut reprehensionis aliquid, aut certe admirationis habituram. Nam aut mirabuntur, quid haec pertineant ad ea, quae quaerimus: quibus satisfaciet res ipsa cognita, ut non sine causa alte repetita videatur; aut reprehendent, quod inusitatas vias indagemus, tritas relinquamus. 12. Ego autem et me saepe nova videri dicere intelligo, quum pervetera dicam, sed inaudita plerisque: et fateor, me oratorem, si modo sim, aut etiam quicunque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse. Illa enim sunt[5] curricula multiplicium variorumque sermonum, in quibus Platonis primum sunt impressa[6] vestigia: sed et huius et aliorum philosophorum disputationibus et exagitatus maxime orator est, et adiutus. Omnis enim ubertas, et quasi silva dicendi, ducta ab illis est, nec satis tamen instructa ad forenses causas: quas, ut illi ipsi dicere solebant, agrestioribus Musis reliquerunt. 13. Sic eloquentia haec forensis, spreta a philosophis, et repudiata, multis quidem illa adiumentis magnisque caruit; sed tamen ornata verbis atque sententiis, iactationem habuit in populo, nec paucorum iudicium reprehensionemque pertimuit. Ita et doctis eloquentia popularis, et disertis elegans doctrina defuit. IV. 14. Positum sit igitur in primis, (quod post magis intelligetur) sine philosophia non posse effici, quem quaerimus, eloquentem: non ut in ea tamen omnia sint[7], sed ut sic adiuvet, ut palaestra histrionem. Parva enim magnis saepe rectissime conferuntur. Nam nec latius, nec[8] copiosius de magnis variisque rebus sine philosophia potest quisquam dicere: 15. si quidem etiam in Phaedro Platonis hoc Periclem praestitisse ceteris dicit oratoribus Socrates, quod is Anaxagorae physici fuerit auditor: a quo censet, eum, quum alia praeclara quaedam, et magnifica

---

(1) *non cadunt* verissime Cdd. omnes. Edd. vett. N. Iu. Crat. Camer. M. Victorius v. *non* expunxit sequentibus L. Ern. 1. Sch. 2. Sed hic multa cogitatione opus est, quam nullam adhibuerunt Tullii editores inde a Lambino. Qui Victorii rationem postea contra nos defendent, ii, quaeso, Latine patefaciant nobis potestatem ac vim vocabuli *ipsa* lectionis Victorio-Ernestio-Schuetzianae. Scil. in formis ac figuris, ab artificibus fictis, inest aliquid perfectum et excellens (*qualche cosa d'ideale*), ad cuius speciem cogitatione perceptam (*alla cui percezione*) quo mens nostra de eo iudicium ferat, referuntur *ἰδέαι* ipsae, quae sub oculos *non* cadunt. (2) Graece scripsi. Ceteri *ideas*. (3) Sic cum Strebaeo et Gron. Sch. 2. — *oratoris* Cdd. Nonius in v. *ingressus* N. Iu. M. L. Ern. 1. (4) = *tum* e Cld. Sch. 2. (5) ∞ *sunt enim* Beier *ad Offic.* T. 2. p. 296. (6) Sic Gu. B. C. Nor. = *impressa sunt* Iu. M. Ern. 1. 2. (7) = *sint omnia* L. (8) = *neque latius, nec c.* Gu. B. C. — *nec l. neque c.* Nor.

didicisset[1], uberem et fecundum fuisse, gnarumque[2], (quod est eloquentiae maximum) quibus orationis modis quaeque animorum partes pellerentur. Quod idem de Demosthene existimari potest: cuius ex epistolis intelligi licet, quam frequens fuerit Platonis auditor. 16. Nec vero sine philosophorum disciplina, genus et speciem cuiusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus: nec iudicare, quae vera, quae falsa sint, neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere. Quid dicam de natura rerum, cuius cognitio magnam orationis[3] suppeditat copiam, de vita, de officiis, de virtute, de moribus, sine multa earum ipsarum rerum disciplina[4], aut dici, aut intelligi posse[5]? V. 17. Ad has tot tantasque res adhibenda sunt ornamenta innumerabilia, quae sola tum quidem tradebantur ab iis, qui dicendi numerabantur magistri. Quo fit, ut veram illam et absolutam eloquentiam nemo consequatur, quod alia intelligendi, alia dicendi disciplina est: et ab aliis, rerum, ab aliis, verborum doctrina quaeritur. 18. Itaque M. Antonius, cui vel primas eloquentiae patrum nostrorum tribuebat aetas, vir natura peracutus et prudens, in eo libro, quem unum reliquit, disertos ait se vidisse multos, eloquentem omnino neminem. Insidebat videlicet in eius mente species eloquentiae, quam cernebat animo, re ipsa[6] non videbat. Vir autem acerrimo ingenio (sic enim fuit) multa et in se et in aliis desiderans, neminem plane, qui recte appellari eloquens posset, videbat. 19. Quod si ille nec se, nec L. Crassum eloquentem putavit: habuit profecto comprehensam animo quandam formam eloquentiae, cui quoniam nihil deerat, eos, quibus aliquid aut plura deerant, in eam formam non poterat includere. Investigemus hunc igitur, Brute, si possumus, quem nunquam vidit Antonius, aut qui omnino nullus unquam fuit: quem si imitari atque exprimere non possumus, quod idem ille vix Deo concessum esse dicebat, at[7] qualis esse debeat, poterimus fortasse dicere.

20. Tria sunt omnino genera dicendi, quibus in singulis quidam floruerunt: peraeque autem (id quod volumus) perpauci in omnibus. Nam et grandiloqui, ut ita dicam, fuerunt cum ampla et sententiarum gravitate[8], et maiestate verborum, vehementes, varii, copiosi, graves: ad permovendos et convertendos animos instructi et parati; quod ipsum[9] alii aspera, tristi, horrida oratione, neque perfecta, neque conclusa; alii laevi, et instructa[10], et terminata: et contra tenues, acuti, omnia docentes, et dilucidiora, non ampliora, facientes, subtili quadam et

---

([1]) — *didicisse, tum uberem* Sch. suspic. ([2]) — *narumque* L. ([3]) Sic Iu. M. L. Ern. 1. — *oratoris* Ed. Ven. N. Med. unde ∞ *oratori* Ern. suspic. prob. Klein in *Misc. crit.* 1. p. 504. ∞ *orationi* Sch. C. 2. ([4]) — *sine multarum rerum disc.* Norimb. ([5]) Sic Cdd. Edd. vett. N. Iu. Crat. M. Steph. Rectissime. Nam in vulgata ante v. *de vita* inserendum esset *quid*, vel *an.* — *Quid dicam - - - de virtute, de moribus?* (—, Sch. 2.) *sine m. e. i. r. d. aut dici aut intelligi potest.* L. Grut. Ern. 1. 2. ([6]) = *reapse* L. suspic. in marg. 1584. ut est aliquoties in libris *de Re publica*. ([7]) ∞ *attamen* N. Iu. L. ([8]) — *granditate* Sch. C. 2. sed non minus offendimus in v. *grandiloqui cum granditate*, quam in his: *cum gravitate - graves.* ([9]) Sic Cdd. etiam Regii. N. Iu. — L. Ern. 1. 2. — *in quo ipso* post Bipontinos Sch. in Ed. mai. — *quorum ipsorum* Nescio cuius C. in Lamb. Adnott. ([10]) Sic Ern. C. 1. 2. — *instructa* Cdd. N. Iu. — L.

pressa oratione limati[1]. VI. In eodemque genere alii callidi, sed impoliti, et consulto rudium similes et imperitorum: alii in eadem ieiunitate concinniores, id est[2], facti, florentes etiam, et leviter ornati. 21. Est autem quidam interiectus inter hos, medius[3]; et quasi temperatus, nec acumine posteriorum, nec fulmine[4] utens superiorum, vicinus[5] amborum, in[6] neutro excellens, utriusque particeps; vel utriusque (si verum quaerimus) potius expers. Isque uno tenore, ut aiunt, in dicendo fluit, nihil afferens praeter facilitatem et aequabilitatem[7]: aut addit aliquos, ut in corona, toros, omnemque orationem ornamentis modicis verborum sententiarumque distinguit. 22. Horum singulorum generum quicumque vim singuli[8] consecuti sunt, magnum in oratoribus nomen habuerunt. Sed quaerendum est, satisne id, quod volumus, effecerint. VII. Videmus enim fuisse quosdam, qui iidem ornate ac[9] graviter, iidem versute et subtiliter dicerent. Atque utinam in Latinis talis oratoris simulacrum reperire possemus! esset egregium non quaerere externa, domesticis esse contentos. 23. Sed ego idem, qui in illo sermone nostro, qui est expositus in Bruto, multum tribuerim Latinis, vel ut hortarer alios, vel quod amarem meos, recordor longe[10] omnibus unum anteferre Demosthenem, qui vim accommodarit ad eam, quam sentiam, eloquentiam, non ad eam, quam in aliquo ipse cognoverim[11]. Hoc nec gravior exstitit quisquam, nec callidior, nec temperatior. Itaque nobis monendi sunt ii, quorum sermo imperitus increbuit[12], qui aut dici se desiderant Atticos, aut ipsi Attice volunt dicere, ut mirentur hunc maxime, quo ne[13] Athenas quidem ipsas magis credo fuisse Atticas: quid enim sit Atticum, discant, eloquentiamque ipsius viribus, non imbecillitate sua, metiantur. 24. Nunc enim tantum quisque laudat, quantum se posse sperat imitari. Sed tamen eos studio optimo, iudicio minus firmo praeditos, docere, quae sit propria laus Atticorum, non alienum puto.

VIII. Semper oratorum eloquentiae moderatrix fuit auditorum prudentia. Omnes enim, qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intuentur; ad eamque, et ad eorum arbitrium et nutum totos se fingunt et accommodant. 25. Itaque Caria, et Phrygia, et Mysia, quod minime politae, minimeque elegantes sunt, adsciverunt aptum suis auribus opimum quoddam, et tamquam adipale[14] dictionis genus, quod eorum vicini, non ita lato interiecto mari, Rhodii nunquam probaverunt, Graeci [autem][15] multo minus, Athenienses vero funditus repu-

---

(1) — *limata* Gu. B. C. Nor. Hinc — *et limata* L. (2) — *id est* suspect. Sch. (3) Sic Nonius in v. *cinnus* Man. (prob. Lamb.) Grut. Ern. 1. 2. — *interiectus intermedius* N. Iu. Crat. L. (4) Sic N. Iu. — L. Grut. Sch. 2. — *flumine* e Nonio Ern. 1. (5) Sic Cdd. Ed. Rom. N. Iu. Crat. prob. Schneidero. Sch. 2. ∞ *ut cinnus* Nonius. (prob. Camer.) Man. L. Grut. Ern. 1. (6) — om. *in* Nonius, non Lamb. (7) Sic Man. Grut. Ern. 1. 2. — *facultatem et aequalitatem* N. Iu. Crat. L. (8) Sic Sch. C. 2. Le Clercq. — *singulis* Cdd. Iu. — L. Hoc Ern. 1. []. — *in singulis* Camer. (9) = *et* L. (10) — *me longe* Gothofr. (11) = *cognorim* L. in marg. 1584. (12) Sic N. Iu. Crat. M. Ern. 1. = *increbruit* L. Sch. 2. v. Struve *lat. Decl. u. Coni.* p. 225. (13) — om. *ne* N. Iu. Crat. mire probante Schneidero. (14) Sic Cdd. N. Iu. Crat. Sch. 2. — *adipatae* Nonius. M. Grut. Ern. 1. — *adipatum* L. (15) Sic N. Iu. Crat. M. L. — *autem* tacite del. Grut. Ern. 1. 2. ∞ *Graecia autem* Gu. B. unde Sch. 2. *Graecia* adscivit.

diaverunt: quorum semper fuit prudens sincerumque iudicium, nihil ut possent, nisi incorruptum, audire, et elegans. Eorum religioni quum serviret orator, nullum verbum insolens, nullum odiosum ponere audebat. 26. Itaque hic, quem praestitisse diximus ceteris, in illa pro Ctesiphonte oratione longe optima, summissus[1] a primo; deinde, dum de legibus disputat, pressus[2]: post sensim incendens iudices[3] ut vidit ardentes, in reliquis exsultavit audacius. Ac tamen[4] in hoc ipso, diligenter examinante[5] verborum omnium pondera, reprehendit Aeschines quaedam, et exagitat; illudensque, dira[6], odiosa, intolerabilia esse dicit. Quin etiam quaerit ab ipso, quum quidem eum belluam appellet, utrum illa verba, an portenta sint: ut Aeschini ne Demosthenes quidem videatur Attice dicere. 27. Facile est enim verbum aliquod ardens (ut ita dicam) notare, idque restinctis iam animorum incendiis irridere. Itaque se purgans iocatur Demosthenes: negat, in eo positas esse[7] fortunas Graeciae, *hoc an illo verbo usus sit*[8], huc an illuc manum porrexerit. Quonam igitur modo audiretur Mysus aut Phryx Athenis, quum etiam Demosthenes exagitetur ut putidus? Quum vero inclinata ululantique voce, more Asiatico, canere coepisset, quis eum ferret? aut quis potius non iuberet auferri? IX. Ad Atticorum igitur aures teretes et religiosas qui se accommodant, ii sunt existimandi Attice dicere. 28. Quorum genera plura sunt; hi unum modo quale sit[9], suspicantur. Putant enim, qui horride inculteque dicat, modo id eleganter enucleateque faciat, eum solum Attice dicere. Errant, quod solum; quod Attice, non falluntur. 29. Istorum enim iudicio si solum illud est Atticum, ne Pericles quidem dixit Attice, cui primae sine controversia deferebantur. Qui si tenui genere uteretur, nunquam ab Aristophane poëta fulgere[10], tonare, permiscere Graeciam dictus esset. Dicat igitur Attice venustissimus ille scriptor, ac politissimus, Lysias; quis enim id possit negare? dum intelligamus, hoc esse Atticum in Lysia, non quod tenuis sit, atque inornatus, sed quod nihil habeat insolens aut ineptum. Ornate vero, et graviter, et copiose dicere, aut Atticorum sit, aut ne sit Aeschines, neve Demosthenes Atticus. 30. Ecce autem aliqui se Thucydidios esse[11] profitentur, novum quoddam imperitorum et inauditum genus. Nam qui Lysiam sequuntur, causidicum quendam sequuntur: non illum quidem amplum, atque grandem; subtilem et elegantem tamen, et qui in forensibus causis possit praeclare consistere. Thucydides autem res gestas et bella narrat, et praelia, graviter sane, et probe: sed nihil ab eo transferri potest ad forensem usum[12], et publicum. Ipsae illae

---

(1) Sic L. Ern. 1. 2. — *summissius* N. Iu. Crat. M. Grut. (2) Sic Ern. 1. 2. — *pressius* N. Iu. Crat. M. L. Grut. (3) Sic Otx. Gu. A. Sch. 2. — *incedens, iudices ut* N. Iu. — L. Grut. Ern. 1. Brewer. (4) — *Attamen* L. (5) — *examinans* Iu. Crat. (6) Sic Nor. alioque Edd. vett. Ern. 1. 2. — *dura* Iu. — L. Grut. (7) ∞ om. *esse* Nor. (8) Cdd. Nor. Iu. Crat. M. L. Grut. corrupte: *in hoc in eum, huc an illuc.* Varie suppleverunt. Nos Sch. 2. secuti sumus, qui sic dedit ex Ambrosii *Comment. in Lucam* L. 2, 2. — *hoc an illud verbum dixerit* Strebaeus. Fr. Gryphius. Ern. 1. ∞ *hoc an illud locutus sit* L. in marg. 158 1. (9) — *quale id cunque sit* L. (10) Sic N. Iu. Grut. Ern. 1. 2. — *fulgurare* Crat. M. L. Sch. in Ed. mai. (11) — *esse* suspect. Ern. (12) — *usum forensem* L.

concfones ita multas habent obscuras abditasque sententias, vix ut intelligantur: quod est in oratione civili vitium vel maximum. 31. Quae est autem in hominibus tanta perversitas, ut, inventis frugibus, glande vescantur? An victus hominum, Atheniensium beneficio excoli potuit, oratio non potuit? Quis porro unquam Graecorum rhetorum a Thucydide quidquam duxit? At laudatus est ab omnibus. Fateor: sed ita, ut rerum explicator prudens, severus[1], gravis; non ut in iudiciis versaret causas, sed ut in historiis bella narraret. Itaque nunquam est numeratus orator. 32. Nec vero, si historiam non scripsisset, nomen eius exstaret[2], quum praesertim fuisset honoratus et nobilis. Huius tamen nemo neque verborum, neque sententiarum gravitatem imitatur: sed, quum mutila quaedam, et hiantia locuti sunt, quae vel sine magistro facere potuerunt, germanos se putant esse Thucydidas[3]. Nactus sum etiam qui Xenophontis similem esse se cuperet: cuius sermo est ille quidem melle dulcior, sed a forensi strepitu remotissimus.

33. Referamus nos igitur[4] ad eum, quem volumus, inchoandum, et eadem[5] eloquentia informandum, quam in nullo cognovit Antonius. X. Magnum opus omnino et arduum, Brute, conamur: sed nihil difficile amanti puto. Amo autem, et semper amavi ingenium, studia, mores tuos. Incendor porro quotidie magis, non desiderio solum (quo quidem conficior), congressus nostros, consuetudinem victus, doctissimos sermones requirens tuos, sed etiam incredibili fama virtutum admirabilium[6], quae specie dispares, prudentia coniunguntur. 34. Quid enim tam distans, quam a severitate comitas? Quis tamen unquam te aut sanctior est habitus, aut dulcior? Quid tam difficile, quam in plurimorum controversiis diiudicandis ab omnibus diligi? Consequeris tamen, ut eos ipsos, quos contra statuas, aequos placatosque dimittas. Itaque efficis, ut, quum gratiae causa nihil facias, omnia tamen sint grata, quae facis. Ergo omnibus[7] terris, una Gallia communi non ardet incendio: in qua frueris ipse te, quum in Italiae luce cognosceris, versarisque in optimorum civium vel flore, vel robore. Iam quantum illud est, quod in maximis occupationibus nunquam intermittis studia doctrinae! semper aut ipse scribis aliquid, aut me vocas ad scribendum! 35. Itaque hoc sum aggressus statim Catone absoluto: quem ipsum nunquam attigissem, tempora timens inimica virtuti, nisi tibi hortanti, et illius memoriam mihi caram excitanti, non parere nefas esse duxissem: sed testificor, me a te rogatum, et recusantem, haec scribere esse ausum. Volo enim mihi tecum commune esse crimen, ut, si sustinere tantam quaestionem

---

(1) — *sincerus* ut *Brut.* C. 83. Sch. €. 2. (2) Sic Cdd. Iu. Crat. M. Ern. 1. Lallem. Recte: negatio sane requireretur, si esset: *praesertim quum*, ut ceperunt ii, a quibus *non* intrusum est. Sed iunge: *quum*, id est, quamvis *fuisset honoratus praesertim — non exst.* L. €. Grut. Sch. 2. (3) Sic e libro vet. Rivius. M. L. Ern. 1. 2. — *Thucydidis* Iu. Crat. (4) = *igitur nos* Gu. A. B. Sch. in Ed. mai. (5) — *ea demum* de Ern. suspic. Sch. in Ed. mai. (6) Sic Edd. vett. Nor. Sch. 2. ∞ *incredibili f. v. admirabilium* Iu. Crat. M. L. Ern. 1. et sic Cdd. aliq. habere videntur, quum e Guelff. Oxonn. nihil notetur. — *admirabilium incredibili fama virtutum* Sch. €. in Ed. mai. (7) ∞ *ex omnibus* L. Sch. 2.

non potuero, iniusti oneris impositi tua culpa sit, mea recepti. In quo tamen iudicii nostri errorem laus tibi dati muneris compensabit.

XI. 36. Sed in omni re difficillimum est, formam (qui[1] χαραχτῆρ Graece dicitur) exponere optimi: quod aliud aliis videtur optimum. Ennio delector, ait quispiam, quod non discedit a communi more verborum: Pacuvio, inquit alius; omnes apud hunc ornati, elaboratique sunt versus: multa[2] apud alterum negligentius. Fac alium Attio. Varia enim sunt iudicia, ut in Graecis: nec facilis explicatio, quae forma maxime excellat. In picturis alios horrida, inculta, abdita, et opaca: contra alios nitida, laeta, collustrata delectant[3]. Quid est, quo[4] praescriptum aliquod, aut formulam exprimas, quum in suo quodque genere praestet, et genera plura sint? Hac ego religione non sum ab hoc conatu repulsus[5]: existimavique, in omnibus rebus esse aliquid optimum, etiamsi lateret: idque ab eo posse, qui eius rei gnarus esset, iudicari. 37. Sed quoniam plura sunt orationum genera, eaque diversa, neque in unam formam cadunt omnia: laudationum, scriptionum[6], et historiarum, et talium suasionum[7], qualem Isocrates fecit Panegyricum, multique alii, qui sunt nominati sophistae, reliquarumque rerum[8] formam[9], quae absunt ab forensi contentione, eiusque totius generis, quod Graece ἐπιδεικτικὸν nominatur, quod[10] quasi ad inspiciendum, delectationis causa comparatum est, non complectar[11] hoc tempore. Non quo negligenda sit: est enim illa quasi nutrix eius oratoris, quem informare volumus, et de quo molimur aliquid exquisitius dicere. XII. Ab hac et verborum copia alitur, et eorum constructio, et numerus liberiore quadam fruitur licentia. 38. Datur etiam venia concinnitati sententiarum: et arguti, certique, et circumscripti verborum ambitus conceduntur: de industriaque, non ex insidiis, sed aperte ac palam elaboratur, ut verba verbis quasi dimensa[12] et paria respondeant, ut crebro conferantur pugnantia, comparenturque[13] contraria: et ut pariter extrema terminentur, eundemque referant in cadendo sonum: quae in veritate causarum et rarius multo facimus, et certe occultius. In Panathenaico autem Isocrates ea studiose consectatum[14] fatetur. Non enim ad iudiciorum certamen, sed ad voluptatem aurium scripserat. 39. Haec tractasse Thrasymachum Chalcedonium primum, et Leontinum ferunt Gorgiam[15]: Theodorum inde Byzantium, multosque alios, quos λογοδαιδάλους appellat

---

(1) Sic Ed. Tulich. L. Sch. 2. ∞ *quae* Nor. Ern. 1. v. Bremium *ad l. de Fato* p. 3. — *quod* Iu. Crat. Man. Grut. (2) ∞ *multo* L. memorabilis lectio. (3) Sic Nor. M. L. Ern. 1. 2. cfr. §. 53. — *alios - delectat* Iu. Crat. ∞ *alius - delectatur* Ed. Ven. Med. (4) ∞ *quod* Crat. L. (5) — *depulsus* L. (6) — *suasionum* L. Lallem. (— *historiarum* del. censebat L.) (7) — *scriptionum* L. Lallem. (8) — *rerum* suspect. Sch. (9) — *formam* L. transposuit ante *non complectar*. (10) — *qua* Nor. — *quia* ex Ed. Tulich. Sch. 2. (11) — *complector* Gu. A. B. (12) Sic L. — *demensa* Ceteri. (13) Sic M. Grut. Ern. 1. 2. ∞ *conferant - - - comparentque* Gu. A. B. N. Iu. Crat. L. (14) Sic Iu. Crat. M. Grut. — *ea se studiose consectatum* L. Gu. B. ∞ *ea studio se consectatum* Sch. C. 2. — *ea studiose consecutum* Gu. A. Edd. aliq. vett. N. Ern. 1. ∞ *ea studiose se consecutum* Ern. suspic. (15) — *et G. L. ferunt* L.

in Phaedro Socrates: quorum satis arguta multa, sed ut modo primumque nascentia, minuta, et versiculorum[1] similia quaedam, nimiumque depicta[2]. Quo magis sunt Herodotus, Thucydidesque mirabiles: quorum aetas quum in eorum tempora, quos nominavi, incidisset, longissime tamen ipsi a talibus deliciis, vel potius ineptiis, abfuerunt. Alter enim sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluit: alter incitatior fertur, et de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum, primisque ab his (ut ait Theophrastus) historia commota est, ut auderet uberius, quam superiores, et ornatius dicere. XIII. 40. Horum aetati successit Isocrates, qui praeter ceteros eiusdem generis laudatur semper a nobis, nonnunquam, Brute, leniter[3] et erudite repugnante te. Sed cedas[4] mihi fortasse, si, quid in eo laudem, cognoveris. Nam quum concisus ei Thrasymachus minutis numeris videretur, et Gorgias, qui tamen primi traduntur arte quadam verba vinxisse[5]; Theodorus[6] autem praefractior, nec satis (ut ita dicam) rotundus: primus instituit dilatare verbis, et mollioribus numeris explere sententias. In quo quum doceret eos, qui partim in dicendo, partim in scribendo principes exstiterunt, domus eius officina habita eloquentiae est. 41. Itaque ut ego, quum a nostro Catone laudabar, vel reprehendi me a ceteris facile patiebar: sic Isocrates videtur testimonio Platonis aliorum iudicia debere contemnere. Est enim (ut scis) quasi in extrema pagina Phaedri his ipsis verbis loquens Socrates: Adolescens etiam nunc, o Phaedre, Isocrates est: sed quid de illo augurer, lubet dicere. Quid tandem? inquit ille. Maiore mihi ingenio videtur esse, quam ut cum orationibus Lysiae comparetur. Praeterea ad virtutem maior indoles: ut minime mirum futurum sit, si, quum aetate processerit, aut in hoc orationum genere, cui nunc studet, tantum, quantum pueris, reliquis praestet omnibus, qui unquam orationes attigerunt; aut, si contentus his non fuerit, divino aliquo animi motu maiora concupiscat. Inest enim natura philosophia in huius viri mente quaedam. Haec de adolescente[7] Socrates auguratur. 42. At ea de seniore scribit Plato, et scribit aequalis, et quidem, exagitator omnium rhetorum, hunc miratur unum. Me autem, qui Isocratem non diligunt, una cum Socrate et cum[8] Platone errare patiantur. Dulce igitur orationis genus, et solutum, et cl[illegible]luens[9], sententiis argutum, verbis sonans, est in illo epidictico genere: quod diximus[10] proprium sophistarum; pompae, quam pugnae aptius; gymnasiis et palaestrae dicatum; spretum et pulsum foro. Sed quod educata huius nutrimentis eloquentia, ipsa se postea colorat

---

(1) — *versicolorium* (sic) L. (2) — *astricta* Sch. suspic. (3) e Cdd. Sch. 2. — *leviter* N. — L. Ern. 1. (4) Sic Ern. C. 1. — *credas* N. — L. — *credes* al. ap. Ern. unde ∞ *cedes* Sch. C. 2. (5) Sic Margo 1584. Grut. Ern. 1. 2. — *iunxisse* N. Iu. Crat. M. L. nec fortasse mutandum fuit. cfr. §. 68. (6) Sic Ern. C. 1. 2. — *Theodectes* Nonius in v. *rotundum*. — *Thucydides* N. — L. Grut. (7) ∞ *de adol. Isocrate Socr.* L. (8) — om. *cum* L. (9) — *affluens* Gu. B. (10) ∞ *est illud ἐπιδεικτικόν, quod diximus, proprium* Sch. C. 2. Fortasse sufficiet: *est in illo ἐπιδεικτικῷ, quod diximus, proprium*. Cfr. §. 207. Dativis scil. graecis pro Ablativis latinis, praesertim cum praepositt., ut aliter fieri nequibat, utitur etiam Cicero *ad Attic.* 5, 21. *nullo nostro ἐνημερήματι*. Ibid.: de *ἐνδομυχῷ probo* cet.

et roborat, non alienum fuit de oratoris quasi incunabulis dicere. Verum haec[1], ludorum atque pompae: nos autem iam in aciem dimicationemque descendamus[2].

XIV. 43. Quoniam tria videnda sunt oratori, quid dicat, et quo quidque loco, et quomodo: dicendum omnino est, quid sit optimum in singulis, sed aliquanto secus, atque in tradenda arte dici solet. Nulla praecepta ponemus, (neque enim id suscepimus) sed excellentis eloquentiae speciem et formam adumbrabimus: nec, quibus rebus ea paretur, exponemus; sed qualis nobis esse videatur. 44. Ac duo breviter prima. Sunt enim non tam insignia ad maximam laudem, quam necessaria, et tamen cum multis paene communia. Nam et invenire, et iudicare, quid dicas[3], magna illa quidem sunt, et tamquam animi instar in corpore: sed propria magis prudentiae, quam eloquentiae. Qua tamen in causa est vacua prudentia[4]? Noverit igitur hic quidem orator, quem summum esse volumus, argumentorum et rationum[5] locos. 45. Nam quoniam, quidquid est, quod in controversia, aut[6] in contentione versetur, in eo, aut sitne, aut quid sit, aut quale sit, quaeritur: sitne, signis; quid sit, definitionibus; quale sit, recti pravique partibus: quibus ut uti possit orator, non ille vulgaris, sed hic excellens, a propriis personis et temporibus semper, si potest, avocat controversiam. Latius enim de genere, quam de parte disceptare licet: ut, quod in universo sit probatum, id in parte sit probari necesse. 46. Haec igitur quaestio a propriis personis et temporibus, ad universi generis orationem[7] traducta, appellatur θέσις[8]. In hac Aristoteles adolescentes, non ad philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad copiam rhetorum, in utramque partem ut ornatius et uberius dici posset[9], exercuit: idemque locos (sic enim appellat) quasi argumentorum notas tradidit, unde omnis in utramque partem traheretur oratio. XV. 47. Facile igitur hic noster, (non enim declamatorem aliquem de ludo, aut rabulam de foro, sed doctissimum et perfectissimum quaerimus) quoniam loci certi traduntur, percurret omnes, utetur aptis, generatim dicet[10]: ex quo emanant[11] etiam, qui communes appellantur loci. Nec vero utetur imprudenter hac copia, sed omnia expendet[12] et seliget. Non enim semper, nec in omnibus causis, ex iisdem[13] eadem argumentorum momenta sunt. 48. Iudicium igitur[14] adhibebit: nec inveniet solum quid dicat, sed etiam expendet. Nihil est enim[15] feracius in-

(1) — *hoc* Gu. A. B. (2) Sic ex Ed. Ven. Med. Ern. 1. 2. ∞ *veniamus* Cdd. Regii. Ed. princ. Iu. Crat. M. L. Grut. (3) ∞ *quid et quo loco dicas* Sch. C. 2. ingeniose. cfr. §. 51. (4) Sic Cdd. Iu. Grut. Ern. 1. Sch. 2. (*vacua* id est, supervacanea.) — *qua enim* (sic Margo Crat.) *in causa vacua est pr.* Gryphius. — *quae tamen qua in causa vac. est pr.* Melanchthon. ∞ *quae tamen causa est v. pr.?* Man. L. (5) — *actionum* Sch. C. 2. (6) ∞ *et* Nizolius. (7) ∞ *rationem* Nizol. Purgold. (8) — *Graece app.* θέσις Sch. C. 2. Nihil opus: modo *thesis* N. — Ern. 1. graecis literis erat scribendum. (9) Sic Gryph. L. Ern. 1. 2. — *possit* Ceteri. (10) Sic L. in marg. 1584. Lipsius *Var. Lect.* 2, 7. et e Cdd. Ern. 1. 2. — *dicat* Olx. alii (ut et *percurrat* - *utatur* aliquot.) — *utetur aptis generatim, discet ex quo* Iu. Crat. M. L. 1566. (11) Sic omnes praeter L. et Grut. qui habent *emanent*. Ceterum haec *utetur* - - - *loci* Sch. 2 [ ]. (12) — *sed idonea exquiret* Sch. C. 2. Fortasse: *sed idonea excerpet.* (13) — *nec ex iisdem* L. (14) = *ergo* L. (15) Sic Sch. 2. — *Nihil enim est* M. Grut. Ern. 1. *Nihil enim* om. *est* Gu. B. Iu. Crat. L. Mox *his* pro *iis* L.

geniis, iis praesertim, quae disciplinis exculta sunt. Sed ut segetes fecundae et uberes, non solum fruges, verum herbas etiam[1] effundunt inimicissimas frugibus: sic interdum ex illis locis, aut levia quaedam, aut causis aliena, aut non utilia gignuntur; quorum ab oratoris iudicio delectus magnus adhibebitur. 49. Alioqui quonam modo[2] ille in bonis haerebit et habitabit suis? aut[3] molliet dura, aut occultabit, quae dilui non poterunt, atque omnino opprimet, si licebit, aut abducet animos? aut aliud afferet, quod oppositum probabilius sit, quam illud, quod obstabit[4]? 50. Iam vero ea, quae invenerit, qua diligentia collocabit? quoniam id secundum erat de tribus. Vestibula nimirum honesta, aditusque ad causam faciet illustres: quumque animos prima aggressione occupaverit, infirmabit, excludetque contraria; de firmissimis alia prima ponet, alia postrema, inculcabitque leviora. Atque in primis duabus dicendi partibus qualis esset, summatim breviterque descripsimus. XVI. Sed, ut ante dictum est, in his partibus (etsi graves atque magnae sunt) minus et artis est, et laboris. 51. Quum autem, quid et quo loco dicat, invenerit, illud est longe maximum, videre, quonam modo. Scitum est enim, † quod Carneades noster dicere solebat, Clitomachum eadem dicere, Carneadem autem eodem etiam modo dicere[5]. Quod si in philosophia tantum interest, quemadmodum dicas, ubi res spectatur, non verba penduntur: quid tandem in causis existimandum est, quibus totis moderatur oratio? 52. Quod quidem ego, Brute, ex tuis literis sentiebam, non te id scitari[6], qualem ego in inveniendo et in collocando summum esse oratorem vellem, sed id mihi quaerere videbare, quod genus ipsius orationis optimum iudicarem. Rem difficilem (dii immortales!) atque omnium difficillimam. Nam quum est oratio mollis, et tenera, et ita flexibilis, ut sequatur, quocunque torqueas: tum et naturae variae, et voluntates multum inter se distantia effecerunt genera dicendi. 53. Flumen aliis verborum, volubilitasque cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam. Distincta alios et[7] interpuncta, intervalla, morae, respirationesque delectant. Quid potest esse tam diversum? Tamen est in utroque aliquid excellens. Elaborant alii in[8] lenitate et aequabilitate, et puro quasi quodam et candido genere dicendi. Ecce aliqui[9] duritatem et severitatem quandam verbis, et orationis quasi maestitiam sequuntur; quodque paullo

---

(1) = *etiam herbas* L. (2) Sic Crat. Gryph. L. Ern. 1. 2. — *adhibebitur alioqui. Quonam* Grut. — *adhibebitur. Quonam* Cdd. aliq. Ed. Med. Iu. Man. (3) — *ut moll. - - ut occ. - - ut abd. - - aut aliud* L. (4) — *obstet* vel *obstabat* Ern. suspic. (5) Locus ridicule corruptus. Quis est enim *Carneades* ille *noster*, qui aequalis fuerat Catonis Censorii? Quid Carneades dicere poterat de Clitomacho et Charmada post obitum eius natis? tum, *eadem dicere* quocum tandem? Equidem lego: ∞ *quod Charmadas noster dicere solebat, Clitomachum eadem dicere et Carneadem, Carneadem autem quodam etiam modo dicere.* (*Carneadem autem* habent Cdd. omnes N. Iu. Crat. M. pravoque loco Victor. Steph. L. 1566. Ern. 1. Scb. 2. ei substituere *Charmadam*, *Charmidam* Margo 1584. Grut. ∞ *quodam etiam modo* egregia est €. Sch. 2. Is, quod necessarium non erat, praeterea *dicere* in fine expunxit.) (6) — *sciscitari* Orv. (7) — om. *et* L. (8) Sic primus, ut opinor L. 1566. et 1584. Grut. Ern. 1. 2. — om. *in* Cdd. N. Iu. Crat. M. Steph. (— *levitate* Nor. *taeviiate* haud improbabat Lamb.) (9) Sic Man. Grut. Ern. 1. 2. ∞ *alii* N. Iu. Crat. L.

ante divisimus[1], ut alii graves, alii tenues, alii temperati vellent videri: quot orationum genera esse diximus[2], totidem oratorum reperiuntur.

XVII. 54. Et, quoniam coepi iam cumulatius hoc munus augere, quam a te postulatum est, (tibi enim tantum de orationis genere quaerenti respondi etiam breviter de inveniendo et collocando[3]) ne nunc quidem solum de orationis modo dicam, sed etiam de actionis: ita praetermissa pars nulla erit: quandoquidem de memoria nihil est hoc loco dicendum, quae communis est multarum artium. 55. Quo modo autem dicatur, id est in duobus, in agendo, et in eloquendo. Est enim actio quasi corporis quaedam eloquentia, quum[4] constet e voce atque motu. Vocis mutationes totidem sunt, quot animorum, qui maxime voce commoventur. Itaque ille perfectus[5], quem iamdudum nostra indicat oratio, uteunque se affectum videri et animum audientis moveri volet, ita certum vocis admovebit sonum: de quo plura dicerem, si hoc praecipiendi tempus esset, aut si tu hoc quaereres. Dicerem etiam de gestu, cum quo iunctus est vultus. Quibus omnibus, dici vix potest, quantum intersit, quemadmodum utatur orator. 56. Nam et infantes, actionis dignitate, eloquentiae saepe fructum tulerunt: et diserti, deformitate agendi, multi infantes putati sunt: ut iam non sine causa Demosthenes tribuerit et primas, et secundas, et tertias actioni. Si enim eloquentia nulla sine hac, haec autem sine eloquentia, tanta est: certe plurimum in dicendo potest. Volet igitur ille, qui eloquentiae principatum petet, et contenta voce, atrociter dicere: et summissa, leniter: et inclinata, videri gravis: et inflexa[6], miserabilis. 57. Mira est enim quaedam natura vocis: cuius quidem, e tribus omnino sonis, inflexo, acuto, gravi, tanta sit, et tam suavis varietas perfecta in cantibus. XVIII. Est autem in dicendo etiam quidam cantus obscurior, non hic e Phrygia et Caria rhetorum epilogus[7], paene canticum: sed ille, quem significat Demosthenes et Aeschines, quum alter alteri obiicit vocis flexiones. †Dicit[8] plura etiam Demosthenes, illumque saepe dicit voce dulci et clara fuisse. 58. In quo illud etiam notandum mihi videtur ad studium persequendae suavitatis in vocibus: ipsa enim natura, quasi modularetur hominum orationem, in omni verbo posuit acutam vocem, nec una plus, nec a postrema syllaba citra[9] tertiam: quo magis naturam ducem ad aurium voluptatem sequatur industria. 59. Ac vocis quidem bonitas optanda est; non est enim in nobis. Sed tractatio atque usus in nobis. Ergo ille princeps variabit et mutabit; omnes[10] sonorum, tum intendens, tum remittens, persequetur gradus: idemque motu sic utetur: nihil ut supersit[11] in gestu. Status erectus et celsus:

---

(1) — *diximus* Sch. €. 2. (2) — *genera divisimus* Sch. €. 2. (3) Haec *tibi–collocando* suspecta sunt Sch. in Ed. mai. (4) — *quae* Ern. suspic. (5) — *perfectus ille* L. sed cfr. §. 59. et 61. (6) ∞ *flexa* Sch. €. 2. (7) Sana haec credo, etsi duri nescio quid habent. — *rhetorum* (scil. cantus), *quorum epilogus paene canticum* Ern. suspic. — *Caria*, *rhetorum epilogis p. c.* Man. Sed ita deberet esse: *non hoc e Phr. et C. rhetorum in epilogis p. c.* (8) Hoc corruptum: prius *dicit* del. censebat Ern. — *flexiones. Obiicit plura Aeschini Dem.* L. €. 1566. ∞ *flexiones: et huic plura etiam D.* Sch. €. 2. (9) — *ultra* Ern. €. 1. sed v. Spalding. *ad Quintil.* 1, 5, 30. (10) — *et omnes* L. (11) — *nihil ut desit*, *aut supersit* Sch. €. 2.

rarus incessus, nec ita longus: excursio moderata, eaque rara: nulla mollitia cervicum, nullae argutiae digitorum, non ad numerum articulus cadens: trunco magis toto se ipse moderans, et virili laterum flexione, brachii proiectione in contentionibus, contractione in remissis. 60. Vultus vero, qui secundum vocem plurimum potest, quantam affert tum dignitatem, tum venustatem? in quo quum effeceris, ne quid ineptum, aut vultuosum sit, tum oculorum est quaedam magna[1] moderatio. Nam ut imago est animi, vultus: sic indices oculi: quorum et hilaritatis, et vicissim tristitiae modum res ipsae, de quibus agetur, temperabunt.

XIX. 61. Sed iam illius perfecti oratoris et summae eloquentiae species exprimenda est: quem hoc uno excellere, id est oratione[2], cetera in eo latere, indicat nomen ipsum. Non enim inventor, aut compositor, aut actor, haec complexus est omnia, sed et Graece ab eloquendo ῥήτωρ, et Latine eloquens dictus est. Ceterarum enim rerum, quae sunt in oratore, partem aliquam sibi quisque vindicat: dicendi autem, id est eloquendi, maxima vis soli huic conceditur. 62. Quamquam enim et philosophi quidam ornate locuti sunt, (siquidem et Theophrastus divinitate loquendi nomen invenit, et Aristoteles Isocratem ipsum lacessivit, et Xenophontis voce Musas quasi locutas ferunt: et longe omnium, quicunque scripserunt aut locuti sunt, exstitit et suavitate et gravitate[3] princeps Plato;) tamen horum oratio neque nervos, neque aculeos oratorios ac forenses habet. 63. Loquuntur cum doctis, quorum sedare animos malunt, quam incitare. Sic[4] de rebus placatis, ac minime turbulentis, docendi causa, non capiendi, loquuntur: ut in eo ipso, quod delectationem aliquam dicendo aucupentur, plus nonnullis, quam necesse sit, facere videantur. Ergo ab hoc genere non difficile est hanc eloquentiam, de qua nunc agitur, secernere. 64. Mollis est enim oratio philosophorum, et umbratilis, nec sententiis, nec verbis instructa popularibus, nec vincta[5] numeris, sed soluta liberius. Nihil iratum habet, nihil invidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutum: casta, verecunda, virgo incorrupta quodammodo. Itaque sermo potius, quam oratio, dicitur[6]. Quamquam enim omnis locutio oratio est, tamen unius oratoris locutio hoc proprio[7] signata nomine est. 65. Sophistarum, de quibus supra dixi, magis distinguenda similitudo videtur, qui omnes eosdem volunt flores, quos adhibet orator in causis, persequi. Sed hoc differunt, quod, quum sit his propositum non perturbare animos, sed placare potius: nec tam persuadere, quam delectare: et apertius id faciunt, quam nos, et crebrius: concinnas magis sententias exquirunt, quam probabiles: a re saepe discedunt, intexunt fabulas, verba apertius[8] transferunt, eaque ita disponunt, ut pictores varietatem colorum: paria paribus referunt,

---

(1) = *magna quaedam* L. (2) Haec *id est or.* del. Sch C. 2. (3) Sic Cld. Gruteri. L. 1566. Sch. 2. — *exstitit et gravitate* Cdd. pleriq. Iu. Crat. M. Ern. 1. — *et copia dicendi et gr.* Nizol. — *et ubertate et gr.* L. in marg. 1584. (4) Sic Iu. Grut. Ern. 1. 2. — om. *sic* et *loquuntur* Gu. A. non male. Iam olim haeserunt in *sic*. Nam — *si quidem de reb.* Crat. L. — *sed de reb.* Man. (5) Sic Gu. A. Man. L. tum rursus Ern. C. 1. 2. — *iuncta* N. Iu. Crat. (6) — *dicetur* Gu. A. (7) — *proprie* Ern. C. 1. (8) ∞ *audacius* Sch. C. 2. ingeniose. At malim *altius*, ut §. 82.

adversa contrariis, saepissimeque similiter extrema definiunt. XX. 66. Huic generi historia finitima est, in qua et narratur ornate, et regio saepe aut pugna describitur: interponuntur etiam conciones et hortationes, sed in his tracta quaedam et fluens expetitur, non haec contorta et acris oratio. Ab his non multo secus, quam a poëtis, haec eloquentia, quam quaerimus, sevocanda est. Nam etiam poëtae quaestionem attulerunt, quidnam esset illud, quo ipsi differrent ab oratoribus. Numero maxime videbantur antea, et versu: nunc apud oratores iam ipse numerus increbuit[1]. 67. Quidquid est enim, quod sub aurium mensuram aliquam cadit, etiamsi abest a versu, (nam id quidem orationis est vitium) numerus vocatur, qui graece ῥυθμὸς dicitur. Itaque video visum esse nonnullis, Platonis et Democriti locutionem, etsi absit a versu, tamen, quod incitatius feratur, et clarissimis verborum luminibus utatur, potius poëma putandum, quam comicorum poëtarum: apud quos, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis. Nec tamen id est poëtae maximum: etsi est eo laudabilior, quod virtutes oratoris persequitur[2], quum versu sit adstrictior. 68. Ego autem etiamsi quorundam grandis et ornata vox est poëtarum, tamen in ea[3] quum licentiam statuo maiorem esse, quam in nobis, faciendorum iungendorumque verborum, tum etiam nonnullorum voluptati[4] vocibus magis, quam rebus inserviunt. Nec vero, si quid est unum inter eos simile, (id autem est iudicium, electioque verborum[5],) propterea ceterarum rerum dissimilitudo intelligi non potest: sed id nec dubium est, et, si quid habet quaestionis, hoc tamen ipsum ad id, quod propositum est, non est necessarium. Sciunctus igitur orator a philosophorum eloquentia[6], a sophistarum, ab historicorum, a poëtarum, explicandus[7] est nobis, qualis futurus sit.

XXI. 69. Erit igitur eloquens (hunc enim, auctore Antonio, quaerimus) is, qui in foro, causisque civilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat. Probare, necessitatis est: delectare, suavitatis: flectere, victoriae: nam id unum ex omnibus ad obtinendas causas potest plurimum. Sed quot officia oratoris, tot sunt genera dicendi. Subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo: in quo uno vis omnis oratoris est. 70. Magni igitur iudicii, summae etiam facultatis esse debebit moderator ille, et quasi temperator huius tripartitae varietatis. Nam et iudicabit, quid cuique opus sit; et poterit, quocunque modo postulabit causa, dicere. Sed est eloquentiae, sicut reliquarum rerum, fundamentum, sapientia. Ut enim in vita, sic in oratione, nihil est difficilius, quam, quid deceat, videre: πρέπον appellant hoc Graeci: nos dicamus sane decorum. De quo praeclare, et multa[8] praecipiuntur, et res est cognitione dignissima. Huius ignora-

---

(1) Sic N. Iu. Crat. Man. = *increbruit* L. Ern. 1. 2. Memento v. *ruber*, *erubesco*. (2) — *prosequitur* Norimb. (3) — *in iis* Sch. C. in Ed. mai. (4) Sic Ald. Iu. Crat. M. Ern. 1. (*nonnullorum voluntati* Cdd. Regii. Edd. vett.) — *tum etiam voluptati voc. mag.* L. 1566. — *tum etiam auditorum voluptati voc. mag.* L. in marg. 1584. ∞ *t. etiam nonnulli aurium voluptati voc. m.* Sch. C. 2. ingeniose. (5) Haec *id* - - *verborum* del. Sch. C. 2. (6) — *locutione* in marg. 1584. (7) — *explicandum* Ern. mira suspic. (8) — *et praeclare multa* Strebaeus. Sch. 2. Contra Goerenz. *ad l. de Fin.* p. 35. *et* ante *multa* del. censet. cfr. Beier *Offic.* T. 2. p. 111.

tione non modo in vita, sed saepissime et in poëmatis[1], et in oratione peccatur. 71. Est autem, quid deceat, oratori videndum non in sententiis solum, sed etiam in verbis. Non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis aetas, nec vero locus, aut tempus, aut auditor omnis, eodem aut verborum genere tractandus est, aut sententiarum: semperque in omni parte orationis, ut vitae, quid deceat, est considerandum, quod et in re, de qua agitur, positum est, et in personis et eorum, qui dicunt, et eorum, qui audiunt. 72. Itaque hunc locum, longe et late patentem, philosophi solent in officiis tractare, non quum de recto ipso disputant, (nam id quidem unum est[2],) grammatici in poëtis, eloquentes[3] in omni et genere et parte causarum. Quam enim indecorum est, de stillicidiis quum apud unum iudicem dicas, amplissimis verbis et locis uti communibus: de maiestate populi Romani summisse et subtiliter[4]! XXII. Hic genere toto; at persona alii peccant, aut sua, aut iudicum, aut etiam adversariorum: nec re solum, sed saepe verbo[5]: etsi enim sine re[6] nulla vis verbi est, tamen eadem res saepe aut probatur, aut reiicitur, alio atque alio elata verbo. 73. In omnibusque rebus videndum est, quatenus: etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, quam parum. In quo Apelles pictores quoque eos peccare dicebat, qui non sentirent, quid esset satis. Magnus esset[7] locus hic, Brute, quod te non fugit, et magnum volumen aliud desiderat: sed ad id, quod agitur, illud satis. Quum hoc decere, (quod semper usurpamus in omnibus dictis et factis, minimis et maximis[8],) quum hoc, inquam, decere [dicimus, illud non decere, et id[9]] usquequaque, quantum sit, appareat; in alioque ponatur, aliudque totum sit, utrum decere, an oportere dicas; 74. (oportere enim, perfectionem declarat officii, quo et semper utendum est, et omnibus: decere, quasi aptum esse, consentaneumque tempori et personae; quod quum in factis saepissime, tum in dictis valet, in vultu denique, et gestu, et incessu; contraque item dedecere: quod si poëta fugit ut maximum vitium, qui peccat etiam, quum probam orationem affingit improbo, stultove sapientis; si denique[10] pictor ille vidit, quum immolanda[11] Iphigenia tristis Calchas esset, maestior Ulixes, macreret Menelaus, obvolvendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari; si denique histrio, quid deceat, quaerit: quid faciendum oratori pute-

(1) = *poëmatibus* Cd. Reg. 7705. (2) Haec *non quum – unum est* Sch. 2. [ ]. sed vide Beier *Offic.* T. 1. p. 518. (3) — *rhetores* Sch. €. 2. (4) — *subtiliter dicere* €. in marg. 1584. (5) Sic N. M. Ern. 1. 2. ∞ *saepe etiam verbo* Iu. Crat. L. (6) Sic L. Sch. 2. — om. *enim* N. Iu. Crat. M. Ern. 1. (7) Sic Cdd. N. Iu. Crat. (= *esset hic locus.* L.) prob. Heus. Sch. in Ed. mai. Recte: magnus esset locus hic, si eum hoc loco pertractaturi essemus, et revera aliud volumen desiderat; — *magnus est l. hic* Man. et rursus Ern. €. 1. 2. (8) ∞ *dictis factis, minimis maximis* Beieri suspic. *Offic.* T. 1. p. 135. (9) ∞ *dicimus, illud non decere et id* Haec Lambinus auctoritate Mss. recte delevit: misere enim turbant sententiarum nexum; *hoc decere* substantive accip. τοῦτο τὸ πρέπειν s. πρέπον. Glossema quum in v. *non decere* pro *dedecere*, tum maxime in v. *dicimus* sese prodit, quod occultaverunt Ern. 1. Sch. 2. *dicamus* de €. scribentes. (10) — *deinde* Ern. prava suspicio. (11) *in immolanda* Ernestii suspic. constructionem v. *tristis* non assecuti.

mus?) sed, quum hoc tantum sit: quid in causis earumque quasi membris faciat, orator viderit; illud quidem perspicuum est, non modo partes orationis, sed etiam causas totas, alias alia forma dicendi esse tractandas.

XXIII. 75. Sequitur, ut cuiusque generis nota quaeratur, et formula. Magnum opus, et arduum, ut saepe iam diximus: sed ingredientibus considerandum fuit, quid ageremus: nunc quidem iam, quocunque feremur, danda nimirum vela sunt. Ac primum informandus est ille nobis, quem solum quidam vocant Atticum. 76. Summissus est, et humilis, consuetudinem imitans, ab indisertis re plus, quam opinione, differens. Itaque cum qui audiunt, quamvis ipsi infantes sint, tamen illo modo confidunt se posse dicere. Nam orationis subtilitas, imitabilis illa quidem[1] videtur esse existimanti, sed nihil est experienti minus. Etsi enim non plurimi sanguinis est, habeat tamen succum aliquem oportet, ut, etiamsi illis maximis viribus careat, sit (ut ita dicam) integra valetudine. 77. Primum igitur cum tamquam e vinculis numerorum eximamus. Sunt enim quidam[2] (ut scis) oratori[3] numeri (de quibus mox agemus) observandi ratione quadam, sed alio in genere orationis, in hoc omnino relinquendi. Solutum quiddam sit, nec vagum tamen, ut ingredi libere, non ut licenter videatur errare. Verba etiam verbis quasi coagmentare negligat. Habet enim ille tamquam hiatus concursu vocalium molle quiddam, et quod indicet non ingratam negligentiam, de re hominis magis quam de verbis laborantis. 78. Sed erit videndum de reliquis, quum haec duo ei liberiora fuerint, circuitus, conglutinatioque verborum. Illa enim ipsa contracta et minuta non negligenter tractanda sunt; sed quaedam etiam negligentia est diligens. Nam ut mulieres esse dicuntur nonnullae inornatae, quas[4] id ipsum deceat: sic haec subtilis oratio etiam incompta delectat[5]. Fit enim quiddam in utroque, quo sit venustius, sed non ut appareat. Tum removebitur omnis insignis ornatus, quasi margaritarum; ne calamistri quidem adhibebuntur. 79. Fucati vero medicamenta candoris et ruboris omnia repellentur: elegantia modo, et munditia[6] remanebit. Sermo purus erit, et Latinus: dilucide planeque dicetur: quid deceat, circumspicietur. XXIV. Unum aderit, quod quartum numerat Theophrastus in orationis laudibus, ornatum[7] illud, suave et affluens: acutae crebraeque sententiae ponentur, et[8] nescio unde ex abdito erutae, atque in hoc oratore dominabuntur. 80. Verecundus erit usus oratoriae quasi supellectilis. Supellex est enim quodammodo nostra, quae est in ornamentis, alia rerum, alia verborum. Ornatus autem verborum, duplex: unus simplicium, alter collocatorum. Simplex[9] probatur in propriis usitatisque verbis, quod aut optime sonat[10], aut rem maxime explanat[11], in alienis, aut translatum, et sumptum[12] aliunde, ut mu-

(1) = *quidem ille* L. (2) — *quidem* L. (3) Sic Nor. Ed. 1581. Grut. Ern. 1. 2. ∞ *oratorii* Otx. Iu. Crat. M. L. lectio admodum memorabilis. Mox — *hiatus et concursus vocalium* C. Iulius Victor *Maii* p. 99. (4) Sic Cld. apud Ern. Ald. Iu. — L. Ern. 1. 2. — *quasi* Cdd. aliq. Edd. vett. N. prob. Grut. (5) — *delectabit* Sch. C. in Ed. mai. (6) = *munditiae* Al. in marg. 1584. (7) — *ornamentum* L. — *solutum* Sch. suspic. ∞ *oratorium* (τὸ ῥητορικόν.) Nescio cuius C. (8) ∞ om. *et* L. (9) — *simplicium* Sch. C. 2. (10) — *sonant* L. (11) — *explanant* L. (12) Sic L. Sch. 2. — *aut sumptum* Ern. C. 1. — *aut factum* Cdd. N. Iu. Crat. M. Grut.

tuo[1]: aut factum ab ipso, *et[2] novum: aut priscum, et inusitatum. Sed etiam inusitata ac prisca sunt in propriis, nisi quod raro utimur. 81. Collocata autem verba habent ornatum, si aliquid concinnitatis efficiunt, quod verbis mutatis non maneat, manente sententia. Nam sententiarum ornamenta, quae permanent, etiamsi verba mutaveris, sunt illa quidem permulta, sed, quae emineant, pauciora. Ergo ille tenuis orator, modo sit elegans, nec in faciendis verbis erit audax, et in transferendis verecundus, et parcus in priscis; reliquisque[3] ornamentis et verborum et sententiarum demissior: translatione fortasse crebrior, qua frequentissime sermo omnis utitur non modo urbanorum, sed etiam rusticorum: siquidem est eorum, *gemmare vites*, *lascivire*[4] *agros*, *laetas esse segetes*, *luxuriosa frumenta*. 82. Nihil horum parum[5] audacter, sed aut simile est illi, unde transferas; aut, si res suum nullum habet nomen, docendi causa sumptum, non ludendi, videtur. Hoc ornamento liberius paullo, quam ceteris, utetur hic summissus: nec tam licenter tamen, quam si genere dicendi uteretur amplissimo. XXV. Itaque illud indecorum (quod quale sit, ex decoro debet intelligi) hic quoque apparet, quum verbum aliquod altius transfertur, idque in oratione humili ponitur, quod idem in alia[6] deceret. 83. Illam autem concinnitatem, quae verborum collocationem illuminat his luminibus, quae Graeci, quasi aliquos gestus orationis, σχήματα appellant, (quod idem verbum ab his etiam in sententiarum ornamenta transfertur,) adhibet quidem hic subtilis, (quem, nisi quod solum, ceterôquin recte quidam[7] vocant Atticum,) sed paullo parcius. Nam, sicut[8] in epularum apparatu, a magnificentia recedens, non se parcum solum, sed etiam elegantem videri volet; eliget[9], quibus utatur. 84. † Sunt enim pleraeque aptae[10] huius ipsius oratoris, de quo loquor, parsimoniae. Nam illa, de quibus ante dixi, huic acuto fugienda sunt, paria paribus relata, et similiter conclusa, eodemque pacto cadentia: et immutatione literae quasi[11] quaesitae venustates; ne elaborata concinnitas, et quoddam aucupium delectationis manifesto[12] deprehensum appareat. 85. Itemque si quae verborum iterationes contentionem aliquam, et clamorem requirent, erunt ab hac summissione orationis alienae. Ceteris promiscue poterit uti; continuationem verborum modo relaxet, et dividat, utaturque verbis quam usitatissimis, translationibus quam mollissimis. Etiam illa sententiarum lumina assumet[13], quae non erunt

---

(1) — *aut mutuo* N. Iu. Crat. — *ut mutuum* L. (2) Sic Sch. €. 2. — *aut novum* N. Iu. Crat. Ern. 1. — *ut novum* M. L. Cfr. in toto h. l. *de Orat.* 3, 38. (3) Sic distinguunt Cdd. aliq. Riv. Grut. 1. 2. — *et parcus; in priscis reliquisque* Iu. Crat. M. L. (4) Sic Guelf. Mss. multi teste Le Clercquio. Ed. Ven. N. prob. Ern. Sch. 2. — *sitire* Iu. Crat. M. L. Ern. 1. (5) ∞ *partum* Sch. €. 2. ingeniose, et vere, ut puto. (6) ∞ *alta* Sch. €. in Ed. mai. Recte omnino. (7) — *quidem* Grut. (8) — *si*, *ut* N. Iu. Crat. M. — *sic ut* L. (9) — *eligetque* L. (10) Sic Cdd. N. Iu. Crat. M. Locus corruptus, necdum sanatus vel a Lamb.: *sunt enim pleraque apta*, quod idem in mentem venit Ern. sed saltem deberet esse: *sunt tamen;* vel a Sch. €. 2: *Non sunt enim peraeque apta;* qua in lectione desideratur v. *omnia*, nec convenit negatio cum v. *ipsius*. Melius omissa negatione dedisset: *Sunt enim peraeque* (ut in epulis illis parcis quidem, sed elegantibus tamen) *apta* (quaedam, non omnia) cet. (11) ∞ om. *quasi* L. (12) = *manifeste* L. (13) Sic L. Sch. 2. — *assumat* Ceteri.

vehementer illustria: non faciet rem publicam loquentem, nec ab inferis mortuos excitabit, nec acervatim multa frequentans, una complexione devinciet. Valentiorum haec laterum sunt, nec ab hoc, quem informamus, aut exspectanda, aut postulanda: erit enim ut voce, sic etiam oratione suppressior. 86. Sed pleraque ex illis convenient etiam huic tenuitati: quamquam iisdem ornamentis utetur horridius: talem enim inducimus. Accedet[1] actio non tragica, nec scenae, sed modica iactatione corporis, vultu tamen multa conficiens: non hoc, quo dicuntur os ducere, sed illo, quo significant ingenue, quo sensu quidque pronuntient. XXVI. 87. Huic generi orationis adspergentur etiam sales, qui in dicendo nimium[2] quantum valent: quorum duo genera sunt, unum facetiarum, alterum dicacitatis. Utetur utroque: sed altero in narrando aliquid venuste, altero in iaciendo, mittendoque[3] ridiculo: cuius genera plura sunt: sed nunc aliud agimus. 88. Illud admonemus tamen, ridiculo sic usurum oratorem, ut nec nimis frequenti, ne scurrile sit: nec subobsceno, ne inimicum[4]: nec petulanti, ne improbum: nec in calamitatem, ne inhumanum: nec in facinus, ne odii locum risus occupet: neque aut sua persona, aut iudicum, aut tempore alienum. Haec enim ad illud indecorum referuntur. 89. Vitabit etiam quaesita, nec ex tempore ficta, sed domo allata: quae plerumque sunt frigida. Parcet et amicitiis, et dignitatibus: vitabit insanabiles contumelias: tantummodo adversarios figet, nec eos tamen semper, nec omnes, nec omni modo. Quibus exceptis sic utetur sale[5] et facetiis, ut ego ex istis novis Atticis talem cognoverim neminem, quum id certe sit vel maxime Atticum. 90. Hanc ego iudico formam summissi oratoris, sed magni tamen, et germani Attici: quoniam, quidquid est salsum aut salubre in oratione[6], id proprium[7] Atticorum est: e quibus tamen non omnes faceti: Lysias satis, et Hyperides, Demades praeter ceteros fertur. Demosthenes minus habetur; quo quidem mihi nihil videtur urbanius: sed non tam dicax fuit, quam facetus. Est autem illud acrioris ingenii, hoc maioris artis.

91. Uberius est aliud, aliquantoque[8] robustius, quam hoc humile, de quo dictum est; summissius autem, quam illud, de quo iam dicetur, amplissimum. Hoc in genere, nervorum vel minimum, suavitatis[9] autem est vel plurimum[10]. Est enim plenius, quam hoc enucleatum: quam autem illud ornatum, copiosumque, summissius. XXVII. Huic omnia[11] dicendi ornamenta conveniunt, plurimumque est, in hac orationis forma, suavitatis. 92. In qua multi floruerunt apud Graecos: sed Phalereus

---

(1) Sic L. Rursus Ern. C. 1. 2. — *accedit* Iu. Crat. M. Grut. (2) — *mirum* L. (3) ∞ *remittendoque* Sch. C. 2. (4) — *inimicum* Idd. vett. (5) — *salibus* Margo 1584. cuius generis multa, ut hoc, innocentissimo Gothofredo tribuuntur. (6) Sic Cdd. Iu. — M. Ern. 1. 2. cfr. Quintil. 6, 3, 18. — *qu. est sanum in or.* L. (7) — *proprie* Olx. (8) — *multoque* Vet. Car. Stephani, cuius variae lectiones hinc demum incipiunt, cum Gu. C. fere consentientes. (9) ∞ *sanguinis* Sch. C. 2. ingeniose. (10) — *non minimum suavitas, haud scio si vel plurimum.* Vet. Steph. ex quo vides v. *suavitatis* probabiliter pro corrupto habuisse Schuetzium. Hinc L. 1566: *nervor. est vel min. suavitatis haud scio an plur.* (11) — *fere omnia* Sch. suspic.

Demetrius meo iudicio praestitit ceteris; cuius oratio quum sedate placideque loquitur[1], tum illustrant eam, quasi stellae quaedam, translata[2] verba, atque immutata. Translata ea dico, ut saepe iam, quae per similitudinem ab alia re[3] aut suavitatis aut inopiae causa transferuntur. Mutata[4], in quibus pro verbo proprio[5] subiicitur aliud, quod idem significet, sumptum ex re aliqua consequenti. 93. Quod quamquam transferendo fit, tamen alio modo transtulit, quum dixit Ennius *arce et urbe orbam*[6]: et alio modo, si pro patria *arcem* dixisset: et *horridam Africam terribili tremere tumultu* quum dicit, pro Afris immutat Africam[7]. Hanc ὑπαλλαγὴν rhetores, quia quasi summutantur[8] verba pro verbis: μετωνυμίαν Grammatici vocant, quod nomina transferuntur. 94. Aristoteles autem translationi haec ipsa subiungit, et abusionem, quam καταχρῆσιν vocant: ut, quum *minutum* dicimus animum pro parvo, et abutimur verbis propinquis, si opus est, vel quod delectat, vel quod decet[9]. Iam quum fluxerunt plures continuae[10] translationes, alia plane fit oratio. Itaque genus hoc[11] Graeci appellant ἀλληγορίαν, nomine recte, genere melius ille, qui ista omnia translationes vocat. Haec frequentat Phalereus maxime, suntque dulcissima: et quamquam translatio est apud eum multa, tamen immutationes nusquam crebriores. 95. In idem genus orationis (loquor enim de illa modica ac temperata) verborum cadunt lumina omnia, multa etiam sententiarum: latae eruditaeque disputationes ab eodem explicabuntur[12], et loci communes sine contentione dicentur[13]. Quid multa? e philosophorum scholis tales fere evadunt[14]: et, nisi coram erit comparatus ille fortior, per se hic, quem dico, probabitur. 96. Est enim quoddam [etiam] insigne[15], et florens orationis, pictum, et expolitum genus[16],

---

([1]) ∞ *labitur* de ingeniosa Purgoldi C. Sch. 2. prob. Beier *Offic.* T. 1. p. 274. (*loquitur* defendit Walch. *Emendd. Liv.* p. 204.) ([2]) — *tralata* et *tralationes* hic aliquoties Ern. 1. ([3]) ∞ *ad aliam rem* Cdd. Regii omnes. Recte, puto; cfr. *de Orat.* 3, 42. ([4]) ∞ *Immutata* Sch. C. 2. probabiliter. ([5]) ∞ *v. proprio proprium subiic.* Sch. C. 2. cfr. *de Orat.* 3, 42. (— *proprio* om. Gu. 3. Vet. Steph.) ([6]) Sic dedi ego. — *arcem et urbem orbas* Cdd. pleriq. N. Iu. 1. Sed ex *Tuscul.* 3, 19. constat, Andromachae verba haec fuisse: *Arce et urbe orba sum*, quod ipsum receperunt L. Sch. 2. At quum sequentem quoque Ennii versum oratione obliqua laudet, patet veram quam adscivi, lectionem latere in corruptela Gu. 3. Vet. Steph. *eramus arcent urbem orbam.* ([7]) Locus corruptus. Sic N. Iu. Crat. Man. Ern. 1. 2. — *si pro patria arcem et urbem dixisset* L. quo supplem. nihil opus est (Vet. Steph. *si p. arceret d.* Pal. duo: *Ardent urbem orbam; alio modo si p. ardere d.* quod placebat Grutero et Ern.) Sed nemodum vidit, verba sic fere transponenda esse: *quum dixit E.* arce et urbe orbam, *pro patria* arcem *dicens; et alio modo horridam A.* cet. (pro v. *immutat*, C2d. prob. Grut. *immutate.*) ([8]) — *summittantur* Steph. imperite. ([9]) Sic Steph. L. 1. 2. — *licet* N. Iu. Crat. M. ([10]) ∞ *confluxerunt* C2d. Gruteri. Gu. C. Gryph. = *continuae plures* L. — *continuo plures* Gu. C. ([11]) — *Itaque hanc Gr.* Sch. suspic. ([12]) e Gu. C. prob. Heusing. Sch. 2. — *explicantur* Ceteri. ([13]) e Gu. C. prob. Heusing. Sch. 2. — *dicuntur* Iu. Crat. M. Ern. 1. — *inducuntur* L. ([14]) ∞ *evadent* Gu. C. Steph. ([15]) Sic Camer. Steph. Grut. Ern. 1. 2. verum *etiam*, quod ego [], suspectum est, tum quod sedes eius variat, tum quod non de alio, sed de praecedente omnino genere sermo est. — *Est enim etiam quodd. ins.* Nor. — *Est enim quodd. et ins.* Man. ([16]) ∞ *orationis* L. transpos. ante v. *genus.* — *Est autem quodd. etiam ins. et flor. orationis pictae et expolitae genus.* Heusing. suspic.

in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores. Hoc totum e sophistarum fontibus defluxit in forum, sed spretum a subtilibus, repulsum a gravibus, in ea, de qua loquor, mediocritate consedit.

XXVIII. 97. Tertius est ille amplus, copiosus, gravis, ornatus, in quo profecto vis maxima est. Hic est enim, cuius ornatum dicendi et copiam admiratae gentes, eloquentiam in civitatibus plurimum valere passae sunt: sed hanc eloquentiam, quae cursu magno, sonituque ferretur, quam suspicerent omnes, quam admirarentur, quam se assequi posse diffiderent. Huius eloquentiae est tractare animos, huius omni modo permovere. Haec modo perfringit, modo irrepit in sensus: inserit novas opiniones, evellit insitas. 98. Sed multum interest inter hoc dicendi genus et superiora. Qui in illo subtili et acuto elaboravit, ut callide arguteque diceret, nec quidquam altius cogitaret: hoc uno perfecto, magnus orator est, si non maximus; minimeque in lubrico versabitur, et, si semel constiterit, nunquam cadet. Medius ille autem, quem modicum et temperatum voco, si modo suum illud satis instruxerit; non extimescet[1] ancipites dicendi incertosque casus: etiam, si quando minus succedet, ut saepe fit, magnum tamen periculum non adibit: alte enim cadere non potest. 99. At vero hic[2] noster, quem principem ponimus, gravis, acer, ardens, si ad hoc unum est natus, aut in hoc solo se exercuit, aut huic generi studet[3] uni, nec suam copiam [eum][4] illis duobus generibus temperavit[5]: maxime est contemnendus. Ille enim summissus, quod acute et veteratorie dicit, sapiens iam: medius[6], suavis: hic autem copiosissimus, si nihil est aliud, vix satis sanus videri solet. Qui enim nihil potest tranquille, nihil leniter, nihil partite, definite, distincte, facete dicere, praesertim quum causae partim totae sint eo modo, partim aliqua ex parte tractandae: si is[7] non praeparatis auribus inflammare rem coepit, furere apud sanos, et quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur[8].

100. Tenemus igitur, Brute, quem quaerimus: sed animo; nam manu si prehendissem[9], ne ipse quidem sua tanta eloquentia mihi persuasisset, ut se dimitterem. XXIX. Sed inventus profecto est ille eloquens, quem nunquam vidit Antonius. Quis est igitur is? Complectar brevi, disseram pluribus. Is est enim[10] eloquens, qui et humilia subtiliter, et alta[11] graviter, et mediocria temperate potest dicere. 101. Nemo is, inquies, unquam fuit. Ne fuerit[12]. Ego enim, quid desiderem, non, quid viderim, disputo: redeoque ad illam Platonis, de qua dixeram, rei formam et speciem: quam etsi non cernimus, tamen animo tenere possumus. Non enim eloquentem[13] quaero,

---

(1) Sic Gu. C. Steph. L. tum rursus Ern. €. 1. 2. — *extimescit* N. Iu. — M. (2) ∞ *At vero, inquam, hic* Vet. Steph. (3) *studet* etiamnunc, posteaquam antea se *exercuit*, semelque *temperavit*. Sic recte se habet temporum varietas. ∞ *studuit* Gu. C. Steph. L. Sch. 2. (4) ∞ om. *cum* Gu. C. L. Sch. 2. Nos [ ]. (5) — *temperat* Ern. suspic. (6) — *sapiens; iam med.* L. (7) = *is si* Ern. suspic. (8) ∞ *coeperit* - - - *videbitur* Steph. L. (9) Sic N. M. Steph. L. 1. 2. — *comprehendissem* Iu. Crat. Camer. (10) Sic Nor. Beier *Offic.* T. 2. p. 152. — *Is enim est* Ceteri. (11) Sic Gu. C. Vet. Steph. Sch. 2. — *magna* Ceteri. (12) Vide Sch. in Ed. mai. (13) add. censebat Sch. *qui vixerit* s. *qui fuerit*. Fortasse *Non enim unum eloq.*

neque quidquam mortale, et caducum, sed illud ipsum, cuius qui sit compos, sit eloquens: quod nihil est aliud, nisi eloquentia ipsa, quam nullis, nisi mentis oculis videre possumus. Is erit igitur eloquens, (ut idem illud [1] iteremus,) qui poterit parva summisse, modica temperate, magna graviter dicere. 102. Tota mihi causa pro Caecina de verbis interdicti fuit. Res involutas definiendo explicavimus: ius civile laudavimus: verba ambigua distinximus. Fuit ornandus in Manilia lege Pompeius. Temperata oratione ornandi copiam persecuti sumus. Ius omne retinendae maiestatis Rabirii causa continebatur. Ergo in [2] omni genere amplificationis exarsimus. 103. At haec interdum temperanda et varianda sunt. Quod igitur in accusationis quinque [3] libris non reperitur genus? quod in Aviti? quod in Gornelii? quod in plurimis nostris defensionibus? quae exempla selegissem, nisi vel nota esse arbitrarer, vel per se possent eligere [4], qui quaererent. Nulla est enim ullo in genere laus oratoris [5], cuius in nostris orationibus non sit aliqua, si non perfectio, at conatus tamen, atque adumbratio. Non assequimur [6]: at, quid deceat, videmus. 104. Nec enim nunc de nobis, sed de re dicimus: in quo tantum abest, ut nostra miremur, ut usque eo difficiles ac morosi simus, ut nobis non [7] satisfaciat ipse Demosthenes; qui quamquam unus eminet inter omnes in omni [8] genere dicendi, tamen non semper implet aures meas; ita sunt avidae et capaces, et semper aliquid immensum infinitumque desiderant. XXX. 105. Sed tamen, quoniam et hunc tu [9] oratorem cum eius studiosissimo Pammene, quum esses Athenis, totum diligentissime cognovisti, neque eum dimittis e manibus, et tamen nostra etiam lectitas: vides profecto, illum multa perficere, nos multa conari: illum posse, nos velle, quocunque modo causa postulet, dicere. Sed ille magnus. Nam et successit ipse magnis, et maximos oratores habuit aequales. Nos magnum fecissemus, si quidem potuissemus, quo contendimus, pervenire, in ea urbe, in qua (ut ait Antonius) auditus eloquens nemo erat. 106. Atqui, si Antonio Crassus eloquens visus non est, aut sibi ipse: nunquam Cotta visus esset, nunquam Sulpicius, nunquam Hortensius. Nihil enim ample Cotta, nihil leniter Sulpicius, non multa graviter Hortensius. Superiores magis ad omne genus apti, Crassum dico, et Antonium. Ieiunas igitur huius multiplicis, et aequabiliter in omnia genera fusae orationis aures civitatis accepimus: easque nos primi, quicunque eramus, et quantulumcunque dicebamus, ad huius generis [dicendi] [10] audiendi incredibilia studia convertimus. 107. Quantis illa clamoribus adolescentuli diximus de supplicio parricidarum [11]? quae nequaquam satis deferbuisse post aliquanto sentire coepimus. „Quid enim

---

([1]) = *illud idem* L. ([2]) ∞ om. *in* L. ([3]) Sic L. Ern. 1. Sch. 2. ∞ *septem* Gu. C. Iu. Crat. M. Grut. ([4]) Sic Vet. Stephani. — *vel opes possent legere* Gu. C. unde Seh. €. in Ed. mai. *vel ipsi possent legere:* in Ed. min. *vel ipsi possent eligere* — *vel posse eligere* Ceteri. ([5]) ∞ om. *oratoris* Gu. C. Sch. in Ed. mai. An *oratoria?* ([6]) ∞ *Si non asseq.* C2d. Regii. Gu. C. Lamb. Sch. in Ed. mai. Le Clerc. ([7]) — *interdum non* Sch. suspic. ([8]) — om. *in omni* Vet. Steph. Gu. C. ([9]) ∞ *tu et hunc* L. ([10]) ∞ om. *dicendi* Gu. C. Man. Sch. 2. Ern. [ ]. ([11]) Haec *de s. p.* om. Cdd. aliq.

tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus eiectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de caelo non queant: ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat[1]: ita iactantur fluctibus, ut nunquam abluantur[2]: ita postremo eiiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant," et quae sequuntur. Sunt enim omnia, sicut adolescentis, non tam re et maturitate, quam spe et exspectatione, laudata[3]. 108. Ab hac indole[4] iam illa matura: „Uxor generi, noverca filii, filiae pellex[5]." Nec vero hic unus erat[6] ardor in nobis, ut hoc modo omnia diceremus[7]. Ipsa enim illa pro Roscio iuvenilis redundantia[8], multa habet attenuata, quaedam etiam paullo hilariora: ut[9] pro Avito, pro Cornelio, compluresque aliae. Nemo enim orator tam multa, ne in Graeco quidem otio, scripsit, quam multa sunt nostra: eaque hanc ipsam habent, quam probo, varietatem. XXXI. 109. An ego Homero, Ennio, reliquis poëtis, et maxime tragicis concederem, ut ne omnibus locis eadem contentione uterentur, crebroque mutarent, nonnunquam etiam ad quotidianum genus sermonis accederent: ipse nunquam ab illa acerrima contentione discederem? Sed quid poëtas divino ingenio profero? Histriones eos vidimus[10], quibus nihil posset in suo genere esse praestantius, qui non solum in dissimillimis personis satisfaciebant, quum tamen in suis versarentur, sed et comoedum in tragoediis, et tragoedum in comoediis admodum placere vidimus[11]. 110. Ego non elaborem[12]? Quum dico me[13]: te Brute, dico. Nam in me quidem iampridem effectum est, quod futurum fuit. Tu autem eodem modo omnes causas ages? aut aliquod causarum genus repudiabis? aut in iisdem causis perpetuum et[14] eundem spiritum sine ulla commutatione obtinebis? Demosthenes quidem, cuius nuper inter imagines tuas, ac tuorum, (quod eum, credo, amares,) quum ad te in Tusculanum venissem, imaginem ex aere vidi, nihil Lysiae subtilitate cedit, nihil argutiis et acumine Hyperidi, nihil lenitate Aeschini, et splendore verborum. 111. Multae sunt eius totae orationes subtiles, ut contra Leptinem: multae totae[15] graves, ut quaedam Philippicae: multae variae, ut contra Aeschinem, falsae legationis, ut contra eundem pro causa Ctesiphontis. Iam illud medium quoties vult, arripit, et a gravissimo discedens[16], eo potissimum delabitur. Clamores tamen tum movet, et tum in dicendo plurimum efficit, quum gravitatis locis utitur. 112. Sed ab hoc parumper abeamus; quandoquidem de genere, non de homine quaerimus: rei potius, id est eloquentiae, vim et naturam explicemus. Illud tamen, quod iam ante diximus, meminerimus, nil nos praecipiendi causa

---

(1) Sic ut in *Orat. pro Sext. Roscio* C. 26. Cdd. Regii. M. Grut. — *terram non tangant* Cdd. aliq. Iu. Crat. L. Ern. 1. 2. (2) Sic in *Orat. pro S. R.* Hic Vet. Steph. Edd. vett. Ern. 1. — *alluantur* Iu. Crat. M. L. Grut. Sch. 2. (3) Sic Gu. C. Vet. Steph. L. — *laudati* Ceteri. (4) — *Ab hac etiam ind. iam* Steph. (5) Vide *pro Cluentio* C. 70. (6) = *hic erat unus* Gu. C. Sch. 2. (7) = *diceremus omnia* Gu. C. Sch. 2. (8) — *Ipsa enim illa* (scil. oratio) *pro R. in iuvenili ab.* Sch. suspic. (9) Sic L. Ern. 1. 2. — *at* Ceteri. (10) — *vidimus* Grut. — *audimus* Edd. vett. (11) — *videmus* Grut. (12) — *elaborarem* Steph. (13) ∞ *Me enim d.* Gu. C. Sch. in Ed. mai. (14) ∞ del. *et* Sch. C. 2. (15) — *et totae* Iu. Crat. Victor. (16) ∞ *descendens* Sch. C. 2.

dicturos[1]: atque ita potius acturos, ut existimatores videamur loqui, non magistri. In quo tamen longius saepe[2] progredimur, quod videmus, non te haec solum esse lecturum, qui ea multo, quam nos, qui quasi docere[3] videamur, habeas notiora, sed hunc librum, etiamsi minus nostra commendatione, tuo tamen nomine divulgari necesse est[4].

XXXII. 113. Esse igitur perfecte eloquentis puto, non eam solum[5] facultatem habere, quae sit eius propria, fuse lateque dicendi, sed etiam vicinam eius, atque[6] finitimam, dialecticorum scientiam assumere. Quamquam aliud videtur[7] oratio esse, aliud disputatio; nec idem loqui [esse,][8] quod dicere: attamen utrumque in disserendo est. Disputandi ratio, et loquendi, dialecticorum sit: oratorum autem, dicendi et ornandi[9]. Zeno quidem ille, a quo disciplina Stoicorum est, manu demonstrare solebat, quid inter has artes interesset. Nam quum compresserat digitos, pugnumque fecerat, dialecticam aiebat eiusmodi esse: quum autem diduxerat, et manum dilatarat[10], palmae illius similem eloquentiam esse dicebat. 114. Atque etiam[11] ante hunc Aristoteles principio artis rhetoricae dicit[12], illam artem quasi ex altera parte respondere dialecticae: ut hoc videlicet differant inter se, quod haec ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior. Volo igitur huic summo, omnem, quae ad dicendum trahi[13] possit, loquendi rationem, esse notam: quae quidem res (quod te his artibus eruditum minime fallit) duplicem habet[14] docendi viam. Nam et ipse Aristoteles tradidit praecepta plurima disserendi, et postea, qui dialectici dicuntur, spinosiora multa peperercrunt. 115. Ergo eum censeo, qui eloquentiae laude ducatur, non esse earum rerum omnino rudem[15]; sed vel illa antiqua[16], vel hac Chrysippi disciplina institutus, noverit[17] primum vim, naturam, genera verborum, et simplicium, et copulatorum: deinde quot modis quidque dicatur: qua ratione, verum falsumne sit, iudicetur: quid efficiatur e quoque, quid cuique consequens sit, quidque contrarium[18]: quumque ambigue multa dicantur, quomodo quidque eorum dividi, explanarique oporteat. Haec tenenda sunt oratori: saepe enim occurrunt. Sed quia sua sponte squalidiora sunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor. XXXIII. 116. Et quoniam in omnibus, quae ratione docentur et via, primum constituendum est,

(1) Sic Edd. vett. Ern. 1. 2. ∞ *esse dicturos* Gu. C. Iu. Crat. M. L. Grut. (2) Sic C5d. Regii Gu. 3. Sch. 2. — om. *saepe* ceteri. (∞ *progrediemur* Crat.) (3) — *qui ea doc.* Steph. L. (4) — *necesse esse divulgari* L. — *div. nec. esse* Ern. suspic. (5) ∞ *tantum* Gu. C. Sch. 2. (6) = *ac* L. (7) — *qu. enim aliud videatur* L. (8) ∞ om. *esse* Gu. C. Sch. 2. Nos [ ]. (9) Sic Iu. Crat. M. Ern. 1. ∞ *ut disputandi - - - ornandi* Sch. €. 2. ad sensum bene. (— *disputandi - - - dialecticorum. Sic or. aut.* Nor.) — *quod dicere; et quamquam disputandi ratio et loquendi dialecticorum sit, oratorum autem dicendi et ornandi, attamen utrumque in disserendo est.* L. (10) e Gu. C. Sch. 2. = *dilataverat* Ceteri. (11) ∞ om. *etiam* Gu. C. Sch. 2. (12) An *ante hunc - - - dixit?* (13) Sic Cdd. Regii. Iu. — M. L. Sch. 2. — *tradi* Ed. Ven. Ern. 1. (14) Sic Steph. L. Ern. 1. 2. ∞ *habuit* Edd. vett. Iu. Crat. M. quod sane defendi potest. (15) — *non esse omnino car. rer. rudem oportere* L. (16) — *antiqua Aristotelis* L. (17) Sic Iu. Crat. M. L. Rursus e Gu. C. Sch. 2. — *institutum. Noverit* Ed. 1584. Grut. Ern. 1. (18) e Gu. C. Sch. 2. ∞ *quid cui c. s. quidque c.* Man. — *quod cuique c. s. quodque c.* Iu. Crat. L. — *quod cui c. s. quodque c.* Grut. Ern. 1.

quid quidque sit: (nisi enim inter eos, qui disceptant[1], convenit, quid sit illud, de quo ambigitur; nec recte disseri, nec unquam ad exitum perveniri potest[2]) explicanda est saepe verbis mens nostra de quaque re, atque involutae[3] rei notitia definiendo aperienda est: siquidem definitio est oratio, quae, quid sit id, de quo agitur, ostendit quam brevissime. Tum, ut scis, explicato genere cuiusque rei, videndum est, quae sint eius generis sive formae, sive partes, ut in eas tribuatur omnis oratio. 117. Erit igitur haec facultas in eo, quem volumus esse eloquentem, ut definire rem possit, neque id faciat tam presse et anguste, quam in illis eruditissimis disputationibus fieri solet: sed quum[4] explanatius, tum etiam uberius, et ad commune iudicium popularemque intelligentiam accommodatius. Idemque etiam, quum res postulabit, genus universum in species certas, ut nulla neque praetermittatur, neque redundet, partietur, ac dividet. Quando autem, aut quomodo id faciat[5], nihil ad hoc tempus[6]: quoniam (ut supra dixi) iudicem esse me[7], non doctorem volo. 118. Nec vero dialecticis modo sit instructus, sed habeat omnes philosophiae notos et tractatos locos. Nihil enim de religione, nihil de more[8], nihil de pietate, nihil de caritate patriae, nihil de bonis rebus, aut malis, nihil de virtutibus, aut vitiis, nihil de officio, nihil de dolore, nihil de voluptate, nihil de perturbationibus animi, et erroribus, quae saepe cadunt in causas, sed iciunius aguntur: nihil, inquam, sine ea scientia, quam dixi, graviter, ample, copiose dici et explicari potest. XXXIV. 119. De materia loquor orationis etiam nunc, non ipso de genere[9] dicendi. Volo enim prius habeat orator rem[10], de qua dicat, dignam auribus eruditis, quam cogitet, quibus verbis quidque dicat, aut quomodo. Quem etiam quo grandior sit, et quodammodo excelsior, (ut de Pericle dixi supra,) ne physicorum quidem esse ignarum volo. Omnia profecto, quum se a caelestibus rebus referet ad humanas, excelsius, magnificentiusque et dicet, et sentiet. 120. Quumque illa[11] divina cognoverit, nolo ignoret ne haec quidem humana. Ius civile teneat, quo egent causae forenses quotidie. Quid est enim turpius, quam legitimarum et civilium controversiarum patrocinia suscipere, quum sis legum et civilis iuris ignarus? Cognoscat etiam rerum gestarum et memoriae veteris ordinem, maxime scilicet nostrae civitatis: sed et[12] imperiosorum populorum, et regum illustrium: quem laborem nobis Attici nostri levavit labor; qui conservatis[13] notatisque temporibus, nihil quum illustre praetermitteret, annorum septingentorum memoriam uno libro colligavit. Nescire autem, quid antea, quam[14] natus sis, acciderit, id est semper

---

([1]) Sic Man. Rursus e Gu. C. Sch. 2. — *disceptent* Iu. Crat. L. Ern. 1. ([2]) — *n. r. disseres*, *n. u. ad ex. pervenire potes* Vet. Steph. Gu. C. ([3]) ∞ *involuta* e Gu. C. Sch. 2. sed v. *rei* h. l. vix carere potest ἐπιθέτῳ. ([4]) = *tum* Gu. C. Sch. in Ed. mai. ([5]) = *Quando autem id faciat*, *aut quomodo* e Gu. C. Sch. 2. ([6]) — *tempus pertinet* e gloss. Steph. L. ([7]) Sic L. Rursus e Gu. C. Sch. 2. = *me esse* Ceteri. ([8]) Sic Gu. C. Reg. 7703. Sch. in Ed. mai. quem vide. *de morte* ut habent ceteri, Christianis librariis debetur. ([9]) = *de ipso g.* L. ([10]) = *v. e. rem prius h. orator* L. ([11]) — *Quum illa* Vet. Steph. Gu. C. Sch. in Ed. mai. ([12]) ∞ *etiam* Gu. C. Sch. 2. Sed respondent sibi *et i. p. et r. i.* ([13]) — *coacervatis* Gulielmii suspic. Sane *conservatis* non caret suspicione, *conservatis* Tullianum non est. ([14]) = *ante*, *quam* L. Sed Tullius amat etiam v. *postea quam*.

esse puerum. Quid enim est aetas hominis, nisi memoriâ rerum veterum cum superiorum aetate contexitur[1]? Commemoratio autem antiquitatis, exemplorumque prolatio summa cum delectatione et auctoritatem orationi affert, et fidem.

121. Sic igitur instructus veniet ad causas: quarum habebit genera primum ipsa cognita. Erit enim ei perspectum, nihil ambigi posse, in quo non aut res controversiam faciat, aut verba. Res, aut de vero, aut de recto, aut de nomine. Verba, aut[2] de ambiguo, aut de contrario. Nam si quando aliud in sententia videtur esse, aliud in verbis, genus est quoddam ambigui, quod ex praeterito verbo fieri solet: in quo, quod est ambiguorum proprium, res duas significari videmus. XXXV. 122. Quum tam pauca sint genera causarum, etiam argumentorum praecepta pauca sunt. Traditi sunt, e quibus ea ducantur[3], duplices loci: uni e rebus ipsis, alteri assumpti. Tractatio igitur rerum efficit admirabilem[4] orationem. Nam ipsae quidem res in perfacili cognitione versantur. Quid enim iam sequitur, quod quidem artis sit, nisi ordiri orationem, in quo aut concilietur auditor, aut erigatur, aut[5] paret se ad discendum? rem breviter exponere, et probabiliter, et aperte, ut, quid agatur, intelligi possit; sua confirmare; adversaria evertere; eaque efficere non perturbate, sed singulis argumentationibus ita concludendis, ut efficiatur quod sit consequens iis, quae sumentur ad quamque rem confirmandam; post omnia, perorationem inflammantem[6], restinguentemve concludere? Has partes quemadmodum tractet singulas, difficile dictu est hoc loco: nec enim semper tractantur uno modo. 123. Quoniam autem non, quem doceam, quaero, sed quem probem: probabo primum eum, qui, quid deceat, videbit. Haec enim sapientia maxime adhibenda eloquenti est, ut sit temporum, personarumque moderator. Nam nec semper, nec apud omnes, nec contra omnes, nec pro omnibus, nec omnibus eodem modo dicendum arbitror. XXXVI. Is erit ergo eloquens, qui ad id, quodcunque decebit, poterit accommodare orationem. Quod quum statuerit, tum, ut quidque erit dicendum, ita dicet: nec satura iciune, nec grandia minute, nec item contra, sed erit rebus ipsis par et aequalis oratio. 124. Principia verecunda, non elatis intensa[7] verbis, sed acuta sententiis, vel ad offensionem adversarii, vel ad commendationem sui. Narrationes credibiles, nec

(1) Sic Palatini Grut. Nor. Ern. 1. Rectissime; modo *memoriâ* casu sexto accipias et ad *superiorum* suppleas *hominum*, non *rerum*. — *nisi quum memoria* cet. Iu. Crat. M. — *nisi cum ea memoria* Steph. L. — *nisi memoria rerum nostrarum cum superiorum aetate c.* Clerici pessima €. prob. Ern. recepta a Lallem. ac Bipont. — *nisi ea memoriâ rerum gestarum cum superioribus contexitur* Sch. €. in Ed. mai. omnia mire permiscens in adnotatione. — *nisi ea memoriâ rerum veterum cum superioribus c.* Sch. 2. (*ea* e Gud. C. item ex eod. qui habet *superioribus aetate* adscivit *superioribus*, pulcherrimam sententiam misere deformans. (2) — *Verba autem de a.* Steph. *V. autem aut de a.* I. (3) ∞ *praecepta pauca tradita sunt, e quibus ea* (*ea* om. Steph.) *ducantur* Cdd. aliq. Steph. L. (4) Sic e Gu. C. rectissime Sch. in Ed. mai. Cfr. §. 125. et 128. Sed memorabili cum negligentia idem Sch. 2. ex eodem Cd. pessime: *mirabiliorem. — admirabiliorem* Ceteri. (5) — *ut* Ern. €. 1. (6) — *peroratione animos infl.* Sch. € 2. (— *per orationem* Otx. Man.) Sed est perorationem subiungere, qua finiatur tota dictio. (7) Sic Cdd. pleriq. N. Iu. — L. Sch. 2. = *intenta* Alii in marg. 158 *k*. — *incensa* e Cdd. aliq. Grut. Ern. 1.

historico, sed prope quotidiano sermone explicatae[1] dilucide. Dein si tenues causae, tum etiam argumentandi tenue filum et in docendo, et in refellendo; idque[2] ita tenebitur, ut, quanta ad rem, tanta ad orationem fiat accessio. 125. Quum vero causa ea[3] inciderit, in qua vis eloquentiae possit expromi: tum se latius fundet orator, tum reget et flectet animos, et sic afficiet, ut volet, id est, ut causae natura, et ratio temporis postulabit. Sed erit duplex omnis[4] eius ornatus ille admirabilis, propter quem ascendit[5] in tantum honorem eloquentia. Nam quum omnis pars orationis esse debet laudabilis, sic ut verbum nullum, nisi aut grave, aut elegans excidat; tum sunt maxime luminosae, et quasi actuosae partes duae: quarum alteram in universi generis quaestione[6] pono, quam (ut supra dixi) Graeci appellant θέσιν: alteram in augendis, amplificandisque rebus, quae ab eisdem αὔξησις est nominata. 126. Quae etsi aequabiliter toto corpore orationis fusa esse debet, tamen in communibus locis maxime excellet: qui communes appellati, sunt, eo quod[7] videntur multarum iidem esse causarum, sed proprii singularum esse debebunt. At[8] vero illa pars orationis, quae est de genere universo, totas causas saepe continet. Quidquid est enim illud, in quo quasi certamen est controversiae, quod Graece κρινόμενον dicitur, id ita dici placet, ut traducatur ad perpetuam quaestionem, atque ut[9] de universo genere dicatur: nisi quum de vero ambigetur; quod quaeri coniectura solet. 127. Dicetur autem non Peripateticorum more (est enim illorum exercitatio elegans iam inde ab Aristotele constituta) sed aliquanto nervosius: et ita de re communia dicentur, ut et pro reis multa leniter dicantur, et in adversarios aspere. Augendis vero rebus, et contra abiiciendis, nihil est, quod non perficere possit oratio: quod et inter media argumenta faciendum est, quotiescunque dabitur vel amplificandi, vel minuendi locus, et paene infinite in perorando.

XXXVII. 128. Duo sunt, etiam quae[10] bene tractata ab oratore, admirabilem eloquentiam faciant[11]; quorum alterum est, quod Graeci ἠθικὸν vocant, ad naturas[12], et ad mores, et ad omnem vitae consuetudinem accommodatum; alterum, quod iidem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi et concitantur, in quo uno regnat oratio. Illud superius, come, iucundum, ad benevolentiam conciliandam paratum: hoc, vehemens[13], incensum, incitatum, quo causae eripiuntur: quod quum rapide fertur, sustineri nullo pacto potest. 129. Quo genere nos, mediocres, aut multo etiam minus: sed magno semper usi impetu, saepe adversarios de statu omni deiecimus. Nobis

(1) = *explicitae* Gu. C. (2) — *id quod* Gu. C. Sch. in Ed. mai (3) = *ea causa* L. (4) — del. *omnis* Sch. €. 2. (5) — *escendit* Sch. €. 2. e corruptela Gu. C. *descendit*. (6) — *quaestionem* N. Steph. Item Gu. C. omisso *in*. (7) Sic Steph. L. — *appellati*, *eo quod* Gu. C. Iu. Crat. — *appellati*, *quod* N. M. Ern. 1. 2. sed in hac lect. del. esset *sed*, facillimeque excidit *sunt*, quod e Cd. videtur restituisse Steph. (8) — *Ac* Iu. Crat. M. L. (9) — om. *ut* M. Grut. Ern. 1. Habent Cdd. Iu. Crat. L. Sch. 2. (10) Sic Iu. Crat. L. — *Duo sunt*, *quae* N. M. Ern. 1. nimis abrupte. — *Duae res sunt enim quae* Gu. C. unde Sch. €. 2, ∞ *Duo restant*, *quae*. (11) — *faciunt* L. (12) Sic Man. Grut. Ern. 1. et verum videtur: varias hominum naturas intelligit, ut §. 139. *vitae naturarumque imitatio*, ubi Veneta item male *naturaeque*. ∞ *naturam* Cdd. N. Iu. Crat. L. Sch. 2. (13) — *hoc vero vek.* Steph. L.

pro familiari reo summus orator non respondit Hortensius. A nobis homo audacissimus Catilina in senatu accusatus obmutuit. Nobis privata in causa magna et gravi quum coepisset Curio pater respondere, subito assedit, quum sibi venenis ereptam memoriam diceret. 130. Quid ego de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus, quod etiam si plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant. In quo ut viderer excellere, non ingenio, sed dolore assequebar. Quae qualiacunque in me sunt: me enim ipsum non poenitet[1], quanta sint: sed apparent in orationibus: etsi carent libri spiritu illo, propter quem maiora eadem illa, quum aguntur, quam quum leguntur, videri solent. XXXVIII. 131. Nec vero miseratione solum mens iudicum permovenda est: (qua nos ita dolenter uti solemus, ut puerum infantem in manibus perorantes tenuerimus: ut alia in causa, excitato reo nobili, sublato etiam filio parvo, plangore et lamentatione complerimus[2] forum) sed etiam est faciendum[3], ut irascatur iudex, mitigetur, invideat, faveat, contemnat, admiretur, oderit, diligat, cupiat, satietate afficiatur, speret, metuat, laetetur, doleat: qua in varietate, duriorum, accusatio suppeditabit exempla: mitiorum, defensiones meae. 132. Nullo enim modo animus audientis aut incitari, aut leniri potest, qui modus a me non tentatus sit. Dicerem perfectum, si ita iudicarem, nec[4] in veritate crimen arrogantiae extimescerem. Sed (ut supra dixi) nulla me ingenii, sed magna vis animi inflammat, ut me ipse non teneam. Nec unquam is, qui audiret, incenderetur, nisi ardens ad eum perveniret oratio. Uterer exemplis domesticis, nisi ea legisses: uterer alienis vel Latinis, si ulla reperirem; vel Graecis, si deceret. Sed Crassi perpauca sunt, nec ea iudiciorum. Nihil Antonii, nihil Cottae, nihil Sulpicii. Dicebat melius, quam scripsit, Hortensius. 133. Verum haec vis, quam quaerimus, quanta sit, suspicemur, quoniam exemplum non habemus: aut, si exempla sequimur, a Demosthene sumamus, et quidem perpetuae dictionis, ex eo loco, unde, in Ctesiphontis iudicio, de suis factis, consiliis, meritis in rem publicam aggressus est dicere. Ea profecto oratio in eam formam, quae est insita in mentibus nostris, includi sic potest, ut maior eloquentia non requiratur[5].

XXXIX. 134. Sed iam forma ipsa restat, et χαρακτὴρ ille qui dicitur: qui qualis esse debeat, ex iis ipsis[6], quae supra dicta sunt, intelligi potest. Nam et singulorum verborum, et collocatorum lumina attiginus: quibus sic abundabit, ut verbum ex ore nullum, nisi aut elegans, aut grave exeat: ex omnique genere frequentissimae translationes erunt, quod eae propter similitudinem transferunt animos, et referunt, ac movent huc et illuc: qui motus cogitationis, celeriter agitatus,

(1) Sic Cdd. pleriq. N. Iu. — L. — *n.e ipsum poenitet* Vet. Steph. C2d. Gruteri. — *me enim ipsum poenitet* Ern. 1. 2. in quo Christianam humilitatem, non Romanos animos agnosco. Me ipsum inquit, non poenitet, quod hunc saltem eloquentiae gradum escenderim, etsi perfectum me non iudico. (2) Sic Edd. vett. Ern. 1. 2. — *compleremus* Cdd. Regii. Ald. Iu. — L. Grut. (3) ∞ *sed est faciendum etiam* e Gu. C. Sch. 2. (4) — *ut* Vet. Steph. (5) ∞ *ne requiratur quidem.* Gu. C. Steph. L. (6) Sic L. — *ex ipsis* Iu. — Ern. 1. 2. — *ex iis, quae* Gu. C. — *ex iis, quae* Sch. in Ed. mai.

per se ipse delectat. Et reliqua[1], ex collocatione verborum quae sumuntur quasi lumina, magnum afferunt ornatum[2] orationi. Sunt enim similia illis, quae in amplo ornatu scenae, aut fori appellantur insignia: non quod sola ornent, sed quod excellant. 135. Eadem ratio est horum, quae sunt orationis lumina, et quodammodo insignia: quum aut duplicantur iteranturque verba, aut breviter[3] commutata ponuntur, aut ab eodem verbo ducitur saepius oratio, aut in idem coniicitur, aut utrumque[4], aut adiungitur idem iteratum, aut idem ad extremum refertur, aut continenter unum verbum non in eadem sententia[5] ponitur: aut quum similiter vel cadunt verba, vel desinunt: aut multis modis contrariis relata contraria[6]: aut quum gradatim sursum versus[7] reditur: aut quum, demptis coniunctionibus, dissolute plura dicuntur: aut quum aliquid praetereuntes, cur id faciamus, ostendimus: aut quum corrigimus nosmet ipsos[8], quasi reprehendentes: aut si est aliqua exclamatio[9] vel admirationis, vel conquestionis[10]: aut quum eiusdem nominis casus saepius commutantur[11]. 136. Sed sententiarum ornamenta, maiora sunt: quibus quia frequentissime Demosthenes utitur, sunt qui putent, idcirco eius eloquentiam maxime esse laudabilem. Et vero[12] nullus fere ab eo locus sine quadam conformatione sententiae dicitur[13]: nec aliud quidquam est[14], dicere, nisi omnes[15], aut certe plerasque aliqua specie illuminare sententias: quas quum tu optime, Brute, tenens, quid attinet nominibus uti, aut exemplis? tantum notetur locus[16]. XL. 137. Sic igitur dicet ille, quem expetimus, ut verset saepe multis modis eandem et unam rem; et haereat in eadem commoreturque sententia[17]: saepe etiam ut extenuet aliquid: saepe ut irrideat[18]: ut declinet a proposito deflectatque sententiam: ut proponat, quid dicturus sit: ut, quum transegerit iam aliquid, definiat: ut se ipse revocet: ut, quod dixit[19], iteret: ut argumentum ratione con-

(1) Totum hunc locum *Et reliqua - eloquentiae magnitudo* exscripsit Quintil. 9, 1, 37. in cuius lectione constituenda consulto negligentius versatus est Spalding. Nos Cod. Quintil. Turic. (T.) contulimus. (2) Sic T. N. Iu. M. L. Ern. 1. ∞ *ornamentum* Gu. C. C2d. Regii Sch. 2. (3) — *leviter* Gesneri et Ern. suspic. Cfr. *ad Herenn.* 4, 21, 29. (4) Sic T. C3d. Regii. Gu. C. Sch. 2. — *aut in utrumque* Iu. — L. Ern. 1. (5) ∞ *non ead. sent.* T. — *non in eandem sententiam* L. (6) Sic T. N. Iu. Crat. M. ∞ *aut quum sunt contrariis rel. contr.* Gu. C. Steph. L. Sch. 2. (7) ∞ *sursum versum* T. (8) Sic Cdd. omnes Cic. et Quintil. N. Iu. — L. Sch. 2. — *ipsi* Ern. C. 1. prob. Beier *Offic.* T. 1. p. 217. Sed illud quoque hic locum habet: *nosmet ipsos*, quod mirum, quum ceteroquin alii nos, nos alios reprehendere soleamus. Latet igitur oppositio in Cdd. lectione. Neque omnino tam prompti esse debemus ad mutandum v. *ipsos* Codicum in v. *ipsi*, grammaticorum, quam *ipsi* in *ipse*, cet. (9) — *explicatio* Ed. Ven. (10) — *questionis* T. cfr. *Brut.* §. 142. (11) Sic Quintil. Crat. M. L. T. Iu. Recte cfr. *ad Her.* 4, 22, 30. *casuum commutatione*, ac per se intelligitur. — *commutatur* Grut. Ern. 1. 2. (12) Sic T. Iu. — L. 1566. Ern. 1. 2. *Enimvero* Quintil. L. in marg. 1584. — *et vere* N. Crat. Cdd. aliq. Quintil. (13) Sic Quintil. M. L. Ern. 1. 2. — *edicitur* Ed. Ven. Iu. Crat. — *educitur* Gryph. (14) ∞ *nec quidquam est aliud d.* T. = *nec quidq. aliud est d.* L. (15) — *nisi quum aut omnes* Nor. (16) Sic N. M. Grut. Ern. 1. = *tantummodo n. l.* Gu. C. Quintil. Iu. Crat. L. — *tantum not. modus* Sch. C. 2. Perperam: nam v. *locus* verum esse, colligitur e §. 140. *sed haec nisi collocata* - (17) ∞ *modis eadem, et una in re haereat, in eademque commoretur sententia* de Rivii C. L. Sed sic Turic. quoque, nisi quod *et in una re.* Debetur igitur hoc Quintiliani alicui codici. (18) — *redeat* Gu. C. Cd. Reg. 7705. (19) ∞ *dixerit* Tur.

eludat: ut interrogando urgeat: ut rursus quasi[1] ad interrogata sibi ipse respondeat: ut contra, ac dicat[2], accipi et sentiri velit: ut addubitet, quid potius, aut quomodo dicat: ut dividat in partes: ut aliquid relinquat ac negligat: ut ante praemuniat: ut in eo ipso, in quo reprehendatur, culpam in adversarium conferat; 138. ut saepe cum iis, qui audiunt, nonnunquam etiam cum adversario quasi deliberet: ut hominum sermones moresque[3] describat: ut muta quaedam loquentia inducat: ut ab eo, quod agitur, avertat animos: ut saepe in hilaritatem risumve convertat: ut ante occupet, quod videat[4] opponi: ut comparet similitudines: ut utatur exemplis: ut aliud alii tribuens dispertiat: ut interpellatorem coërceat: ut aliquid reticere se dicat: ut denuntiet, quid caveat[5]: ut liberius quid audeat: ut irascatur etiam, ut[6] obiurget aliquando, ut deprecetur, ut supplicet, ut medeatur, ut a proposito declinet aliquantulum[7], ut optet, ut exsecretur, ut fiat iis, apud quos dicet, familiaris. 139. Atque alias etiam dicendi quasi virtutes sequetur[8]: brevitatem, si res petet: saepe etiam rem dicendo subiiciet oculis: saepe supra feret, quam fieri possit: significatio saepe erit maior, quam oratio: saepe hilaritas, saepe vitae naturarumque imitatio. XLI. Hoc in genere (nam quasi silvam vides) omnis elucebat oportet eloquentiae magnitudo.

140. Sed haec, nisi collocata, et quasi structa, et nexa verbis, ad eam laudem, quam volumus, adspirare non possunt. De quo quum mihi deinceps viderem esse dicendum, etsi non movebant tam me illa[9], quae supra dixeram, tamen iis, quae sequuntur, perturbabar magis. Occurrebat enim, posse reperiri non invidos solum, quibus referta sunt omnia, sed fautores etiam mearum laudum[10], qui non censerent eius viri esse[11], de cuius meritis tanta senatus iudicia fecisset, comprobante populo Romano, quanta de nullo, de artificio dicendi literis tam multa mandare. Quibus si nihil aliud responderem, nisi, me M. Bruto negare roganti noluisse, iusta esset excusatio, quum et amicissimo et praestantissimo viro, et recta et honesta petenti, satisfacere

---

(1) — om. *quasi* Gu. C. Sch. 2. (Habet etiam T.) (2) — *dicatur* Cd. Reg. 7703. ∞ *contra quam dicat* Cd. Reg. 7704. (3) ∞ *mores sermonesque* Quintil. Sch. 2. (4) — *putat* Gu. C. L. (5) Sic recte Quintil. (T.) Iu. Crat. M. 1. — *caveant* Cdd. Lambini. Grut. Ern. 1. 2. (6) ∞ *irascatur, etiam ut obi.* T. L. (7) = *aliquantum* T. L. (8) Sic T. Gu. C. Sch. 2. — *sequatur* ceteri, etiam ap. Quintil. sed ortus est hic coniunctiv. e praecedd. Ceterum apparet ab Editoribus Saeculi XVI. in hoc loco immutata esse quaedam e Quintiliano, etiam Cdd. cum Turicensi conspirantibus. (9) Locus si quis alius difficilis. *non movebant* habet Cod. Olx. Nor. Man. Ergo id e Cdd. fluxisse iam certum est. Cum hoc autem quum non conveniret *iam* ex errore scripturae ortum, alii ut Steph. L. Ern. 1. simpliciter omiserunt negationem, quo tamen nihil fallacius esse bis iam vidimus in hoc ipso libello: dederuntque: *etsi movebant iam me illa*, quod quum aliis durius videretur, inverterunt *etsi movebant me iam illa* (Gu. C. Sch. 2.) alii denique correxerunt: *etsi movebant etiam me illa* Iu. Crat. Camer. sed haec omnia frigent prae certissima nostra emendatione: *etsi non movebant tam me illa, quae supra dixeram*, oratoris scil. laudes universe ac generatim explicatae, *tamen iis, quae sequuntur*, singillatim nimirum ac putide fere et moleste expositis praeceptis de literarum syllabarumque artificio, *perturbabar magis* cfr. Cap. 43. initio, quo uno satis confirmatur nostra emendatio. (10) = *laudum mearum* Gu. C. Sch. 2. (11) Sic etiam L. 1566. = *esse viri* Margo 1584.

voluissem. 141. Sed si profitear[1] (quod utinam possem!) me studiosis dicendi praecepta, et quasi vias, quae ad eloquentiam ferrent, traditurum: quis tandem id iustus rerum aestimator[2] reprehenderet? Nam quis unquam dubitavit, quin in re publica nostra primas eloquentia tenuerit semper, urbanis[3] pacatisque rebus; secundas, iuris scientia? quum in altera, gratiae, gloriae, praesidii plurimum esset: in altera, persecutionum, cautionumque praeceptio; quae quidem ipsa auxilium ab eloquentia saepe peteret, ea vero repugnante vix suas regiones finesque defenderet. 142. Cur igitur ius civile docere semper pulchrum fuit, hominumque clarissimorum discipulis floruerunt domus[4]: ad dicendum si quis acuat, aut adiuvet in eo iuventutem, vituperetur? Nam si vitiosum est dicere ornate, pellatur omnino e civitate eloquentia. Sin ea non modo eos[5] ornat, penes quos est, sed etiam universam rem publicam; cur aut discere turpe est, quod scire honestum est[6]: aut, quod nosse pulcherrimum est, id non gloriosum[7] docere? XLII. 143. At alterum factitatum est[8], alterum novum. Fateor: sed utriusque rei causa est. Alteros enim respondentes audire sat erat, ut ii, qui docerent, nullum sibi ad eam rem tempus ipsi[9] seponerent, sed eodem tempore et discentibus satisfacerent, et consulentibus. Alteri, quum domesticum tempus in cognoscendis componendisque causis, forense in agendis, reliquum in se ipsis reficiendis omne consumerent: quem habebant instituendi aut docendi locum? Atque haud scio, an plerique nostrorum oratorum ingenio[10] plus valuerint, quam doctrina. Itaque illi dicere melius, quam praecipere: nos contra fortasse possumus. 144. At dignitatem docere non habet[11]. Certe, si quasi in ludo. Sed si monendo, si cohortando, si percontando, si communicando, si interdum etiam una legendo, audiendo: nescio, docendo[12] etiam aliquid aliquando si possis meliores facere, cur nolis? An, quibus verbis sacrorum alienatio fiat, docere honestum est, ut est[13]: quibus ipsa sacra retineri defendique possint, non honestum est? 145. At ius-profitentur etiam, qui nesciunt: eloquentiam autem illi ipsi, qui consecuti sunt,

---

([1]) Sic Cdd. et Edd. omnes. id est: *si* nunc *profitear*, a quo utique non longe absum. ∞ *profiterer* Ern. €. 1. Sch. 2. Sed Tulliana σύνταξις nondum nisi ab umbraticis quibusdam doctoribus est elaborata. Mihi temporum consecutio haec omnis vehementer placet. ([2]) ∞ *existimator* Margo 1584. *existimator* est, qui de veritate et mendacio iudicat; *aestimator* qui pretium statuit. Utrumque fere simul locum habet, quocirca in *Bruto* aliquoties *existimator* praefertur. ([3]) ∞ *in urbanis* L. non sine specie quadam: etsi vulgata sic explicanda est: rebus ita se habentibus ut solent esse in urbis statu pacato. ([4]) = *dom. flor.* L. ([5]) — *hos* Ern. suspic. ([6]) — del. *est* Sch. €. 2. ([7]) ∞ *gloriosum est* Steph. L. ([8]) — del. *est* Gu. C. Sch. 2. sed in hac vocula Tullius minus, puto, offendebat, quam Sch. ([9]) id est, sponte sua, et doctorum ipsi locum assumentes. — om. *ipsi* Gu. C. — *ipsum* Sch. €. 2. ([10]) — *ingenio contra atque nos* Vet. Steph. Olx. prob. Mureto recepit Lallem. sed est gloss. ([11]) — *possumus ad dignitatem melius docere. Non habet* — Gu. C. Cdd. Regii. Coniecturas e misero hoc gloss. ortas videsis ap. Schneider. Ep. ad. Lang. p. 54. et Sch. in Ed. mai. ([12]) Sic L. Tum rursus Ern. €. 1. Sch. 2. — *cur non docendo* N. Iu. Crat. M. (cum asterisco.) Grut. ([13]) Habent *ut est* C3d. Lambini. Nor. neque igitur est a Livio profectum. Man. L. Grut. Ern. 1. (cum [ ]) — om. Gu. C. Iu. Crat Sch. 2. Sed haec urbanitas non debetur interpolatoribus.

tamen ea se valere[1] dissimulant, propterea quod prudentia hominibus grata est, lingua suspecta. Num igitur aut latere eloquentia potest? aut id, quod dissimulat[2], effugit? aut est[3] periculum, ne quis putet in magna arte et gloriosa, turpe esse docere alios id, quod ipsi fuerit honestissimum discere? 146. Ac fortasse ceteri tectiores: ego semper me didicisse prae me tuli. Quid enim? possem[4], quum et abfuissem domo[5] adolescens, et horum studiorum causa maria[6] transissem, et doctissimis hominibus referta domus esset, et aliquae fortasse inessent in sermone nostro doctrinarum notae, quumque vulgo scripta nostra legerentur, dissimulare me didicisse? † Quid erat, cur probarem[7], nisi quod parum fortasse profeceram? XLIII. Quod quum ita sit: tamen ea, quae supra dicta sunt, plus in disputando, quam ea, de quibus dicendum est, dignitatis habuerunt. 147. De verbis enim componendis, et de syllabis propemodum dinumerandis et dimetiendis loquemur: quae etiamsi sunt, sicuti mihi videntur, necessaria, tamen fiunt magnificentius, quam docentur. [Est id omnino verum, sed proprie in hoc dicitur[8].] Nam omnium magnarum artium, sicut arborum, altitudo nos delectat; radices stirpesque non item: sed esse illa sine his non potest. Me autem, sive pervagatissimus ille versus, qui vetat,

Artem pudere proloqui, quam factites,

dissimulare non sinit, quid delectet[9]; sive tuum studium hoc a me volumen expressit: tamen eis, quos aliquid reprehensuros suspicabar, respondendum fuit[10]. 148. Quod si ea, quae dixi, non ita essent: quis tamen se tam durum agrestemque praeberet, qui hanc mihi non daret veniam, ut, quum meae forenses artes, et actiones publicae concidissent[11], non me aut desidiae, quod facere non possum; aut maestitiae, cui resisto, potius, quam literis, dederem? quae quidem me antea in iudicia atque in curiam deducebant, nunc oblectant domi; nec

---

(1) Sic Gu. C. (nisi quod *enim* pro *autem* et *ipsi* pro *illi ipsi*) Steph. e Cd. L. Grut. meliusque convenit cum part. *autem.* = *eloquentia autem illi ipsi, q. c. s. tamen se val.* Edd. vett. Iu. Crat. Ern. 1. — *eloquentiam autem qui c. s. ipsi tamen ea se val.* Sch. C. 2. longe peius. (2) — *dissimulatur* Ern. mira suspic. (3) — *aut quod est* Steph. (4) Sic *Quid enim? possem - - dissimulare* verissime C2d. Gu. — *Qui enim possem - dissimulare* de Ern. C. Sch. C. 2. sed hoc prae illo languet. — *Quid enim possem? quum - - dissimularem* Iu. — L. — *Quid enim possem, quum - - - dissimularem* Ern. 1. (5) Sic Cdd. Regii Gu. 3. Steph. L. Sch. 2. — om. *domo* Iu. — M. Grut. Ern. 1. (— *abivissem adol.* Nor. — om. *et* Sch. 2.) (6) Sic Gu. 3. Steph. L. Sch. 2. — *mare* Ceteri. (7) Locus corruptus, sic restituendus: *Quid? cui probarem? nisi quod parum fortasse profeceram.* Sic, ut dedimus, Nor. Iu. Crat. L. Grut. Ern. 1. ∞ *Sed qui cur probarem* Vet. Stephani. ∞ *didicisse. Qui probarem? nisi - - profeceram* Manut. non sine veritatis aliqua specie. — *Quis erat, cui probarem, nisi* (omisso *quod*) *p. f. p.* Sch. C. 2. e Strebaei cod. ut ait, quem nullum fuisse existimo. Verum tamen significatum v. *probarem* assecutus est Sch. — *Quid erat; quo probarem* Ern. suspic. (8) Recte Sch. Q. haec [ ]. Haeserunt in h. l. iam Man. interpungens *Est - - - dicitur: nam*, et Lamb. delens. v. *nam.* (9) Sic verissime C. Ern. — QUIDELECTET Cdd. Edd. vett. Nor. — hinc barbare vel *quin delectet* Crat. vel — *quin delecter* Iu. — L. Ern. 1. 2. — *id quo delecter* Sch. suspic. (10) = *reprch. aliquid* Gu. C. — *quos repr. susp., aliquid resp. fuit* Sch. C. 2. (11) — *conticuissent* Beieri C. *Offic.* T. 2. p. 12.

vero talibus modo rebus, quales hic liber continet, sed multo etiam gravioribus et maioribus: quae si erunt perfectae, profecto maximis rebus forensibus nostris et externis inclusae et domesticae literae respondebunt[1]. Sed ad institutam disputationem revertamur.

XLIV. 149. Collocabuntur igitur verba, aut ut[2] inter se quam aptissime cohaereant extrema cum primis[3], eaque sint quam suavissimis vocibus: aut ut forma ipsa concinnitasque verborum conficiat orbem suum: aut ut comprehensio numerose et apte cadat. Atque illud primum videamus, quale sit, quod vel maxime desiderat diligentiam, ut fiat quasi structura quaedam, nec tamen fiat operose[4]: nam esset quum[5] infinitus, tum puerilis labor; quod apud Lucilium scite exagitat in Albucio Scaevola,

Quam lepide lexeis compostae? ut tesserulae omnes
Arte[6] *pavimento, atque emblemate vermiculato.*

150. Nolo tam minuta haec[7] constructio appareat: sed tamen stilus exercitatus efficiet[8] facile hanc viam[9] componendi. Nam ut in legendo oculus, sic animus in dicendo prospiciet, quid sequatur, ne[10] extremorum verborum cum insequentibus primis concursus, aut hiulcas voces efficiat, aut asperas. Quamvis enim suaves gravesque sententiae, tamen, si inconditis verbis[11] efferuntur, offendent[12] aures; quarum est iudicium superbissimum[13]. Quod quidem Latina lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit, qui[14] vocales nolit coniungere[15]. 151. In quo quidam etiam Theopompum reprehendunt, quod eas literas tanto opere fugerit; etsi idem magister eius Isocrates[16]. At non Thucydides: ne ille quidem, haud paullo maior scriptor, Plato: nec solum in his sermonibus, qui dialogi dicuntur, ubi etiam de industria id faciendum fuit, sed in populari oratione[17], qua mos est Athenis laudari in concione eos, qui sint in praeliis interfecti: quae sic probata est, ut eam quotannis, ut scis, illo die recitari necesse sit. In ea est crebra ista vocum[18] concursio, quam magna ex parte, ut vitiosam, fugit Demosthenes. XLV. 152. Sed Graeci viderint; nobis, ne

---

(1) Non potui non recipere egregiam Vet. Steph. et Gu. C. lectionem. Sic *Fragm. Oecon.* p. 68. Sch. *ad exercitationem forensem et extraneam.* — *profecto forensibus nostris rebus et domesticae r.* Nor. Iu. Crat. L. in quo *et* defectus vestigium servabat deletum a Man. Ern. 1. *etiam* scribentibus. — *prof. for. nostris etiam dom. lit. r.* Sch. €. 2. sed *forenses literae* risum, ut opinor, movissent Tullio. (2) Sic N. Iu. Crat. M. L. Grut. — *ut aut* Ern. 1. 2. errore typogr. (3) — *cum sequentibus pr.* Sch. suspic. (4) Sic Cdd. aliq. Iu. Crat. L. Ern. 1. 2. ∞ *diligentiam: (est enim quasi structura quaedam) nec id tamen fiet operose* Ed. Ven. Nor. Man. Ed. 1584. (5) = *tum* Sch. 2. (6) ∞ *Endo* L. Sch. 2. qui tamen sibi ipse non constitit. Cfr. *de Orat.* 3. §. 171. (7) = *haec tam min.* Gu. C. Sch. 2. (8) — *inveniet* Sch. suspic. (9) — *facile formulam c.* Gu. C. Steph. L. (10) — *nec* L. (11) — *incondite positis verbis* Gu. C. Steph. L. (12) ∞ *offendunt* Gu. C. Ascens. Sch. 2. (13) — *subtilissimum* e C3d. Steph. L. (14) Sic Ald. Iu. Crat. M. L. Ern. 1. 2. ∞ *quin* Edd. vett. Nor. Grut. prob. Victorio, et Lamb. in *Adnotatt.* V. Ern. et Schneider *lat. Gramm.* 1. p. 166. (15) Post haec excidisse arbitratur Sch. *At Graeci facilius ferunt hiatus vocalium.* (16) Sic e Cdd. Steph. L. — *etsi id m. e. I.* Nor. Iu. Crat. M. Ern. 1. *etsi idem m. e. I. fecerat* Gu. C. Sch. 2. *fecerat* tamen videtur ex interpolatione, quum Vet. Steph. addat *fecerit*, et gloss. per totum hoc caput refertus sit Gu. C. (17) = *orat. pop.* L. (18) ∞ *vocalium* Man. L.

si cupiamus quidem, distrahere voces[1] conceditur. Indicant orationes illae ipsae horridulae Catonis: indicant omnes poëtae, praeter eos, qui ut versum facerent, saepe hiabant: ut Naevius —

„*Vos, qui accolitis Histrum fluvium, atque algidam*[2] —

Et ibidem,

„*Quam nunquam nobis*[3] *Graii, atque Barbari* —

At Ennius semel[4],

„*Scipio invicte,*" - -

Et quidem nos,

„*Hoc motu radiantis Etesiae in vada ponti.*

Hoc idem nostri saepius[5] non tulissent, quod Graeci laudare etiam solent. 153. Sed quid ego vocales? sine vocalibus saepe brevitatis causa contrahebant, ut ita dicerent, *multi' modis*, *vas' argenteis*[6], *palm' et crinibus*[7], *tecti' fractis*[8]. Quid vero licentius, quam quod hominum etiam nomina contrahebant, quo essent aptiora? nam ut *duellum*, bellum, et *duis*, bis, sic *Duellium*, cum, qui Poenos classe devicit, *Bellium* nominaverunt, quum superiores appellati essent semper *Duellii*[9]. Quin etiam verba saepe contrahuntur, non usus causa, sed aurium. Quomodo enim vester *Axilla*, *Ala*[10] factus est, nisi fuga literae vastioris? quam literam etiam e *maxillis*, et[11] *taxillis*, et *vexillo*, et *paxillo*, consuetudo elegans Latini sermonis evellit. 154. Libenter etiam copulando verba iungebant, ut *sodes*, pro, *si audes: sis*, pro, *si vis*. Iam in uno, *capsis*, tria verba sunt: *ain'*, pro *aisne: nequire*, pro, *non quire*; *malle*, pro *magis velle: nolle*, pro *non velle*. *Dein* etiam saepe, et *exin*, pro *deinde* et *exinde* dicimus. Quid illud[12]? non olet unde sit, quod dicitur, *cum illis? cum* autem *nobis* non dicitur, sed *nobiscum?* quia si ita diceretur, obscenius concurrerent literae, ut etiam modo, nisi *autem* interposuissem, concurrissent. Ex eo est *mecum*, et *tecum:* non, *cum me*, et *cum te*, ut esset simile illis *vobiscum* atque *nobiscum*. XLVI. 155. Atque etiam a quibusdam sero iam emendatur antiquitas, qui haec reprehendunt. Nam pro[13] *deûm atque hominûm fidem*, *deorum* aiunt. Ita credo. Hoc illi nesciebant[14]: an dabat hanc consuetudo licentiam[15]? Itaque idem poëta, qui inusitatius contraxerat

- - *Patris mei meûm factûm pudet*, pro *meorum factorum:*

et,

---

(1) ∞ *vocales* Man. L. (2) Sic scripsi cum Nor. et Schneidero *lat. Gramm.* p. 146. *terram*, *oram*, vel simile quid, sequebatur in versu prox. — *Algidam* Ceteri. — *vos q. a. Histrum atque Algidam* Strebaeus. Sch. in Ed. mai. — *Histrum*, *fluvium algidum* Sch. suspic. (3) Sic N. Iu. Crat. M. L. — *vobis* Ed. 1584. Grut. Ern. 1. 2. (4) — *saepe* Gu. C. Vet. Steph. (5) = *saepius nostri* L. (6) — *argentei' vasis* L. (7) *passi' crinibus* L. Lallem. — *pass' et crinib.* Ern. 1. pessime. v. Schuetz. et Schneider *lat. Gramm.* 1. p. 350. (8) — *tecti' sartis* Vir doctus ad marg. Lamb. meae. Male hoc quoque. (9) ∞ *Duilium* - - *Bilium* - - *Duilii* leg. esse probabiliter demonstrat Garaton. *ad Plancian.* p. 262. Ed. meae. (— *essent appell.* om. *semper* Gu. C.) (10) — *Ahala* L. (ante Lipsium et L. legebatur *noster.*) (11) — *e* Man. — om. *et* L. (12) *Quid* * *? *illud* Sch. 2. qui haec *Quid* - - - *nobiscum* pro suspectis habet. (13) — *proh* Iu. — L. Grut. v. Schuetz. (14) — *Id*, *credo*, *illi nesc.* Sch. C. 2. (15) Sic Gu. 3. Iu. Crat. L. Sch. 2. = *lic. cons.* N. M. Grut. Ern. 1.

Texitur: exitium examen rapit[1], - -
pro *exitiorum:* non dicit, *liberûm*, ut plerique loquimur, quum, *cupidos liberûm*, aut, *in liberûm loco*, dicimus, sed, ut isti volunt,
Neque tuum unquam in gremium extollas liberorum ex te genus,
Et idem,
Namque Aesculapi[2] *liberorum* - -
At[3] ille alter in Chryse, non solum,
Cives, antiqui amici maiorum meûm,
quod erat usitatum, sed durius etiam,
Consilium socii[4], *auguriûm atque extûm interpretes* —
idemque pergit,
Postquam prodigium horriferûm, portentûm pavos[5]*:*
quae non sane sunt[6] in omnibus neutris usitata. Nec enim dixerim tam libenter, *armûm iudicium*: etsi est apud eundem,
Nihilne ad te de iudicio armûm accidit? quam *armorum*. 156. Iam (ut censoriae tabulae loquuntur) *fabrûm*[7], et *procûm*, audeo dicere, non *fabrorum*, et *procorum*. Planeque, *duorum virorum iudicium*, aut, *triumvirorum capitalium*, aut, *decemvirorum litibus*[8] *iudicandis*, dico nunquam. Atqui dixit Attius,
Video sepulcra, dua duorum corporum —
idemque,
- - *Mulier una duûm virûm.*
Quid verum sit, intelligo: sed alias ita loquor, ut concessum est, ut hoc, vel, *Proh deûm* dico, vel, *Proh deorum*: alias, ut necesse est, quum *triûm virûm*, non *virorum*: quum[9] *sestertiûm nummûm*, non *nummorum*: quod in his consuetudo varia non est. XLVII. 157. Quid? quod sic loqui, *nosse*, *iudicasse*, vetant: *novisse*, iubent, et *iudicavisse*? quasi vero nesciamus, in hoc genere et plenum verbum recte dici, et imminutum usitate. Itaque utrumque Terentius, *Eho, tu cognatum*[10] *tuum non noras?* - - Post idem, *Stilphonem, inquam, noveras*[11]*? Siet*, plenum est: *sit*, imminutum: licet utare utroque. Ergo ibidem,
Quam cara sint, quae post carendo intelligunt,
Quamque attinendi magni dominatus sient.
Nec vero reprehenderim,
- - *Scripsere alii rem*, etsi[12] *scripserunt*, esse verius sentio: sed consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor. *Idem campus habet*, inquit Ennius: et, *In templis îsdem*[13], probavit. † At, *eisdem*, erat verius: nec tamen, *eisdem*, opinius, male sonabat, *iis-*

---

(1) — *capit* N. — *capiti* L. male cfr. *de Divin.* 1, 31. Mox *nec tuum* Sch. 2. (2) — *Aesclapii* L. (3) Sic Gu. C. Crat. M. L. Ern. 1. 2. — *Et* Grut. (— *aliter* Iu. al.) (4) Habent *socii* recte N. Iu. Crat. M. L. Bothe *Poetae scen.* p. 113. — om. *socii* Grut. Ern. 1. 2. (5) = *pavor* Iu. L. (6) = *non sunt sane* L. (7) Sic L. Ern. 1. 2. — *accidit: quam centuriam ut c. l. e. fabrûm* N. Iu. Crat. Man. (8) ∞ *stlitibus* e Cld. prob. Mureto Sch. in Ed. mai. Satis probabiliter: nam in Inscriptionibus ultimorum etiam temporum constanter sic legitur, id quod ignorabat Ernestius. (9) — *et* L. (10) ∞ *sobrinum* Terent. *Phorm.* 2, 3, 35. (11) — *non noveras* L. contra Terentii verba. (12) Sic L. tum rursus e Spaldingii €. Sch. 2. — *et* Ceteri. (13) — *eisdem* Ern. 1. errore typogr.

dem[1]. Impetratum est a consuetudine, ut peccare suavitatis causa liceret: et *pomeridianas quadrigas*. quam *postmeridianas*, libentius dixerim; et *mehercule*, quam *mehercules*. *Non scire* quidem barbarum iam videtur: *nescire*, dulcius. 158. Ipsum *meridiem*, cur non *medidiem*? credo, quod erat insuavius. Una praepositio est ABS[3] eaque[4] nunc tantum in accepti tabulis manet; ne his quidem[5] omnium: in reliquo sermone mutata est. Nam *amovit* dicimus, et *abegit*, et *abstulit*, ut iam nescias, *ab* ne verum sit, an *abs*[6]. Quid si etiam *abfugit* turpe visum est; et *abfer* noluerunt, *aufer*[7] maluerunt? quae praepositio praeter haec duo verba, nullo alio in verbo reperitur[8]. *Noti* erant, et *navi*, et *nari*, quibus quum IN praeponi oporteret, dulcius visum est, *ignoti*, *ignavi*, *ignari*[9] dicere, quam ut veritas postulabat. *Ex usu* dicunt, et *e re publica*, quod in altero vocalis excipiebat, in altero esset asperitas, nisi literam sustulisses; ut, *exegit*, *edixit*, *effecit*, *extulit*, *edidit*[10]: adiuncti[11] verbi primam literam praepositio[12] commutavit; ut *suffugit*[13], *summutavit*[14], *sustulit*. XLVIII. 159. Quid? in verbis iunctis, quam scite *insipientem*, non *insapientem*? *iniquum*, non *inaequum*? *tricipitem*, non *tricapitem*? *concisum*, non *concaesum*? Ex quo quidam *pertisum* etiam volunt: quod eadem consuetudo non probavit. Quid vero hoc elegantius, quod non fit natura, sed quodam instituto? *inclitus*[15] dicimus brevi prima litera, *insanus* producta: *inhumanus* brevi, *infelix* longa: et, ne multis, quibus in verbis eae primae literae sunt, quae in *sapiente*, atque *felice*, producte dicitur[16]; in ceteris omnibus breviter. Itemque *composuit*, *consuevit*, *concrepuit*, *confecit*: consule veritatem, reprehendet: refer ad aures, probabunt. Quaere, cur? ita se dicent iuvari. Voluptati autem aurium morigerari debet oratio. 160. Quin ego ipse, quum scirem ita maiores locutos esse, ut nusquam, nisi in vocali, adspiratione uterentur, loquebar sic, ut *pulcros*, *Cetegos*, *triumpos*, *Kartaginem* dicerem: aliquando, idque sero, convicio aurium quum extorta mihi[17] veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi. *Orcinios*[18] tamen, *et Matones*, *Otones*, *Caepiones*, *sepulcra*, *coronas*, *lacrimas* dicimus, quia per aurium iudicium [semper][19] licet. *Burrum*[20] semper Ennius, nunquam *Pyrrhum*. *Vi patefecerunt Bruges*[21], non *Phryges*; ipsius antiqui

(1) Locus corruptus. ∞ *At* isdem *erat verius; sed tamen opimius. Male sonabat* iisdem. Sch. €. 2. (2) — *Item* Ern. prava suspicio. (3) Sic L. Ern. 1. 2. — *ab* Ceteri. (4) ∞ *quae* Scb. €. 2. (5) — *ac ne h. q.* Ern. suspic. ex corruptela Edd. vett. *aeneis q.* — *nec h. q.* L. (6) ∞ a *ne verum sit an* ab, *an* abs Sch. €. 2. (7) ∞ aufugit *et* abfer Sch. €. 2. (8) — *reperietur* Vet. Steph. N. L. (9) ∞ *ignotos*, *ignavos*, *ignaros* Gu. C. (10) Sic Man. L. Ern. 1. Sch. 2. (nisi quod h. l. del. *effecit*) — *exegit*, *edixit*, *refecit*, *rettulit*, *reddidit* Edd. vett. Iu. — M. (11) ∞ *at in* effecit *adiuncti* Sch. €. 2. (12) ∞ *prima litera praepositionem* Lambini et Ern. suspic. Recepit Sch. 2. (13) ex Ed. Lips. Ern. 1. 2. — *subegit* Iu. L. (14) ∞ *summovit* Ed. Lips. Recte. *summutavit* ortum est e praeced. *commutavit*. (15) ∞ *indoctus* Vet. Steph. Gu. 3. Ed. Lips. Item Gell. *Noct. Att.* 2, 17. recte prob. Ern. (16) ∞ *dicuntur* Gell. l. l. Gu. C. ∞ *dicitur IN* Sch. €. 2. (17) = *mihi extorta* L. (18) Sic Streb. Camer. Sch. 2. — *Orcivios* Iu. L. M. Ern. 1. (19) ∞ om. *semper* Gu. C. Sch. 2. Nos [ ]. (20) Sic Cdd. aliq. L. 1566. (non *Burrhum*) Grut. Sch. 2. prob. Lagomarsinio in Dawesii *Misc. crit. ed. Kidd.* p. 185. Osann *Anal.* p. 12. — *Purrum* Edd. vett. Iu. Crat. M. Ern. 1. (21) Sic L. Ern. 1. 2. — *Fruges* Edd. vett. Iu. — M.

declarant libri. Nec enim Graecam literam adhibebant: nunc autem etiam duas: et quum[1] *Phrygum*, et *Phrygibus*[2] dicendum esset, absurdum erat aut tantum barbaris casibus Graecam literam adhibere, aut recto casu solum Graece loqui; tamen[3] et *Phryges* et *Pyrrhum*[4] aurium causa dicimus. 161. Quin etiam, quod iam subrusticum videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum eaedem erant postremae duae literae, quae sunt in *optumus*, postremam literam detrahebant, nisi vocalis insequebatur. Ita non erat offensio in versibus, quam nunc fugiunt poëtae novi. Ita enim loquebamur[5]: *Qui est omnibu' princeps*, non *omnibus princeps*, et, *Vita illa dignu'*, *locoque*, non, *dignus*. Quod si indocta consuetudo tam est artifex suavitatis, quid ab ipsa tandem arte et doctrina postulari putamus? 162. Haec dixi brevius, quam si hac de re una disputarem, (est enim hic locus late patens, de natura usuque verborum) longius autem, quam instituta ratio postulabat. XLIX. Sed quia rerum, verborumque iudicium, prudentiae est: vocum autem, et numerorum, aures sunt iudices: et, quod[6] illa ad intelligentiam referuntur, haec ad voluptatem; in illis ratio invenit, in his sensus artem: aut enim negligenda nobis fuit[7] voluptas eorum[8], quibus probari volebamus, aut ars eius conciliandae reperienda. 163. Duae sunt igitur res, quae permulceant aures, *sonus* et *numerus*. De numero mox, nunc de sono quaerimus. Verba (ut supra diximus) legenda sunt potissimum bene sonantia, sed ea non ut poëtae, exquisita ad sonum, sed sumpta de medio. *Qua ponto ab Helles*[9], superat modum: at, *Auratus*[10] *aries Colchorum*, splendidis nominibus illuminatus est versus, sed proximus inquinatus insuavissima litera finitus[11], *Frugifera et ferta' arva Asiae tenet*[12]. 164. Quare bonitate potius nostrorum verborum utamur, quam splendore Graecorum, nisi forte sic loqui poenitet, *Qua tempestate Paris Helenam*, et quae sequuntur. Immo vero ista sequamur, asperitatemque fugiamus, *Habeo istam ego perterricrepam*: itemque[13], *Versutiloquas malitias*.

Nec solum componentur verba ratione, sed etiam finientur[14], quoniam id iudicium esse aurium alterum[15] diximus. Sed finiuntur aut compositione ipsa, et[16] quasi sua sponte, aut[17] quodam genere verborum, in quibus ipsis concinnitas inest: quae sive casus habent in exitu similes, sive paribus paria redduntur, sive opponuntur contraria[18], suapte natura numerosa sunt, etiamsi nihil est factum de industria. 165.

(1) — *et quamvis quum* L. (2) Sic Gu. C. L. Sch. 2. — *et quum Phr.* N. Iu. — M. 1. (3) ∞ *nunc tamen* Sch. C. 2. (4) — *Phrygum* Sch. 2. C. perversa, non ex Omnib. (5) — *Idn. c. offensioni* - et mox *loquebantur* de Heus. C. Sch. 2. v. Schneider *l. Gr.* I. p. 347. (6) — *quoniam* tribuitur L. in marg. 158 t. (7) = *fuit nobis* L. (8) — *aurium* C. Viri docti in marg. Lamb. meae. (9) e Senecae *Epist.* 81. prob. Lips. et Grut. Ern. 1. 2. — *Qua pontus Helles.* N. Iu. — L. Grut. (10) Sic N. Iu. Crat. M. L. — *auratos* Grut. Ern. 1. 2. sed qui sic scripserunt, plures arietes auratos norant, et in accus. plur. dicebant *aries* pro *arietes*. (11) Sic Man. (distinguens: *inquinatus*, *ins. lit. fin.*) L. Grut. Ern. 1. — *finis* Nor. — *infinitus* Edd. vett. Iu. — *insignitus* Gulielmii suspic. — del. *finitus* Sch. C. 2. corrupti quid hic latet. (12) ∞ *frugiferai et Fertai arva A. t.* Osann C. *Anal.* p. 111. (13) Sic de Ern. C. Sch. 2. — *idemque* Iu. — L. Ern. 1. (14) — *componantur - - - finiantur* Gu. C. (15) Sic Gu. C. L. Sch. in Ed. mai. — *alterum aurium* Ceteri. (16) ∞ *aut* Sch. C. 2. (17) ∞ *et* Sch. C. 2. (18) — *contrariis contraria* L. in marg. 158 t. ut §. 166.

In huius concinnitatis consectatione[1] Gorgiam fuisse principem accepimus, quo de genere illa nostra sunt in Miloniana: „Est enim, iudices, haec non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus." Haec enim talia sunt, ut, quia referuntur ad ea, ad quae debent referri, intelligamus non quaesitum esse numerum, sed secutum. 166. Quod fit item in contrariis referendis: ut illa sunt, quibus non modo numerosa oratio, sed etiam versus efficitur:

Eam, quam nihil[2] *accusas, damnas.*
Condemnas, diceret, qui versum effugere vellet[3].
Bene quam meritam esse[4] *autumas, dicis male mereri.*
Id[5] *quod scis, prodest nihil: id, quod nescis, obest.*

Versum efficit ipsa relatio contrariorum. Id[6] esset in oratione numerosum, *Quod scis, nihil prodest: quod nescis, multum obest.* L. Semper haec, quae Graeci *ἀντίθετα* nominant, quum contrariis opponuntur contraria, numerum oratorium necessitate ipsa efficiunt, etiam[7] sine industria. 167. Hoc genere antiqui iam ante Isocratem delectabantur, et maxime Gorgias: cuius in oratione plerumque efficit numerum ipsa concinnitas. Nos etiam in hoc genere frequentes[8], ut illa sunt in quarto Accusationis: „Conferte hanc pacem cum illo bello: huius praetoris adventum, cum illius imperatoris victoria: huius cohortem impuram, cum illius exercitu invicto: huius libidines, cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditas; ab hoc, qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas." Ergo et hi numeri sunt cogniti[9].

168. Genus illud tertium explicetur, quale sit, numerosae et aptae orationis. Quod qui non sentiunt, quas aures habeant, aut quid in his hominis simile sit, nescio. Meae quidem et perfecto completoque verborum ambitu gaudent, et curta sentiunt, nec amant redundantia. Quid dico meas? conciones saepe exclamare vidi, quum apte verba cecidissent. Id enim exspectant aures, ut verbis colligentur sententiae[10]. Non erat hoc apud antiquos. Et quidem nihil aliud fere non erat: nam et verba eligebant, et sententias graves et suaves reperiebant, sed eas aut vinciebant, aut explebant parum. 169. Hoc me ipsum delectat, inquiunt. Quid? si antiquissima illa pictura paucorum colorum, magis, quam haec iam perfecta, delectet, illa nobis sit, credo, repetenda: haec scilicet repudianda. Nominibus veterum gloriantur. Habet autem, ut in actatibus auctoritatem senectus, sic in exemplis antiquitas: quae quidem apud me ipsum valet plurimum. Nec ego id, quod deest antiquitati, flagito

---

([1]) — *confectione* Cdd. aliq.— *consecutione* Ed. Lips. ([2]) — *mihi* L. v. *Topic.* C. 13. ([3]) — *dixisset - - voluisset* L. ([4]) — del. *esse* Sch. C. 2. ([5]) — del. *Id* Sch. C. 2. ([6]) — *Idem* Vet. Steph. ([7]) Sic Gu. C. Ed. Ven. N. Steph. L. Sch. 2. — *et eum* Iu. Crat. M. Ern. 1. ([8]) ∞ *freq. fuimus* Steph. L. ([9]) Sic N. Iu. Crat. L. Sch. 2. — *sint cogniti* Gu. C. Man. Grut. Ern. 1. Addunt ∞ *etiam a Latinis.* N. Iu. Crat. L. sed si hoc recipiatur, del. *et.* ([10]) Sic N. M. Ern. 1. 2. ∞ *colligetur sententia* Iu. Crat. L. ut §. 170. *ut sit apte verbis comprehensa sententia.*

potius, quam laudo, quod est: praesertim quum ea maiora iudicem, quae sunt, quam illa, quae desunt. Plus est enim in verbis et in sententiis boni, quibus illi excellunt, quam in conclusione sententiarum, quam non habent. LI. Post inventa conclusio est, qua credo usuros veteres illos fuisse, si iam nota atque usurpata res esset: qua inventa, omnes usos magnos oratores videmus. 170. Sed habet nomen invidiam, quum in oratione iudiciali et forensi numerus [1], Graece ῥυθμός, inesse dicitur. Nimis enim insidiarum ad capiendas aures adhiberi videtur, si etiam in dicendo numeri ab oratore quaeruntur. Hoc freti isti, et ipsi infracta et [2] amputata loquuntur, et eos vituperant, qui apta et finita pronuntiant. Si inanibus verbis, levibusque sententiis: iure. Sin probae res, lecta verba: quid est cur claudere [3] aut insistere orationem malint, quam cum sententia pariter excurrere? Hic enim invidiosus numerus nihil affert aliud, nisi ut sit apte verbis comprehensa sententia: quod fit etiam ab antiquis, sed plerumque casu, saepe natura [4]: et quae valde laudantur apud illos, ea fere, quia sunt conclusa, laudantur. 171. Et apud Graecos quidem iam anni prope quadringenti sunt, quum hoc probatur, nos nuper agnovimus. Ergo Ennio licuit, vetera contemnenti dicere:

Versibu', quos olim Fauni, vatesque canebant:

mihi de antiquis eodem modo non licebit? praesertim quum dicturus non sim, *Ante hunc . . .* ut ille: nec quae sequuntur, *Nos ausi reserare . . .* Legi enim audivique nonnullos, quorum propemodum absolute concluderetur oratio. Quod qui non possunt, non est eis satis non contemni, laudari etiam volunt. Ego autem illos ipsos laudo, idque merito, quorum se isti imitatores esse dicunt, etsi in eis aliquid desidero: hos vero minime, qui nihil illorum, nisi vitium, sequuntur, quum a bonis absint longissime. 172. Quod si aures tam inhumanas, tamque agrestes habent, ne doctissimorum quidem virorum eos movebit auctoritas? Omitto Isocratem, discipulosque eius, Ephorum et Naucratem: quamquam orationis faciendae et ornandae auctores locupletissimi, summi [5] ipsi oratores, esse debebant [6]. Sed quis omnium doctior, quis acutior, quis in rebus vel inveniendis vel iudicandis acrior [7] Aristotele fuit? quis porro Isocrati est adversatus infensius [8]? Is igitur versum in oratione vetat esse, numerum iubet. Eius auditor Theodectes, in primis (ut Aristoteles saepe significat) politus scriptor, atque artifex, hoc idem et sentit et praecipit. Theophrastus vero, iisdem de rebus etiam accuratius. Quis ergo istos ferat, qui hos auctores non probent? Nisi omninó haec esse ab his praecepta ne-

---

([1]) add. *Latine* N. Iu. — L. Grut. Delevit Ern. C. 1. 2. ([2]) = *atque* L. in marg. 1584. ([3]) Sic Cdd. Edd. vett. Grut. Ern. 1. 2. — *claudicare* Iu. Crat. M. L. ([4]) — *saepe etiam nat.* Cdd. aliq. Steph. L. ([5]) Sic Iu. Crat. Man. tum rursus Ern. C. 1. 2. — *summique* Nor. L. Grut. ([6]) Sic Gu. C. Nor. Sch. 2. prob. Beier. *Offic.* T. 2. p. 189. — *debeant* Iu. Crat. M. L. Ern. 1. ([7]) ∞ *quis acutior, quis in reb. inv. vel iud. acrior Arist. fuit?* de Heusing. C. Sch. 2. ([8]) Sic Iu. Crat. M. L. ∞ *impensius* e Cdd. Grut. Ern. 1. 2. sed languere videtur praeillo, atque omnino *impensius adversari* Tullianum non est. ∞ *Isocrati etiam adversarius infensior?* Edd. vett. non improb. Ern.

sefunt[1]. 173. Quod si ita est: nec vero aliter existimo: quid? ipsi[2] suis sensibus non moventur[3]? nihilne eis inane videtur[4]? nihil inconditum, nihil curtum, nihil claudicans, nihil redundans? In versu quidem theatra tota exclamant[5], si fuit[6] una syllaba aut[7] brevior, aut longior. Nec vero multitudo pedes novit, nec ullos numeros tenet: nec illud, quod offendit, aut cur, aut in quo offendat, intelligit: et tamen omnium longitudinum et brevitatum in sonis, sicut acutarum graviumque vocum, iudicium ipsa natura in auribus nostris collocavit. LII. 174. Visne igitur, Brute, totum hunc locum accuratius etiam explicemus, quam illi ipsi, qui et[8] haec, et alia nobis tradiderunt? an his contenti esse, quae ab illis dicta sunt, possumus? Sed quid quaero, velisne; quum literis tuis, eruditissime scriptis, te id vel maxime velle perspexerim? Primum ergo origo, deinde causa, post natura, tum ad extremum usus ipse explicetur orationis aptae atque numerosae.

Nam qui Isocratem maxime mirantur, hoc in eius summis laudibus ferunt[9], quod verbis solutis numeros primus adiunxerit. Quum enim videret, oratores cum severitate audiri, poëtas autem cum voluptate: tum dicitur numeros secutus, quibus etiam in oratione uteremur[10], quum[11] iucunditatis causa, tum ut varietas occurreret satietati. 175. Quod ab his vere quadam ex parte, non totum, dicitur. Nam neminem in eo genere scientius[12] versatum Isocrate, confitendum est: sed princeps inveniendi fuit Thrasymachus; cuius omnia nimis etiam exstant scripta numerose. Nam, ut paullo ante dixi, paria paribus adiuncta, et similiter definita[13], itemque contrariis relata contraria, quae sua sponte, etiamsi id non agas, cadunt plerumque numerose, Gorgias primus invenit: sed his est usus intemperantius; id autem est genus, ut ante dictum est, ex tribus partibus collocationis alterum. 176. Horum uterque Isocratem aetate praecurrit: ut eos ille moderatione, non inventione vicerit. Est enim, ut in transferendis faciendisque verbis tranquillior, sic in ipsis numeris sedatior. Gorgias autem avidior est generis eius, et his festivitatibus (sic enim ipse censet) insolentius abutitur: quas Isocrates (quum tamen audivisset in Thessalia adolescens senem iam Gorgiam) moderatius temperavit. Quin etiam se ipse[14] tantum, quantum aetate procedebat, (prope enim centum confecit annos,) relaxarat a nimia necessitate numerorum: quod declarat in eo libro, quem ad Philippum Macedonem scripsit, quum iam admodum esset senex: in quo dicit sese minus iam servire numeris,

---

([1]) Sic Cdd. aliq. Iu. Crat. M. L. Grut. — *nesciant* Edd. vett. Ern. 1. 2. ([2]) Sic Man. L. tum rursus Ern. C. 1. 2. — *quia ipsi* Edd. vett. — *quod ipsi* Iu. ([3]) — *moveantur* Gu. 3. Nor. Sch. 2. sed indicat. acerbior. ([4]) — *videatur* Sch. C. 2. ([5]) ∞ *reclamant* Lamb. C. in Adnotatt. e *Lib.* 3. *de Orat.* §. 196. recepit Sch. 2. ([6]) ∞ *fuerit* Nor. ∞ *fit* Alii. ([7]) Sic Cdd. regii. Gu. C. L. Sch. 2. — om. *aut* Ceteri. ([8]) — om. *et* Gu. C. Sch. in Ed. mai. ([9]) ∞ *in hoc cum s. l. f.* Steph. L. — *hoc in eius orationibus s. l. f.* L. suspic. ([10]) ∞ *uteretur* Gu. C. Steph. L. (— *uterentur* alii ap. Steph.) ([11]) = *tum* Sch. 2. ([12]) = *scientius in eo gen.* L. ([13]) — *finita* Margo Crat. ([14]) ∞ *ipsum* Sch. C. 2. Recte, e regulis quidem recentiorum grammaticorum. Sed ubi Cdd. consentiunt, in hisce mutationibus periculum est, ne scriptorem ipsum corrigas, non librarios; ubi illi variant, verius eligas licet.

quam solitus esset. Ita non modo superiores, sed etiam se ipse[1] correxerat.

LIII. 177. Quoniam igitur habemus aptae orationis eos principes auctoresque, quos diximus[2], et[3] origo inventa est; causa quaeratur: quae sic aperta est, ut mirer, veteres non esse commotos, praesertim quum, ut fit, fortuito saepe aliquid concluse apteque dicerent: quod quum animos hominum, auresque pepulisset, ut intelligi posset, id, quod casus effudisset, cecidisse iucunde: notandum certe genus, atque ipsi sibi imitandi fuerunt. Aures enim, vel animus[4] aurium nuntio naturalem quandam in se continet vocum omnium mensionem. Itaque et longiora et breviora iudicat, et perfecta ac moderata semper exspectat. 178. Mutila sentit quaedam, et quasi decurtata: quibus, tamquam debito fraudetur, offenditur: productiora alia, et quasi immoderatius excurrentia, quae magis etiam aspernantur aures: quod quum in plerisque, tum in hoc genere nimium quod est, offendit vehementius, quam id, quod videtur parum. Ut igitur poëtica et versus[5] inventus est terminatione aurium, observatione prudentium: sic in oratione animadversum est, multo illud quidem[6] serius, sed, eadem natura admonente, esse quosdam certos cursus conclusionesque verborum.

179. Quoniam igitur causam quoque ostendimus: naturam nunc (id enim erat tertium) si placet, explicemus: quae disputatio non huius instituti sermonis est, sed artis intimae. Quaeri enim potest, qui[7] sit orationis numerus, et ubi sit positus, et natus ex quo: et is unusne sit, an duo, an plures, quaque ratione componatur, et ad quam rem, et quando[8], et quo loco, et quemadmodum adhibitus aliquid voluptatis afferat. 180. Sed ut in plerisque rebus, sic in hac, duplex est considerandi via: quarum altera est longior, brevior altera, eadem etiam planior. LIV. Est autem longioris prima illa quaestio, sitne omnino ulla numerosa oratio? (quibusdam enim non videtur: quia nihil insit in ea certi, ut in versibus: et quod ipsi[9], qui affirment[10], eos[11] esse numeros, rationem, cur sint, non queant reddere;) deinde, si sit numerus in oratione, qualis sit, aut quales, et e[12] poëticisne numeris, an ex alio genere quodam: et, si e poëticis, quis eorum sit, aut qui? (namque aliis unus modo, aliis plures, aliis omnes iidem videntur;) 181. deinde, quicunque sunt[13], sive unus, sive plures, communesne sint omni generi orationis[14]? (quoniam aliud genus est narrandi, aliud persuadendi, aliud docendi:) an dispares numeri cuique orationis generi accommodentur? si communes, qui sint? si dispares, quid intersit, et

---

(1) — *ipsum* Sch. €. 2. (2) Sic Iu. L. Ern. 1. 2. — *dicimus* Man. Grut. (3) ∞ om. *et* Gu. C. Sch. in Ed. mai. (4) — *Ipse enim vel animus* Vet. Steph. Gu. C. (id est: *Aures enim, vel ipse animus.*) (5) ∞ *ut ig. in poëtica versus* Sch. €. 2. probabiliter. (— *ut ig. poëtae v.* Vet. Steph. Gu. C.) (6) = *quidem illud* L. (7) — *ecqui* Sch. €. 2. Male; cfr. §. 203. (8) — *quomodo* Steph. L. (9) Sic Nor. M. Grut. Ern. 1. 2. — *illi* Iu. Crat. L. Fort. *ipsi illi.* (10) e Cdd. Ern. 1. 2. — *affirmant* N. Iu. — L. (11) = *esse eos* Gu. C. ∞ del. *eos* Sch. €. 2. Sed *eos* significat *oratorios, in oratione.* (12) = *ex* L. (13) — *sint* Ern. €. 1. (— *quotcunque* Lamb. suspic.) (14) Sic Man. Grut. Ern. 1. 2. — *omnis generis orationi* Ed. Ven. Iu. Crat. L. (Heusing. €.)

cur non aeque in oratione, atque in versu numerus appareat? deinde, quod dicitur in oratione numerosum, id utrum numero solum efficiatur, an etiam vel compositione quadam, vel genere verborum: an sit[1] suum cuiusque, ut numerus intervallis, compositio vocibus, genus ipsum verborum quasi quaedam forma et lumen orationis appareat[2]: sitque[3] omnium fons compositio, ex eaque et numerus efficiatur, et ea, quae dicuntur orationis quasi formae et lumina, quae (ut dixi) Graeci vocant *σχήματα*? 182. At non est unum, nec idem, quod voce iucundum est, et quod moderatione absolutum, et quod illuminatum genere verborum: quamquam id quidem finitimum est numero, quia per se plerumque perfectum est: compositio autem ab utroque differt, quae tota servit gravitati vocum, aut suavitati. LV. Haec igitur fere sunt, in quibus rei natura quaerenda sit.

183. Esse ergo[4] in oratione numerum quendam, non est difficile cognoscere. Iudicat[5] enim sensus: in quo iniquum est, quod accidit, non agnoscere[6], si, cur id accidat, reperire nequeamus. Neque enim ipse versus ratione est cognitus, sed natura atque sensu, quem dimensa ratio docuit, quid acciderit. Ita notatio naturae et animadversio peperit artem. Sed in versibus res est apertior: quamquam etiam, a modis quibusdam cantu remoto[7], soluta esse videatur oratio, maximeque id in optimo quoque eorum poëtarum, qui *λυρικοὶ* a Graecis nominantur[8]: quos[9] quum cantu spoliaveris, nuda paene remanet oratio. 184. Quorum similia sunt quaedam etiam apud nostros: velut illa[10] in Thyeste,

Quemnam te esse dicam? qui[11] *tarda in senectute* —

et quae sequuntur: quae, nisi quum tibicen accessit, orationi sunt solutae simillima. At[12] comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic saepe sunt abiecti, ut nonnunquam vix in his[13] numerus et versus intelligi possit: quo est ad inveniendum difficilior in oratione numerus, quam in versibus. 185. Omnino duo sunt, quae condiant orationem; verborum, numerorumque iucunditas. In verbis inest quasi materia quaedam: in numero autem expolitio. Sed ut ceteris in rebus, necessitatis inventa antiquiora sunt, quam voluptatis: ita et in hac re accidit, ut multis seculis ante oratio nuda, ac rudis ad solos animo-

---

(1) Sic L. Ern. 1. 2. — *est* Iu. (quae infra *An non est*) M. Grut. (2) — *ut num. in int., comp. in voc., genus ipsum verb. in quadam q. forma et lumine or. a.* L. — *voc. genere ipso verborum quasi quaedam forma et lumen or. a.* Sch. €. 2. Mihi suspectum est *et lumen*, pro quo Vet. Steph. *ut lumen*; nam intolerabilis paene est repetitio tam vicina *quasi formae et lumina*; et *genus ipsum verborum*, *forma* quidem dici potest, non *lumen orationis*. Cetera sana. Vis sententiae est in v. *ipsum*, id est, per se ipsum spectatum. (3) — *sitne* Sch. susp. in Ed. mai. (4) = *igitur* L. (5) ∞ *Indicat* Sch. €. 2. sed cfr. §. 198. in fine. (6) Sic Gu. 3. Nor. Iu. Crat. M. L. Sch. 2. — *cognoscere* Ed. 1584. Grut. Ern. 1. (7) Sic disting. L. Sch. 2. — *q. etiam a modis quibusdam, cantu remoto, soluta* Ern. 1. unde suspicatus est *in modis*. (8) — *nominantur*, *appareat* L. (9) — *eos* Gu. C. (10) Sic Steph. L. 1. 2. ∞ *ille* N. Iu. Crat. M. (11) Sic etiam L. 1566. — *quid* Ed. 1584. (12) — *Ac* Gu. C. Sch. 2. male ante lit. c. et comici h. l. manifeste opponuntur tragicis. (13) ∞ *eis* e Gu. C. Sch. 2.

rum sensus exprimendos fuerit reperta, quam ratio numerorum, causa delectationis aurium, excogitata. 186. Itaque et[1] Herodotus, et eadem superiorque aetas numero caruit[2], nisi quando temere ac fortuito: et scriptores perveteres de numero nihil omnino, de oratione praecepta multa nobis reliquerunt. Nam quod et facilius est, et magis necessarium, id semper ante cognoscitur. LVI. Itaque translata[3], aut facta, aut iuncta verba, facile sunt cognita, quia sumebantur e consuetudine, quotidianoque sermone. Numerus autem non domo depromebatur[4], neque habebat aliquam necessitudinem aut cognationem cum oratione. Itaque serius aliquanto notatus et cognitus, quasi quandam palaestram et extrema lineamenta orationi attulit. 187. Quod si et angusta quaedam atque concisa, et alia est dilatata[5] et fusa[6] oratio: necesse est id non literarum accidere[7] natura, sed intervallorum longorum et brevium varietate: † quibus implicata[8] atque permixta[9] oratio quoniam tum stabilis est, tum volubilis, necesse est eiusmodi naturam[10] numeris contineri. Nam circuitus ille, quem saepe iam diximus, incitatior numero ipso fertur et labitur[11], quoad perveniat ad finem, et insistat. Perspicuum est igitur, numeris adstrictam orationem esse debere, carere versibus.

188. Sed hi numeri, poëticine sint, an ex alio genere quodam, deinceps est videndum. Nullus est igitur numerus extra poëticos; propterea quod definita sunt genera numerorum. Nam omnis talis est, ut unus sit e tribus. Pes enim, qui adhibetur ad numeros, partitur in tria[12], ut necesse sit, partem pedis aut aequalem[13] alteri parti, aut altero tanto, aut sesqui esse maiorem. Ita fit aequalis dactylus, duplex iambus, sesqui paeon[14]; qui pedes in orationem non cadere qui possunt? quibus ordine locatis, quod efficitur, numerosum sit necesse est. 189. Sed quaeritur, quo numero, aut quibus[15] potissimum sit utendum. Incidere vero omnes in orationem, etiam ex hoc intelligi potest, quod versus saepe in oratione per imprudentiam dicimus: (quod vehementer est[16] vitiosum: sed non attendimus, neque exaudimus nosmet ipsos:) senarios vero, et Hipponacteos effugere vix possumus. Magnam enim partem ex iambis nostra constat oratio: sed tamen eos

---

([1]) — del. censebat *et* Sch. ([2]) — *placuit* Gu. C. (— *non placuit* Heus. €.) ([3]) Sic Iu. M. Sch. 2. = *tralata* L. Ern. 1. ([4]) Sic Victor. €. M. Grut. Ern. 1. 2. — *non modo depr.* Cdd. Edd. vett. Iu. Crat. Camer. — *nondum deprehendebatur* L. ([5]) Sic Cdd. aliq Steph. L. Sch. 2. — *collatata* Iu. Crat. M. Ern. 1. ([6]) Sic Vet. Steph. Gu. C. Sch. 2. — *diffusa* Ceteri. etiam L. ([7]) — *accedere* Edd. vett. mire prob. Ern. ([8]) ∞ *implicita* Nor. ([9]) Sic Nor. L. = *permista* Iu. M. Ern. 1. ([10]) Locus corruptus. v. Ern. — *varietatem* audacter dedit Sch. €. 2. pro *naturam*. Fortasse: *quibus impl. atque p. oratio tum stabilis est, tum volubilis, quoniam nec. est eiusmodi naturam* (id est, stabilitatem ac volubilitatem) *num. contineri.* ([11]) — *vel tardius labitur* Sch. €. 2. Sed *incitatior* pertinet tantummodo ad v. *fertur* non ad *labitur*. ([12]) ∞ *ita* Sch. €. 2. (om. *in tria* C3d. Gruteri.) ([13]) e C1d. Ern. 1. 2. — *aequalem esse* Ceteri. ([14]) — *paean* Iu. L. ut semper. — *ita fit aequalis dactylis, duplex iambis, sesquiplex paeoni* Sch. €. 2. Pessime: sic enim scribendum fuisset etiam *paeonibus*. Sensus est: ita, quum aequalis est pes, id est, quum partes, in quas eum possumus dispertiri, sibi sunt aequales, fit dactylus cet. *Sesquiplex* non caret veritatis specie: et habent sic Crat. Camer. Lamb. Ceteri *sesqui*. ([15]) — *aut in quibus* Steph. ([16]) — *est id veh. vit.* Gu. C.

versus facile agnoscit auditor; sunt enim usitatissimi. Inculcamus autem per imprudentiam saepe etiam minus usitatos, sed tamen versus: vitiosum genus, et longa animi provisione fugiendum. 190. Elegit ex multis Isocratis[1] libris triginta fortasse versus Hieronymus, Peripateticus in primis nobilis, plerosque senarios, sed etiam anapaesta[2]: quo quid potest esse turpius? Etsi in eligendo fecit malitiose: prima enim syllaba dempta in[3] primo verbo sententiae, postremum ad verbum primam rursus syllabam adiunxit insequentis. Ita factus est anapaesticus[4] is, qui Aristophaneus nominatur. Quod ne accidat, observari nec potest, nec necesse est. Sed tamen hic corrector, in eo ipso loco, quo reprehendit[5], (ut a me animadversum est studiose[6] inquirente in eum,) immittit[7] imprudens ipse senarium. Sit igitur hoc cognitum, in solutis etiam verbis inesse numeros, eosdemque esse oratorios, qui sint[8] poëtici.

LVII. 191. Sequitur ergo, ut, qui maxime cadant in orationem aptam numeri, videndum sit. Sunt enim[9] qui iambicum putent, quod sit orationi simillimus: qua de causa fieri, ut is potissimum propter similitudinem veritatis adhibeatur in fabulis; quod ille[10] dactylicus numerus hexametrorum magniloquentiae sit accommodatior. Ephorus autem, levis[11] ipse orator, sed profectus ex optima disciplina, paeona sequitur, aut dactylum: fugit autem spondeum et trochaeum. Quod enim paeon habeat tres breves, dactylus autem duas, brevitate et celeritate[12] syllabarum labi putat verba proclivius: contraque accidere in spondeo et trochaeo: quod alter longis[13] constaret, alter e brevibus fieret, alteram nimis incitatam, alteram nimis tardam orationem, neutram temperatam. 192. Sed et illi priores errant, et Ephorus in culpa est. Nam et[14] qui paeona praetereunt, non vident mollissimum a sese numerum, eundemque amplissimum praeteriri. Quod longe Aristoteli videtur secus, qui iudicat, heroum numerum grandiorem, quam desideret soluta oratio; iambum autem nimis e vulgari esse sermone. Ita neque humilem, et[15] abiectam orationem, nec nimis altam et exaggeratam probat: plenam tamen eam vult esse gravitatis, ut eos, qui audient[16], ad maiorem admirationem possit traducere. 193. Trochaeum autem, qui est eodem spatio, quo choreus, cordacem[17] appellat, quia contractio et brevitas dignitatem non habeat. Ita paeona probat, eoque ait uti omnes, sed ipsos non sentire, quum utantur: esse autem tertium ac medium inter illos: sed ita factos eos pedes esse, ut in eis[18] singulis modus insit aut sesquiplex, aut duplex, aut par. Itaque illi, de quibus ante dixi, tantummodo commoditatis habuerunt rationem,

(1) = *Isocrati* Grut. 1692. (2) — *anapaesticos* Margo Ed. Ven. L. (3) — *ex* Margo Ed. Ven. L. (4) Sic Ed. Med. Lips. L. ut mox *iambicus*, *dactylicus* — *anapaestus* Ceteri. (5) — *quo Isocratem repr.* E. in marg. 1584. (6) ∞ *studiosius* Steph. L. (7) ∞ *emittit* L. (8) Sic Nor. M. Grut. Ern. 1. 2. — *sunt* Iu. Crat. L. (9) Sic M. Steph. L. 1. 2. — *Et sunt enim* Iu. Crat. (10) ∞ *quum ille* Ern. suspic. (11) — *lenis* Cdd. al. Crat. (12) — *temperata br. et proceritate* Sch. E. 2. Perverse; etsi provocat ad §. 212. (13) — *ex longis* L. (— *quod alter e longis constet*, *alter e brevibus*, *fieri alteram* Ern. suspic. v. Schuetz. in Ed. mai.) (14) — om. *et* Man. Sch. 2. v. Matthiae *de Anacol.* p. 5. (15) Sic L. Sch. 2. — *nec* Ceteri. (16) — *audiant* Ern. suspic. (17) ∞ *cordacicum* Meursius. ∞ *χορδακικὸν* Sch. E. 2. (18) — om. *eis* de Ern. suspic. Sch. 2.

nullam dignitatis. 194. Iambus enim et dactylus in versum cadunt maxime. Itaque ut versum fugimus in oratione, sic hi sunt evitandi continuati pedes. Aliud enim quiddam est oratio, nec quidquam inimicius, quam illa versibus. Paeon autem minime est aptus ad versum: quo libentius eum recepit oratio. Ephorus vero ne spondeum quidem, quem fugit, intelligit esse aequalem dactylo, quem probat. Syllabis enim metiendos pedes, non intervallis, existimat: quod idem facit in trochaeo, qui temporibus et intervallis est par iambo: sed eo vitiosus[1] in oratione, si ponatur extremus, quo verba melius in syllabas longiores cadunt. Atque haec, quae sunt apud Aristotelem, eadem a Theophrasto Theodecteque de paeone dicuntur. 195. Ego autem sentio, omnes in oratione esse quasi permixtos[2] et confusos pedes: nec enim effugere possemus animadversionem, si semper iisdem uteremur; quia neque numerosa [esse[3],] ut poëma, neque extra numerum, ut sermo vulgi, esse[4] debet oratio. Alterum nimis est vinctum, ut de industria factum appareat: alterum nimis dissolutum, ut pervagatum ac vulgare videatur: ut ab altero non delectere, alterum oderis. 196. Sit igitur (ut supra dixi) permixta et † temperata[5] numeris, nec dissoluta, nec tota numerosa, paeone maxime, (quoniam optimus auctor ita censet) sed reliquis etiam numeris, quos ille praeterit, temperata.

LVIII. Quos autem numeros, cum quibus, tamquam purpuram, misceri oporteat, nunc dicendum est, atque etiam quibus orationis generibus sint quique[6] accommodatissimi. Iambus enim frequentissimus est in iis, quae demisso atque humili sermone dicuntur. 197. Paeon autem in amplioribus: in utroque dactylus. Ita in varia et perpetua oratione hi sunt inter se miscendi et temperandi. Sic minime animadvertetur delectationis aucupium, et quadrandae orationis industria: quae latebit eo magis, si et verborum et sententiarum ponderibus utemur. Nam qui audiunt, haec duo animadvertunt, et iucunda sibi censent, verba dico et sententias: eaque dum animis attentis admirantes excipiunt, fugit eos et praetervolat numerus: qui tamen si abesset, illa ipsa delectarent[7]. 198. Nec vero is cursus est numerorum, orationis dico (nam est longe aliter in versibus), nihil ut fiat extra modum: nam id quidem esset poëma: sed omnis, nec claudicans, nec quasi fluctuans,

---

(1) *sed eo vitiosus* (ap. Gothofr. *vitiosius*) *est in or.* C. in marg. 1584. (2) — *permixtos debere* dubia Ern. susp. (3) Quum in Nor. h. l. sit *esset*, statim intellexi hoc *esse* e gloss. esse. (4) ex Edd. vett. Ern. 1. 2. — *vulgi est*, *debet* Ald. Iu. — L. (5) ∞ e §. 187. *implicata* Sch. C. 2. et offendimus sane in proxima repetitione v. *temperata*. (6) — *cuique* Grut. 1692. errore typogr. (7) — *minus delectarent* e Purgoldi C. Sch. 2. Ea vero est antiquissima librariorum C., nisi quod pravo loco inculcata est. Omnes enim Cdd. Regii, Olx. Edd. vett. sequentia sic exhibent: *Nec vero minus is cursus est* ex quo fecerunt *Nec vero nimius is cursus est* Iu. Crat. M. Ern. 1. id quod multorum rursus exstitit causa errorum. Purgoldianae lectioni maxime obstat v. *tamen*; veramque explicationem praebet ipse Tullius §. 215. *Animo istud satis est, auribus non satis. Illa ipsa delectarent* est: delectare possent auditorem prudentem, et rem magis, quam numeros spectantem. *nimius* ergo cum Sch. C. 2. delevimus, quum id ipsum e prava C. e v. *minus* male intruso sit ortum. Sed *nimius* quum legeret, Lambinus correxit *esto*, quam formam nimis imperiosam devitat fere Tullius; *numerorum* Ern. [].

et *aequabiliter[1] constanterque ingrediens, numerosa habetur[2] oratio. Atque id in dicendo numerosum putatur[3], non quod totum constat e numeris, sed quod ad numeros proxime accedit: quo etiam difficilius est oratione uti, quam versibus: quod illis[4] certa quaedam et definita lex est, quam sequi sit necesse: in dicendo autem nihil est propositum, nisi ut ne[5] immoderata, aut angusta, aut dissoluta, aut fluens sit oratio. Itaque non sunt in ea tamquam tibicini percussionum modi, sed universa comprehensio et species orationis clausa et terminata est: quod voluptate aurium iudicatur.

LIX. 199. Solet autem quaeri, totone in ambitu verborum numeri tenendi sint, an in primis partibus, atque in extremis[6]. Plerique enim censent cadere tantum numerose oportere, terminarique sententiam. Est autem, ut id maxime deceat, non id solum[7]. Ponendus est enim ille ambitus, non abiiciendus. Quare quum aures extremum semper exspectent, in eoque acquiescant, id vacare numero non oportet: sed ad hunc exitum tamen[8] a principio ferri debet verborum illa comprehensio, et tota a capite ita fluere, ut ad extremum veniens ipsa consistat. 200. Id autem bona disciplina exercitatis, qui et multa scripserint, et quaecunque etiam sine scripto dicerent, similia scriptorum effecerint, non erit difficillimum. Ante enim circumscribitur mente sententia, confestimque verba concurrunt: quae mens eadem, qua nihil est celerius, statim dimittit, ut suo quodque loco respondeat: quorum descriptus ordo alias alia terminatione concluditur. Atque omnia illa et prima et media verba spectare debent ad ultimum. 201. Interdum enim cursus est in oratione incitatior, interdum moderata ingressio: ut iam a principio videndum sit, quemadmodum velis venire ad extremum. Nec in numeris magis, quam in reliquis ornamentis orationis[9], eadem quum faciamus, quae poëtae, effugimus tamen in oratione poëmatis similitudinem. Est enim in utroque et materia et tractatio: materia in verbis, tractatio in collocatione verborum. LX. Ternae autem sunt utriusque partes. Verborum[10]: translatum, novum, priscum; nam de propriis nihil hoc loco dicimus. 202. Collocationis[11] autem, eae, quas diximus: compositio, concinnitas, numerus, sed in utroque frequentiores sunt, et liberiores poëtae. Nam et transferunt verba quum[12] crebrius, tum etiam audacius: et priscis libentius utuntur, et liberius novis. Quod idem fit in numeris; in quibus quasi necessitati parere coguntur. Sed tamen haec nec nimis esse diversa, neque ullo † modo[13] coniuncta intelligi licet. Ita fit, ut non item in oratione, ut in versu,

---

(1) *aequabiliter* et *aequabilitas* sexcenties emendatum est in Tullio, pro vitiosa medii aevi scriptura *aequaliter* et *aequalitas*. Sic h. l. de Sch. suspic. (2) — *habeatur* L. ex errore supra notato. (3) — *putetur* L. (4) — *in illis* L. (5) Sic Sch. €. 2. — *aut ne* Nor. Iu. M. L. 1566. = *ne aut* L. in marg. 1584. (6) — *an solum in extremis* addidit Sch. €. 2. ut §. 201. (7) — *non ut id solum* Sch. €. 2. (8) — *iam* Margo Ed. Lips. — *iam inde* Ern. suspic. v. Schuetz in Ed. mai. (9) — del. *orationis* Sch. in Ed. mai. (10) Recte sic distinxit Sch. 2. — *partes verborum*, (vel:) *translatum* Ceteri. (11) — *collocationes* Man. L. (12) = *tum* Sch. €. 2. (13) Sic omnes. — *neque nullo non modo* id est, et omni modo, Sch. €. 2. Perverse: nec melius, puto, scriberetur: *neque nullo modo coniuncta* cfr. §. 227.

numerus exstet: idque, quod numerosum in oratione dicitur, non semper numero fiat, sed nonnunquam aut concinnitate, aut constructione verborum. 203. Ita, si numerus orationis quaeritur qui sit: omnis est; sed alius alio melior atque aptior; si locus: in omni parte verborum; si, unde ortus sit: ex aurium voluptate; si componendorum ratio: dicetur alio loco, quia pertinet ad usum; quae pars quarta et extrema nobis in dividendo fuit; si, ad quam rem adhibeatur: ad delectationem; si, quando: semper; si, quo loco: in tota continuatione verborum; si, quae res efficiat voluptatem: eadem, quae in versibus, quorum modum notat ars [1], sed aures ipsae tacito cum [2] sensu sine arte definiunt.

LXI. 204. Satis multa de natura: sequitur usus, de quo est accuratius disputandum. In quo quaesitum est, in totone circuitu illo orationis, quem Graeci *περιοδον* [3], nos tum ambitum, tum circuitum, tum comprehensionem, aut continuationem, aut circumscriptionem dicimus: an in principiis solum, an [4] in extremis, an in utraque parte numerus tenendus sit? deinde, quum aliud videatur esse numerus, aliud numerosum: quid intersit? 205. tum autem, in omnibusne numeris aequaliter [4] particulas deceat incidere, an facere alias breviores, alias longiores: idque quando, aut cur, quibusque partibus: pluribusne, an singulis: imparibus, an aequalibus: et quando aut istis, aut illis sit utendum: quaeque inter se aptissime collocentur, et quomodo? an omnino nulla sit in eo genere distinctio: quodque ad rem maxime pertinet, qua ratione numerosa fiat oratio? 206. Explicandum etiam est, unde orta sit forma verborum: dicendumque, quantos circuitus facere deceat: deque eorum particulis, et tamquam incisionibus disserendum est, quaerendumque, utrum una species et longitudo sit earum, anne plures: et, si plures, quo loco, aut quando, quoque genere uti oporteat? postremo totius generis utilitas explicanda est, quae quidem patet latius. Non ad unam enim rem aliquam, sed ad plures accommodatur. 207. Ac licet non ad singulas res respondentem de universo genere sic dicere, ut etiam singulis satis responsum esse videatur. Remotis igitur reliquis generibus unum selegimus, hoc, quod [5] in causis foroque versatur, de quo dicemus.

Ergo in aliis, id est, in historia, et in eo, quod appellamus *ἐπιδεικτικόν*, placet omnia dici Isocrateo Theopompeoque more, illa circumscriptione ambituque, ut tamquam in orbe inclusa currat oratio, quoad insistat in singulis perfectis absolutisque sententiis. 208. Itaque posteaquam est nata haec vel circumscriptio, vel comprehensio, vel continuatio, vel ambitus, si ita licet dicere: nemo, qui aliquo esset in numero, scripsit orationem generis eius, quod esset ad delectationem comparatum, remotumque a iudiciis forensique certamine, quin redigeret omnes fere in quadrum numerumque sententias. Nam quum is est auditor, qui non vereatur, ne compositae orationis insidiis sua fides

---

(1) — *non notat ars* Victorii C. (2) — *cum* Alii in marg. 1581. (3) ∞ *περίοδον appellant* Ed. Ven. Nor. haud improb. Ern. (4) — *aut* Sch. suspic. in Ed. mai. (5) Hoc loco recte se habet. — *aequabiliter* L. (6) — *hoc quidem, quod* L.

attentetur, gratiam quoque habet oratori, voluptati aurium servienti. LXII. 209. Genus autem hoc orationis neque totum assumendum est ad causas forenses, neque omnino repudiandum. Si enim semper utare, quum satietatem affert, tum, quale sit, etiam ab imperitis[1] agnoscitur. Detrahit praeterea actionis dolorem, aufert humanum sensum actoris, tollit funditus veritatem et fidem. Sed, quoniam adhibenda nonnunquam est, primum videndum est, quo loco, deinde quamdiu retinenda sit, tum quot modis commutanda[2]. 210. Adhibenda est igitur numerosa oratio, si aut laudandum est aliquid ornatius, ut nos in Accusationis secundo de Siciliae laude diximus; ut[3] in senatu de consulatu meo: aut exponenda narratio, quae plus dignitatis desiderat[4], quam doloris, ut in quarto Accusationis de Ennensi Cerere, de Segestana Diana, de Syracusarum situ diximus. Saepe etiam in amplificanda re, concessu omnium funditur numerose et volubiliter oratio. Id nos fortasse non perfecimus, conati quidem saepissime sumus: quod[5] plurimis locis perorationes nostrae, voluisse nos, atque animo contendisse, declarant. Id autem tum valet, quum is, qui audit, ab oratore iam obsessus est, ac tenetur. Non enim id agit[6], ut insidietur et observet[7]: sed iam favet, processumque vult, dicendique vim admirans non inquirit[8], quod reprehendat. 211. Haec autem forma retinenda non diu est, nec dico in peroratione, † quam ipse includit[9], sed in orationis reliquis partibus. Nam quum sis his locis[10] usus, quibus ostendi liceret, transferenda tota dictio est ad illa, quae nescio cur, quum Graeci κόμματα et κῶλα nominent, nos non recte incisa et membra dicamus. Neque enim esse possunt, rebus ignotis, nota nomina: sed quum verba, aut suavitatis, aut inopiae causa, transferre soleamus, in omnibus hoc fit artibus, ut, quum id[11] appellandum sit, quod, propter rerum ignorationem ipsarum, nullum habuerit ante nomen, necessitas cogat aut novum facere verbum, aut a simili mutuari.

LXIII. 212. Quo autem pacto deceat incise membratimve dici, iam videbimus: nunc, quot modis mutentur comprehensiones conclusionesque, dicendum est. Fluit omnino numerus a primo tum[12] incitatius brevitate pedum, tum proceritate tardius. Cursum contentiones magis requirunt; expositiones rerum, tarditatem. Insistit autem ambitus modis[13] pluribus, e quibus unum est secuta Asia maxime, qui dichoreus vocatur, quum duo extremi chorei sunt, id est, e singulis longis et brevibus: explanandum est enim, quod ab aliis iidem pedes aliis nominantur vocabulis. 213. Dichoreus non est ille quidem sua

---

(1) — *tum etiam q. s. ab i.* L. (2) — *adhibendum - - - retinendum - - - commutandum* L. Sed sic consulto non scripsit Tullius propter v. *videndum.* (3) Sic Ern. C. 1. 2. — *aut* Ceteri. (4) — *desideret* Ern. suspic. (5) — *quod* del. censebat Ern. Sed v. Matthiae *Misc. Crit.* 2, 3. p. 85. (6) — *tum id agit* Sch. C. 2. (7) — *ut insidiantem observet* Crat. Camer. — *ut insidiatorem observet* L. Utrique sine causa. (8) — *acquirit* O1x. Edd. vett. unde ∞ *anquirit* Ern. et al. suspic. (9) Locus corruptus. — del. censebat L. — *quam ipsam cludit* Gulielmii susp. (fort. *quae* (peroratio) *ipsam* (eam formam) *claudit.*) — *quam ipse finis includit* Sch. C. 2. (10) — *his in locis* L. (11) — om. *id* Ed. Ven. prob. Ern. (12) = *quum* L. solus. (13) — *pedibus* L.

sponte vitiosus in clausulis, sed in orationis numero nihil est tam vitiosum, quam si semper est idem. Cadit autem per se ille ipse praeclare: quo etiam satietas formidanda est magis. Me stante C. Carbo, C. F. tribunus plebis in concione dixit his verbis, *O Marce Druse, patrem appello.* Haec quidem duo binis pedibus incisim: dein membratim[1], *tu dicere solebas, sacram esse rem publicam.* 214. Haec item membra ternis. Post ambitus[2], *quicunque eam violavissent, ab omnibus esse ei poenas persolutas.* Dichoreus[3]: nihil enim ad rem, extrema illa, longa sit, an brevis. Deinde, *Patris dictum sapiens, temeritas filii comprobavit.* Hoc dichoreo tantus clamor concionis excitatus est, ut admirabile esset. Quaero, nonne[4] id numerus effecerit? verborum ordinem immuta: fac sic, *Comprobavit filii temeritas*: iam nihil erit, etsi *temeritas* ex tribus brevibus, et longa est: quem Aristoteles ut optimum probat; a quo dissentio. 215. At eadem verba, eadem sententia. Animo istuc[5] satis est, auribus non satis. Sed id crebrius fieri non oportet. Primum enim numerus agnoscitur: deinde satiat: postea cognita facilitate contemnitur. LXIV. Sed sunt clausulae plures, quae numerose et iucunde cadant. Nam et creticus, qui est e longa, et brevi, et longa, et eius aequalis paeon, qui spatio par est, syllaba longior, quam commodissime putatur in solutam orationem illigari; quum sit duplex. Nam aut e longa, et tribus brevibus, qui numerus in primo viget, iacet in extremo: aut e totidem brevibus, et longa, in quem optime cadere censent veteres: ego non plane reiicio, sed alios antepono. 216. Ne spondeus quidem funditus est repudiandus. Etsi, quod[6] est e longis duabus, hebetior videtur et tardior; habet tamen stabilem quendam, et non expertem dignitatis gradum: in incisionibus vero multo magis, et in membris[7]. Paucitatem enim pedum[8] gravitatis suae tarditate[9] compensat. Sed hos quum in clausulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo. Adiungo (quod minimum sit) proximum[10] superiorem, saepe etiam tertium. 217. Ne iambus quidem, qui est e brevi et longa, aut par trochaeus[11], qui habet tres breves, sed spatio par, non syllabis: aut etiam dactylus, qui est e longa et duabus brevibus, si est proximus a postremo; parum volubiliter pervenit ad extremum, si est extremus choreus, aut spondeus. Nunquam enim interest, uter sit eorum in pede extremo. Sed iidem hi tres pedes male concludunt, si quis eorum in extremo locatus est, nisi quum pro cretico postremus est dactylus. Nihil enim interest, dactylus sit extremus, an creticus: quia postrema syllaba, brevis, an longa sit, ne in versu quidem refert. 218. Quare etiam paeona qui

---

(1) — *membratim ternis* L. (2) — *Deinde item membratim quaternis: post clausula ambitus* L. (3) partim e Cdd. partim E. vide L. Adnotatt. ∞ *persolutae. Persolutas, dichoreus.* L. (4) — *numne* Edd. vett. — *annon*, vel *effecit* Ern. suspic. (5) = *istud* Sch. 2. (6) ∞ *etsi enim, quod* L. (7) „Recte monet Anonymus legend. *quam in membris*, quorum plures sunt pedes." Lallem. (8) — *Syllabarum enim pauc.* L. 1566. — *Pauc. enim syllabarum* L. in marg. 1584. (9) ∞ *tarditatis suae gravitate* Sch. suspic. (10) — *proxime* Ern. suspic. contra usum Ciceronis. (11) Sic Camer. L. Sch. 2. — *par chorus* Man. — *par chorco* N. In. Crat. Ern. 1.

dixit aptiorem, in quo esset longa postrema, vidit parum: quoniam nihil ad rem est, postrema an longa sit [1]. Iam paeon, quod plures habeat syllabas, quam tres, numerus a quibusdam, non pes habetur. Est quidem, ut inter omnes constat antiquos, Aristotelem, Theophrastum, Theodectem, Ephorum, unus aptissimus orationi vel orienti, vel mediae: putant illi etiam cadenti: quo loco mihi videtur aptior creticus. Dochmius [2] autem e quinque syllabis, brevi, duabus longis, brevi, longa, ut est hoc, *Amicos tenes*, quovis loco aptus est, dum semel ponatur: iteratus, aut continuatus, numerum apertum et nimis insignem facit. LXV. 219. His igitur tot commutationibus, tamque variis si utemur: nec deprehendetur manifesto, quid a nobis de industria fiat, et occurretur satietati. Et quia non numero solum numerosa oratio, sed et compositione fit, et genere (quod ante dictum est) concinnitatis; compositione [3] potest intelligi, quum ita structa verba sunt, ut numerus non quaesitus, sed ipse secutus esse videatur; ut apud Crassum, *nam ubi lubido dominatur, innocentiae leve praesidium est.* Ordo enim verborum efficit numerum sine ulla aperta oratoris industria. Itaque si quae veteres illi (Herodotum dico, et Thucydidem, totamque eam [4] aetatem) apte numeroseque dixerunt; ea non numero quaesito, sed verborum collocatione ceciderunt. 220. Formae vero quaedam sunt orationis, in quibus ea concinnitas inest, ut sequatur numerus necessario. Nam quum aut par pari refertur, aut contrarium contrario opponitur, aut, quae similiter cadunt verba, verbis comparantur: quidquid ita concluditur, plerumque fit, ut numerose cadat, quo de genere cum exemplis supra diximus, ut haec quoque copia facultatem afferat, non semper eodem modo desinendi. Nec tamen haec ita sunt arcta et adstricta, ut ea, quum velimus, laxare nequeamus. Multum interest, utrum numerosa sit, id est, similis numerorum, an plane e numeris constet oratio. Alterum si fit, intolerabile vitium est: alterum nisi fit, dissipata, et inculta, et fluens est oratio.

LXVI. 221. Sed quoniam non modo non frequenter, verum etiam raro in veris causis, aut [5] forensibus, circumscripte numeroseque dicendum est: sequi videtur, ut videamus, quae sint illa, quae supra dixi incisa, quae membra. Haec enim in veris causis maximam partem orationis obtinent. Constat enim ille ambitus et plena comprehensio e quatuor fere partibus, quae membra dicimus, ut et aures impleat, et ne brevior sit, quam satis sit, neve [6] longior. Quamquam utrumque nonnunquam, vel potius saepe accidit, ut aut citius insistendum sit, aut longius procedendum, ne brevitas defraudasse aures videatur, neve longitudo obtudisse. Sed habeo mediocritatis rationem; nec enim loquor de versu, et est liberior aliquanto oratio. 222. E quatuor igitur, quasi hexametrorum instar versuum quod sit [7],

---

([1]) e Cld. Ern. 1. 2. — *p. quam l. sit* Edd. vett. Iu. Crat. M. Grut. (— *quoniam nihil ad rem, postrema brevis, an longa sit* L.) ([2]) — *dochimius* Edd. vett. — *dochimus* Ald. Iu. — L. Grut. ([3]) — *compositio* L. ([4]) — *illam* L. ([5]) ∞ *et* Sch. suspic. ([6]) Sic Alii in marg. 1584. Sch. 2. — *neque* Ceteri. ([7]) — *quae sint* Lambini suspicio non recepta.

constat fere plena comprehensio. His igitur singulis[1] versibus quasi nodi apparent continuationis, quos in ambitu coniungimus. Sin membratim volumus[2] dicere, insistimus: idque quum opus est[3], ab isto cursu invidioso facile nos et saepe disiungimus. Sed nihil tam debet esse numerosum, quam hoc, quod minime apparet, et valet plurimum. Ex hoc genere illud est Crassi, *Missos faciant patronos: ipsi prodeant.* Nisi intervallo dixisset[4], - - *ipsi prodeant*, - - sensisset profecto effugisse[5] senarium: omnino melius caderet, *prodeant ipsi.* Sed de genere nunc disputo. 223. *Cur clandestinis consiliis nos oppugnant*[6]*? cur de perfugis nostris copias comparant contra nos?* Prima sunt illa duo, quae κόμματα Graeci vocant, nos incisa dicimus: deinde tertium, κῶλον illi, nos membrum. Sequitur non longa; ex duobus enim versibus, id est, membris, perfecta comprehensio est[7], et in spondeos cadit: et Crassus quidem sic plerumque dicebat: idque ipse genus dicendi maxime probo. LXVII. Sed quae incisim aut membratim efferuntur, ea vel aptissime cadere debent: ut est apud me: *Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas.* Haec incise dicta sunt quatuor. 224. At membratim, quae sequuntur, duo, *Incurristi amens in columnas: † in alienos insanus insanisti*[8]. Deinde omnia tamquam crepidine quadam, comprehensione longiore sustinentur[9], *Depressam, caecam, iacentem domum pluris, quam te, et quam fortunas tuas aestimasti.* Dichoreo[10] finitur. At dispondeo proximum illud. Nam in iis[11], quibus, ut pugiunculis, uti oportet, brevitas facit ipsa liberiores pedes. Saepe enim singulis utendum est, plerumque binis, (et utrisque addi pedis pars potest,) non fere ternis amplius. 225. Incisim autem et membratim tractata[12] oratio in veris causis plurimum valet, maximeque his locis, quum aut arguas, aut refellas, ut nostra in Corneliana secunda, *O callidos homines, o rem excogitatam, o ingenia metuenda!* Membratim adhuc: deinde caesim: *Diximus*[13]. Rursus membratim, *Testes dare volumus.* Extrema sequitur comprehensio, sed ex duobus membris, qua non potest esse brevior, *Quem, quaeso, nostrum fefellit, ita vos esse facturos?* 226. Nec ullum[14] genus est dicendi aut melius, aut fortius, quam binis[15] aut ternis ferire[16] verbis[17], nonnunquam singulis, paullo alias pluribus: inter quae[18] variis clausulis interponit se raro numerosa comprehensio: quam perverse fugiens Hegesias, dum ille quoque imitari Lysiam vult,

---

(1) — *His in sing.* (om. *igitur*) L. (2) — *nolumus* L. (3) — *dicere, incidimus. Itaque quum o. est* Sch. suspic. (4) — *dixisses* Grut. errore typogr. (5) — *effluxisse* L. — *excidisse* vel *se effudisse* Alii in marg. 1584. (6) ∞ Excidisse h. l. membrum censet Sch. Le Clerc contra post v. *disputo.* (7) ∞ *Sequitur non longa* (*ex duobus enim versibus, id est, membris perf. est*) *compr.* L. ∞ *Seq. comprehensio non longa* (*ex duob. enim vers. i. e. memb. perf. est*) Sch. C. 2. (8) Haec corrupta. — *in antis aeneis insanis insanisti* Sch. suspic. ludicra. (9) — *omnis - - - comprehensio longior sustinetur* L. (10) — *et dich.* (L. (11) — *illis* Sch. C. 2. (12) — *tracta* e Cld. Ern. 1. (13) Sic recte distinxit Margo 1584. et Sch. 2. e Quintil. 9, 4, 122. — *caesim diximus. Rursus.* Ceteri, praeter L. qui v. *diximus* transposuit ante *Testes*, deceptus a Quintiliano. (14) — *illud* Sch. 2. errore typogr. (15) Sic L. et de Ern. suspic. Sch. 2. — om. *quam* ceteri. (16) — *finire* Crat. (17) — *versibus* Viri docti C. ap. Ern. (18) Sic Ed. Lips. L. Ern. 1. 2. — *inter quas* N. In. Crat. M. Grut.

alterum paene Demosthenem, saltat, incidens particulas. Et is quidem non minus sententiis peccat, quam verbis: ut non quaerat, quem appellet ineptum, qui illum cognoverit. Sed ego illa Crassi, et nostra posui, ut, qui vellet, auribus ipsis, quid numerosum etiam in minimis particulis orationis esset, iudicaret. LXVIII. Et, quoniam plura de numerosa oratione diximus, quam quisquam ante nos, nunc de eius generis utilitate dicemus.

227. Nihil enim est aliud, Brute, (quod quidem tu minime omnium ignoras,) pulchre et oratorie dicere, nisi optimis sententiis verbisque lectissimis[1] dicere. Et nec sententia ulla est, quae fructum oratori ferat, nisi apte exposita, atque absolute: nec verborum lumen apparet, nisi diligenter collocatorum: et horum utrumque numerus illustrat; numerus autem (saepe enim hoc testandum est) non modo non poëtice iunctus, verum etiam fugiens illum, eique omnium dissimillimus: non quin iidem sint numeri non modo oratorum et poëtarum, verum omnino loquentium, denique etiam sonantium omnium, quae metiri auribus possumus: sed ordo pedum facit, ut id, quod pronuntiatur, aut orationis, aut poëmatis simile videatur. 228. Hanc igitur sive compositionem, sive perfectionem, sive numerum vocari placet, adhibere[2] necesse est, si ornate velis dicere, non solum (quod ait Aristoteles et Theophrastus) ne infinite feratur, ut flumen, oratio, quae non aut spiritu pronuntiantis, aut interductu[3] librarii, sed numero coacta debet insistere: verum etiam, quod multo maiorem habent apta vim, quam soluta. Ut enim athletas, nec multo secus gladiatores, videmus nihil nec vitando facere caute, nec petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palaestram quandam: ut, quidquid in his rebus fiat utiliter ad pugnam, idem ad adspectum etiam sit venustum: sic oratio nec plagam gravem facit, nisi petitio fuit[4] apta: nec satis recte[5] declinat impetum, nisi etiam in cedendo, quid deceat, intelligit. 229. Itaque, qualis eorum motus, quos ἀπαλαστρους[6] Graeci vocant, talis horum mihi videtur oratio, qui non claudunt numeris sententias: tantumque abest, ut[7], quod ii, qui hoc aut magistrorum inopia, aut ingenii tarditate, aut laboris fuga non sunt assecuti, solent dicere, enervetur oratio compositione verborum, ut aliter in ea nec impetus ullus, nec vis esse possit. LXIX. Sed magnam exercitationem res flagitat, ne quid eorum, qui genus hoc secuti non tenuerunt, simile faciamus; ne aut verba[8] traiiciamus aperte, quo melius aut cadat, aut volvatur oratio: 230. quod se L. Caelius Antipater, in prooemio belli Punici, nisi necessario, facturum negat. O virum simplicem,

---

(1) Sic Cdd. pauci. Crat. M. L. Ern. 1. 2. — *lectissime* Cdd. pleriq. N. Iu. Grut. (2) Sic L. Sch. 2. — *et adhibere* Ceteri. *et* natum est ex ultimis lit. v. praeced. (3) — *interpunctu* €. in marg. 1584. (4) Sic Nor. L. Grut. Ern. 1. 2. — *fuerit* Iu. M. (5) Sic Edd. vett. Crat. Ern. 1. 2. cfr. Quintil. 9, 4, 8. — *recte* Iu. M. L. Grut. ∾ *tute* Cd. Vit. (6) Sic (lat. literis *apalaestros*) multi Cdd. Le Clercquii. Sch. 2. — ἀπαλαίστους Ceteri. Apud Quintil. 9, 4, 36. Spalding. item dedit ἀπάλαστοι. (7) Sic Man. tum rursus Ern. €. 1. 2. — *ne* Cdd. Nor. Iu. Crat. L. (8) Nihil mutavi. *aut* similiter pendet in *Brut.* §. 55. — *fac. ut verba* L. — *neve verba* Culielmii suspic. — *ut ne v.* Sch. €. 2.

qui nos nihil celet[1]: sapientem, qui serviendum necessitati putet! Sed hic omnino rudis. Nobis autem in scribendo, atque in dicendo necessitatis excusatio non probatur: nihil est enim necesse: et, si quid esset, id necesse tamen non erat confiteri. Et hic quidem, qui hanc a Laelio, ad quem scripsit[2], cui se purgat, veniam petit, et utitur ea traiectione verborum, et nihilo tamen aptius explet, concluditque sententias. Apud alios autem, et Asiaticos maxime, numero servientes, inculcata reperias[3] inania quaedam verba, quasi complementa numerorum. Sunt etiam qui illo vitio, quod ab Hegesia maxime fluxit, infringendis, concidendisque numeris in quoddam genus abiectum incidant, Siculorum simillimum. 231. Tertium[4] est, in quo fuerunt fratres illi, Asiaticorum rhetorum principes, Hierocles, et Menecles, minime mea sententia contemnendi. Etsi enim a forma veritatis et ab Atticorum regula absunt, tamen hoc vitium compensant vel facultate, vel copia. Sed apud eos varietas non erat, quod omnia fere concludebantur uno modo. Quae vitia qui fugerit, ut neque verbum ita traiiciat, ut id de industria factum intelligatur, neque inferciens verba, quasi rimas expleat, nec minutos numeros sequens, concidat delumbetque sententias, nec sine ulla commutatione in eodem semper versetur genere numerorum: is omnia fere vitia vitaverit. Nam de laudibus multa diximus, quibus sunt alia perspicua[5] vitia contraria. LXX. 232. Quantum autem sit apte dicere, experiri licet, si aut compositi oratoris bene structam collocationem dissolvas permutatione verborum: (corrumpatur[6] enim tota res, ut et haec[7] nostra in Corneliana, et deinceps omnia: Neque me divitiae movent: quibus omnes Africanos et Laelios multi venalicii[8], mercatoresque superarunt. Immuta paullum, ut sit, *multi superarunt mercatores venaliciique;* perierit tota res. Et quae sequuntur, Neque vestis, aut caelatum aurum et argentum, quo nostros veteres Marcellos Maximosque multi eunuchi e Syria Aegyptoque vicerunt. Verba permuta sic, ut sit, *Vicerunt eunuchi e Syria Aegyptoque.* Adde tertium, Neque vero ornamenta ista villarum, quibus L. Paullum et L. Mummium, qui rebus his urbem Italiamque omnem referserunt, ab aliquo video perfacile Deliaco aut Syro potuisse superari. Fac ita[9], *potuisse superari ab aliquo Syro aut Deliaco.* 233. Videsne, ut [ordine verborum paullum commutato[10],] iisdem verbis[11], stante sententia, ad nihilum omnia recidant, quum sint ex aptis dissoluta? aut si alicuius inconditi arripias dissipatam aliquam sententiam, eamque, ordine verborum paullum commutato, in quadrum redigas, efficiatur aptum illud, quod fuerit[12] antea diffluens ac solutum. Age, sume de Gracchi apud Censores illud, *Abesse non potest, quin eiusdem hominis sit, probos improbare, qui improbos pro-*

(1) Sic L. Ern. 1. 2. — *celat* Cdd. Iu. M. Grut. (2) — *scribit* Ern. suspic. — *ad quem scripsit* suspecta Sch. in Ed. mai. (3) ∞ *reperies* L. (4) — *Quartum* Sch. suspic. (5) Sic Iu. Crat. L. Ern. 1. 2. — *perspicue* Gu. C. N. M. Grut. (6) ∞ *corrumpetur* Steph. L., sed infra conservarunt *efficiatur.* (7) Sic N. Iu. L. Ern. 1. — *ut haec* Man. Sch. 2. (8) — *venaliciarii* Patricii suspic. (9) — *fac etiam* Steph. (10) Haec del. Sch. E. 2. Nos [ ]. (= *paullum* Gu. C.) (11) — *eisdem tamen verbis* Steph. L. (12) ∞ *fuerat* Steph. L. Sch. 2. sed hoc quidem loco coniunctivus praeferendus erat.

bet. Quanto aptius, si ita dixisset, *quin eiusdem hominis sit, qui improbos probet, probos improbare!* 234. Hoc modo dicere nemo unquam noluit: nemoque potuit, quin dixerit. Qui autem aliter dixerunt, hoc assequi non potuerunt. Ita facti sunt repente Attici. Quasi vero Trallianus fuerit Demosthenes: cuius non tam vibrarent fulmina illa, nisi numeris contorta ferrentur. LXXI. Sed si quos magis delectant soluta, sequantur ea sane, modo sic, ut si quis[1] Phidiae clypeum dissolverit, collocationis universam[2] speciem sustulerit, non singulorum operum venustatem: ut in Thucydide orbem modo orationis desidero, ornamenta comparent. 235. Isti autem quum dissolvunt orationem, in qua nec res, nec verbum ullum est, nisi abiectum: non clypeum, sed, ut in proverbio est (etsi humilius dictum est, tamen consimile[3] est) scopas (ut ita dicam[4]) mihi videntur dissolvere. Atque, ut plane genus hoc, quod ego laudo, contempsisse videantur, aut scribant aliquid vel Isocrateo more, vel quo Aeschines aut Demosthenes utitur: tum illos existimabo non desperatione reformidavisse[5] genus hoc, sed iudicio refugisse: aut reperiam, ipse eadem conditione qui uti velit, ut aut dicat, aut scribat, utra voles lingua, eo genere, quo illi volunt[6]. Facilius est enim apta dissolvere, quam dissipata con-

---

(1) Sic Man. Sch. 2. et e Cld. Regiis Le Clerc. ita ut non €. tantummodo sit Sch., quemadmodum opinabatur Beier *Offic.* T. 2. p. 307. Necessario autem h. l. requiritur *ut* propter seqq. *ut in Thuc.* — *Sed - - - modo sic, ut quis* e Cdd. Grut. Ern. 1. — *Sed - - ea sane modo si quis* Nor. Iu. Crat. Camer. — *Sed si quem magis delectant soluta, sequatur ea sane, modo sic, ut si quis* Cdd. aliq. ap. Grut. Gu. C. Sch. in Ed. mai. Beier l. l. Gu. duobus et Heusingero tribuit probatque: *Sed si quem magis delectant sol., sequatur ea sane: modo, sicut quis.* Singularem tamen numerum praetulerunt librarii in prioribus illis propter haec *si quis - - dissolverit* non videntes, praecessisse *Ita facti sunt repente Attici*, ac mox sequi *Isti autem* cet. — *Sed si quos m. del. s. sequantur ea sane, modo cetera laudare possim: ut si quis* L. (2) — *universae* e Cld. Le Clerc. (3) Sic Cdd. plerique. Iu. Crat. L. Ern. 1. 2. — *simile* Cdd. aliq. Nor. M. Grut. — bis del. *est* Sch. €. 2. (4) Quam maxime potest, Tullius mitigat voc. paene rusticanum. Sine causa igitur haec *ut ita dicam* Ern. [ ]. del. Sch. €. 2. (5) Sic Edd. vett. Iu. Crat. L. Ern. 1. 2. — *formidavisse* M. Grut. (6) Sic Manutius, et rursus e Cdd. Regiis Le Clerc. Sensus est: „aut ipsi scribant, id quod propter ingenii tarditatem non poterunt: aut, quo illos rubore perfundam, ipse statim reperiam aliquem, memet ipsum videlicet, eadem conditione Isocrateo more scribendi qui uti velit, ut aut dicat, aut scribat — utrum Graece an Latine in provocantium optione esto — eo genere vere Attico, quo illi volunt, nec tamen possunt. Neque vero illud ullam mihi creabit molestiam; etenim apta dissolvere, Isocrateo tamen more, multo mihi facilius erit, quam, uti soleo, artificiosis numeris uti. Ita demonstratum erit istis, et quid tandem sit Attice dicere, et ipsos arte atque ingenio carere. Similis fere sententia est vulgatae (Nor. Iu. Crat. L.): *aut reperiam, ipsa eadem - - voles* — nisi quod minus enitet oppositio. Attamen difficilis inter utramque est optio. — *aut reperiant* (hoc e Cld. Camerar. Gryph.), *ipsa eadem conditione - - - scribat, utra volet* (e €.) *lingua* Ern. 1. Sch. 2. Sed hac in lectione primum pro *illi volunt* dicendum fuisset *ipsi volunt*, deinde v. *ut* (v. Schuetz.) distrahitur a verbis, *eadem cond. qui uti velit*, quibuscum artissime est connexum; denique ut vel maxime isti Ciceronis adversarii eiusmodi scriptorem reperissent, quid tum? Nonne hic ipse eos condemnasset potius, quam excusasset? Hoc dico adversus Schuetzii interpretationem. Verus enim sensus lectionis, quam praefert, hic esset: ipsi non poterunt scribere vere Attice, nec alium quemquam (cfr. *ad Herenn.* 2, C. 7.) reperire, cet.

nectere. 236. Res autem se sic habet, (ut brevissime dicam quod sentio,) composite, et apte, sine sententiis dicere, insania est: sententiose autem sine verborum et ordine et modo, infantia: sed eiusmodi tamen infantia, ut ea qui utantur, non stulti homines haberi possint, etiam plerumque prudentes: quo qui est contentus, utatur. Eloquens vero, qui non approbationes solum, sed admirationes, clamores, plausus, si liceat, movere debet, omnibus oportet ita rebus excellat, ut ei turpe sit, quidquam aut spectari, aut audiri libentius.

237. Habes meum de oratore, Brute, iudicium: quod aut sequere, si probaveris; aut tuo stabis, si aliud quoddam est tuum. In quo neque pugnabo tecum, neque hoc meum, de quo tanto opere hoc libro asseveravi, unquam affirmabo esse verius, quam tuum. Potest enim non solum aliud mihi, ac tibi, sed mihimet ipsi[1] aliud alias videri: nec in hac modo re, quae ad vulgi assensum spectat, et ad aurium voluptatem: quae duo sunt ad iudicandum novissima[2]: sed ne in maximis quidem rebus quidquam adhuc inveni firmius, quod tenerem, aut quo iudicium meum dirigerem, quam id[3], quodcunque mihi quam simillimum veri videretur, quum ipsum illud[4] verum in occulto lateret. 238. Tu autem velim, si tibi ea, quae disputata sunt, minus probabuntur, ut aut maius opus institutum putes, quam effici potuerit, aut, dum tibi roganti voluerim obsequi, verecundia negandi, scribendi me impudentiam[5] suscepisse.

---

(1) Sic Vet. Steph. Gu. C. Sch. 2. — *mihi ipsi* Ceteri. (2) Sic Cdd. ali. Edd. vett. (— *notissima* Olx.) Ern. 1. 2. ∞ *levissima* Cdd. aliq. Iu. Crat. M. L. Grut. v. Ern. quamquam *novissima* duri aliquid habet. (3) ∞ *illud* Nor. Iu. Crat. L. (*id* habet Man. Grut. 1. 2. Est fortasse e correctione.) (4) = *illud ipsum* L. ut solebat. (5) — *imprudentiam* Vet. Steph. Olx. prob. Mureto, nec improbante Lallem. propter initium huius libri. Non tamen respondet voc. *verecundia*.

M. TULLII CICERONIS
AD
C. TREBATIUM,
TOPICA.

(Ex recensione potissimum Ernestiana passim correcta, cum integra varietate Lambiniana (L.), Ernestiana (Ern. 1.), et Schuetziana (Sch. 2.), selecta vero Boëthii ex Editione Veneta MDIII. (BV.) quod ad Ciceronis verba attinet; tum Norimbergensis MCDXCVII. (N.), Iuntinae, (Iu.), ac Manutianae Editionis (M. s. Man.); Codicum denique Oxoniensium, Lallemandi et Schuetzianae Ed. maioris ratione habita. Excerpsi autem e Boëthii Commentario (BC.) omnia, quae tum Criticorum, tum ICtorum interesse censebam, excepto longiore Gaii loco nunc notissimo).

I. 1. Maiores nos res scribere ingressos[1], C. Trebati, et iis libris, quos brevi tempore satis multos edidimus, digniores, e cursu ipso revocavit voluntas tua. Quum enim mecum in Tusculano esses, et in bibliotheca separatim uterque nostrûm ad suum studium libellos, quos vellet, evolveret, incidisti in Aristotelis Topica quaedam, quae sunt ab illo pluribus libris explicata[2]. Qua inscriptione commotus, continuo a me eorum librorum sententiam requisisti. 2. Quam tibi quum exposuissem, disciplinam inveniendorum argumentorum, ut sine ullo errore ad eam rationem via[3] perveniremus ab Aristotele inventa, libris illis contineri: verecunde tu quidem, ut omnia, sed tamen facile ut[4] cernerem te ardere studio, mecum, ut tibi illa[5] traderem, egisti. Quum autem ego te, non tam vitandi laboris mei[6] causa, quam quod id[7] tua interesse arbitrarer, vel ut eos per te ipse legeres, vel ut totam rationem a doctissimo quodam rhetore acciperes, hortatus essem: utrumque, ut ex te[8] audiebam, es expertus. 3. Sed a libris te[9] obscuritas reiecit. Rhetor autem ille magnus, [haec[10].] ut opinor, Ari-

(1) — *aggressos* Olx. (2) = *explicata libris* BV. (3) — *ratione et via* L. „ut sine ullo errore ad argumentorum inventionem via quadam et recto filo atque artificio veniretur." BC. Sed mox: „ut - - ad ea mens, non casu, sed quadam via et ratione perveniat." Sic Ed. Bas. 1570. sed Ven. *quadam viae ductione.* (4) Sic BV. L. = *ut facile* Ceteri. (5) Sic etiam BC. „ut ei Topica traderet." — *illam* ex Ed. Ven. 1485. N. Ern. 1. 2. (6) — om. *mei* BV. (7) — om. *id* Iu. M. — *quia tua id* BV. L. (8) — *a te* Iu. M. (9) = *te a libris* L. (10) ∞ om. *haec* Ven. N. Iu. M. L. Ego { }. ∞ *magnus, ut opinor haec Ar.* Victor. Sch. 2. „illa seso Aristotelica ignorare confessum." BC.

stotelica se ignorare respondit. Quod quidem minime sum admiratus, cum philosophum rhetori non esse cognitum, qui ab ipsis philosophis, praeter admodum paucos, ignoretur[1]. Quibus eo minus ignoscendum est, quod non modo rebus iis, quae ab illo dictae et inventae sunt, allici debuerunt, sed dicendi quoque incredibili quadam quum copia, tum etiam[2] suavitate. 4. Non potui igitur tibi, saepius hoc roganti, et[3] tamen verenti, ne mihi gravis esses, (facile enim id cernebam,) debere[4] diutius, ne ipsi iuris interpreti fieri videretur iniuria. Etenim quum tu mihi meisque multa saepe scripsisses[5], veritus sum, ne, si ego[6] gravarer, aut ingratum id, aut superbum videretur. Sed, dum fuimus una, tu optimus es testis, quam fuerim occupatus: 5. ut autem a te discessi, in Graeciam proficiscens, quum opera mea nec res publica nec amici uterentur, nec honeste inter arma versari possem, ne si tuto id quidem[7] mihi liceret: ut veni Veliam, tuaque et tuos vidi, admonitus huius aeris alieni, nolui deesse ne tacitae quidem flagitationi tuae. Itaque haec, quum mecum libros non haberem, memoria repetita, in ipsa navigatione conscripsi, tibique ex itinere misi: ut mea diligentia mandatorum tuorum, te quoque, etsi admonitore non eges, ad memoriam nostrarum rerum excitarem. Sed iam tempus est ad id, quod instituimus, accedere.

II. 6. Quum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes, unam inveniendi, alteram iudicandi: utriusque princeps, ut mihi quidem videtur, Aristoteles fuit. Stoici autem in altera elaboraverunt. Iudicandi enim vias diligenter persecuti sunt, ea scientia, quam *διαλεκτικὴν*[8] appellant. Inveniendi vero artem, quae *τοπικὴ* dicitur, quaeque ad usum potior erat, et ordine naturae certe prior, totam reliquerunt. 7. Nos autem, quoniam in utraque summa utilitas est, et utramque, si erit otium, persequi cogitamus, ab ea, quae prior est, ordiemur. Ut igitur earum rerum, quae absconditae sunt, demonstrato et notato loco, facilis inventio est: sic, quum pervestigare argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus: sic enim appellatae ab Aristotele[9] sunt hae[10] quasi sedes, e quibus argumenta promuntur. 8. Itaque licet definire, locum esse argumenti sedem: argumentum autem, rationem, quae rei dubiae faciat fidem. Sed ex his[11] locis, in quibus argumenta inclusa sunt, alii in eo ipso, de quo agitur, haerent: alii assumuntur extrinsecus. In ipso, tum ex toto, tum ex par-

---

(1) Sic omnes praeter Ern. C. 1. et O1x. qui habent: *ignoraretur* v. Wetzel. (2) — om. *etiam* BV. (3) — om. *et* L. (4) — *negare* BV. = *diutius deb.* L. (5) Sic Cdd. aliq. (O2x.) Victor. L. 1. 2. ∞ *cavisses* Plerique. (O2x.) N. Iu. M. BV. sicque omnino legit BC.: „quod vel ipsi, vel iis, quos ipse defenderit, plura cavisset." Sane in utramque partem disputari potest; nam etsi *scripsisses*, ut docte dictum, defenditur ex *Epp. ad Div.* 7, 14. ad Trebat. *quod si scribere oblitus es, minus multi iam te advocato causa cadent* - eodem ipso tamen verbo grammaticus explicare poterat v. *cavisses* ICtorum significatu h. l. accipiendum. (6) — *eo* L. (7) ∞ *quidem id* BV. (8) Sic O2x. Man. Ern. 1. ∞ *eam scientiam, quam d.* Veu. N. BV. Iu. Ern. vero quum nescio quo errore ex iisd. Edd. (et O2x.) hanc lectionem ita laudasset *eam, quam d.* probassetque, Sch. 2. perperam locum ita refinxit: — *Iud. e. viam dil. p. sunt, eam, quam d.* ∞ *eamque scientiam dialecticam* L. Ego *διαλεκτικὴν* et *τοπικὴ* scripsi. (9) = *ab Ar. app.* BV. (10) — *eae* L. (11) f. *iis.*

tibus eius, tum ex nota[1], tum ex iis[2] rebus, quae quodam modo affectae sunt ad id, de quo quaeritur. Extrinsecus autem ea dicuntur[3], quae absunt, longeque disiuncta sunt. 9. Sed ad id totum, de quo disseritur, tum definitio adhibetur, quae quasi involutum evolvit id, de quo quaeritur; eius argumenti talis est formula: Ius civile est, aequitas constituta iis, qui eiusdem civitatis sunt, ad res suas obtinendas: eius autem aequitatis utilis [est[4]] cognitio: utilis est ergo iuris civilis scientia: 10. tum partium enumeratio, quae tractatur hoc modo: Si neque censu, neque vindicta, nec[5] testamento liber factus est, non est liber: neque est ulla[6] earum rerum: non est igitur liber: tum notatio, quum ex vi verbi argumentum aliquod elicitur, hoc modo: Quum lex[7] assiduo vindicem assiduum esse iubeat[8], locupletem iubet locupleti: locuples enim est assiduus, ut ait Aelius, appellatus ab asse[9] dando. III. 11. Ducuntur etiam argumenta ex iis rebus, quae quodam modo affectae sunt ad id, de quo quaeritur. 11. Sed hoc genus in plures partes distributum est. Nam alia coniugata appellamus, alia ex genere, alia ex forma[10], alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex adiunctis[11], alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectis, alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum. 12. Coniugata dicuntur, quae sunt ex verbis generis eiusdem. Eiusdem autem generis verba sunt, quae orta ab uno varie commutantur, ut sapiens, sapienter, sapientia. Haec verborum coniugatio συζυγία[12] dicitur, ex qua huiusmodi est argumentum: Si compascuus ager est, ius est compascere. 13. A genere sic ducitur[13]: Quoniam argentum omne mulieri legatum

---

(1) ∞ *notatione* L. ut §. 10. BC. constanter h. l. habet *nota*. (2) Sic Man. L. — *his* Ceteri. (3) ∞ *ducuntur* L. ut paullo ante *assumuntur*. Recte, puto. (4) ∞ *est* om. C1d. prob. Ern. transponit BV. quocirca nos [ ] (5) = *neque* BV. „Faciendi liberi tres sunt partes: una quidem, ut censu liber fiat; censebantur enim antiquitus soli cives Romani. Si quis ergo consentiente vel iubente domino, nomen detulisset in censum, civis Romanus fiebat, et servitutis vinculo solvebatur, atque hoc erat censu fieri liberum, per consensum domini nomen in censum deferre, et effici civem Romanum. Erat etiam pars altera adipiscendae libertatis, quae vindicta vocabatur. Vindicta vero est virgula quaedam, quam lictor manumittendi servi capiti imponens, eundem servum in libertatem vindicabat, dicens quaedam verba solennia, atque ideo illa virgula vindicta vocabatur. Illa etiam pars faciendi liberi est, si quis suprema voluntate in testamenti serie servum suum liberum scripserit." BC. (6) — *Atqui nulla est ear. r.* quasi e BC. Sch. in Ed. mai. (= *neque ulla est* BV.) (7) Sic, si fides collatori, O1x. L. Sch. 2. prob. Dirksen. — *lex Aelia Sentia* N. Man. Ern. 1. [ ] *Aelia Sentia*. — *Lex Aelia Sanctia* BV. BC. Iu. — *Lex Aelia* Noris. — *Lex Aelia Sextia* Iac. Gothofred. — *Lex apud Aelium Sextium* Cannegieter. — *quum ex Aelii sententia* Funccius. cet. v. Dirksen *XII Tafeln* p. 160. (8) ∞ *iubet* O2x. L. (9) Sic Cdd. aliq. prob. Lamb Lallem. Dirksen. Ern. 1. 2. — *aere* N. BV. Iu. Man. L. „Vindex est, qui alterius causam suscipit vindicandam, quos nunc procuratores vocamus. — Quid est assiduus aliud, nisi assem dans? assem vero dare nisi locuples non potest, assiduus igitur locuples est. Quum igitur lex Aelia Sanctia assiduo vindicem assiduum esse constituat, locupletem iubet locupleti; assiduus quippe est locuples, a dando aere nominatus." BC. (10) Sic BV. BC. Iu. L. Sch. 2. — *formula* Victor. Man. Ern. 1. (11) — *coniunctis* BV. BC. Haec *alia ex diff.* - - - *adiunctis* exciderunt ex Ern. 1. Bipont. errore typogr. (12) — συστοιχία Victorii susp. (13) — *ducitur argumentum* BV. gloss.

est, non potest ea[1] pecunia, quae numerata domi relicta est, non esse legata; forma enim a genere, quoad suum nomen retinet, nunquam seiungitur: numerata autem pecunia nomen argenti retinet: legata igitur videtur. 14. A forma generis, quam interdum, quo planius accipiatur[2], partem licet nominare, hoc modo: Si ita Fabiae pecunia legata est a viro, si ei viro materfamilias[3] esset; si ea in manum[4] non convenerat, nihil debetur. Genus enim est[5], uxor: eius duae formae; una matrumfamilias, eae sunt[6], quae in manum convenerunt[7]; altera, earum, quae tantummodo uxores habentur. Qua in parte quum fuerit Fabia, legatum ei non videtur. 15. A similitudine, hoc modo: Si aedes eae[8] corruerunt, vitiumve fecerunt, quarum ususfructus legatus est, heres restituere non debet, nec reficere, non magis, quam servum restituere, si is, cuius ususfructus legatus est[9], deperisset. 16. A differentia: Non, si uxori vir legavit omne argentum[10], quod suum esset, ideirco, quae in nominibus fuerunt, legata sunt. Multum enim differt, in arcane positum sit argentum, an in tabulis debeatur[11]. 17. Ex[12] contrario autem, sic: Non debet ea mulier, cui vir bonorum suorum usumfructum legavit, cellis vinariis et oleariis plenis relictis, putare id ad se pertinere. Usus enim, non abusus[13], legatus est. Ea sunt inter se contraria. IV. 18. Ab adiunctis: Si ea mulier testamentum fecit, quae se capite nunquam deminuit, non videtur ex edicto praetoris secundum eas tabulas possessio dari.

([1]) ∞ *ei* O1x. Iu. ([2]) ∞ Haec *quo – acc.* om. L. ([3]) Sic Cdd. aliq. BV. Man. L. Grut. et firmare videtur Quintil. 5, 10, 62. *si quis, quum legatum sit ei, quae viro materfamilias esset, neget deberi ei, quae in manum non convenerit*, ac formularum sermonem magis refert. ∞ *si ei uxor materf.* O1x. Sch. 2. ∞ *si ea uxor materf.* Cdd. aliq. Ven. N. Iu. Ern. 1. ([4]) Sic Quintil. Cdd. aliq. BV. Man. Ern. 1. 2. ∞ *in manum viri* Iu. L. ([5]) = *genus est enim* Sch. in Ed. mai. ([6]) Sic L. = *hae sunt* O2x. Mss. Voss. apud Oudendorp. *Appul.* T. 1. p. 508. (qui tamen utrumque *hae sunt* et *earum* pro gloss. habebat.) BV. Iu. Dicitur, ut *id est, id erat.* — *earum* O1x. Man. Ern. 1. 2. ([7]) = *convenere* BV. „Uxoris species sunt duae: una matrumfamilias; altera usu; sed communi generis nomine uxores vocantur. — — Materfamilias vero non esse poterat, nisi quae convenisset in manum. Haec autem certa erat species nuptiarum. Tribus enim modis uxor habebatur: usu: farre: (Sic Ven. — ferreatione (sic) *Bas.* 1570.) coëmptione: sed confarreatio solis pontificibus conveniebat. Quae autem in manus per coëmptionem convenerant, hae matresfamilias vocabantur. Quae vero usu vel farre: (farreatione *Bas.*) minime. Coëmptio vero certis solemnitatibus peragebatur; et sese in coëmendo invicem interrogabant, vir ita: an sibi mulier materfamilias esse vellet? Illa respondebat, velle. Item mulier interrogabat, an vir sibi paterfamilias esse vellet. Ille respondebat, velle. Itaque mulier viri conveniebat in manum, et vocabantur hae nuptiae per coëmptionem; et erat mulier materfamilias viro loco filiae. Quam solemnitatem in suis institutis Ulpianus exponit. Quidam igitur extremo iudicio omne Fabiae uxori legavit argentum: si quidem Fabia ei non uxor tantum, verum etiam certa species uxoris, id est, materfamilias esset; quaeritur an uxori Fabiae legatum sit argentum." BC. Cfr. Hotomannum *Obss.* 1. 24. op. Sch. in Ed. mai. qui tamen lectionem a nobis denuo reiectam secutus est: *si ea uxor materfamilias esset.* ([8]) ∞ *exesae* BV. Iu. ([9]) ∞ *esset* O1x. BV. Idem mox *fuerint.* ([10]) = *arg. omne* BV. ([11]) — *patcat* L. — *debeatur* gloss. videbatur Hotomanno. Habet BC. ([12]) = *A* O1x. BV. ([13]) „Utimur iis, quae nobis utentibus permanent; iis vero abutimur, quae nobis utentibus pereunt." BC.

Adiungitur enim, ut secundum servorum, secundum exulum, secundum pupillorum tabulas possessio videatur ex edicto dari[1]. 19. Ab antecedentibus autem, et consequentibus, et repugnantibus, hoc modo: ab antecedentibus: Si viri culpa factum est[2] divortium, etsi mulier nuntium remisit, tamen pro liberis manere nihil[3] oportet. 20. A consequentibus: Si mulier, quum fuisset nupta cum eo, quicum connubium[4] non esset, nuntium remisit; quoniam qui nati sunt, patrem non sequuntur, pro liberis manere nihil oportet. 21. A repugnantibus: Si paterfamilias uxori ancillarum usumfructum legavit a filio, neque a secundo herede legavit[5], mortuo filio mulier usumfructum non amittet. Quod enim semel testamento alicui datum est, id ab eo invito, cui datum est, auferri non potest. Repugnat[6] enim recte accipere, et invitum reddere. 22. Ab efficientibus causis, hoc modo: Omnibus est ius parietem directum ad parietem communem adiungere, vel solidum, vel fornicatum. At si quis in pariete communi demoliendo damni infecti promiserit[7], non debebit praestare, quod fornix vitii fecerit. Non enim eius vitio, qui demolitus est, damnum factum est, sed eius operis vitio, quod ita aedificatum est, ut suspendi non posset. 23. Ab effectis rebus, hoc modo: Quum mulier viro in manum convenit, omnia, quae mulieris fuerunt[8], viri fiunt dotis nomine. Ex comparatione autem omnia valent, quae sunt eiusmodi[9]: Quod in re maiore valet, valeat in minore[10]: ut, si in urbe fines non reguntur[11], nec[12] aqua in urbe arcetur. Item contra: Quod in minore valet, valeat in maiore. Licet idem exemplum convertere. Item: Quod in re pari

---

(1) „Capitis deminutio est prioris status permutatio. Id multis modis fieri solet, vel maxima, vel media, vel minima. Maxima est, quum et libertas et civitas amittitur, ut deportatio. Media vero, in qua civitas amittitur, et retinetur libertas, ut in Latinas colonias transmigratio. Minima, quum nec civitas, nec libertas amittitur, sed status prioris qualitatis immutatur (imminuitur Bas.) velut adoptatio, aut quibuslicet aliis modis prior status retenta civitate potuerit immutari. Mulieres vero antiquo iure tutela perpetua continebat. Recedebant vero a tutoris potestate, quae in manum viri convenissent, itaque fiebat eis prioris status permutatio, et erat capite deminuta, quae viri convenisset in manum. Quaedam igitur, quae se nunquam capite deminuisset, id est, quae in manum viri minime convenisset, sine tutoris auctoritate testamentum fecit. cet." BC. v. Savigny *Zeitschrift* T. 3. p. 309. seqq. (2) — *sit* O2x. BV. (3) — *nihil remanere* O1x. — *dotis* excidisse sine causa suspicatur Sch. „Civitatis Romanae iure liberi retinentur in patrum arbitrio, usque dum tertia emancipatione solvantur: ergo si quando divortium intercessisset culpa mulieris, parte quadam dotis pro liberorum numero mulctabatur. De qua re Paulus Institutionum libri secundi titulo, De dotibus, ita disseruit: Si divortium est matrimonii, et hoc sine culpa mulieris factum est, dos integra repetetur. Quod si culpa mulieris factum est divortium, in singulos liberos sexta pars dotis a marito retinetur, usque ad dimidiam partem dumtaxat dotis. Quare quoniam quod ex dote conquiritur, liberorum est, qui liberi in patris potestate sunt, id apud virum necesse est permanere." BC. (4) — *connubius* O1x. Hinc — *connubii ius* L. (5) — om. *legavit* BV. (6) — *repugnant* L. — *pugnat* Cdd. aliq. BV. (7) „Damni infecti promissio est, quoties quis promittit, si quod damnum eius opera contigerit, sua restitutione esse pensandum." BC. (8) — *fuerint* BV. (9) ∞ *huiusmodi* BV. (10) Sic etiam BC. ∞ *non valet, non valeat* O1x. ut volebat Hotomann. (11) ∞ *regantur* Cdd. aliq. BV. (12) — *neque* Iu. L. Grut.

valet, valeat in hac, quae par est: ut, Quoniam usus auctoritas[1] fundi biennium[2] est, sit etiam aedium. At in lege aedes non appellantur, et sunt ceterarum rerum omnium[3], quarum annuus est usus[4]. Valeat aequitas, quae paribus in causis paria iura desiderat. 24. Quae autem extrinsecus assumuntur[5], ea maxime ex auctoritate ducuntur. Itaque Graeci tales argumentationes, ἀτέχνους vocant, id est, artis expertes: ut, si ita respondeas: Quoniam P. Scaevola id solum esse ambitus aedium dixerit, quod[6], parietis communis tegendi causa, tectum proiiceretur, ex quo in tectum eius, aedes qui protexisset[7], aqua defluueret, id tibi ius videri.

---

(1) — *usu - auctoritas* L. — *auctoritas usus* BV. (*pro Cæcina* C. 19. *usum et auctoritatem.* Cdd. omnes Graevii.) (2) — *biennis* Hotomanni €. (3) Sic Ern. 1. e Ms. — *ceterarum omnium, quarum* N. Iu. Man. Grut. ∞ *ceterarum rerum, quarum* Lamb. Sch. 2. ∞ *ceterorum omnium, quorum* BV. (4) ∞ *annus* Marcilii et Rittershusii €. Alii ap. Lamb.: — *quorum annus est.* om. *usus.* Vide omnino Dirksen *XII Tafeln* p. 407. seqq. „Plurimarum rerum usucapio annua est; ut, si quis eis anno continuo fuerit usus, eas firma iuris auctoritate possideat, velut rem mobilem. Fundi vero usucapio biennii temporis spatio continetur; de aedibus in lege nihil adscriptum est. Quaeritur ergo, usus aedium unone anno, an biennio capiatur? Faciemus a partibus argumentationem, et quoniam immobilium aequa possessio est, aedes vero immobiles sunt, ut biennio fundus usucapitur, ita etiam oportet aedes usucapere biennio possidentem. — — Ita namque ait, ut, quoniam usus auctoritas fundi biennium est, 'sit etiam aedium. Hic igitur aedium usus auctoritate (sic BV. *Dirksen.* p. 415. auctoritatem *Bas.*) biennio fieri sentit, sed adiungit: At in lege aedes non appellantur, et sic sunt (et sunt *Bas.*) ceterorum omnium, quorum (ceterarum omnium, quarum *Bas.*) annuus est usus. Hic rursus aedes in iis videtur ponere, quae annuo usu capiuntur, et concludit nihil definiens nisi, valeat aequitas, quae paribus in causis paria iura desiderat. Sed videtur ita dictum, quoniam immobiles sunt aedes, ut fundus, biennio vero fundus usucapitur, aedes quoque biennio usucapientur; et sibi ipse rursus opponit: sed in lege XII Tabularum de aedibus nihil adscriptum est, et inter eas relictae sunt res taciturnitate legis, quarum est usus annuus. Nam quum de fundo praescriberet lex biennii usucapionem, tacuit aedes, et iis potius hac taciturnitate eas iunxit, quarum annuus est usus." BC. (5) = *ass. extr.* BV. (6) Sic Cdd. aliq. Man. Grut. Ern. 1. qui defendit. Sch. 2. ∞ *quantum* Olx. Boëthius in Comm. BV. Iu. Crat. — *quoad* ex Hotom. €. L. (7) Sic Iu. Crat. Man. Grut. Ern. 1. 2. ∞ *ex quo tecto, in eius aedes qui protex.* BV. L. (— *ex quo in eius aedes, tectum qui proiecisset* Ern. suspic. *tectum* h. l. del. censebat Hotomann. — *quoad p. c. tegendi c. t. p. ex quo ante eius aedes, qui proiecisset.* Sch. suspic.) „Solum ambitus aedium est, quantum soli aedium ambitus claudit. Scaevola igitur dixit, id esse ambitus aedium solum, quod tecti diffusione tegeretur. Manifestum est enim tecta latius fundi, nec parietibus adaequari, ut stillicidium longius cadat. Quae quum ita sint, quidam parietem communem tegere nitebatur. Quaeritur, an sit aliquod ius tegendi? Respondeas tu, inquit Cicero, Trebati, id ius esse tegendi parietis communis, ut in eius, qui tegat, aliud quodlibet tectum stillicidii aqua fundatur: alias non esse iuris, ut tegat quis parietem stillicidio in vicini tecta defluente. Haec enim stillicidii servitus nova, nisi consentiente vicino, nihil iuris habet. Sed si huic responso opponatur, ne sic quidem ut tegat esse iuris, quandoquidem aedium solum tantum est, quantum cuiusque parietes claudunt, qui vero tegit tectum longius mittit, tu, inquit, responsum tuum Scaevolae auctoritate firmabis, dicens Scaevolam respondisse, hoc esse solum ambitus aedium, quantum tectum proiiceretur, non quantum parietes ambirent. Ius est igitur proiicere tectum, qui intra ambitum adhuc suarum aedium tegit, sed ita ut in suum tectum aqua defluat, nec vicino nova noceat servitute." BC.

25. His igitur locis, qui sunt expositi, ad omne argumentum reperiendum[1], tamquam elementis quibusdam, significatio et demonstratio datur. Utrum igitur hactenus satis est? Tibi quidem, tam acuto, et tam occupato, puto. V. Sed, quoniam avidum hominem ad has disceudi epulas recepi, sic accipiam, ut reliquiarum sit potius aliquid, quam te hinc patiar non satiatum discedere. 26. Quando ergo[2] unusquisque eorum locorum, quos exposui, sua quaedam membra habet[3], ea quam subtilissime persequamur: et primum de ipsa definitione dicatur. Definitio est oratio, quae id, quod definitur, explicat, quid sit. Definitionum autem duo sunt genera prima[4]: unum earum rerum, quae sunt: alterum earum, quae intelliguntur. 27. Esse ea dico, quae cerni tangive[5] possunt, ut fundum, aedes, parietem, stillicidium, mancipium, pecudem, supellectilem, penus, cetera; quo ex genere quaedam interdum nobis definienda sunt. Non esse rursus ea dico, quae tangi demonstrarive non possunt, cerni tamen animo, atque intelligi possunt: ut, si usucapionem, si tutelam, si gentem, si agnationem definias: quarum rerum nullum subest quasi corpus: est tamen quaedam conformatio insignita[6] et impressa intelligentiae[7]: quam notionem voco. Ea saepe in argumentando[8] definitione explicanda sunt. 28. Atque etiam definitiones aliae sunt partitionum, aliae divisionum: partitionum, quum res ea, quae proposita est, quasi in membra discerpitur; ut, si quis ius civile dicat id esse, quod in legibus, senatusconsultis, rebus iudicatis, iurisperitorum auctoritate, edictis magistratuum, more, aequitate consistat: divisionum autem definitio formas omnes complectitur, quae sub eo genere sunt, quod definitur, hoc modo: Abalienatio est eius rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in iure cessio, inter quos ea iure civili fieri possunt. VI. Sunt et[9] alia genera definitionum: sed ad huius libri institutum illa nihil pertinent: tantum est dicendum, qui sit definitionis modus. 29. Sic igitur veteres praecipiunt: quum sumpseris ea, quae sint[10] ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, usque eo persequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit. Ut hoc, Hereditas est pecunia. Commune adhuc: multa enim genera sunt pecuniae. Adde quod sequitur: quae morte alicuius ad quempiam pervenit. Nondum est definitio: multis enim modis sine hereditate teneri mortuorum pecuniae possunt. Unum adde verbum, iure; iam a communitate[11] res disiuncta videbitur, ut sit explicata definitio sic: Hereditas est pecunia, quae morte alicuius ad quempiam pervenit iure.

([1]) H. l. *reperiendum* om. BV. et inserit *ad reperiendum* post v. *demonstratio.* ([2]) = *igitur* BV. ([3]) = *habet membra* BV. ([4]) — *prima* del. censet Sch. neque comparet in BC. Attamen opponi videntur haec *genera prima* s. primaria illis *aliis generibus definitionum* C. 6. initio. ([5]) — *tangique* O1x. BV. ([6]) — *insita* Sch. 2. E. prava. ([7]) Sic O1x. BV. L. „Idem Cicero in Timaeo Platonis ait: Quid est, quod semper sit, nec ullum habeat ortum, et quod gignatur, nec unquam sit? Quorum alterum intelligentia ratione comprehenditur, alterum affert opinioni sensus (opinionem sensui *Bas.*) rationis expers." BC. — *intelligentia* Cdd. aliq. Iu. Crat. Ern. 1. 2. — *in intelligentia* Victor. Man. ([8]) — *argumentandi* O1x. L. ([9]) ∞ *etiam* BV. ([10]) Sic Cdd. aliq. BV. BC. Ern. 1. ∞ *sunt* Iu. Crat. L. Grut. Sch. 2. ([11]) ∞ *communione* Nor. BV. In comm. Boëthius habet *communitate.*

Nondum est satis: adde, nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta; confectum est. Itemque, ut[1] illud, Gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt. Non est satis. Qui ab ingenuis oriundi sunt. Ne id quidem satis est. Quorum maiorum nemo servitutem servivit. Abest etiam nunc. Qui capite non sunt deminuti. Hoc fortasse satis est. Nihil enim video Scaevolam, pontificem, ad hanc definitionem addidisse. Atque haec ratio valet in utroque genere definitionum, sive id, quod est, sive id, quod intelligitur, definiendum est. 30. Partitionum autem[2] et divisionum genus quale esset, ostendimus, sed quid inter se differant, planius dicendum est. In partitione quasi membra sunt: ut corporis, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, et cetera: VII. in divisione, formae sunt, quas Graeci *ἰδέας*[3] vocant: nostri, si qui haec forte tractant, species appellant; non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Nolim enim, ne si Latine quidem dici possit, *specierum* et *speciebus* dicere; et saepe his casibus utendum est: at *formis*, et *formarum* velim. Quum autem utroque verbo idem significetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam. 31. Genus et formam definiunt hoc modo: Genus est notio ad plures differentias pertinens. Forma est notio, cuius differentia ad caput generis et quasi fontem referri potest. Notionem appello, quod[4] Graeci tum *ἔννοιαν*, tum *πρόληψιν* dicunt[5]. Ea est insita et ante percepta cuiusque formae cognitio[6], enodationis indigens. Formae igitur sunt[7] hae, in quas genus, sine ullius praetermissione, dividitur: ut si quis ius in legem, morem, aequitatem dividat. Formas qui putat idem esse, quod partes, confundit artem, et similitudine quadam conturbatus, non satis acute, quae sunt secernenda, distinguit. 32. Saepe etiam definiunt et oratores et poëtae per translationem verbi ex similitudine, cum quadam suavitate. Sed ego a vestris exemplis, nisi necessario, non recedam. Solebat igitur Aquilius, collega et familiaris meus, quum de litoribus ageretur, quae omnia publica esse vultis, quaerentibus iis, ad quos id pertinebat, quid esset litus, ita definire, qua fluctus eluderet[8]: hoc est, (quasi qui adolescentiam, florem

---

([1]) — om. *ut* BV. „Gentiles sunt, qui eodem nomine inter se sunt, ut Scipiones, Bruti, et ceteri. Quid? si servi sunt? num ulla gentilitas servorum esse potest? Minime. Adiiciendum igitur: qui ab ingenuis oriundi sunt. Quid? si libertinorum nepotes civium Romanorum eodem nomine nuncupentur? Num gentilitas ulla est? Ne id quidem; quoniam ab antiquitate ingenuorum gentilitas ducitur. Addatur igitur: quorum maiorum nemo servitutem servivit. Quid? si per adoptionem in alterius familiam transeat? Tunc etiamsi eius gentis, ad quam migravit, nomine nuncupetur, licet ab ingenuis et ab iis ortus parentibus sit, qui nunquam servitutem servierint, tamen quoniam in familia gentis suae non manet, ne in gentilitate quidem manere potest; addendum igitur est: neque capite sunt deminuti." BC. ([2]) — om. *autem* L. ([3]) — *εἰδη* volebat Sch. Alludit Iu. *εἰδωλίας*. ([4]) Sic Cdd. BC. ∞ *quam* Ern. C. 1. 2. ([5]) ∞ om. *dicunt* O1x. BV. ([6]) Sic Iu. Man. Ern. 1. ∞ *ex ante percepta cuiusque forma cognitio* Oxonn. aliq. BV. in textu et in comment. — *et ante percepta cuiusque formae cognitione* L. ∞ *et praecepta* (hoc e Mss. prob. Ern.) — *cuiusque rei* (hoc C.) *cognitio* Sch. 2. ([7]) ∞ *formae sunt igitur* BV. — om. *igitur* C1d. prob. Ern. Defendit Sch. ([8]) Sic BV. „Hoc eludere ab iis translatum est, qui agitatione aliqua causa lusus moventur" BC. Iu. Man. Ern. 1. 2. — *quo* O1x. ∞ *alluderet* Turneb. L. e Mss. probb. Colero in *Parergis* p. 358. Lallem. et Heindorf. *ad Nat. Deor.* p. 215. Vide Sch. in Ed. mai.

aetatis; senectutem, occasum vitae, velit definire:) translatione[1] utens discedebat a verbis propriis rerum ac suis. VIII. Quod ad definitiones attinet, hactenus: reliqua videamus.

33. Partitione autem[2] sic utendum est, nullam ut partem relinquas, ut si partiri velis tutelas[3], insciente facias, si ullam praetermittas. At si stipulationum aut iudiciorum formulas partiare, non est vitiosum, in re infinita praetermittere aliquid. Quod idem in divisione vitiosum est. Formarum enim certus est numerus, quae cuique genere subiiciantur: partium distributio saepe est infinitior, tamquam rivorum a fonte deductio. 34. Itaque in oratoriis artibus, quaestionis generis proposito, quot eius formae sint, subiungitur absolute. At quum de ornamentis verborum sententiarumque praecipitur, quae vocantur *σχήματα*; non fit idem. Res enim est[4] infinitior; ut ex hoc quoque intelligatur, quid[5] velimus inter partitionem et divisionem interesse. Quamquam enim vocabula prope idem valere videantur: tamen quia res differebant, nomina rerum distare voluerunt.

35. Multa etiam ex notatione sumuntur. Ea est autem, quum ex vi nominis argumentum elicitur: quam Graeci *ἐτυμολογίαν* vocant, id est, verbum ex verbo, veriloquium: nos autem novitatem verbi non satis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus, quia sunt verba rerum notae. Itaque hoc idem Aristoteles *σύμβολον* appellat, quod Latine est nota. Sed quum intelligitur, quid significetur, minus laborandum est de nomine. 36. Multa igitur in disputando notatione eliciuntur ex verbo: ut, quum quaeritur *postliminium* quid sit, non dico, quae sint postliminii: (nam id caderet in divisionem, quae talis est: postliminio redeunt haec, homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa, quae frena[6] recipere solet;) sed quum ipsius postliminii vis quaeritur, et verbum ipsum notatur. In quo Servius noster (ut opinor) nihil putat esse notandum, nisi *post*: et[7] *liminium* illud productionem esse verbi vult, ut in *finitimo*, *legitimo*, *aeditimo*, non plus inesse[8] *timum*, quam in *meditullio tullium*: 37. Scaevola autem, P. F. iunctum putat esse[9] verbum, ut sit in eo et[10] *post* et *limen*: ut, quae a nobis alienata sunt, quum ad hostem pervenerint, et ex suo tamquam limine exierint, dein[11] quum redierint post ad idem limen, postliminio videantur rediisse. Quo in genere etiam Mancini causa defendi potest, postliminio rediisse: deditum non esse, quoniam non sit receptus. Nam neque deditionem, neque donationem sine acceptione intelligi posse.

IX. 38. Sequitur is locus, qui constat ex iis rebus, quae quo-

---

(1) Sic Man. 1. 2. — *tr. enim utens* O3x. Iu. L. — *quasi qui - - - discedat* Wetzelii C. (2) ∞ om. *autem* O1x. BV. (3) „Tutela quatuor fere modis est; aut enim per consanguinitatis gradum est, aut patronatus iure defertur, aut testamento patris tutor eligitur, aut urbani Praetoris iurisdictione formatur." BC. (4) ∞ *Res est enim* BV. (5) Sic Cdd. aliq. BV. L. 1. 2. — *quod* Iu. Man. Grut. (6) = *frenos* O1x. BC. (7) — om. *et* L. (8) Sic Cdd. BV. Iu. — L. — *esse* Ern. C. 1. 2. Male. Sensus est: non plus, non magis inesse in istis verbis verbum aliquod *timum*, quam, cet. — neutiquam vero: non plus valere s. significare *timum*. (9) — *esse putavit* BV. (10) — om. *et* BV. (11) — *hinc* O1x. BV.

dam modo affectae sunt ad id, de quo ambigitur; quem modo dixi in plures partes distributum. Cuius primus est locus ex coniugatione, quam Graeci *συζυγίαν*[1] vocant, finitimus notationi, de qua modo dictum est: ut, si aquam pluviam eam modo intelligeremus, quam imbri collectam videremus; veniret Mucius, qui, quia coniugata verba essent pluvia et pluendo, diceret, omnem aquam oportere arceri, quae pluendo crevisset. 39. Quum autem a genere ducetur argumentum, non erit necesse id usque a capite arcessere. Saepe etiam citra licet, dummodo supra[2] sit, quod sumitur, quam id, ad quod sumitur: ut, aqua pluvia ultimo genere ea est, quae de caelo veniens crescit imbri: sed propiore loco, in quo quasi ius arcendi continetur, genus est, aqua pluvia nocens: eius generis formae[3], loci vitio, et manu nocens[4]: quarum altera iubetur ab arbitro coërceri; altera non iubetur. 40. Commode etiam tractatur haec argumentatio, quae ex genere[4] sumitur, quum ex toto persequare partes[5], hoc modo: Si dolus malus est, quum aliud agitur, aliud simulatur; enumerare licet, quibus id modis fiat: deinde in eorum aliquem id, quod arguas dolo malo factum, includere: quod genus argumenti in primis firmum videri solet.

X. 41. Similitudo sequitur; quae late patet, sed oratoribus et philosophis magis, quam vobis. Etsi enim omnes loci sunt omnium disputationum, ad argumenta suppeditanda, tamen aliis disputationibus abundantius occurrunt, aliis angustius. Itaque genera tibi nota sint: ubi autem his utare, quaestiones ipsae te admonebunt. 42. Sunt enim similitudines, quae ex pluribus collationibus perveniunt quo volunt, hoc modo: Si tutor fidem praestare debet, si socius, si, cui mandaris, si, qui fiduciam acceperit[6], debet etiam procurator. Haec ex pluribus perveniens quo vult, appellatur inductio: quae graece *ἐπαγωγὴ*[7] nominatur; qua plurimum est usus in sermonibus Socrates. 43. Alterum similitudinis genus collatione sumitur, quum una res uni, par pari comparatur, hoc modo: Quemadmodum, si in urbe de finibus controversia est, quia fines magis agrorum videntur esse, quam urbis, finibus regundis adigere[8] arbitrum non possis: sic, si aqua pluvia in urbe noceat, quoniam res tota magis agrorum est, aquae pluviae arcendae adigere non possis arbitrum[9]. 44. Ex eodem similitudinis loco etiam

(1) — *συστοιχίαν* rursus volebat Victor. h. l. prob. Ern. (2) ∞ *superius* Cd. aliq. BV. Sch. 2. *citra* tamen potius *supra* requirit. (3) „Aqua pluvia manu nocens est, quae in loco aliquo excipitur, ut inde profluens vicino noceat, si locus is non sit naturaliter talis, sed manu hominis excipiendae aquae fuerit apparatus." BC. (4) ∞ *forma* Cd. Viteb. prob. Wetzel. (5) — *partes persequere* (sic) BV. (6) „Fiduciam accepit, cuicunque res aliqua mancipatur, ut eam mancipanti remancipet: velut si quis tempus dubium timens amico potentiori fundum mancipet, ut ei, quum tempus, quod suspectum est, praeterierit, reddat." BC. (7) Sic L. C. Boëth. Ed. Bas. Ern. 1. 2. — *παραγωγὴ* Ceteri. (— *quam Graeci paragogen nominant* BV.) (8) — *adiicere* O3x. Iu. (9) ∞ *arbitrum non possis* BV. „Regendorum finium arbitri esse dicuntur, qui finalia litigia discernunt, ut, si fuerit de finibus orta contentio, eorum dirimatur arbitrio. Sed fines in agrorum tantum limitibus esse dicuntur: arbitri autem finium regendorum in civitate esse non possunt. Item arceri aquam in agris tantum dici solet, ubi si ex aliquo loco aqua pluvia colligatur, et defluens in campos vicini pascua frugesve corrumpat, arbitri arcendae aquae a magistratibus statuebantur." BC.

exempla sumuntur, ut Crassus in Curiana causa exemplis plurimis usus est, agens de eo, qui testamento sic heredem [1] instituisset, ut, si filius natus esset in decem mensibus, isque mortuus [2] prius, quam in suam tutelam venisset; secundus heres hereditatem obtineret [3]. Quae commemoratio exemplorum valuit; eaque vos in respondendo u i multum soletis. 45. Ficta etiam exempla similitudinis habent vim: sed ea oratoria magis sunt, quam vestra: quamquam uti [4] etiam vos soletis, sed hoc modo: Finge mancipio aliquem dedisse id, quod mancipio dari non potest. Num ideireo id eius factum est, qui accepit? aut num is, qui mancipio dedit, ob eam rem se ulla re obligavit? In hoc genere oratoribus et philosophis [5] concessum est, ut muta etiam loquantur, ut mortui ab inferis excitentur, aut aliquid, quod fieri nullo modo possit, augendae rei gratia, dicatur, aut minuendae, quae ὑπερβολὴ dicitur [6], et multa mirabilia alia [7]. Sed latior est campus illorum. Eisdem tamen ex locis (ut ante dixi) et in maximis, et in minimis quaestionibus argumenta ducuntur.

XI. 46. Sequitur similitudinem differentia rei [8], maxime contraria superiori: sed est eiusdem [9], dissimile et simile invenire. Eius generis haec sunt: Non, quemadmodum quod mulieri debeas, recte ipsi mulieri, sine tutore auctore [10], solvas: ita quod pupillo, aut pupillae [11] debeas, recte possis eodem modo solvere. 47. Deinceps locus est, qui a contrario dicitur [12]. Contrariorum autem genera sunt plura: unum eorum, quae in eodem genere plurimum differunt, ut sapientia, [et] [13] stultitia. Eodem autem genere dicuntur, quibus propositis occurrunt, tamquam e regione, quaedam [14] contraria, ut celeritati tarditas, non debilitas [15]. Ex quibus contrariis [16] argumenta talia exsistunt: Si stultitiam fugimus, sapientiam sequamur: et bonitatem, si malitiam. Haec, quae ex eodem genere contraria sunt, appellantur adversa [17]. 48. Sunt enim [18] alia contraria, quae privantia licet appellemus Latine, Graeci appellant [19] στερητικά. Praepositio enim IN privat [20] verbum ea vi, quam haberet, si IN praepositum non fuisset, ut *dignitas*, *indignitas*, *humanitas*, *inhumanitas*, et cetera generis eiusdem:

([1]) — *heredem* sine causa suspectum Sch. ([2]) — *mortuus esset* L. ([3]) Sic Man. L. Ern. 1. 2. ∞ *obtinuisset* Pleriq. BV. Iu. BC. primo *succederet*, deinde *obtinuisset*. ([4]) — *uti eis* BV. ([5]) — *et poëtis* Cdd. ap. Lamb. qui probavit, non tamen recepit. — Sch. 2. [] *et philosophis*, neque haec verba tangit BC. sed vide §. 65. et 66. ([6]) — *quod - - - Graece dicitur* Cdd. aliq. unde *ὑπερβολὴ* scripsi — *hyperbole*. Ceteri. ([7]) Haec *et m. m. alia* Sch. 2. sine causa [ ]. ([8]) — *res* BV. ([9]) — *eiusdem facultatis* Cdd. aliq. BV. ex BC. ([10]) — Alterutrum, vel *tutore*, vel *auctore* e gloss. videbatur Ern. Sine causa. „Mulieres antiquitus perpetua tutela tenebantur; pupilli item sub tutoribus agunt; sed mulieribus si quid debitum fuisset, sine tutoris auctoritate poterat solvi, pupillis vero minime." BC. ([11]) Sic Cd. Viteberg. BV. Wetzel. Sch. 2. — *quod aut pupillae*, *aut pupillo* Iu. Man. L. Ern. 1. Nisi forte Cicero ipse h. l. primo loco posuit *pupillae*, quia in antecedd. de muliere sermo est. Prius tamen *aut* sane delendum etiam cum O1x. ([12]) Sic BV. Edd. vett. Iu. Ern. 1. 2. — *ducitur* Man. L. Grut. ([13]) ∞ *et* om. BV. BC. L. Recte; nos [ ]. ([14]) — *e regione quadam* BV. Iu. ([15]) Haec *non deb.* sine causa suspecta Ern. ([16]) — *contrariis* Ern. [ ]. Del. Sch. C. 2. Defendit Wetzel. ([17]) Sic utrobique BV. BC. Iu. Man. L. 1. 2. — *diversa* O3x. Grut. ([18]) ∞ om. *enim* BV. (*etiam* volebat Ern.) ([19]) Sic e Cdd. Edd. vett. Ern. 1. 2. = *Graece appellantur* BV. Iu. M. L. Grut. ([20]) — *praepositione - - privatur* O1x. BV.

quorum tractatio est eadem, quae superiorum, quae adversa dixi. 49. Nam alia quoque sunt contrariorum genera, velut ea, quae cum aliquo conferuntur: ut duplum, simplum: multa, pauca: longum, breve: maius, minus. Sunt etiam illa[1] valde contraria, quae appellantur negantia. Ea ἀποφατικὰ Graeci[2], contraria aientibus[3]: ut: Si hoc est, illud non est. Quid enim opus exemplo est? tantum intelligatur, argumento quaerendo, contrariis omnibus contraria non convenire.

50. Ab adiunctis autem posui equidem exemplum paullo ante, multa [scilicet[4]] adiungi, quae suscipienda essent, si statuissemus, ex edicto[5] secundum eas tabulas possessionem dari, quas is instituisset, cui testamenti factio nulla esset. Sed locus hic[6] magis ad coniecturales causas, quae versantur in iudiciis, valet; quum quaeritur, quid aut sit, aut evenerit, aut futurum sit, aut, quid omnino fieri possit. XII. 51. At loci quidem ipsius forma talis est. Admonet autem hic locus, ut quaeratur, quid ante rem, quid cum re, quid post rem evenerit. Nihil hoc ad nos[7]; ad Ciceronem, inquibat Gallus noster, si quis ad eum tale quid retulerat, ut de facto quaereretur. Tu tamen patiere, nullum a me artis institutae locum praeteriri; ne, si nihil, nisi quod ad te pertineat, scribendum putaris, nimium te amare videare[8]. Est igitur magna ex parte locus hic oratorius, non[9] modo non iurisconsultorum, sed ne philosophorum quidem. 52. Ante rem enim quaeruntur, quae talia sunt, apparatus, colloquia, locus, constitutum, convivium[10]. Cum re autem: pedum crepitus, strepitus hominum, corporum umbrae, et si quid eiusmodi[11]. At post rem, rubor, pallor, titubatio, et si qua alia signa conturbationis et conscientiae, praeterea restinctus ignis, gladius cruentus, ceteraque, quae suspicionem facti possunt movere.

53. Deinceps est locus dialecticorum proprius ex consequentibus, et antecedentibus, et repugnantibus, qui etiam ab adiunctis longe diversus est. Nam adiuncta[12], de quibus paullo ante dictum est, non semper eveniunt: consequentia autem semper. Ea enim dico consequentia, quae rem necessario consequuntur: itemque et antecedentia et repugnantia. Quidquid enim antecedit[13] quamque rem, id cohaeret cum re necessario: et quidquid repugnat, id eiusmodi est, ut cohaerere nunquam possit. XIII. Quum tripartito igitur distribuatur locus hic, in consecutionem, antecessionem, repugnantiam, reperiendi argumenti locus simplex est[14], tractandi triplex. Nam quid interest, quum hoc sumpseris, pecuniam numeratam mulieri deberi, cui sit omne argentum[15] legatum, utrum hoc modo concludas argumentum: Si pecunia signata, argentum est, legata est mulieri. Est autem pecunia signata argentum. Legata igitur; an illo modo: Si numerata pecunia,

---

(1) ∞ *alia* O1x. BV. ∞ *sunt etiam valde contraria alia* Iu. Man. L. (2) — *Graece* Ven. Nor. al. (— *Graeci vocant* BC.) (3) Suspecta haec Wetzelio. (4) ∞ om. *scilicet* O3x. BV. Nos [ ]. (5) — *ex edicto praetoris* O1x. L. (6) ∞ *is* BV. (7) Sic BC. Sch. 2. — *ius* Ceteri, etiam BV. — *inquiebat* C1d. (8) — *videar* BV. (9) — *nec* L. (10) — BC. iungit *constitutum convivium* Male. (11) — *eiusmodi est* BV. (12) — *coniuncta* O2x. BV. (13) — *sequitur* O3x. (14) = *est simplex* BV. (15) = *arg. omne* BV.

non est legata; non est numerata pecunia argentum. Est autem[1] numerata pecunia argentum. Legata igitur est; an illo modo: Non et legatum argentum est, et non est legata numerata pecunia. Legatum autem argentum est. Legata igitur numerata pecunia est —? 54. Appellant autem dialectici eam conclusionem argumenti, in qua, quum primum sumpseris[2], consequitur id, quod annexum est, primum conclusionis modum: quum id, quod annexum est, negaris[3], ut id quoque, cui fuerit annexum, negandum[4] sit, secundus appellatur concludendi modus: quum autem aliqua coniuncta negaris[5], et his alia negatio rursus adiungitur[6], et ex his primum[7] sumpseris, ut, quod relinquitur, tollendum sit: is tertius appellatur conclusionis modus. 55. Ex hoc illa rhetorum sunt[8] ex contrariis conclusa, quae ipsi enthymemata appellant: non quod non omnis sententia proprio nomine enthymema dicatur[9]: sed, ut Homerus propter excellentiam commune poëtarum nomen efficit[10] apud Graecos suum; sic, quum omnis sententia enthymema dicatur, quia videtur ea, quae ex contrariis conficiatur, acutissima, sola proprie nomen commune possedit[11]. Eius generis haec sunt: *Hunc*[12] *metuere, alterum in metu non ponere. — Eam, quam nihil accusas, damnas: bene quam meritam esse autumas, dicis male mereri. — Id, quod scis, prodest nihil: id, quod nescis, obest.* — XIV. 56. Hoc disserendi genus attingit omnino vestras[13] quoque in respondendo disputationes: sed philosophorum magis[14], quibus est cum oratoribus illa ex repugnantibus[15] sententiis communis conclusio, quae a dialecticis tertius modus, a rhetoribus enthymema nuncupatur. Reliqui dialecticorum modi plures sunt, qui ex disiunctionibus constant: Aut hoc, aut illud: hoc autem: non igitur illud. Itemque, Aut hoc, aut illud: non autem[16] hoc: illud igitur. Quae conclusiones idcirco ratae sunt, quod in disiunctione plus uno verum esse non potest. 57. Atque ex iis conclusionibus, quas supra scripsi, prior, quartus; posterior, quintus a dialecticis modus appellatur. Deinde addunt coniunctionum negantiam, sic: Non et hoc est[17], et illud: hoc autem[18]: non igitur illud. Hic modus est sextus. Septimus autem: Non et hoc, et illud: non autem hoc: illud igitur. Ex his modis conclusiones innumerabiles nascuntur, in quo[19] est fere tota dialectica. Sed ne eae[20] quidem, quas exposui, ad hanc institutionem sunt[21] necessariae.

58. Proximus est locus rerum efficientium, quae causae appellantur: deinde rerum effectarum ab efficientibus causis. Harum exempla,

---

(1) — om. *autem* L. (2) Sic Nor. Iu. L. Sch. 2. — *assumpseris* BV. BC. Man. Ern. 1. (3) — *everteris* L. (4) — *tollendum* L. Sed Boëthius quoque firmat lect. receptam. (5) = *negaveris* L. (6) Haec *et* - - *adiungitur* (— *adiungatur* L.) del. Sch. C. 2. (7) pro v. *primum* — *unum aut plura* O2x. — *unum an plura* BV. (8) — om. *sunt* BV. (9) — *non quod omnis* - - - *enth. non dic.* BV. (10) — *effecit* Sch. C. in Ed. mai. (11) Sic verissime O3x. BV. — *possidet* Edd. omnes. (12) ∞ *hoc* Cd. Vit. et alter ap. Lamb. prob. Lamb. et Wetz. Male his interrog. signa appinxit Ern. cfr. *Orat.* C. 49. (13) — *nostras* Nor. (14) — *magis est* O1x. (15) ∞ *pugnantibus* Nor. Sch. 2. sed vide §. 72. (16) — *non est autem* L. (17) ∞ om. *est* L. (18) — *autem est* O1x. BV. (19) ∞ *in quibus* O1x. BV. „Atque in his, inquit, omnis fere est dialectica." BC. (20) — *hae* O2x. BV. (21) ∞ om. *sunt* BV. Iu. Man.

ut reliquorum locorum, paullo ante posui, et quidem ex iure civili: sed haec patent latius. XV. Causarum igitur[1] genera duo sunt: unum quod vi sua id, quod sub ea subiectum est, certo[2] efficit, ut, ignis accendit: alterum, quod naturam efficiendi non habet[3], sed sine quo effici non possit: ut, si quis aes causam statuae velit dicere, quod sine eo non possit effici. 59. Huius generis causarum, sine quo non efficitur, alia sunt quieta, nihil agentia, stolida quodammodo; ut locus, tempus, materiae[4], ferramenta, et cetera generis eiusdem; alia autem praecursionem quandam adhibent ad efficiendum, et quaedam afferunt per se adiuvantia[5], etsi non necessaria, ut, amori congressio causam attulerit, amor flagitio. Ex hoc genere causarum, ex aeternitate pendentium, fatum a Stoicis nectitur. Atque ut earum causarum, sine quibus effici non potest, genera divisi; sic etiam efficientium dividi possunt. Sunt enim aliae causae, quae plane efficiant, nulla re adiuvante: aliae, quae adiuvari velint: ut, sapientia efficit sapientes sola per se: beatos efficiat, necne, sola per se, quaestio est. 60. Quare quum in disputationem inciderit causa efficiens aliquid necessario, sine dubitatione licebit, quod efficitur ab ea causa, concludere. XVI. Quum autem erit talis causa[6], ut in ea non sit efficiendi necessitas; necessaria conclusio non sequitur. Atque illud quidem genus causarum, quod habet vim efficiendi necessariam, errorem afferre non fere solet: hoc autem, sine quo non efficitur, saepe conturbat. Non enim, si sine parentibus filii esse non possunt, propterea causa fuit in parentibus gignendi necessaria. 61. Hoc igitur, sine quo non fit, ab eo, a quo[7] certo[8] fit, diligenter est separandum. Illud enim est tamquam,

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Caesa accidisset[9] *abiegna ad terram trabes!*

Nisi enim cecidissent abiegnae[10] ad terram trabes, Argo illa facta non esset, nec tamen fuit in his[11] trabibus efficiendi vis necessaria. At quum in Aiacis navim *crispisulcans*[12] *igneum fulmen* iniectum est, inflammatur navis necessario. 62. Atque etiam est causarum dissimilitudo, quod aliae sunt[13], ut sine ulla appetitione animi, sine voluntate, sine opinione, suum quasi opus efficiant, velut, ut omne intereat, quod ortum est: aliae autem aut voluntate efficiunt[14], aut perturbatione animi, aut habitu, aut natura, aut arte, aut casu: voluntate, ut tu, quum hunc libellum legis: perturbatione, ut si quis eventum horum temporum timeat: habitu, ut facile[15] et cito irascatur; natura, ut vitium in dies crescat; arte, ut bene pingat; casu, ut prospere naviget.

---

(1) ∞ *enim* BV. (2) Sic Ern. C. 1. 2. — *certe* Ceteri. (3) Sic Oxonn. Edd. vett. BV. 1 2. — *habeat* Iu. Man. L. Grut. (4) ∞ *materia* O2x. BV. fortasse: *materies*. (5) — *adiumenta* O3x. Nor. BV. Iu. Mox f. *attulit*. (6) = *talis causa erit* BV. (7) Sic Nor. L. 1. 2. — *in quo* BV. Iu. Man. Grut. (8) Sic Ern. C. 1. 2. — *certe* Ceteri. (9) Sic Sch. C. 2. v. *de Inv.* 1, 19. — *cecidisset* Man. L. Ern. 1. — *cecidissent abiegnae* BV. Iu. (10) Sic Nor. BV. Iu. Man. Sch. 2. — *cecidisset abiegna* L. Ern. 1. vide Sch. (11) ∞ *is* id est *iis* BV. (12) — *crispi sulcans* divisim BV. (13) — *aliae eiusmodi sunt* L. (14) Sic Cdd. aliq. BV. L. Sch 2. (quasi C.) — *efficiuntur* Nor. Iu. Man. Ern. 1. (15) ∞ *ut qui f.* O1x. BV.

Nihil horum sine causa, nec quidquam omnino; sed huiusmodi causae non necessariae. 63. Omnium autem causarum in aliis inest constantia, in aliis non inest. In natura, et in arte constantia est, in ceteris nulla. XVII. Sed tamen earum causarum, quae non sunt constantes, aliae sunt perspicuae, aliae latent. Perspicuae sunt, quae appetitionem animi iudiciumque tangunt: latent, quae subiectae sunt fortunae. Quum enim nihil sine causa fiat; hoc ipsum fortunae eventus, obscura causa, [scilicet] latenter efficitur[1]. Etiam[2] ea, quae fiunt, partim sunt[3] ignorata, partim voluntaria: ignorata, quae necessitate[4] effecta sunt; voluntaria, quae consilio. 64. Quae autem fortuna, vel ignorata, vel voluntaria[5]. Nam iacere telum, voluntatis est: ferire, quem nolueris, fortunae. Ex quo aries ille subiicitur in vestris actionibus: Si telum manu fugit magis, quam iecit. Cadunt etiam[6] in ignorationem atque in imprudentiam perturbationes animi: quae, quamquam sunt[7] voluntariae, (obiurgatione enim, et admonitione deiiciuntur,) tamen habent tantos motus, ut ea, quae voluntaria sunt, aut necessaria interdum, aut certe ignorata videantur. 65. Toto igitur loco causarum explicato, ex earum differentia in magnis quidem causis vel oratorum, vel philosophorum, magna argumentorum suppetit copia; in vestris autem, si non uberior, at fortasse subtilior. Privata enim iudicia maximarum quidem rerum in iurisconsultorum mihi videntur esse prudentia. Nam et adsunt multum, et adhibentur in consilio[8]: et patronis diligentibus, ad eorum prudentiam confugientibus, hastas ministrant. 66. In omnibus igitur iis[9] iudiciis, in quibus, EX FIDE BONA, est additum[10]: ubi vero etiam, VT[11] INTER BONOS BENE AGIER; inprimisque in arbitrio

---

(1) Sic Ven. Nor. „Quum omnia certis de causis fiant, quorum ratio cognoscitur, eorum eventus casu fieri non putatur; sed putatur aliquid casu fieri eorum, quorum causa nulla ratione cognoscitur. Ex quo venit, ut fortunae sit eventus, qui latentibus causis efficitur." BC. Ut nos, etiam BV. nisi quod cum C1d. ap. Ern. inserit gloss. *scilicet* ante *fortunae eventus*. Mihi *obscura causa* itidem gloss. videtur. (— *obscura causa et lat.* Boëth. Ed. Bas.) — *fortunae eventus* gloss. videbatur Ern. Agnoscit BC. — *hoc ipsum est fortunae, eventus, obscura causa, quae latenter efficitur* Iu. Crat. Grut. Ern. 1. Sic etiam Man. L. nisi quod hi *efficit*. — *hoc ipsum est fortunae eventum, causa quod latente efficitur* Sch. €. 2. (Si huic fides, *obscura causa* om. Ed. Omnib. sed, quum Omniboni editionem is soleat nominare Kobergerianam Norimb. 1497. ea de re valde dubito. Haec enim habet *obsc. c.*) (2) ∞ *Atque etiam* BV. ut §. 62. (3) Sic Edd. vett. BV. L. Ern. 1. 2. — *etiam ut ea - - - sint* Iu. Grut. (— *efficit. Efficitur etiam ut ea - - - sint* Man.) (4) — *fortuna* Sch. €. 2. sed BC. „Ignoratas ait, in quibus necessitas domina est, id est, in quibus aut omnino non volumus, aut ne si velimus quidem aliter facere possumus, ut in natura atque casu." (5) — Haec *Quae autem - - - voluntaria* del. Sch. €. 2. „Voluntatem vero a fortuitis eventibus uno eodemque aptissimo secrevit exemplo": cet. BC. (6) Sic Nor. BV. Grut. e C2d. Ern. 1. 2. — *enim* Man. L. ∞ om. *etiam* Iu. Crat. (7) Sic Ern. €. 1. 2. confirmata a BV. — *sint* Iu. Man. L. Grut. (8) Sic etiam L. 1566. — *consilia* O1x. Al. BV. prob. Lamb. — *consilium* Nescio qui ap. Sch. Ed. mai. (9) — om. *iis* O1x. BV. (10) — *additum, primus causarum usus est* O1x. BV. — *additum, plurimus earum* (*eorum* L.) *usus est* Crat. L. Est e Boëthio. (11) Sic omnes, praeter Sch. 2. qui de Heusing. opinione delevit *ut. oportet* h. l. omittere videntur etiam Oxonn. aliq. Habent Nor. BV. Iu. Crat. Man. Cfr. omnino *Offic.* 3. C. 15. et 17.

rei uxoriae, in quo est, QVOD AEQVIVS, MELIVS[1], parati esse debent. Illi [enim[2]] dolum malum, illi fidem bonam, illi aequum, bonum, illi, quid socium socio, quid eum, qui negotia aliena curasset, ei, cuius ea negotia fuissent: quid eum, qui mandasset, eumve, cui mandatum esset, alterum alteri praestare oporteret: quid virum uxori, quid uxorem viro, tradiderunt. Licebit igitur, diligenter cognitis argumentorum locis, non modo oratoribus et philosophis, sed iuris etiam peritis copiose de consultationibus suis disputare. XVIII. 67. Coniunctus huic causarum loco locus ille est, qui efficitur[3] ex causis. Ut enim causa effectum[4] indicat, sic, quod effectum est, quae fuerit causa, demonstrat. Hic locus suppeditare solet oratoribus et poëtis, saepe etiam philosophis, sed iis, qui ornate et copiose loqui[5] possunt, mirabilem copiam dicendi, quum denuntiant, quid ex quaque re sit futurum. Causarum enim cognitio, cognitionem eventorum facit.

68. Reliquus est comparationis locus, cuius genus et exemplum supra positum est, ut ceterorum nunc explicanda tractatio est. Comparantur igitur ea, quae aut maiora, aut minora, aut paria dicuntur: in quibus spectantur haec, numerus, species, vis, quaedam etiam ad res aliquas affectio. 69. Numero sic comparabuntur, plura bona ut[6] paucioribus bonis anteponantur, pauciora mala malis[7] pluribus, diuturniora bona brevioribus, longe et late pervagata angustis[8]: ex quibus plura bona propagentur, quaeque plures imitentur et faciant[9]. Specie autem comparantur, ut anteponantur, quae propter se expetenda sunt, iis, quae propter aliud; et ut innata atque insita, assumptis et adventiciis,

---

([1]) Sic e BC. et ex formula ipsa erat legendum. — *quid aequius* Omnes praeter L. 1566. et Sch. 2. qui deleverunt *quid*, ut volebat etiam Heusing. „Est enim iurisconsultorum provincia (prudentiae Bas.) privatarum quaestio causarum maximeque in illis negotiis hic causarum locus examinabitur, in quibus bonae fidei iudicia nectuntur. In his enim, qui fuerit animus contrahentium quaeri solet, qui deprehendi vix poterit, nisi praecedentibus causis intelligatur. In his igitur iudiciis, in quibus additur, ut EX BONA FIDE iudicent, id est, ubi ita iudices dantur, ut non strictas inter litigantes stipulationes, sed bonam fidem quaerant, plurimus causarum usus est. Additur, ut inter bonos bene agi oportet: considerantur mores, inquiruntur consilia; statuitur, quibus quidque de causis administratum sit. Inprimisque in iudicio uxoriae rei, quotiens post divortium de dote contentio est. Dos enim licet matrimonio constante in bonis viri sit, est tamen in uxoris iure, et post divortium velut res uxoria peti potest. Quae quidem dos interdum his conditionibus dari solebat, ut si inter virum uxoremque divortium contigisset, quod melius aequius esset, apud virum remaneret, reliquum dotis restitueretur uxori, id est, ut quod ex dote iudicatum fuisset, melius aequius esse, ut apud virum maneret, id vir sibi retineret; quod vero non esset melius aequius apud virum manere, id uxor post divortium reciperet. In quo iudicio non tantum boni natura spectari solet, verum etiam comparatio bonorum fit, ut non tam quod aequum, sed melius aequiusque est, id sequendum sit. Quae omnia ex praecedentibus causis investigari solent; nam si viri culpa divortium factum est, aequius melius est nihil apud virum manere; si mulieris est culpa, aequius melius est sextans retineri." BC. ([2]) ∞ om. *enim* O2x. BV. L. Agnoscit BC. Nos [ ]. ([3]) — *est rerum, quae efficiuntur* horribili coniectura Sch. 2. ([4]) ∞ *causa, quid sit effectum* BV. L. haud spernenda lectio, etsi glossematis habet speciem. ([5]) — *et loqui* BV. id est, *eloqui*, quod verum puto. ([6]) Sic O2x. Edd. vett. Ern. 1. 2. = *ut plura bona p.* BV. Iu. Man. L. ([7]) — om. *malis* L. *([8]) — om. h. l. *angustis* L. ([9]) — *faciant, angustis* L. — *faciant, contrariis* e marg. 1584. Sch. 2.

integra contaminatis, iucunda minus iucundis, honesta ipsis etiam utilibus, proclivia laboriosis, necessaria non necessariis, sua alienis, rara vulgaribus, desiderabilia iis, quibus facile carere possis, perfecta inchoatis, tota partibus, ratione utentia rationis expertibus, voluntaria necessariis, animata inanimatis, naturalia non naturalibus, artificiosa non artificiosis. 70. Vis autem in comparatione sic cernitur, efficiens causa gravior, quam non efficiens: quae se ipsis contenta sunt, meliora, quam quae egent aliis: quae in nostra, quam quae in aliorum potestate sunt: stabilia incertis: quae eripi non possunt, iis, quae possunt. Affectio autem ad res aliquas, est huiusmodi: principum commoda maiora, quam reliquorum; itemque, quae iucundiora, quae pluribus probata, quae ab optimo quoque laudata. Atque, ut haec in comparatione meliora, sic deteriora, quae his[1] sunt contraria. 71. Parium autem comparatio nec elationem habet[2], nec submissionem; est enim aequalis. Multa autem sunt, quae aequalitate ipsa comparentur[3]: quae ita fere concluduntur: Si consilio iuvare cives et auxilio, aequa in laude ponendum est: pari gloria debent esse ii, qui consulunt, et ii, qui defendunt. At, quod[4] primum, est: quod sequitur igitur. Perfecta est omnis argumentorum inveniendorum praeceptio, ut, quum profectus sis a definitione, a partitione, a notatione, a coniugatis, a genere, a forma, a similitudine, a differentia, a contrariis, ab adiunctis, a consequentibus, ab antecedentibus, a repugnantibus, a causis, ab effectis, a comparatione maiorum, minorum, parium, nulla praeterea sedes argumenti quaerenda sit.

XIX. 72. Sed quoniam ita a principio divisimus, ut alios locos diceremus in eo ipso, de quo ambigitur, haerere, de quibus satis est dictum[5], alios assumi extrinsecus; de his[6] pauca dicamus: etsi ea nihil omnino ad vestras disputationes pertinent; sed tamen totam rem perficiamus, quandoquidem coepimus. Neque enim tu is es, quem nihil, nisi ius civile, delectet: et quoniam ad te haec ita scribuntur, ut etiam in aliorum manus sint ventura, detur opera, ut quam plurimum iis, quos recta studia delectant, prodesse possimus. 73. Haec ergo argumentatio, quae dicitur artis expers, in testimonio posita est. Testimonium autem nunc dicimus omne[7], quod ab aliqua re externa[8] sumitur ad faciendam[9] fidem. Persona autem non qualiscunque[10] testimonii pondus habet: ad faciendam enim fidem[11] auctoritas quaeritur: sed auctoritatem aut natura aut tempus affert. Naturae auctoritas in virtute inest maxime[12]: in tempore autem multa sunt quae afferant auctoritatem, ingenium, opes, aetas, fortuna, ars, usus, necessitas, concursio etiam nonnunquam rerum fortuitarum[13]. Nam et ingeniosos, et opulentos,

---

(1) Sic Olx. BV. — *iis* Iu. L. Ern. 1. 2. (2) — *habeat* Ven. prob. Ern. (3) Sic Olx. Ven. Nor. BV. Ern. 1. ∞ *comparantur* Iu. Man. L. Sch. 2. (4) — *quod* suspectum Ern. ∞ *Atqui primum est* BC. Ed. Bas. (5) = *dictum est* BV. L. (6) Sic Nor. BV. Sch. 2. — *iis* Iu. L. Ern. 1. (7) — *dic. esse* BV. (8) = *externa re* BV. L. (9) — *faciendum* Victor. Man. (10) ∞ *qualiscunque est* Olx. BV. (11) = *ad fidem enim fac.* BV. L. (12) — *est maxima* Boëthius Hasii in Ioanne Lydo *de Ostentis* p. 344. seqq. BV. Olx. Al. *inest maxima.* (13) = *fort. rerum* BV.

et aetatis spatio probatos, dignos, quibus credatur, putant: non recte fortasse, sed vulgi opinio mutari vix potest, ad eamque omnia dirigunt et qui iudicant, et qui existimant. Qui enim his rebus[1], quas dixi, excellunt, ipsa virtute videntur excellere. 74. Sed reliquis quoque rebus, quas modo enumeravi, quamquam in iis nulla species virtutis est: tamen interdum confirmatur fides[2], si aut ars[3] quaedam adhibetur; (magna est enim[4] vis ad persuadendum, scientiae:) aut usus; plerumque enim creditur iis, qui experti sunt. XX. Facit etiam necessitas fidem, quae quum[5] a corporibus, tum ab animis nascitur. Nam et verberibus, tormentis, igni fatigati quae dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere, et, quae a perturbationibus animi sunt, dolore, cupiditate, iracundia[6], metu, quia necessitatis vim habent, afferunt auctoritatem et fidem. 75. Cuius generis etiam illa sunt, ex quibus nonnunquam verum invenitur, pueritia, somnus, imprudentia, vinolentia, insania. Nam et pueri saepe indicaverunt aliquid, ad quod pertineret, ignari[7]: et per somnum, vinum, insaniam, multa saepe patefacta sunt. Multi etiam in res odiosas imprudentes inciderunt, ut Staleno[8] nuper accidit: qui ea locutus est, bonis viris subauscultantibus, pariete interposito, quibus patefactis, in iudicium que prolatis, rei capitalis iure damnatus est. Huic simile quiddam de Lacedaemonio Pausania accepimus. 76. Concursio autem fortuitorum talis est, ut, si interventum est casu, quum aut ageretur aliquid, quod proferendum non esset, aut diceretur[9]. In hoc genere etiam illa est in Palamedem coniecta suspicionum proditionis multitudo: quod genus refutare interdum veritas vix potest. Huius etiam generis est fama vulgi, quoddam multitudinis testimonium. Quae autem virtute fidem faciunt, ea bipartita[10] sunt: ex quibus alterum natura valet, alterum industria. Deorum enim virtus natura excellit: hominum autem industria[11]. 77. Divina haec fere sunt testimonia: primum orationis[12]; (oracula enim ex eo ipso appellata sunt, quod inest in[13] his deorum oratio;) deinde rerum, in quibus insunt quasi opera divina quaedam[14]: primum ipse mundus, eiusque omnis ordo et ornatus; deinceps

---

([1]) = *rebus his* BV. ([2]) — om. *fides* L. ([3]) — *si fortuna aut ars* BV. ([4]) Sic BV. — *m. enim est* Ceteri. ([5]) = *tum* BV. Sch. 2. ([6]) — *ira* L. ([7]) — *nam et parvi saepe indicavere aliquid, quod pertineret* (*pertinet* BV.) *ignorari* Otx. BV. ([8]) Sic Rivius. Man. L. 1. 2. — *Staleno* Grut. — *Staterio* BV. — *Staterio* Iu. ([9]) Haec *Concursio - - - diceretur* Sch. C. 2. transposuit ante v. *Cuius generis etiam.* ([10]) Sic BV. L. = *bipertita* Ern. 1. 2. ([11]) „Videtur quibusdam haec sententia - - - ex libris M. Varronis, hominis acutissimi, De humanis et divinis rebus, ubi de theologiae divisione agitur, succincte per transitum mutuata. Fuit enim Tullius eidem M. Varroni coauditor et condiscipulus sub doctore Antiocho, partim Stoico, partim Academico." Boëthius Hasii. Subiungit his Varronis doctrinam de triplici genere theologiae, mythico, physico atque civili, non ex ipsius Varronis libris, sed ex Augustino *De civ. Dei* 7, 4. quem suo more *παραφράζει.* ([12]) „Per *orationem* significasse videtur M. Tullius quaedam consultorum numinum responsa, quae quandoque vario intellectu perplexa, quandoque perspicua, quibusdam ex adytis specuum, spumantibus buccis rapidoque discursu oris, furiatorum ructabat insania; quibus veluti vivae atque expertissimae deorum voci pro fidei testimonio innitebatur antiquitas." Boëthius Hasii. ([13]) — *in* om. BV. B. Hasii. ([14]) ∞ *quasi quaedam op. div.* BV. B. Hasii.

aërei volatus avium atque[1] cantus; deinde eiusdem aëris sonitus et ardores, multarumque rerum in terra portenta: atque etiam per exta inventa praesensio. A dormientibus quoque multa significata visis, quibus ex locis sumi interdum solent ad fidem faciendam testimonia deorum. 78. In homine virtutis opinio valet plurimum. Opinio autem est, non modo eos virtutem habere, qui habeant, sed eos etiam, qui habere videantur. Itaque, quos ingenio, quos studio, quos doctrina praeditos vident, quorumque vitam constantem, et probatam, ut Catonis, Laelii, Scipionis, aliorumque plurium, rentur eos esse, quales se ipsi[2] velint. Nec solum eos censent tales esse[3], qui in honoribus populi, reque publica[4] versantur, sed et oratores, et philosophos, et poëtas, et historicos: ex quorum et dictis et scriptis saepe auctoritas petitur ad faciendam fidem.

XXI. 79. Expositis omnibus argumentandi locis, illud primum intelligendum est, nec ullam esse disputationem, in quam non aliquis locus incurrat, nec fere omnes locos incidere in omnem quaestionem, et quibusdam quaestionibus alios, quibusdam alios esse aptiores locos[5]. Quaestionum duo sunt genera: alterum infinitum, alterum definitum. Definitum est, quod *ὑπόθεσιν* Graeci, nos causam: infinitum, quod *θέσιν* illi appellant, nos propositum possumus nominare: 80. causa certis[6] personis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cernitur, aut in[7] omnibus, aut in[8] plerisque eorum: propositum autem, in aliquo eorum, aut in pluribus, nec tamen in maximis. Itaque propositum pars causae est[9]. Sed omnis quaestio, earum aliqua de re est, quibus causae continentur, aut una, aut pluribus, aut nonnunquam omnibus. 81. Quaestionum autem[10], quacunque de re sint, duo sunt genera: unum cognitionis; alterum actionis. 82. Cognitionis sunt hae, quarum finis est[11] scientia: ut, si quaeratur, a naturane[12] ius profectum sit, an ab aliqua quasi conditione hominum et pactione? Actionis autem huiusmodi exempla sunt: Sitne sapientis ad rem publicam

---

([1]) — *et* B. Hasii. „In hac caelesti vertigine si quando aliquid insuetum, rarumque et extraordinarium suspicitur, eventus imminens mortalibus in utramlibet partem quasi quodam caeli testimonio a mathematicis praedicatur. Insuetum rarumque, inquam: quia, ut ait Plato, quae longo intervallo rursus apparent, metus et quaedam portenta significant, vel mox futura, vel serius. Ex quo intelligi datur, sidera infrequenter orta non facere quae proveniunt, sed futura praenuntiare; ait enim, *significant*. Alioquin, qui has stellas putant habere hanc potestatem, ut volentes nociva decernant, magnam caelo faciant iniuriam, in cuius velut clarissimo senatu ac splendidissima curia opinantur scelera facienda decerni, qualia si aliqua civitas terrena decrevisset, genere humano decernente fuerant (lege *fuerat*) evertenda. In huiusmodi vero tractatu Posidonii atque Iulii Firmici, sive reliquorum mathematicorum, regnat oratio; aruspices etiam, variorum aucupes eventuum, ab aëris *avium* volatu sive cantu quandam futurorum *προγνωσιν* manare dixerunt." Boëthius Hasii. ([2]) — *quales esse se ipsi* L. ([3]) = *esse tales* BV. ([4]) Sic BV. 1. 2. — *atque in rep.* Iu. Man. L. ([5]) Sic BV. tum ante Ern. omnes, nisi quod hi *esse alios aptiores* — Ern. 1. Sch. 2. e Cd. Viteb. *sed quibusdam quaestionibus alios esse aptiores locos*. Verum *sed* ortum est ex ignorata constructione particul. *nec* – – *et*; media propter similitudinem vocabulorum exciderunt. ([6]) — *in certis* L. ([7]) — om. *in* L. ([8]) — om. *in* L. ([9]) = *est causae* BV. ([10]) — *qu. autem propositarum* Sch. E. 2. ([11]) = *est finis* BV. ([12]) — *an a natura* BV.

accedere? Cognitionis quaestiones tripartitae sunt, quum, an sit, aut quid sit, aut quale sit, quaeritur. Horum[1] primum coniectura, secundum definitione, tertium[2] iuris et iniuriae distinctione explicatur. Coniecturae ratio in quatuor partes distributa est; quarum una est, quum quaeritur, sitne aliquid: altera, unde ortum sit; tertia, quae id causa effecerit; quarta, in qua de mutatione rei quaeritur. Sit, necne sit: ecquidnam[3] honestum sit: ecquid aequum re vera; an haec tantum in opinione sint? Unde autem sit ortum, ut, quum quaeritur, natura an doctrina possit effici virtus? Causa autem efficiens sic: ut, quum quaeritur, quibus rebus eloquentia efficiatur. De commutatione, sic: Possitne eloquentia commutatione aliqua converti in infantiam? XXII. 83. Quum autem, quid sit, quaeritur; notio explicanda est, et proprietas, et divisio, et partitio. Haec enim sunt definitioni attributa: additur etiam descriptio, quam[4] Graeci *χαρακτῆρα*[5] vocant. Notio sic quaeritur: sitne id aequum, quod ei, qui plus potest, utile est? Proprietas sic: in hominemne solum cadat, an etiam in beluas aegritudo? Divisio, et eodem pacto partitio, sic: Triane genera bonorum sint? Descriptio: Qualis sit avarus, qualis assentator, ceteraque eiusdem generis, in quibus natura et vita describitur. 84. Quum autem quaeritur, quale quid sit; aut simpliciter quaeritur, aut comparate: simpliciter, Expetendane sit gloria? comparate, Praeponendane sit divitiis gloria? Simplicium tria genera sunt[6]: de expetendo fugiendoque: de aequo et iniquo: de honesto et turpi. Comparationum autem duo, unum de eodem et alio: alterum de maiore et minore. De expetendo et fugiendo, huiusmodi: Si[7] expetendae divitiae, si[8] fugienda paupertas? De aequo et iniquo: Aequumne sit ulcisci, a quocunque iniuriam acceperis? De honesto et turpi: Honestumne sit, pro patria mori? 85. Ex altero autem genere, quod erat bipartitum, unum est de eodem et alio: ut, si quaeratur, quid intersit inter amicum et assentatorem? regem et tyrannum? Alterum de maiore et minore: ut, si quaeratur, eloquentiane pluris sit, an iuris civilis scientia? De cognitionis quaestionibus hactenus. 86. Actionis reliquae sunt: quarum duo sunt[9] genera: unum ad officium, alterum ad motum animi vel gignendum, vel sedandum, planeve tollendum. Ad officium sic: ut, quum quaeritur, suscipiendine sint liberi? Ad movendos animos, quum fiunt cohortationes ad defendendam rem publicam, ad gloriam, et ad laudem[10]: quo ex genere sunt querelae, incitationes, miserationesque flebiles, rursusque oratio quum[11] iracundiam[12] restinguens[13], tum metum eripiens, tum exsultantem laetitiam comprimens, tum aegritudinem abstergens. Haec quum in propositis quaestionibus genera sint, eadem in causas transferuntur.

---

(1) — *Harum* BV. (2) — *prima* - - *secunda* - - *tertia* Otx. BV. L. (3) — *ut quidnam* BV. ∞ *ut, ecquidnam* Sch. suspic. (4) ∞ *quem* Sch. C. 2. (5) Sic Victor. M. L. 1. 2. — *υπτραφην* BV. (sic) ∞ *καταγραφην* Iu. Crat. (6) ∞ om. *sunt* BV. (7) — *sintne* L. (8) — *sitne* L. ∞ om. *si* BV. (9) ∞ om. *sunt* BV. (10) ∞ *ad laudem, ad gloriam* BV. (11) — *tum* Sch. 2. (12) — *iram* L. (13) — *restringens* Nor.

XXIII. 87. Loci autem qui ad quasque quaestiones accommodati sunt [1], deinceps est videndum. Omnes quidem illi [2], quos supra diximus, ad plerasque sunt, sed alii ad alias, ut dixi, aptiores. Ad coniecturam igitur maxime apta, quae ex causis, quae ex effectis, quae ex coniunctis sumi possunt. Ad definitionem autem pertinet ratio, et scientia definiendi. Atque huic generi finitimum est illud, quod appellari de eodem et altero diximus: quod genus forma quaedam definitionis est. Si enim quaeratur, idemne sit pertinacia et perseverantia, definitionibus iudicandum est. 88. Loci autem convenient in eius generis quaestionem consequentes, antecedentes, repugnantes, adiunctis etiam duobus iis, qui [3] sumuntur ex causis et effectis. Nam si hanc rem illa sequitur, hanc autem non sequitur: aut si huic rei [4] illa [5] antecedit: huic [6] non antecedit: aut si huic rei repugnat, illi non repugnat: aut, si huius rei haec, illius alia causa est: aut si ex alio hoc, ex alio illud effectum est: ex quovis horum id, de quo quaeritur, idemne, an aliud sit, inveniri potest. 89. Ad tertium genus quaestionis, in quo, quale sit, quaeritur, in comparationem ea cadunt, quae paullo ante in comparationis loco enumerata sunt. In illud [7] autem genus, in quo de expetendo fugiendoque quaeritur, adhibentur ea, quae sunt aut animi, aut corporis, aut externa vel commoda, vel incommoda. Itemque quum de honesto turpique quaeritur, ad animi bona, vel [8] mala, omnis dirigenda oratio est. 90. Quum autem de aequo et iniquo disseritur, aequitatis loci colliguntur. Hi cernuntur bipartito, et natura, et instituto. Natura partes habet duas, tuitionem sui, et ulciscendi ius [9]. Institutio autem aequitatis [10], tripartita est: una pars, legitima est, altera conveniens [11], tertia moris vetustate confirmata. Atque etiam rursus aequitas, tripartita dicitur esse: una ad superos deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere. Prima pietas, secunda sanctitas, tertia iustitia aut aequitas nominatur [12]. XXIV. De proposito satis multa: deinceps de causa pauciora dicenda sunt. Pleraque enim sunt ei cum proposito communia.

91. Tria sunt igitur genera causarum; iudicii, deliberationis, laudationis. Quarum fines ipsi declarant, quibus utendum locis sit. Nam iudicii finis est ius [13]: ex quo etiam nomen. Iuris autem partes tum expositae, quum [14] aequitatis. Deliberandi finis, utilitas: cuius hae partes, quae modo expositae, rerum expetendarum. Laudationis finis, honestas: de qua item est ante dictum. 92. Sed definitae quaestiones a suis quaeque locis, quasi propriis, instituuntur [15], in [16] accusationem defensionemque partitae. In quibus exsistunt haec genera, ut accu-

---

([1]) — *sint* O1x. L. ([2]) = *illi quidem* BV. L. ([3]) — *adiuncti etiam hi, qui* O1x. BV. ([4]) — *hanc rem* L. ([5]) — *res illa* BV. ([6]) — *hanc* L. ([7]) — *id* L. ([8]) ∞ *aut* BV. ([9]) — *vim* Nor. Sch. in Ed. mai. ([10]) ∞ *Instituto autem aequitas* Sch. C. 2. Recte: (ante quoque pro *instituto* BV. habet corrupte *institutio.*) ([11]) — *altera aequitati conv.* L. ([12]) — Haec: *Atque etiam rursus - - - nominatur* Sch. C. 2. [ ] cfr. *de N. Deor.* 1, 41. *Est pietas iustitia adversum deos.* ([13]) = *ius est* L. ([14]) Sic BV. Iu. M. L. Grut. Sch. in Ed. mai. Recte? est, tum expositae sunt, quum aequitatis partes expositae sunt, in illis scil. *Atque etiam rursus* cet. quae perperam [ ] Sch. 2. — *tum* Ern. 1. 2. ([15]) ∞ *instruuntur* O1x. ([16]) ∞ *quae in* O2x. BV.

sator personam arguat facti: defensor aliquid opponat de tribus: aut non esse factum, aut, si sit factum, aliud eius facti nomen esse, aut iure esse factum. Itaque aut infitialis, aut coniecturalis prima appelletur: definitiva, altera: tertia, quamvis molestum nomen hoc sit, iuridicialis vocetur. XXV. Harum causarum propria argumenta, ex iis sumpta locis, quos exposuimus, in praeceptis oratoriis explicata sunt. 93. Refutatio autem accusationis, in qua depulsio criminis, quae Graece στάσις dicitur, Latine appelletur status: in quo primum insistit quasi ad repugnandum congressa defensio. Atque etiam in deliberationibus et laudationibus iidem exsistunt status. Nam et negantur saepe ea futura, quae ab aliquo in sententia dicta sunt fore, si aut omnino fieri non possunt, aut sine summa difficultate non possunt. In qua argumentatione status coniecturalis exsistit. 94. At, quum aliquid de utilitate, honestate, aequitate disseritur, deque iis rebus, quae his[1] sunt contrariae: incurrunt status, aut iuris, aut nominis: quod idem contingit in laudationibus. Nam aut negari potest, id factum esse, quod laudetur: aut non eo nomine afficiendum, quo laudator affecerit, aut omnino, non esse laudabile, quod non recte, non[2] iure factum sit. Quibus omnibus[3] generibus usus est nimis impudenter Caesar contra Catonem meum. 95. Sed quae ex statu contentio efficitur, eam Graeci ζητούμενον vocant. Mihi placet id, quoniam quidem ad te scribo, QVA DE RE AGITVR, vocari. Quibus autem hoc, qua de re agitur, continetur, haec[4] continentia vocentur, quasi firmamenta defensionis, quibus sublatis defensio nulla sit. Sed, quoniam lege firmius in controversiis disceptandis esse nihil debet, danda est opera, ut legem adiutricem et testem adhibeamus[5]. In qua re alii quasi status exsistunt novi, qui[6] appellantur legitimae disceptationes. 96. Tum enim defenditur non id legem dicere, quod adversarius velit, sed aliud. Id autem contingit, quum scriptum ambiguum est, ut duae differentes sententiae accipi possint. Tum opponitur scripto voluntas scriptoris, ut quaeratur, verbane plus, an[7] sententia valere debeat. Tum legi lex contraria affertur. Ita sunt tria genera, quae controversiam in omni scripto facere possunt, ambiguum, discrepantia scripti et voluntatis, et[8] scripta contraria. XXVI. Iam hoc perspicuum est, non magis in legibus, quam in testamentis, in stipulationibus, in reliquis rebus, quae ex scripto aguntur, posse controversias easdem exsistere. Horum tractationes in aliis libris explicantur. 97. Nec solum perpetuae actiones, sed etiam partes orationis iisdem locis adiuvantur, partim propriis, partim communibus: ut in principiis, quibus ut benevoli, ut dociles, ut attenti sint, qui audiant, efficiendum est propriis locis. Itemque narrationes ut ad suos fines spectent, id est, ut planae sint, ut breves, ut evidentes, ut credibiles, ut moratae[9], ut cum dignitate. Quae quamquam in

---

([1]) Sic BV. — *iis* Ceteri. ([2]) — *nec* BV. ([3]) — om. *omnibus* BV. ([4]) Sic BV. Iu. Man. L. — *ea* Olx. — *eae* Grut. Ern. 1. 2. ([5]) — *adhibeant* BV. ([6]) ∞ *sed* Olx. BV. Man. ([7]) Sic BV. Iu. Man. L. — *aut* Grut. Ern. 1. 2. ([8]) ∞ om. *et* Iu. L. (— *et voluntati scriptura c.* BV.) ([9]) Sic Victor. Man. L. Sch. 2. — *moderatae* BV. Iu. Ern. 1.

tota oratione esse debent, magis tamen sunt propria narrandi [1]. 98. Quae autem consequitur narrationem fides, ea persuadendo quoniam efficitur, qui ad persuadendum loci maxime valeant, dictum est in iis, in quibus de omni ratione dicendi [2]. Peroratio autem et alia quaedam habet, et maxime amplificationem: cuius effectus is [3] debet esse, ut aut perturbentur animi, aut tranquillentur: et, si ita iam affecti ante sunt [4], ut augeat eorum motus, aut sedet oratio. 99. Huic generi, in quo et misericordia, et iracundia, et odium, et invidia, et ceterae animi affectiones perturbantur [5], praecepta suppeditantur aliis in libris, quos poteris mecum legere, quum voles. Ad id autem, quod te velle senseram, cumulate satisfactum esse debet voluntati tuae. 100. Nam, ne praeterirem aliquid, quod ad argumentum in omni ratione reperiendum pertineret, plura quam a te desiderata erant, sum complexus, feciique quod saepe liberales venditores solent, ut, quum aedes fundumve vendiderint, rutis caesis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi causa apte et loco positum esse videatur. Sic tibi nos ad id, quod quasi mancipio dare debuimus, ornamenta quaedam voluimus non debita accedere.

([1]) Sic Cdd. id est *sunt propria artis narrandi s. narrationis* — *narranti* Ern. C. 1. Sch. 2. Male. ([2]) — *dicendi diximus* L. ([3]) Sic Man. 1. 2. ∞ *hic* BV. Iu. L. ([4]) — *sint* BV. ([5]) — *concitantur* L.

M. TULLII CICERONIS

DE

PARTITIONE ORATORIA

DIALOGUS.

Ex recensione potissimum Ernestiana passim correcta, cum integra varietate Lambiniana (L.), Ernestiana (Ern. 1.), Lallemandiana, Schuetziana (Sch. 2.); selecta vero Editionis Norimbergensis MCCCCXCVII. Iuntinae (Iu.), Cratandrinae (Crat.), Manutianae (Man. s. M.) aliarumque. Gu. Cod. Guelferb.)

I. 1. CICERO FILIUS. Studeo[1], mi pater, Latine ex te audire ea, quae mihi tu[2] de ratione dicendi Graece tradidisti; si modo tibi est otium, et si vis. CICERO PATER. An est, mi Cicero, quod ego malim, quam te quam doctissimum esse? Otium autem primum est summum[3], quoniam aliquando Roma excundi potestas data est: deinde ista tua studia vel maximis occupationibus meis anteferrem libenter. 2. C. F. Visne igitur, ut tu me Graece soles ordine interrogare, sic ego te vicissim eisdem de rebus[4] Latine interrogem? C. P. Sane, si placet[5]. Sic enim et ego te meminisse intelligam, quae accepisti: et tu ordine audies, quae requires[6]. 3. C. F. Quot in partes distribuenda est omnis doctrina dicendi? C. P. In tres[7]. C. F. Cedo quas? C. P. Primum in ipsam vim oratoris, deinde in orationem, tum in quaestionem. C. F. In quo est ipsa vis? C. P. In rebus, et verbis[8]. Sed et res, et verba, invenienda sunt, et collocanda. Proprie autem[9] in rebus invenire, in verbis eloqui dicitur. Collocare autem, etsi est commune[10], tamen ad inveniendum refertur. Vox, motus, vultus, atque omnis actio, eloquendi comes est, earumque rerum omnium[11] custos est[12] memoria. 4. C. F. Quid? orationis quot sunt partes? C. P. Quatuor. Earum duae valent ad rem docendam, narratio et confirmatio: ad impellendos animos duae, principium

(1) — *Aveo* Cd. Vit. non improb. Ern. Est tamen natum ex more medii aevi, initiales literas, quo scite pingerentur, omittendi. (2) = *tu mihi* L. (3) Sic Gu. L. Sch. 2. — *primum summum est* M. Ern. 1. — *primum et summum est* Iu. Crat. — *prim. est et s.* N. (4) — *his de r.* L. (5) Sic recte, et urbane cfr. §. 70. omnes, praeter Cd. Erlang. et Sch. 2. qui: *Sane placet.* (6) Sic Cdd. aliq. Edd. vett. N. L. Ern. 1. 2. — *requiris* Iu. M. Grut. (7) — om. *In* L. (8) — *et in verb.* Sch. 2. solus tacite. (9) ∞ *tamen* L. Sch. 2. Arbitraria videtur correctio. (10) = *commune est* L. (11) = *omn. rer.* L. (— *rerum* omittit Iu.) (12) — *est* om. de Ern. susp. Sch. in Ed. mai.

et peroratio. C. F. Quid? Quaestio quasnam habet partes? C. P. Infinitam, quam consultationem appello: et definitam, quam causam[1] nomino. II. 5. C. F. Quoniam igitur primum est invenire oratoris[2], quid quaeret? C. P. Ut inveniat, quemadmodum fidem faciat eis, quibus volet persuadere, et quemadmodum motum eorum animis[3] afferat. C. F. Quibus rebus fides fit? C. P. Argumentis, quae ducuntur ex locis, aut in re ipsa insitis, aut assumptis. C. F. Quos vocas locos? C. P. Eos[4], in quibus latent argumenta. C. F. Quid est argumentum? C. P. Probabile inventum ad faciendam fidem. 6. C. F. Quomodo igitur duo genera ista dividis? C. P. Quae sine arte putantur, ea remota appello, ut testimonia. C. F. Quid insita? C. P. Quae inhaerent in ipsa re[5]. C. F. Testimoniorum quae sunt genera? C. P. Divinum, et humanum: divinum, ut oracula, ut auspicia, ut vaticinationes, ut[6] responsa sacerdotum, haruspicum, coniectorum: humanum, quod spectatur ex auctoritate, et ex voluntate[7], et ex oratione, aut libera, aut expressa: in quo insunt scripta, pacta, promissa, iurata, quaesita. 7. C. F. Quae sunt quae dicis insita? C. P. Quae infixa sunt rebus ipsis[8], ut definitio, ut contrarium, ut ea, quae sunt ipsi contrariove eius aut similia, aut dissimilia, aut consentanea, aut dissentanea; ut ea, quae sunt quasi coniuncta, aut[9] ea, quae sunt[10] quasi pugnantia inter se; ut[11] earum rerum, de quibus agitur, causae; aut[12] causarum eventus, id est, quae sunt effecta de causis; ut distributiones, ut genera partium, generumve partes; ut primordia rerum et quasi praecurrentia, in quibus inest aliquid argumenti; ut rerum contentiones, quid maius, quid par, quid minus sit, in quibus aut naturae rerum, aut facultates comparantur. III. S. C. F. Omnibusne igitur ex his[13] locis argumenta sumemus? C. P. Immo vero scrutabimur et quaeremus ex omnibus: sed adhibebimus iudicium, ut levia semper reiiciamus, nonnunquam etiam communia praetermittamus et non necessaria[14].

(1) — *controversiam causam* Gu. e manifesto gloss. *controversiam et causam* C1d. ap. Lamb. unde h. l. et aliquoties Lamb. *controversiam seu causam*, more minime Tulliano. (2) Sic N. Iu. M. — *inv. primum est or.* L. Ern. 1. 2. — *inv. or. primum est* Grut. (3) = *an. eor.* Cd. Vit. (4) — om. *Eos* L. (5) Haec: *Quid insita? - - re* del. L. — *C. P. Assumpta, quae sine arte putantur esse, remota appello, ut testimonia; insita, quae inhaerent in ipsa re.* Sch. suspic. (6) e Cdd. Edd. vett. Ern. 1. 2. — *et* Iu. M. L. (7) — Haec *et ex vol. et* del. L. immemor ille quidem voluntatum mortuorum s. testamentorum. (8) Post v. *ipsis* ante Ern. 1. Lallem. Sch. 2. qui del. inculcabantur ista e *Topic.* 2, 8. *tum ex toto, tum ex partibus, tum ex notatione, tum ex iis rebus, quae quodam modo affectae sunt ad id, de quo quaeritur, et ad id totum, de quo disseritur; tum definitio adhibetur, tum partium enumeratio, tum notatio verbi, ex iis* (*his* L.) *autem rebus, quae quodam modo affectae sunt ad id, de quo quaeritur, alia coniugata appellantur, alia ex genere, alia ex forma, alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex coniunctis* (*adiunctis* L.) *alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex affectis, alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum.* (9) — *ut* L. (10) — del. *sunt* cum C1d. Sch. in Ed. mai. contra consuetudinem Tullianam. (11) e Gu. Sch. 2. — *aut* Ceteri. (12) — *ut* L. (13) ∞ *ex istis locis* Gu. (14) Sic Iu. Cuat. M. L. Ern. 1. (*et* omittunt Ed. Ven. Nor.) *etiam praetermittamus non necessaria* e C2d. prob. Ern. Sch. 2. sed mihi videtur potius e gloss. esse *et non necessaria*, eo, quod nemo, puto, voce *communia* explicandum censuisset: hoc contra aeque obscurum poterat videri atque Horatianum illud: *Difficile est proprie communia dicere.*

C. F. Quoniam de fide respondisti, volo audire de motu. C. P. Loco tu[1] quidem quaeris, sed planius quod vis explicabitur, quum ad orationis ipsius quaestionumque rationem venero.

9. C. F. Quid sequitur igitur? C. P. Quum inveneris, collocare: cuius[2] in infinita quaestione, ordo est idem fere, quem exposui, locorum: in definita autem adhibenda sunt illa etiam, quae ad motum[3] animorum pertinent. C. F. Quomodo igitur ista explicas? C. P. Habeo communia praecepta fidem faciendi et commovendi. Quoniam fides est firma opinio: motus autem, animi incitatio aut ad voluptatem, aut ad molestiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem: (tot enim sunt motus genera, partes plures generum singulorum:) omnem collocationem ad finem accommodo quaestionis. Nam est in proposito finis, fides: in causa et fides, et motus. Quare quum de causa dixero, in qua est propositum[4], de utroque dixero. 10. C. F. Quid habes igitur de causa dicere? C. P. Auditorum eam genere distingui. Nam aut auscultator est modo[5] qui audit, aut disceptator, id est, rei sententiaeque moderator: ita, ut aut delectetur, aut statuat aliquid. Statuit autem aut de praeteritis, ut iudex, aut de futuris, ut senatus. Sic tria sunt genera[6], iudicii, deliberationis, exornationis: quae, quia in laudationes maxime confertur, proprium habet iam ex eo nomen. IV. 11. C. F. Quas res sibi proponet in istis tribus generibus orator? C. P. Delectationem in exornatione: in iudicio, aut saevitiam, aut clementiam iudicis: in suasione [autem[7],] aut spem, aut reformidationem deliberantis. C. F. Cur igitur exponis hoc loco genera controversiarum? C. P. Ut rationem collocandi ad finem cuiusque accommodem. 12. C. F. Quonam tandem modo? C. P. Quia, quibus in orationibus delectatio finis est, varii sunt ordines collocandi. Nam aut temporum servantur gradus, aut generum distributiones: aut a minoribus ad maiora adscendimus, aut a maioribus ad minora delabimur: aut haec inaequabili[8] varietate distinguimus, quum parva magnis, simplicia coniunctis, obscura dilucidis, laeta tristibus, incredibilia probabilibus inteximus, quae in exornationem cadunt omnia. 13. C. F. Quid? in deliberatione quid spectas? C. P. Principia, vel non longa, vel saepe nulla. Sunt enim ad audiendum qui deliberant, sua causa parati. Nec multum sane saepe narrandum est. Est enim narratio aut[9] praeteritarum rerum aut praesentium: suasio autem, futurarum. Quare ad fidem et ad motum adhibenda est omnis oratio.

---

(1) Sic Edd. vett. Iu. Crat. M. L. Sch. 2. — *Loco quidem* Grut. Ern. 1. (2) *cuius* scil. collocandi, Ern. 1. [ ]. del. Sch. 2. sine ulla causa. (3) Sic Edd. vett. Ern. 1. Sch. in Ed. mai. — *motus* Iu. — L. Sch. 2. contra suam voluntatem. (4) Sch. in Ed. mai. quum, nescio unde, edidisset: *Nam in consultatione propositus est finis, fides* h. l. inculcavit *in qua est utrumque propositum.* In Ed. min. quum in superioribus solitam ad lectionem rediisset, hoc tamen servavit *in qua est* (scil. inclusum) *propositum.* Pro spuriis habuit Ern. *Propositum* h. l. est nomen substantivum, intelligendumque ut §. 61. (5) — om. *modo* C1d. prob. Ern. (6) — *causarum genera* L. (7) ∞ om. *autem* C1d. prob. Ern. del. Sch. in Ed. mai. Nos [ ]. (8) Sic Cdd. aliq. quam rariorem formam praetuli cum N. Iu. M. Grut. = *inaequali* Cdd. aliq. L. Ern. 1. — *inaequalia* Sch. C. 2. contra sensum. (9) e C1d. Ern. 1. 2. — om. *aut* Ceteri.

14. C. F. Quid? in iudiciis quae est collocatio? C. P. Non eadem accusatoris et rei: quod accusator rerum ordinem prosequitur[1], et singula argumenta, quasi hasta in manu collocata[2], vehementer proponit, concludit acriter, confirmat tabulis, decretis, testimoniis, accuratiusque in singulis commoratur: perorationisque praeceptis, quae ad incitandos animos valent, et in reliqua oratione paullulum degrediens[3] de cursu dicendi, utitur, et vehementius in perorando. Est enim propositum[4], ut iratum efficiat iudicem[5]. V. 15. C. F. Quid faciendum est contra reo? C. P. Omnia longe secus. Sumenda principia ad benevolentiam conciliandam. Narrationes aut amputandae, quae laedunt: aut relinquendae, si totae sunt molestae. Firmamenta ad fidem posita, aut per se diluenda, aut obscuranda, aut degressionibus obruenda. Perorationes autem ad misericordiam conferendae. C. F. Semperne igitur ordinem collocandi, quem volumus, tenere possumus? C. P. Non sane. Nam auditorum aures moderantur oratori prudenti et provido, et quod respuunt, immutandum est.

16. C. F. Expone deinceps, quae ipsius orationis verborumque praecepta sint[6]. C. P. Unum igitur genus est eloquendi sua sponte fusum: alterum versum, atque mutatum. Prima vis[7] est in simplicibus verbis: in coniunctis secunda. Simplicia invenienda sunt: coniuncta collocanda [sunt][8]. Et simplicia verba[9] partim nativa sunt, partim reperta. Nativa ea, quae significata sunt sensu[10]: reperta, quae ex his facta sunt, et novata aut similitudine, aut imitatione, aut inflexione, aut adiunctione verborum. 17. Atque etiam est haec distinctio in verbis: altera, natura: tractatione, altera: natura, ut sint alia sonantiora, grandiora, laeviora[11] et quodammodo nitidiora: alia contra: tractatione autem, quum aut propria sumuntur rerum vocabula, aut addita ad nomen, aut nova, aut prisca, aut ab oratore modificata et inflexa quodam modo[12]: qualia sunt ea, quae transferuntur, aut immutantur, aut ea, quibus tamquam abutimur, aut ea, quae obscuramus, quae incredibiliter tollimus, quaeque mirabilius, quam sermonis consuetudo patitur, ornamus. VI. 18. C. F. Habeo de simplicibus verbis: nunc de coniunctione quaero. C. P. Numeri quidam sunt in coniunctione servandi, consecutioque verborum. Numeros aures ipsae metiuntur, ne aut non compleas verbis, quod proposueris, aut redundes. Consecutio autem, ne generibus, numeris, temporibus, personis, casibus perturbetur oratio. Nam, ut in simplicibus verbis, quod non est Latinum: sic in coniunctis, quod non est consequens, vituperandum est. 19. Communia autem simplicium coniunctorumque sunt haec quinque quasi lumina,

---

(1) Sic N. Crat. Ern. 1. 2. ∞ *persequitur* Iu. M. L. (2) — *quasi hastas* Cld. unde Sch. suspic. — *qu. hastas - - collocatas.* (3) Sic Cld. L. Sch. 2. — *digrediens* Ceteri. (4) — *ei prop.* L. (5) = *ut iud. eff. iratum* L. (6) Sic Cdd. aliq. L. Ern. 1. 2. — *sunt* M. Grut. — om. Iu. (7) — *Illius prima vis* Sch. C. 2. (8) ∞ om. *sunt* L. Sch. 2. Nos [ ]. — *coniunctio collocanda est* Gu. Nor. mire probante Ern. (9) — om. *verba* Cld. prob. Ern. (10) ∞ *primo sensu* Quintil. 8, 3, 36. (11) Sic L. Sch. 2. *sonantiora* etiam Ern. 1. e Cdd. — *consonantiora* N. Iu. Crat. M. Grut. *grandiora* etiam Cd. Vit. — *graviora* Iu. Cr. M. Ern. 1. — *leviora* Iu. Crat. Ern. 1. — *leniora* M. (12) H. l. divisim erat scribendum.

dilucidum, breve, probabile, illustre, suave. Dilucidum fit usitatis verbis, propriis, dispositis[1], aut circumscriptione conclusa, aut intermissione, aut concisione verborum. Obscurum autem, aut longitudine, aut contractione orationis, aut ambiguitate, aut inflexione atque immutatione verborum. Brevitas autem conficitur simplicibus verbis: semel unaquaque re dicenda, nulli rei, nisi, ut dilucide dicas, serviendo. Probabile autem genus est orationis, si non nimis est comptum atque expolitum, si est auctoritas et pondus in verbis, si sententiae vel graves, vel aptae opinionibus hominum et[2] moribus. 20. Illustris autem oratio est, si et verba gravitate delecta[3] ponuntur, et translata, et superlata, et ad nomen adiuncta, et duplicata, et idem significantia, atque ab ipsa actione atque imitatione rerum non abhorrentia. Est enim haec pars orationis, quae rem constituat paene ante oculos: is enim maxime sensus attingitur: sed ceteri[4] tamen, et maxime mens ipsa moveri potest. Sed quae dicta sunt de oratione dilucida, cadunt in hanc illustrem omnia. Est enim plus aliquanto illustre, quam illud dilucidum. Altero fit, ut intelligamus, altero vero[5], ut videre videamur. 21. Suave autem genus erit dicendi, primum elegantia et iucunditate verborum sonantium et laevium[6]: deinde coniunctione, quae neque asperos habeat concursus, neque disiunctos[7] atque hiantes: et sit circumscripta non longo anfractu, sed ad spiritum vocis apto, habeatque similitudinem aequalitatemque verborum: tum ex contrariis sumpta verbis, crebra crebris, paria paribus respondeant[8]: relataque ad idem verbum, et geminata, atque duplicata[9], vel etiam saepius iterata ponantur: constructioque verborum tum coniunctionibus copuletur, tum dissolutionibus relaxetur[10]. 22. Fit etiam suavis oratio, quum aliquid aut invisum, aut inauditum, aut novum dicas. Delectat enim quidquid est admirabile, maximeque movet ea, quae motum aliquem animi miscet, oratio: quaeque significat oratoris ipsius amabiles mores: qui exprimuntur, aut significando iudicio ipsius, ex animo humano ac liberali[11], aut inflexione sermonis, quum aut augendi alterius, aut minuendi sui causa, alia dici ab oratore, alia existimari videntur, idque comitate fieri magis, quam vanitate. Sed multa sunt suavitatis praecepta, quae orationem aut magis obscuram, aut minus probabilem faciunt[12]. Itaque etiam hoc loco nobis est ipsis, quid causa postulet, iudicandum. VII. 23. C. F. Reliquum est igitur, ut dicas de conversa oratione atque mutata. C. P. Est itaque id genus totum situm in commutatione verborum: quae simplicibus in verbis ita tractatur, ut

---

(1) — *compositis* Cdd. aliq. (2) = *ac* L. (3) — *granditate delecta*, vel *grandia et lecta* Lambini suspic. (4) — *sed et ceteri* Ern. suspic. (5) ∞ om. *vero* Gu. Sch. in Ed. mai. (6) Sic L. ut supra. — *lenium* Ceteri omnes. (7) — *diiunctos* Ern. suspic. (8) Totum locum melius distinxi cum Man. et L. Vitiosa interpunctio Sch. 2. ita decepit, ut daret audacissima €.: *verborum, tum ex contrariis sumptam, tum ut verbis, crebra crebris paria paribus resp.* (9) Haec *atque dupl.* del. Sch. €. 2. (10) — *quasi relax.* Cld. (11) Sic Iu. Crat. M. Ern. 1. Est: quum significat suum ipsius iudicium proficiscens ex animo humano. — *indicia* Nor. Margo Crat. — *signif. ex ind. ipsius, animo humano ac l.* L. — *signif. iudicibus animo h. ac l.* Sch. €. 2. (12) Sic omnes, etiam Sch. in Ed. mai. — *faciant* Ern. €. 1. 2.

aut ex verbo dilatetur, aut in verbum contrahatur oratio: ex verbo, quum aut proprium, aut idem significans, aut factum verbum in plura verba diducitur: ex oratione[1], quum aut definitio ad unum verbum revocatur, aut assumpta verba removentur, aut in circuitus diriguntur[2], aut in coniunctione fit unum verbum ex duobus. 24. In coniunctis autem verbis triplex adhiberi potest commutatio, non verborum, sed ordinis tantummodo: ut, quum semel dictum sit directe, sicut natura ipsa tulerit[3], invertatur ordo, et idem quasi sursum versus[4] retroque dicatur; deinde idem intercise atque permixte[5]. Eloquendi autem exercitatio maxime in hoc toto convertendi genere versatur.

25. C. F. Actio igitur sequitur, ut opinor. C. P. Est ita: quae quidem oratori et cum rerum et cum verborum momentis commutanda maxime est. Facit enim et dilucidam orationem, et illustrem, et probabilem, et suavem, non verbis, sed varietate vocum, motu corporis, vultu, quae plurimum valebunt, si cum orationis genere consentient, eiusque vim ac varietatem subsequentur[6]. 26. C. F. Num quidnam de oratore ipso[7] restat? C. P. Nihil sane, praeter memoriam, quae est gemina[8] literaturae quodammodo, et in dissimili genere persimilis. Nam ut illa constat ex notis literarum, et ex eo, in quo imprimuntur illae notae: sic confectio memoriae, tamquam cera, locis utitur, et in his imagines, ut literas, collocat.

VIII. 27. C. F. Quoniam igitur vis oratoris omnis exposita est, quid habes de orationis praeceptis dicere? C. P. Quatuor esse eius partes: quarum prima et postrema ad motum animi valet[9]. Is enim initiis est et perorationibus concitandus. Secunda, narratio, et tertia, confirmatio, fidem facit[10] orationi. Sed amplificatio quamquam habet proprium locum, saepe etiam primum, postremum quidem fere semper, tamen reliquo in cursu orationis adhibenda est, maximeque quum aliquid aut confirmatum est, aut reprehensum. Itaque ad fidem quoque vel plurimum valet. Est enim amplificatio vehemens quaedam argumentatio; ut illa docendi causa sit, haec commovendi. 28. C. F. Perge igitur ordine quatuor mihi istas[11] partes explicare. C. P. Faciam, et a principiis primum ordiar: quae quidem ducuntur aut ex personis, aut ex rebus ipsis. Sumuntur autem trium rerum gratia: ut amice, ut intelligenter, ut attente audiamur. Quorum primus locus est in personis nostris, disceptatorum, adversariorum: e quibus initia benevolentiae conciliandae comparantur, aut meritis nostris, aut dignitate, aut aliquo genere virtutis, et maxime liberalitatis, officii, iustitiae, fidei; contrariisque[12] rebus in adversarios conferendis, et cum iis, qui disce-

(1) — *ex contractione* Nor. — *diducitur. In verbum autem contrahitur oratio, quum* Non est haec nonnullarum Edd. lectio, ut ait Sch. sed Lambini suspic. recepta a Sch. 2. (2) Haec ita mutata *aut in circuitus dirigitur* Sch. ponenda censet post v. *diducitur*. At sensus hic est: quum assumpta verba aut omnino removentur, aut, priori loco quum omissa fuerint, (qua quidem re ibi contrahitur sane oratio,) postea περιφραζονται. (3) — *tulerat* Ern. susp. (4) = *sursum versum* L. (5) Sic dedi e Gu. = *permiste* Ceteri. (6) — *valebit* - - *consentiet* - - *subsequetur*. Cd. Vit. (7) — *oratori ipsi* Idem. (8) Sic N. Iu. M. L. 1. 2. — *germana* Alii. v. Lambini *Adnotatt.* (9) — *valent* L. (10) — *faciunt* L. (11) = *istas mihi* e Gu. Sch. 2. (12) Sic N. Iu. Crat. Ern. 1. 2. — *contrariis* M. L. Grut.

ptant, aliqua coniunctionis aut causa aut spe significanda: et, si in nos aliquod odium offensiove collata[1] sit, tollenda ea minuendave, aut diluendo, aut extenuando, aut compensando, aut deprecando. 29. Intelligenter autem ut audiamur, et attente, a rebus ipsis ordiendum est. Sed facillime auditor discit, et, quid agatur, intelligit, si complectare a principio genus naturamque[2] causae, si definias, si dividas, si neque prudentiam eius impedias confusione partium, nec memoriam multitudine: quaeque mox de narratione dilucida dicentur, eadem etiam huc poterunt recte referri[3]. 30. Ut attente autem audiamur, trium rerum aliqua consequemur. Nam aut magna quaedam proponemus, aut necessaria, aut coniuncta cum ipsis, apud quos res agetur. Sit autem hoc etiam[4] in praeceptis, ut, si quando tempus ipsum, aut res, aut locus, aut interventus alicuius, aut interpellatio, aut ab adversario dictum aliquod, et maxime in perorando, dederit occasionem nobis aliquam[5], ut dicamus aliquid ad tempus apte, ne derelinquamus: et, quae suo loco de amplificatione dicemus, multa ex his poterunt ad principiorum praecepta transferri.

IX. 31. C. F. Quid? in narratione quae tandem conservanda sunt? C. P. Quoniam narratio est rerum explicatio, et quaedam quasi sedes ac fundamentum constituendae fidei, ea sunt in ea servanda maxime, quae etiam in reliquis fere dicendi partibus: quae partim sunt necessaria, partim assumpta[6] ad ornandum. Nam ut dilucide probabiliterque narremus, necessarium est: sed assumimus[7] etiam suavitatem. 32. Ergo ad dilucide narrandum eadem illa superiora explicandi et illustrandi praecepta repetemus, in quibus est brevitas: eaque saepissime in narratione laudatur, de qua supra dictum est. Probabilis autem erit, si personis, si temporibus, si locis ea, quae narrabuntur, consentient: si cuiusque facti et eventi causa ponetur: si testata[8] dici videbuntur, si cum hominum opinione, auctoritate[9], si cum lege, cum more, cum religione coniuncta: si probitas narrantis significabitur, si antiquitas, si memoria[10], si orationis veritas, et vitae fides. Suavis autem narratio est, quae habet admirationes, exspectationes, exitus inopinatos, interpositos motus animorum, colloquia personarum[11], dolores, iracundias, metus, laetitias, cupiditates. Sed iam ad reliqua pergamus[12].

33. C. F. Nempe ea sequuntur, quae ad faciendam fidem pertinent. C. P. Ita est: quae quidem in confirmationem et in[13] reprehensionem dividuntur. Nam in confirmando, nostra probare volumus: in repre-

---

(1) Sic Iu. Crat. L. (— vel *facta vel collata* Ven. Nor.) — *collocata* M. Grut. Ern. 1. — *concitata* Sch. €. 2. (2) — om. *naturamque* Cld. prob. Ern. (3) — *conferri* Cd. Erl. (4) — *et iam* L. — *sit etiam hoc in pr.* Heusing. suspic. (5) ∞ *occ. ded. nob.* (om. *aliq.*) ex Erl. Sch. 2. Mox *sin* L. (6) Sic N. Ern. 1. 2. ∞ *partim sunt assumpta* Iu. Cr. M. L. — *partim sumpta* Gu. (7) ∞ *assumemus* ex Erl. Sch. 2. Sed praestet, ut opinor, futurum. ut §. 30. *consequemur.* (8) ∞ *testate* Erlang. (9) — *vel auct.* Sch. €. 2. (10) Id est *παραιολογια και ἱστορια*: etsi ingeniose Man. L. ∞ *si antiquitatis memoria.* (11) — *interposita colloquia personarum, motus animorum* Sch. €. 2. quasi vero ita esset ap. Quintil. 4, 2. 108. sed is habet: *exitus inopinatus, colloquia personarum, omnes affectus.* (12) — *transeamus* Ed. Ven. Nor. (13) Sic Cdd. aliq. Iu. Victor. M. Sch. 2. — om. *in* L. Ern. 1.

hendendo, redarguere contraria. Quoniam igitur omne, quod in controversiam venit, id aut sit[1], necne sit[2], aut quid sit, aut quale sit quaeritur: in primo coniectura valet, in altero definitio, in tertio ratio. 34. C. F. Teneo istam distributionem. Nunc coniecturae locos quaero. X. C. P. In veri similibus, et in propriis rerum notis posita est tota. Sed appellemus docendi gratia veri simile, quod plerumque ita fiat: ut, adolescentiam procliviorem esse ad libidinem. Propriae autem notae argumentum, quod nunquam aliter fit, certumque declarat, ut fumus ignem. Veri similia reperiuntur ex partibus et quasi membris narrationis. Ea sunt in personis, in locis, in temporibus, in factis, in eventis, in rerum ipsarum negotiorumque naturis. 35. In personis naturae primum spectantur, valetudinis, figurae, virium, aetatis, marium, feminarum: atque haec quidem in corpore: animi autem, aut quemadmodum affecti sint[3], virtutibus, vitiis, artibus, inertiis, aut quemadmodum commoti, cupiditate, metu, voluptate, molestia. Atque haec quidem in natura spectantur[4]. In fortuna, genus, amicitiae, liberi, propinqui, affines, opes, honores, potestates, divitiae, libertas, et ea, quae sunt his[5] contraria. 36. In locis autem et illa naturalia, maritimi an remoti a mari: plani an montuosi[6]: laeves an asperi: salubres an pestilentes: opaci an aprici: et illa fortuita, culti an inculti: celebres an deserti: coaedificati an vasti: obscuri an rerum gestarum vestigiis nobilitati: consecrati an profani. XI. 37. In temporibus autem, praesentia et praeterita et futura cernuntur. In his ipsis, vetusta, recentia, instantia, paullo post aut aliquando futura. Insunt etiam in temporibus illa, quae temporis quasi naturam notant, ut hiems, ver, aestas, autumnus: aut anni tempora, ut mensis, ut dies, ut nox, hora, tempestas; quae sunt naturalia: fortuita autem, sacrificia, festi dies, nuptiae[7]. 38. Iam facta et eventus aut consilii sunt, aut imprudentiae; quae est aut in casu, aut in quadam animi permotione: casu, quum aliter cecidit[8], ac putatum[9] sit: permotione, quum aut oblivio, aut error, aut metus, aut aliqua cupiditatis causa permovit. Est etiam in imprudentia necessitas ponenda[10]. Rerum autem bonarum et malarum tria sunt genera. Nam aut in animis, aut in corporibus, aut extra esse possunt. Huius igitur materiae, ad argumentum subiectae, perlustrandae animo partes erunt omnes, et ad id, quod agetur, ex singulis coniectura capienda. 39. Est etiam genus argumentorum aliud, quod ex facti vestigiis sumitur, ut telum, cruor, clamor editus[11], titubatio, permutatio coloris, oratio inconstans, tremor, et eorum aliquid, quod sensu percipi possit:

---

(1) — *id an aut sit* Margo Ed. Ven. prob. Ern. (2) Hoc *sit* del. Sch. C. 2. (3) e C.1d. Ern. 1. 2. — *sunt* Ceteri. (4) — om. *spectantur* Ed. Ven. prob. Ern. Sch. in Ed. mai. (5) Sic Nor. — *iis* Ceteri. (6) = *montosi* L. v. Garaton. *ad Plancian.* p. 55. Ed. nostrae. (7) Totus hic locus ita videtur refingendus Sch. — *Insunt etiam in temporibus illa, quae temporis quasi mensuram notant, ut annus, ut mensis, ut dies, ut nox, ut hora; aut anni tempora, ut hiems, ver, aestas, autumnus, quae sunt naturalia: fortuita autem sacrificia, festi dies, nuptiae.* (8) Sic Ed. Ven. N. Ern. 1. 2. — *accidit* Iu. — L. Grut. (9) — *ac putatum ac superatum* (sic) *sit* N. unde Sch. susp. *ac put. aut speratum sit.* (10) — *ponderanda* Gu. N. (11) — *auditus* Gu. N.

etiam, si[1] praeparatum aliquid, si communicatum cum aliquo, si post-ea visum, auditum, indicatum. 40. Veri similia autem partim singula movent suo pondere, partim, etiam si videntur esse exigua per se, multum tamen, quum sunt coacervata, proficiunt. Atque in his veri similibus insunt nonnunquam etiam certae rerum et propriae notae. Maximam autem facit fidem ad similitudinem veri, primum, exemplum; deinde introducta rei similitudo: fabula etiam nonnunquam, etsi sit[2] incredibilis, tamen homines commovet.

XII. 41. C. F. Quid? definitionis quae ratio est et quae via? C. P. Non dubium est id quidem, quin definitio genere declaretur, et proprietate quadam, aut etiam communium frequentia, ex quibus, proprium quid[3] sit, eluceat. Sed quoniam de propriis oritur plerumque magna dissensio, definiendum est saepe ex contrariis, saepe etiam ex dissimilibus, saepe ex paribus. Quamobrem descriptiones quoque sunt in hoc genere saepe aptae, et enumeratio consequentium, inprimisque commovet explicatio vocabuli ac nominis.

42. C. F. Sunt exposita iam fere ea, quae de facto, quaeque de facti appellatione quaeruntur. Nempe igitur ea restant, quae, quum et factum constet[4], et nomen, qualia sint, vocatur in dubium. C. P. Est ita, ut dicis. C. F. Quae sunt igitur in eo genere partes? C. P. Aut iure factum, depellendi[5] aut ulciscendi doloris gratia, aut pietatis, aut pudicitiae, aut religionis, aut patriae nomine, aut denique necessitate, inscientia[6], casu. 43. Nam quae motu animi et perturbatione facta sine ratione sunt, ea defensionem contra crimen, in legitimis iudiciis, non habent, in liberis disceptationibus habere possunt. Hoc in genere, in quo, quale sit, quaeritur, ex controversia, iure, et rectene factum sit[7], quaeri solet: quorum disputatio ex locorum descriptione sumenda est. 44. C. F. Agesis ergo, quoniam in confirmationem et reprehensionem diviseras orationis[8] fidem, et dictum de altero est: expone nunc de reprehendendo. C. P. Aut totum est negandum, quod in argumentatione adversarius sumpserit, si fictum aut falsum esse possis docere; aut redarguenda ea, quae pro veri similibus sumpta sunt[9]: primum dubia sumpta esse pro certis: deinde etiam in perspicue falsis eadem posse dici: tum ex iis, quae sumpserit[10], non effici, quod velit[11]. Accidere autem opor-

---

(1) Sic Victor. Sch. in Ed. mai. — *etiamsi* 1. 2. (2) Sic omnes, praeter Ern. 1. Sch. 2. e Cld. *est:* sed quemadmodum in propositione speciali, ut ita dicam, etsi haec fabula est incredibilis, verus est indicat. sic in universali coniunctivus. (3) ∞ *quod* L. (4) *et* recepi e Gu. Erl. ∞ *constat* Gu. quod non aspernandum. — *quum factum constet, et nomen* Ceteri. (5) Sic e Cdd. Edd. vett. N. Ern. 1 2. — *aut i. factum depellitur aut ulc.* Iu. M. Grut. — *aut i. factum defenditur aut ulc.* L. Frustra utramque lect. coniungit Sch. susp. — *aut i. f. defendetur, depellendi aut ulc.* (6) Sic vere L. — *inscitia* Ceteri. (7) *factum* dedi cum L. correctore Cd. Gu. et Sch. in Ed. mai. — *actum* Ceteri. ∞ *iure et recte, necne* Corrector Cd. Gu Sch. 2. Sed vera scriptura videtur: ∞ *iure, necne.* Ante v. *ex controversia* del. Sch. E. 2. sed mihi etiam firmari videntur ex l. *de Orat.* 2, 26, 110. (8) — om. *orationis* L. (9) Sic Cdd. Iu. — L. Grut. Sch. in Ed. mai. — *sint* Ern. E. 1. 2. (10) Sic Cdd. aliq. L. Ern. 1. 2. — *sumpserint* Iu. M. Grut. (11) e Cdd. Ern. 1. 2. — *quae velit* L. — *quae velint* Iu. M. Grut.

tet singula[1]: sic universa frangentur. Commemoranda sunt etiam exempla, quibus simili in disputatione creditum non sit: conquerenda[2] conditio communis periculi, si ingeniis hominum criminosorum sit exposita vita innocentium.

XIII. 45. C. F. Quoniam unde inveniuntur[3] quae ad fidem pertinent[4], habeo, quemadmodum in dicendo singula tractentur, exspecto. C. P. Argumentationem quaerere videris, quae est[5] argumenti explicatio: quae sumpta ex iis locis, qui sunt expositi, conficienda et distinguenda dilucide est. C. F. Plane istuc[6] ipsum desidero. 46. C. P. Est ergo (ut supra dictum est) explicatio argumenti, argumentatio: sed ea conficitur, quum sumpseris aut non dubia, aut probabilia, ex quibus id efficias, quod aut dubium, aut minus probabile per se videtur. Argumentandi autem duo sunt genera, quorum alterum ad fidem directo spectat; alterum se inflectit ad motum. Dirigitur, quum proposuit aliquid[7], quod probaret, sumpsitque[8] ea, quibus niteretur[9], atque his confirmatis, ad propositum sese retulit[10], atque conclusit. Illa autem altera argumentatio, quasi retro et contra, prius sumit, quae vult, eaque confirmat: deinde id, quod proponendum fuit, permotis animis iacit ad extremum. 47. Est etiam[11] illa varietas in argumentando, et non injucunda distinctio: ut, quum interrogamus nosmet ipsos[12], aut percontamur, aut imperamus[13], aut optamus, quae sunt cum aliis compluribus sententiarum ornamenta. Vitare autem similitudinem poterimus, non semper a proposito ordientes: et si non omnia disputando confirmabimus[14], breviterque interdum, quae erunt satis aperta, ponemus: quodque ex his efficietur, si id apertum sit, non habebimus necesse semper concludere.

XIV. 48. C. F. Quid? illa, quae sine arte appellantur, quae iamdudum assumpta dixisti, ecquonam modo[15], ecquonam loco artis indigent? C. P. Illa vero indigent: nec eo dicuntur sine arte, quod ita sunt[16], sed quod ea non parit oratoris ars, sed foris ad se delata, tamen arte tractat, et maxime in testibus. 49. Nam et[17] de toto genere testium, quam id sit infirmum, saepe dicendum est: et argumenta, rerum esse propria: testimonia, voluntatum: utendumque est exemplis, quibus testibus creditum non sit: et de singulis testibus, si natura vani, si leves, si cum ignominia, si spe, si metu, si iracundia,

---

([1]) Sic ex Edd. vett. (quae tamen habent *ut sing.*) Sch. 2. — *Accedere autem op. ad singula* Iu. — L. Ern. 1. ([2]) ∞ *tum querenda* N. L. — *tum conquerenda* Sch. in Ed. mai. ([3]) ∞ *inveniantur* L. ([4]) ∞ *attinent* N. ([5]) Sic Nor. Iu. Crat. M. L. — *sit argumenti* e Cld. Grut. quo recepto facile intelligitur, cur Ern. 1. [ ] v. *argumentationem* et seqq. *quae sumpta - dilucide est*, eadem vero deleverit Sch. 2. Non tamen satis ponderarunt seqq. *ut supra dictum est*, quibus suspecta illa defenduntur. ([6]) = *istud* Sch. 2. ∞ *ipsum istuc* Nor. ([7]) — *aliquis* de Purgoldi €. Sch. in Ed. mai. ([8]) — *assumpsitque* Sch. in Ed. mai. ([9]) e Cld. Ern. 1. 2. — *uteretur* Iu. — L. Grut. — *monstretur* Nor. ([10]) Sic Nor. Iu. — L. = *se retulit* e Cld. Sch. 2. — om. *sese* Grut. Ern. 1. ([11]) e Cdd Edd. vett. Sch. 2. — *autem* Iu. — L. Ern. 1. ([12]) Sic Cdd. Iu. — L. defenditque Beier *Offic.* T. 1. p. 247. — *ipsi* Ern. €. 1. 2. ([13]) ∞ *imploramus* de Heusing. ingeniosa €. Sch. 2. ([14]) Sic Cdd. N. L. Ern. 1. 2. — *confirmando disputabimus* Iu. M. ([15]) ∞ Haec *ecq. modo* om. Erl. ([16]) — *sint* Gu. et Cd. Barberin. prob. Garat. *ad Mitton.* p. 151. *Bonon.* ([17]) Habent Nor. Grut. 1. 2. — om. *et* Iu. M. L.

si misericordia[1] impulsi, si praemio, si gratia adducti: comparandique superiore cum[2] auctoritate testium, quibus tamen creditum non sit. 50. Saepe etiam quaestionibus resistendum est, quod et dolorem fugientes multi in tormentis ementiti[3] persaepe sunt, morique maluerunt falsum fatendo, quam infitiando[4] dolere. Multi etiam suam vitam neglexerunt, ut eos, qui his cariores, quam ipsi sibi essent, liberarent: alii autem aut natura corporis, aut consuetudine dolendi, aut metu supplicii, ac mortis[5], vim tormentorum pertulerunt: alii ementiti sunt in eos, quos oderant. Atque haec exemplis firmanda sunt. 51. Neque est obscurum, quin (quoniam in utramque partem[6] sunt exempla, et item ad coniecturam faciendam loci) in contrariis contraria sint sumenda. Atque etiam incurrit alia quaedam in testibus et in quaestionibus ratio. Saepe enim ea, quae dicta sunt, si aut ambigue, aut inconstanter, aut incredibiliter dicta sunt, aut etiam aliter ab alio dicta, subtiliter reprehenduntur.

XV. 52. C. F. Extrema tibi pars restat orationis, quae posita in perorando est, de qua sane velim audire. C. P. Facilior[7] est explicatio perorationis. Nam est divisa in duas partes, amplificationem, et enumerationem. Augendi autem et hic est proprius locus in perorando: et in cursu ipso orationis declinationes ad amplificandum dantur, confirmata re aliqua, aut reprehensa. 53. Est igitur amplificatio, gravior quaedam affirmatio, quae motu animorum conciliet in dicendo fidem. Ea et verborum genere conficitur, et rerum. Verba ponenda sunt, quae vim habeant illustrandi, nec ab usu sint abhorrentia, grandia[8], plena, sonantia, iuncta, facta[9], cognominata[10], non vulgata, superlata, inprimisque translata, nec[11] in singulis verbis, sed in continentibus, soluta, quae dicuntur sine coniunctione, ut plura videantur. 54. Augent etiam relata verba, iterata, duplicata, et ea, quae ascendunt gradatim ab humilioribus verbis[12] ad superiora, omninoque semper quasi naturalis[13] et non explanata oratio, sed grandibus[14] referta verbis, ad augendum accommodatior[15]. Haec igitur in verbis; quibus actio vocis, vultus, et gestus[16] congruens, et apta ad animos permovendos, accommodanda[17] est. Sed et[18] in verbis, et in actione causa erit tenenda[19],

---

([1]) ∞ *si invidia, si mis.* Erl. ([2]) — *cum sup.* Gu. N. ([3]) — *mentiti* L. ([4]) Sic Iu. M. Grut. Sch. 2. — *quam verum inf.* Ed. Ven. N. Ern. 1. — *quam vere inf.* Crat. — *quam vera inf.* L. v. Schuetz. in Ed. mai. ([5]) Sic Ven. N. Ern. 1. 2. — *aut m.* Iu. — L. Grut. ([6]) Sic e Cdd. Grut. 1. 2. — *in utraque parte* N. Iu. — L. ([7]) ∞ *Facilis* Olx. Ed. Ven. N. L. non improb. Ern. et verum videtur. ([8]) Sic e Cld. L. — *gravia* Ceteri. Sententias graves novi; verba gravia non minus mira mihi accidunt, quam Lambino. Alia res est, quum infra de verbis et actione dicitur, *quum graviora sunt.* ([9]) — *ficta* N. ([10]) — *coagmentata* M. Bruti €. probata, nec tamen recepta a Lallem. ([11]) — *nec solum* Sch. €. 2. Idem recte interpunxit: *continentibus, soluta*, quae antea coniungebantur. ([12]) ∞ del. *verbis* Sch. €. 2. ([13]) — *non naturalis* Sch. mira €. in Ed. mai. ([14]) Sic dedi cum L. qui habet *et grandibus*, — *gravibus* Ceteri. ([15]) Fortasse: *est acc.* ([16]) ∞ *actio voce, vultu et gestu* e Cdd. L. non improb. Sch. ([17]) Sic Ed. Ven. L. Ern. 1. 2. — *accommodata* Iu. M. Grut. ([18]) — om. *et* Sch. 2. ([19]) pro v. *tenenda*, Gu. Ox. unus *ponenda*; Erl. et Ox. alter *ponderanda*. Sic Ven. Nor. sed omittunt seqq. *et pro re agendum*, ut ex Erl. dedit Sch. 2. necessario fere, si *tenenda* verum est. Etenim coniicere licet etiam cum Lambino: *tenenda, et ponderanda*. Duri enim nescio quid habet *et pro re agendum*, solocecum est: *pro re agenda* ceterorum.

et pro re agendum. Nam haec, quia[1] videntur perabsurda, quum graviora sunt, quam causa fert; diligenter, quid quemque[2] deceat, iudicandum est. XVI. 55. Rerum amplificatio sumitur eisdem ex locis omnibus, quibus[3] illa, quae dicta sunt[4] ad fidem: maximeque definitiones[5] valent conglobatae, et consequentium frequentatio, et contrariarum et dissimilium, et inter se pugnantium rerum conflictio[6]: et causae, et ea, quae sunt de causis orta, maximeque similitudines et exempla: fictae etiam personae: muta denique loquantur, omninoque ea sunt adhibenda, si causa patitur, quae magna habentur: quorum est duplex genus. 56. Alia enim naturâ magna[7] videntur, alia usu: naturâ, ut caelestia, ut divina, ut ea, quorum obscurae causae, ut, in terris mundoque admirabilia quae sunt: ex quibus similibusque, si attendas, ad augendum permulta suppetunt: usu, quae videntur hominibus aut prodesse aut obesse vehementius: quorum sunt genera ad amplificandum tria. Nam aut caritate moventur homines, ut deorum, ut patriae, ut parentum: aut amore, ut fratrum, ut coniugum, ut liberorum, ut familiarium: aut honestate, ut virtutum, maximeque earum, quae ad communionem hominum et liberalitatem valent. Ex iis et[8] cohortationes sumuntur ad ea retinenda: et in eos, a quibus ea violata sunt, odia incitantur[9], et miseratio nascitur. XVII. 57. Proprius locus est augendi[10], in his rebus aut amissis, aut amittendi periculo. Nihil est enim tam miserabile, quam ex beato miser. Et hoc totum quidem moveat, si bona[11] ex fortuna quis cadat, et, a quorum caritate divellatur, quae amittat, aut amiserit, in quibus malis sit, futurusve sit, exprimatur breviter. Cito enim aresci[12] lacryma, praesertim in alienis malis. Nec quidquam in amplificatione nimis enucleandum est: minuta est enim omnis diligentia; hic autem locus grandia requirit. 58. Illud iam est iudicii, quo quaque in causa genere utamur augendi. In illis enim causis, quae ad delectationem[13] exornantur, ii loci tractandi sunt, qui movere possunt exspectationem, admirationem, voluptatem: in cohortationibus autem, bonorum ac malorum enumerationes et exempla valent plurimum. In iudiciis accusatori fere, quae ad iracundiam; reo pleruinque, quae ad misericordiam pertinent. Nonnunquam tamen accusator misericordiam movere debet, et defensor iracundiam. 59. Enumeratio reliqua est, nonnunquam laudatori, suasori non saepe, accusatori saepius quam reo, necessaria. Huius ipsa tempora[14] duo sunt, si aut memoriae diffidas eorum, apud quos agas, vel intervallo temporis, vel longitudine orationis: aut frequentatis firmamentis orationis, et breviter

---

([1]) — *quia haec* L. — *Nam quia videntur perabsurda, quae graviora sunt* perverse Sch. €. 2. ([2]) — *quamque* L. ([3]) — *ex quibus* L. prob. Sch. ([4]) — *quae valere dicta sunt* L. ([5]) ∞ *et def.* Erl. ([6]) ∞ *conflictatio* O1x. C3d. Lambini. L. ([7]) Sic Erlang. Sch. 2. — *magna natura* Ceteri. ([8]) — *etiam* L. ([9]) — *concitantur* L. ([10]) Sic Edd. vett. Ern. 1. om. *est* Iu. M. Grut. ∞ *Proprius autem l. est a.* O1x. Sch. 2. (hic quidem e Gu. *Proprius aut locus est a.*) Sed Lamb. *nascitur ex iis rebus aut amissis, aut amittendis. Nihil.* ceteris omissis. ([11]) ∞ *si qua* Sch. €. 2. ingeniose. Alio modo hianti constructioni succurrit Lamb. edens: *et, si a quorum.* ([12]) — *exarescit* Nor. ([13]) ∞ *laudationem* Crat. L. (— *liberationem* N.) ([14]) id est, huius apta maxime tempora. — *ipsa* om. Edd. vett. Ern. 1. 2. Habent Iu. Crat. M. L. Grut.

expositis, vim est[1] habitura causa maiorem. 60. Et reo rarius utendum est, quod ponenda sunt contraria; quorum dissolutio in brevitate non lucebit[2], aculei pungent. Sed erit in enumeratione vitandum, ne ostentatio memoriae suscepta videatur esse puerilis. Id effugiet, qui non omnia minima repetet, sed brevi[3] singula attingens, pondera rerum ipsa comprehendet.

XVIII. 61. C. F. Quoniam et de ipso oratore et de oratione dixisti, expone eum mihi nunc, quem ex tribus extremum proposuisti, quaestionis locum. C. P. Duo sunt, ut initio dixi, quaestionum genera; quorum alterum, finitum temporibus et personis, causam appellat[4]: alterum infinitum, nullis neque personis, neque temporibus notatum, propositum voco[5]. Sed est propositum quasi latior pars causae quaedam[6]. Inest enim infinitum in definito, et ad illud tamen referuntur omnia. 62. Quamobrem prius de proposito dicamus: cuius genera sunt duo, cognitionis alterum; eius scientia est finis, ut, verine sint sensus: alterum actionis; quod refertur ad efficiendum quid, ut, si quaeratur, quibus officiis amicitia colenda sit. Rursus superioris genera sunt tria: sit, necne[7]: quid sit: quale sit. Sit, necne: ut, ius in naturane[8] sit, an in more: quid autem sit, sic: sitne[9] ius id, quod maiori parti sit utile: quale autem sit, sic: iuste vivere, sit, necne, utile. 63. Actionis autem duo sunt genera: unum, ad persequendum aliquid, aut declinandum; ut, quibus rebus adipisci gloriam possis[10], aut quomodo invidia vitetur: alterum, quod ad aliquod commodum usumque refertur; ut, quemadmodum sit res publica administranda, aut, quemadmodum in paupertate vivendum. 64. Rursus autem ex[11] cognitionis consultatione, ubi, sit, necne sit, aut fuerit, futurumve sit, quaeritur, unum genus est quaestionis, possitne aliquid effici? ut, quum quaeritur, ecquisnam perfecte sapiens esse possit? alterum, quemadmodum quidque fiat; ut, quonam pacto virtus pariatur, naturane, an ratione, an usu? Cuius generis sunt omnes, in quibus, ut in obscuris naturalibusque quaestionibus, causae rationesque rerum explicantur. XIX. 65. Illius autem generis, in quo, quid sit

---

(1) ∞ *sit* L. sed del. videtur potius v. *causa*, ut subiectum sit *enumeratio*. (2) Sic O1x. Nor. prob. Lamb. Sch. 2. — *in brevit. lucebit* miro errore Ern. quasi sic voluisset Lamb. etsi habet sic Ox. alter. — *in brevit. latebit* Iu. Crat. M. Grut. (3) Sic recte Man. — *brevia* N. Iu. Crat. L. Ern. 1. — *breviter* Sch. €. 2. (4) Sic Cdd. aliq. Ed. Ven. N. Man. Grut. Ern. 1. 2. — *causam controversiam* Cd. Vit. — *controversiam causam* Ald. Iu. Crat. — *controversam causam* Ed. vetus ap. Grut. non Gruterus ipse. — *controversiam seu causam* L. (5) Sic N. Iu. Crat. M. L. Ern. 1. 2. — *quod prop. voco.* Ed. 1584. Grut. (6) Sic composui turbas Cdd. et Edd. — *sed propositum latius quasi pars omne* (id est *causae*) *et controversiae.* Nor. — *sed propositum latior pars controversiae, quam causae.* Palat. quintus ap. Grut. quem exhibere ait Lallem. quod ipse dedit: — *sed propositum latior pars causae quaedam, et controversiae.* — *sed est propositum quasi pars causae quaedam.* L. — *sed est quasi latior pars causae quaedam propositum.* Sch. €. 2. — *sed est consultatio quasi pars causae quaedam.* Man. — *sed est consultatio quasi pars causae quaedam et controversiae.* Iu. Crat. Grut. Ern. 1. (7) ∞ *necne sit* O1x. L. bis. (8) Sic Cdd. etiam O1x. Sch. 2. — *in natura* Ceteri. (9) Sic bis dedi cum Ed. Ven. Nor. etsi praestat fortasse Sch. €. 2. *sit, ut, sitne - - sit, ut iuste.* Ceteri *sit; sitne - - sit; iuste,* Praeterea ∞ *autem* del. Sch. €. 2. (10) — *possit* Gu. (11) — *in* L.

id, de quo agitur, quaeritur, duo sunt genera: quorum in altero disputandum est, aliud an idem sit, ut, pertinacia et perseverantia: in altero autem, descriptio generis alicuius, et quasi imago exprimenda est, ut, qualis sit avarus, aut, quid sit superbia[1]. 66. Tertio autem in genere, in quo, quale sit, quaeritur, aut de honestate, aut de utilitate, aut de aequitate dicendum est. De honestate sic: ut, Honestumne sit pro amico periculum aut invidiam subire? De utilitate autem sic: ut, Sitne utile, in re publica administranda versari? De aequitate vero sic: ut, Sitne aequum, amicos cognatis anteferre? Atque in hoc eodem genere, in quo, quale sit, quaeritur, exoritur aliud quoddam disputandi genus. Non enim simpliciter solum quaeritur, quid honestum sit, quid utile, quid aequum, sed etiam ex comparatione, quid honestius, quid utilius, quid aequius: atque etiam, quid honestissimum, quid utilissimum, quid aequissimum: cuius generis illa sunt, quae praestantissima sit dignitas vitae? Atque ea quidem, quae dixi, cognitionis sunt omnia. 67. Restant actionis: cuius alterum est praecipiendi genus, quod ad rationem officii pertinet: ut quemadmodum colendi sint parentes: alterum autem ad[2] sedandos animos, et oratione sanandos, ut in consolandis maeroribus, ut in iracundia comprimenda, aut in timore tollendo[3], aut in cupiditate minuenda. Cui quidem generi contrarium est disputandi genus ad eosdem illos animi motus, quod in amplificanda oratione[4] saepe faciendum est, vel gignendos, vel concitandos. Atque haec fere est partitio consultationum. XX. 68. C. F. Cognovi: sed quae ratio sit[5] in his inveniendi et disponendi, requiro. C. P. Quid? tu aliamne censes, et non eandem[6], quae est exposita, ut ex eisdem locis ad fidem et ad inveniendum ducantur omnia? Collocandi autem quae est exposita in aliis ratio, eadem huc transfertur.

Cognita igitur omni distributione propositorum, causarum[7] genera restant [admodum[8]]. 69. Et earum quidem forma duplex est: quarum altera delectationem sectatur aurium[9]: alterius, ut obtineat, probet et efficiat quod agit, omnis est suscepta contentio. Itaque illud superius, exornatio dicitur: quod quum[10] latum genus esse potest, saneque varium, unum[11] ex eo delegimus, quod ad laudandos claros viros suscipimus[12], et ad improbos vituperandos. Genus enim nullum

---

(1) — *superbus* Cdd. aliq. Edd. vett. N. (2) ∞ *quod ad* L. Sch. 2. Videtur tamen esse e correctione. (3) — *deliniendo* O1x. Ed. Ven. (4) — *animorum motus quod in amplificatione orationis* Edd. vett. (5) Sic Edd. vett. L. Ern. 1. 2. — *est* Iu. M. Grut. (6) Sic cum Cdd. Edd. vett. Ern. 1. 2. — *eandem esse* Iu. Crat. M. L. Grut. (7) Sic dedi partim e Ven. Nor. partim cum Lamb. Illae scil. una literula distantes — *propositarum causarum:* hic nimium quantum cumulatis gloss. *propositorum* (recte) *seu consultationum*, *controversiarum seu causarum.* — *propositarum consultationum*, *causarum* Iu. Crat. M. Ern. 1. 2. Qui *consultationum* retinere volent, legant certe: *propositorum et consultationum.* (8) Sic e Cdd. Ern. 1. 2. — *genera et praecepta restant admodum* O1x. — *genera et praecepta restant amodo* Ed. Ven. Nor. — *genera restant omnino* Iu. Crat. M. L. Grut. Equidem *amodo* in scriptoribus medii aevi olim legi pro v. *adhuc* vel *etiamnunc:* idque mihi h. l. e gloss. ab Italis intrusum videtur: alii librarii, qui scirent id Latinum non esse, scripserunt *admodum*, alii *omnino.* Utrumvis dele. Ego [ ]. (9) — *auditorum* vel delend. *aurium* Sch. suspic. (10) — *quod quoniam* Sch. suspic. in Ed. mai. (11) — *tum unum* L. perperam. (12) e Cdd. Edd. vett. Ern. 1. 2. — *suscepimus* Iu. — L. Grut.

est orationis, quod aut uberius ad dicendum, aut utilius civitatibus esse possit, aut in quo magis orator in cognitione virtutum vitiorumque versetur. Reliquum autem genus causarum, aut in provisione posteri temporis, aut in praeteriti disceptatione versatur: quorum alterum deliberationis est, alterum iudicii. 70. Ex qua partitione tria genera causarum exstiterunt; unum, quod a meliori parte, laudationis est appellatum; deliberationis alterum, tertium iudiciorum. Quamobrem de quo primo primum, si placet, disputemus. C. F. Mihi vero placet.

XXI. C. P. Ac laudandi vituperandique rationes, quae non ad bene dicendum solum, sed etiam ad honeste vivendum valent, exponam breviter, atque a principiis exordiar et laudandi et vituperandi. 71. Omnia enim [1] sunt profecto laudanda, quae coniuncta cum virtute sunt: et quae cum vitiis, vituperanda. Quamobrem finis alterius est honestas, alterius turpitudo. Conficitur autem genus hoc dictionis, narrandis exponendisque factis, sine ullis argumentationibus, ad animi motus leniter tractandos magis, quam ad fidem faciendam aut confirmandam accommodate. Non enim dubia firmantur, sed ea, quae certa [2], aut pro certis posita sunt, augentur. Quamobrem ex iis, quae ante dicta sunt, et narrandi, et augendi praecepta repetentur. 72. Et, quoniam in his causis omnis ratio [3] fere ad voluptatem auditoris et ad delectationem refertur, utendum erit iis, in oratione, singulorum verborum insignibus, quae habent [4] plurimum suavitatis: id est, ut factis [5] verbis, aut vetustis, aut translatis frequenter utamur, et in ipsa constructione verborum, ut paria paribus, et similia similibus saepe referantur: ut contraria, ut geminata, ut circumscripta numerose, non ad similitudinem versuum, sed ad explendum aurium sensum, apto quodam quasi verborum modo [6]. 73. Adhibendaque frequentius etiam illa ornamenta rerum sunt, sive quae admirabilia et nec opinata, sive significata monstris, prodigiis, et [7] oraculis: sive quae videbuntur ei, de quo agimus, accidisse [8] divina atque fatalia. Omnis enim exspectatio eius, qui audit, et admiratio, et improvisi exitus, habent aliquam in audiendo voluptatem. XXII. 74. Sed quoniam tribus in [9] generibus bona malave [10] versantur, externis, corporis, et animi; prima sunt externa, quae ducuntur a genere: quo breviter modiceque laudato, aut, si erit infame, praetermisso; si humile, vel praeterito, vel ad augendam eius, quem laudes [11], gloriam tracto [12], deinceps, si res patietur [13], de fortunis erit et facultatibus dicendum. Postea de corporis bonis; in quibus quidem, quae virtutem [14] maxime significat, facillime forma laudatur. 75. Deinde est ad facta veniendum, quorum collocatio triplex est: aut enim temporum servandus est ordo, aut in primis recentissimum quodque dicendum, aut multa et varia facta in propria

---

(1) — om. *enim* L. (2) — *testata* Olx. al. (3) — *oratio* Olx. al. (4) — *habeant* Ern. susp. (5) ∞ *id fit, si f.* Ed. Ven. prob. Ern. (6) = *quasi quodam* N. Iu. M. L. — *nodo* Lamb. suspicio non recepta. (7) ∞ om. *et* L. (8) ∞ *cecidisse* Gu. Edd. vett. probb. Ern. et Sch. cfr. tamen §. 82. (9) e Gu. Nor. Sch. 2. = *in tribus* Ceteri. (10) — *malaque* L. (11) e Cdd. Ern. 1. 2. — *laudas* M. L. Grut. — *laudat* Iu. (12) Sic Ern. C. 1. 2. — *tacto* Ceteri. — *tacito* Margo Crat. (13) Sic Ven. Ern. 1. 2. — *patiatur* Iu. M. L. — *patitur* Grut. (14) — *in primis quod quasi virt.* Gu. Olx. — *in quibus, quod v.* L.

virtutum genera sunt * digerenda [1]. Sed hic locus virtutum atque vitiorum latissime patens, ex multis et variis disputationibus nunc in quandam angustam et brevem concludetur. 76. Est igitur vis virtutis duplex: aut enim scientia cernitur virtus, aut actione. Nam, quae prudentia, quae calliditas, quaeque gravissimo nomine sapientia appellatur, haec scientia pollet una. Quae vero moderandis cupiditatibus, regendisque animi motibus laudatur, eius est munus in agendo: cui temperantiae nomen est. Atque illa prudentia [2] in suis rebus, domestica; in publicis, civilis appellari solet. 77. Temperantia autem [3] in suas itidem res et in communes distributa est, duobusque modis in rebus commodis discernitur: et ea, quae absunt, non expetendo, et ab iis, quae in potestate sunt, abstinendo. In rebus autem incommodis est itidem duplex: nam quae venientibus malis obstat, fortitudo; quae, quod iam adest [4], tolerat et perfert, patientia nominatur. Quae autem haec uno genere complectitur [5], magnitudo animi dicitur: cuius est liberalitas, in usu pecuniae: simulque altitudo animi, in capiendis [6] incommodis et maxime iniuriis: et omne, quod est eius generis, grave, sedatum, non turbulentum [7]. 78. In communione [8] autem quae posita pars est, iustitia dicitur, eaque erga deos, religio, erga parentes, pietas, [vulgo autem bonitas:] [9] creditis in rebus fides, in moderatione animadvertendi lenitas, amicitia in benevolentia [10] nominatur. XXIII. Atque hae quidem virtutes cernuntur in agendo. Sunt autem aliae quasi ministrae comitesque sapientiae: quarum altera, quae sint in disputando vera atque falsa, quibusque positis quid sequatur, distinguit et iudicat: quae virtus omnis in ratione scientiaque disputandi [11] sita est: altera autem oratoria [12]. 79. Nihil est enim [13] aliud eloquentia, nisi copiose loquens sapientia: quae ex eodem hausta genere, quo illa, quae in disputando est, uberior est atque latior [14], et ad motus animorum vulgique sensus accommodatior. Custos vero virtutum omnium, dedecus fugiens, laudemque maxime consequens, verecundia est. Atque hi sunt fere [15] quasi quidam habitus animi, sic affecti et constituti, ut sint singuli inter se proprio virtutis genere distincti: a quibus ut quaeque res gesta est, ita sit honesta necesse est, summeque laudabilis. 80. Sunt autem alii quidam [perfecti] [16] animi habitus, ad virtutem quasi praeculti, et praeparati rectis studiis et artibus: ut, in suis rebus, studia literarum, ut numerorum ac [17] sonorum, ut mensurae,

---

([1]) Sic L. coniecturâ, ut videtur. Sch. 2. — *dirigenda* N. In Grat. M. Ern. 1. ([2]) — om. *prud.* L. ([3]) ∞ om. *autem* Gu. Sch. in Ed. mai. ([4]) — *quae vero ea, quae iam adsunt* L. ([5]) — *amplectitur* L. ([6]) — *accipiendis* L. — *dimittendis* Erlang. ([7]) Sic Cdd. aliq. L. Ern. 1. 2. — *sedatum, vel non turb.* Grut. e Cld. — *grave, insedatum, et turb.* Iu. Crat. M. ([8]) — *In commune* Iu. ([9]) Recte haec del. Sch. €. 2. ([10]) ∞ *in amicitia benevolentia* Sch. €. 2. probabiliter. ([11]) — del. *disputandi* Sch. in Ed. mai. ([12]) — *est oratoria* L. ([13]) e Gu. Sch. 2. — *Nihil enim est* Iu. — L. Ern. 1. ([14]) Sic Ern. 1. — *quo illa quae in disp. est uberior atque latior* Nor. — *quo illa, quae in disputando, ub. est a. l.* Iu. M. L. — *genere, illâ, quae in disp. est, ub. est a. l.* Sch. €. 2. (— *laetior* Purgoldi €. prob. Cens. Ienensi.) ([15]) Sic Ven. N. Ern. 1. 2. ∞ *quidem fere* Iu. M. L. Grut. ([16]) — *ficti* Ed. Ven. Nor. ∞ del. *perfecti* cum Cdd. L. Sch. 2. Nos [], nam et *ficti* et *perfecti* gloss. videntur v. *praeculti*. ([17]) — *ut* L.

ut siderum, ut equorum, ut venandi, ut armorum; in communibus, oratoropensiora studia in aliquo genere virtutis [praecipue][1] colendo, aut civilibus rebus deserviendo, aut parentibus, amicis, hospitibus, praecipue atque insigniter diligendis. Atque haec quidem virtutum. Vitiorum autem sunt genera contraria. 81. Cernenda autem sunt diligenter, ne me fallant ea nos vitia, quae virtutem videntur imitari. Nam et prudentiam malitia, et temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis, et magnitudinem animi superbia in animis extollendis[2], et despicientia rerum contemnendis honoribus, et liberalitatem effusio, et fortitudinem audacia imitatur, et patientiam duritia immanis, et iustitiam acerbitas, et religionem superstitio, et lenitatem mollitia animi, et verecundiam timiditas, et illam disputandi prudentiam concertatio captatioque verborum, et hanc oratoriam vim inanis quaedam profluentia loquendi. Studiis autem bonis similia videntur ea, quae sunt in eodem genere nimia. 82. Quamobrem omnis vis laudandi vituperandique ex his sumetur virtutum vitiorumque partibus: sed in toto quasi contextu orationis haec erunt illustranda maxime, quemadmodum quisque generatus, quemadmodum educatus[3], quemadmodum institutus moratusque fuerit: et, si quid cui magnum aut incredibile acciderit, maximeque si id divinitus accidisse potuerit videri: tum quod[4] quisque senserit, dixerit, gesserit, ad ea, quae proposita sunt, virtutum genera accommodabuntur, ex illisque iisdem inveniendi locis causae rerum, et eventus, et consequentia requirentur. Neque vero mors eorum, quorum vita laudabitur, silentio praeteriri debebit, si modo quid erit animadvertendum, aut in ipso genere mortis, aut in iis rebus, quae post mortem erunt consecutae.

XXIV. 83. C. F. Accepi ista, didicique breviter, non solum quemadmodum laudarem alterum, sed etiam quemadmodum eniterer, ut possem ipse iure laudari. Videamus igitur deinceps, in sententia dicenda quam viam et quae praecepta teneamus. C. P. Est[5] igitur in deliberando finis utilitas, ad quem omnia ita referuntur in consilio dando, sententiaque dicenda, ut illa prima sint suasori, aut dissuasori videnda, quid aut possit fieri, aut non possit, et quid aut necesse sit, aut non necesse. Nam et, si quid effici non potest, deliberatio tollitur, quamvis utile sit: et, si quid necesse est, (necesse autem id est, sine quo salvi liberive esse non possumus,) id est reliquis et honestatibus in civili ratione, et commodis anteponendum. 84. Quum autem quaeritur, quid fieri possit, videndum etiam est, quam facile possit. Nam quae perdifficilia sunt, perinde[6] habenda saepe sunt, ac si effici non possint. Et quum de necessitate attendemus, etsi[7] aliquid non necessarium videbitur, videndum tamen erit, quam sit magnum. Quod enim permagni

---

(1) ∞ om. *praecipue* Iu. Crat. Victor. M. Sch. 2. Habent N. L. Ern. 1. (2) ∞ *in extollendis*, *desp.* omisso *animis* Sch. C. 2. Mihi leg. videtur: *in nimis extollendis* scil. honoribus. — *superbia in animis extollendis*, *et verae gloriae*, *laudisque studium despicientia in c. h.* L. (3) — om. *qu. educ.* Erlang. (4) — *quae* L. (5) — *Sit* Ven. N. (6) — *proinde* L. (7) = *etiamsi* Gu.

interest[1], pro necessario saepe habetur. 85. Itaque quum constet hoc genus causarum ex suasione et dissuasione; suasori proponitur simplex ratio: si et utile est, et fieri potest, fiat. Dissuasori duplex: una, si non utile est[2], ne fiat; altera, si fieri non potest, ne[3] suscipiatur. Sic suasori utrumque docendum est, dissuasori alterum infirmare sat est. 86. Quare quoniam in his versatur omne consilium duobus, de utilitate ante dicamus, quae in discernendis bonis malisque versatur. Bonorum autem partim necessaria sunt, ut vita, pudicitia[4], libertas, ut[5] liberi, coniuges, germani, parentes: partim non necessaria; quorum alia sunt per se expetenda, ut ea, quae sita sunt in officiis atque virtutibus: alia, quod aliquid commodi efficiunt, ut opes et copiae. 87. [Eorum autem, quae propter se expetuntur, partim honestate ipsa, partim commoditate aliqua[6] expetuntur.] Honestate[7], ea, quae proficiscuntur ab iis virtutibus, de quibus paullo ante est dictum: quae sunt laudabilia ipsa per se: commoditate autem aliqua[8], quae sunt in corporis aut in[9] fortunae bonis expetenda. Quorum alia sunt quasi quodam modo[10] cum honestate coniuncta, ut honos, ut gloria: alia diversa, ut vires, forma, valetudo, nobilitas, divitiae, clientelae. XXV. 88. Est etiam quaedam quasi[11] materies subiecta honestati[12]: quae maxime spectatur in amicitiis. Amicitiae autem caritate et amore coniunctae. Nam quum[13] deorum, tum parentum, patriaeque cultus, eorumque hominum, qui aut sapientia, aut opibus excellunt, ad caritatem referri solet. Coniuges autem, et liberi, et fratres, et alii, quos usus familiaritasque coniunxit, quamquam etiam caritate ipsa, tamen amore maxime continentur. In his igitur rebus quum bona sint, facile est intellectu, quae sint contraria. 89. Quod si semper optima[14] tenere possemus, haud sane, quoniam quidem ea perspicua sunt, consilio multum egeremus. Sed quia temporibus, quae vim habent maximam, persaepe evenit, ut utilitas cum honestate certet, earumque rerum contentio plerumque deliberationes efficit, ne aut opportuna propter di-

---

(1) ∞ *permagnum est* Cdd. aliq. Nor. L. Sch. 2. Est tamen ab interprete. Supple: *quod enim permagni interest*, sit, necne; fiat, necne. (2) ∞ *utile non est* Sch. E. 2. (3) e Cdd. Edd. vett. Ern. 1. 2. — *nec* Iu. Crat. M. L. Grut. (4) — *prudentia* Purgoldi E. (5) — om. *ut* L. Sed in toto hoc loco partiendi subtilitatem iure desiderarunt Strebaeus ac Schuetzius. Mihi omnis ista confusio optime sic devitari posse videtur, si primum transponas: *Bonorum autem partim necessaria sunt, ut vita, pudicitia, libertas: partim non necessaria, ut liberi, coniuges, germani, parentes* cet. deinde si deleas, quae equidem E. uncis inclusi, quum praecedentia tantummodo repetant, moleste admodum. Aliam viam ingressus est Sch. suspicatus, delenda esse *quorum alia - opes et copiae* ac deinceps scribendum: *partim non necessaria. Horum partim propter se, et honestate ipsa, partim commoditate aliqua expetuntur*, cet. Parum sane probabiliter. Glossema *Eorum - expetuntur* inde quoque ortum censeo quod offenderat aliquis in ὁμωνύμους *per se expetenda - - honestate* (expetenda); idemque sese prodit in ipsa formula *propter se* pro *per se*. (6) — *comm. autem etiam aliqua* L. (7) — *honestate ipsa* L. (8) *comm. autem etiam aliqua* iterum L. Vides, etiam Lambinum in hisce haesisse. (9) Habent *in* Gu. Ven. Nor. L. Ern. 1. 2. — om. *in* Iu. Crat. M. Grut. (10) Sic recte Manutius. — *quasi quodammodo* iunctim N. Iu. L. Grut. — om. *quodam modo* Cdd. aliq. (Olx.) Ern. 1. Contra *quasi* del. Sch. E. 2. (11) Sic Lamb. Item Ern. e Cd. 1. 2. = *quasi quaedam* Ceteri. (12) — *subiecta suasori honestas* L. E. vide Sch. in Ed. mai. (13) = *tum* Sch. E. 2. (14) — *optima quaeque* L.

gnitatem, aut honesta propter utilitatem relinquantur: ad hanc difficultatem explicandam praecepta referamus. 90. Et quoniam non ad veritatem solum, sed etiam ad opiniones eorum, qui audiunt, accommodanda est oratio: hoc primum intelligamus, hominum duo esse genera; alterum indoctum et agreste, quod anteferat semper utilitatem honestati, alterum humanum et politum[1], quod rebus omnibus dignitatem anteponat. Itaque huic generi laus, honos[2], gloria, fides, iustitia, omnisque virtus, illi autem alteri, quaestus, emolumentum, fructusque proponitur. Atque etiam voluptas, quae maxime est inimica virtuti, bonique naturam fallaciter imitando adulterat, quam immanissimus quisque acerrime sequitur, neque solum honestis rebus, sed etiam necessariis anteponit, in suadendo, quum ei generi hominum consilium des, saepe sane laudanda est. XXVI. 91. Et illud videndum[3], quanto magis homines mala fugiant, quam sequantur bona. Nam neque honesta tam expetunt, quam devitant turpia. Quis enim honorem, quis gloriam, quis laudem, quis ullum decus tam unquam expetat, quam ignominiam[4], infamiam, contumeliam, dedecus fugiat? quarum rerum dolor gravis est testis, genus[5] hominum ad honestatem natum, malo cultu pravisque opinionibus esse corruptum. Quare in cohortando atque suadendo propositum quidem nobis erit illud, ut doceamus, qui[6] bona consequi, malaque vitare possimus: 92. sed apud homines bene institutos plurimum de laude et de honestate dicemus: maximeque ea virtutum genera tractabimus, quae in communi hominum utilitate tuenda augendaque versantur. Sin apud indoctos imperitosque dicemus; fructus, emolumenta, voluptates, vitationesque dolorum proferantur: addantur etiam contumeliae atque ignominiae. Nemo est enim[7] tam agrestis, quem non, si ipsa minus honestas, contumelia[8] tamen et dedecus magno opere moveat. Quare, quod ad utilitatem spectat[9], ex iis, quae dicta sunt, reperietur: 93. quid autem possit effici, necne[10], in quo etiam, quam facile possit, quamque expediat, quaeri solet, maxime ex causis iis, quae quamque rem efficiant, est videndum. Causarum autem genera sunt plura. Nam sunt aliae, quae ipsae conficiunt; aliae, quae vim aliquam ad conficiendum afferunt[11]. Itaque illae superiores, conficientes vocentur; hae reliquae ponantur in eo genere, ut sine his confici non possit. 94. Conficiens autem causa alia est absoluta et perfecta per se[12]; alia aliquid adiuvans, et efficiendi socia

(1) Sic e Cld. Grut. Ern. 1. 2. ∞ *alterum hum. atque expolitum* L. — *alterum hum. expolitumque* Ed. vett. N. — *alterum expolitum* Cdd. aliq. Iu. Crat. Man. (2) Sic Nor. ut supra. = *honor* Ceteri. (3) ∞ *videndum est* Nor. (4) Sic Cdd. aliq. L. Ern. 1. 2. — *quam ut ign.* Iu. Crat. M. Grut. (5) Sic ex Erl. Sch. 2. — *quarum rerum dolor gravis est. Est genus hom. - - opinionibus corruptum.* Omnes praeter L. qui habet: *q. r. d. gr. est. Omnino genus h. ad h. est natum, sed malo c. p. o. corruptum.* (6) Sic Cod. Viteb. prob. Ern. *qui* id est quomodo, quum minus intelligerent, scripserunt — *quare* Ed. Ven. — *qua vi* Iu. M. Grut. Ern. 1. — *qua via* Cdd. aliq. L. Sch. 2. (7) Sic e Gu. Sch. 2. — *enim est* Ceteri. (8) ∞ *si minus ipsa honestas, at contumelia t.* L. (9) Sic Iu. M. L. Sch. 2. ∞ *spectet* e Cdd. Edd. vett. Ern. 1. (10) Sic Ern. 1. — *quod autem possit effici, necne possit* Iu. Crat. Grut. — *quod a. p. effici necne* Man. ∞ *ecquid a. p. effici, necne possit* L. unde Sch. 2: ∞ *ecquid a. p. effici, necne.* (11) — *quae viam aliquam ad conf. aperiunt* Lamb. suspicio non recepta. (12) — *absolvens et perficiens ipsa per se* Lamb. suspicio non recepta.

quaedam: cuius generis vis varia est, et saepe aut maior, aut minor, ut etiam[1] illa, quae maximam vim habet, sola saepe causa dicatur. Sunt autem aliae causae, quae aut propter principium, aut propter exitum, conficientes vocantur. Quum autem quaeritur, quid sit optimum factu; aut utilitas, aut spes efficiendi ad assentiendum impellit animos. XXVII. 95. Et, quoniam de utilitate iam diximus, de efficiendi ratione dicamus. Quo toto genere, quibuscum, et contra quos, quo tempore, aut quo loco, aut quibus facultatibus[2] armorum, pecuniae, sociorum, earumve rerum, quae ad quamque rem efficiendam pertinent, possimus uti, requirendum est. Neque solum ea sunt, quae nobis suppetant, sed etiam illa, quae adversentur[3], videnda. Et, si ex contentione procliviora erunt nostra; non solum effici posse quae suademus, erit persuadendum, sed curandum etiam, ut illa, facilia[4], proclivia, iucunda videantur. Dissuadentibus autem, aut utilitas labefactanda est, aut efficiendi difficultates efferendae[5], neque aliis ex praeceptis, sed iisdem ex suasionis locis. 96. Uterque vero ad augendum habeat exemplorum aut recentium, quo[6] notiora sint, aut veterum, quo plus auctoritatis habeant, copiam. Maximeque sit in hoc genere meditatus, ut possit vel utilia ac necessaria saepe honestis, vel haec illis anteferre. Ad commovendos autem animos maxime proficient, si inciandi erunt, huiusmodi sententiae, quae aut[7] ad explendas cupiditates, aut ad[8] odium satiandum, aut ad ulciscendas iniurias pertinebunt. Sin autem reprimendi; de incerto statu fortunae, dubiisque eventis rerum futurarum, et retinendis suis fortunis, si erunt secundae: sin autem adversae, de periculo, commonendi[9]. Atque hi quidem sunt perorationis loci. 97. Principia autem in sententiis dicendis brevia esse debent[10]. Non enim supplex, ut ad iudicem, venit orator, sed hortator, atque auctor. Quare proponere, qua mente dicat, quid velit, quibus de rebus dicturus sit, debet, hortarique ad se breviter dicentem audiendum. Tota autem oratio, simplex, et gravis, et sententiis debet ornatior esse, quam verbis.

XXVIII. 98. C. F. Cognovi iam laudationis et suasionis locos. Nunc, quae iudiciis accommodata sint, exspecto; idque nobis genus restare unum puto. C. P. Recte intelligis. Atque eius quidem generis finis est aequitas; quae non simpliciter spectatur, sed ex comparatione nonnunquam: ut, quum de verissimo accusatore disceptatur[11], aut quum hereditatis, sine lege aut sine testamento, petitur possessio: in quibus causis quid aequius, aequissimumve sit, quaeritur: quas ad causas facultas petitur argumentationum ex iis, de quibus mox dicetur, aequitatis locis. 99. Atque etiam ante iudicium, de constituendo ipso iudicio solet esse contentio, quum aut, sitne actio illi, qui agit, aut iamne sit, aut

---

(1) Sic Erl. — *et* Ceteri. (2) ∞ *Quo toto in genere et* (hoc *et* om. L. 1566 habet margo 1584.) *quibuscum, et contra quos, et quo tempore, et quo loco et. q. fac.* L. Sch. 2. (3) Sic ex Ed. Ven. Ern. 1. — *suppetunt* - - *adversantur* Ceteri, etiam Sch. 2. (4) ∞ om. *facilia* Ed. Ven. (5) — *afferendae* Ern. suspic. (6) ∞ *quae* Man. (7) ∞ om. *aut* Iu. Crat. M. L. Habent Nor. Grut. 1. 2. (8) — om. *ad* Grut. (9) ∞ *erunt commonendi* L. (10) e Cdd. Ern. 1. 2. — *debebunt* Iu. Crat. M. L. Grut. (11) e Cld. L. Sch. 2. — *disputatur* Ceteri.

num iam esse desierit, aut illane lege, hisne verbis sit actio, quaeritur. Quae etiam si[1] ante, quam res in iudicium venit, aut concertata, aut diiudicata, aut confecta non[2] sunt; tamen in ipsis iudiciis permagnum saepe habent pondus, quum ita dicitur: Plus petisti: sero petisti: non fuit tua petitio: non a me[3], non hac lege, non his verbis, non hoc iudicio. 100. Quarum causarum genus est positum in iure civili: quod est in privatarum ac publicarum rerum lege, aut more positum; cuius scientia neglecta ab oratoribus plerisque, nobis ad dicendum necessaria videtur. Quare de constituendis actionibus, accipiendis subeundisque iudiciis, de excipienda iniquitate actionis, de comparanda aequitate, quod ea fere generis eius sunt, ut, quamquam in ipsum iudicium saepe delabantur[4], tamen ante iudicium tractanda videantur, paullulum ea separo a iudiciis, tempore magis agendi, quam dissimilitudine generis. Nam omnia, quae de iure civili, aut de aequo et bono disceptantur, cadunt in eam formam[5], in qua, quale quid sit, ambigitur, de qua dicturi sumus: quae in aequitate et iure maxime consistit. XXIX. 101. In omnibus igitur causis tres sunt gradus, ex quibus unus aliquis capiendus est, si plures non queas, ad resistendum. Nam aut ita consistendum est, ut id[6], quod obiicitur, factum neges; aut illud, quod factum fateare, neges eam vim habere, atque id esse, quod adversarius criminetur; aut, si neque de facto, neque de facti appellatione ambigi potest, id, quod arguere[7], neges tale esse, quale ille dicat, et rectum esse, quod feceris, concedendumve, defendas. 102. Ita primus ille status, et quasi conflictio cum adversario, coniectura quadam, secundus autem definitione atque descriptione, aut informatione verbi, tertius aequi, et veri, et recti[8], et humani ad ignoscendum disputatione tractandus est. Et quoniam semper is, qui defendit, non solum resistat oportet aliquo statu, aut infitiando, aut definiendo, aut aequitate opponenda, sed etiam rationem subiiciat recusationis suae[9]; primus ille status rationem habet iniqui criminis, ipsam negationem infitiationemque facti; secundus, quod non sit in re, quod ab adversario ponatur[10] in verbo; tertius, quod[11] id recte factum esse defendat[12], quod sine ulla nominis controversia factum fatetur[13]. 103. Deinde unicuique rationi opponendum est ab accusatore id, quod si non esset in accusatione, causa omnino esse non posset. Itaque ea, quae sic referuntur, continentia causarum vocentur: quamquam non ea magis, quae contra rationem defensionis afferuntur, quam ipsae defensionis rationes, continent causas. Sed distinguendi gratia rationem appellamus eam, quae affertur ab[14] reo ad recusandum, depellendi criminis causa: quae nisi esset, quod[15] defenderet, non haberet: firmamentum autem, quod contra ad labefactandam rationem refertur, sine

(1) Sic divisim Man. Sch. 2. — *etiamsi* Ceteri. (2) — *non* del. L. prob. Hotomanno. Lallem. Ern. qui []. vide Sch. in Ed. mai. (3) — *a me petere desistis* L. e gloss. (4) Sic Cdd. Ven. L. Ern. 1. 2. — *dilabantur* Iu. M. Grut. (5) — *formam causarum* Gu. (6) e Cdd. Ern. 1. 2. — om. *id* Ceteri. (7) — *arguare* L. — *arguitur* Gu. (8) ∞ om. *et recti* Erlang. (9) ∞ om. *suae* Gu. Sch. 2. (10) Sic Gu. L. Sch. 2. — *ponitur* Iu. Crat. M. Ern. 1. (11) ∞ *qui* Gu. (12) ∞ *defendet* Iu. Man. (13) — *fateatur* L. (14) e Cdd. Ern. 1. 2. = *a* Iu. L. (15) e Cdd. Ven. Sch. 2. — *quid* Iu. M. L. Ern. 1.

quo accusatio stare non potest. XXX. 104. Ex rationis autem, et ex firmamenti conflictione, et quasi concursu, quaestio exoritur quaedam[1], quam disceptationem voco: in qua, quid veniat[2] in iudicium, et de quo disceptetur, quaeri solet. Nam prima adversariorum contentio diffusam habet quaestionem: ut in coniectura: Ceperitne pecunias Decius; in definitione: Minueritne maiestatem Norbanus; in aequitate: Iurene occiderit Opimius Gracchum. Haec, quae primam contentionem habent ex arguendo et resistendo, lata, ut dixi, et fusa[3] sunt. Rationum et firmamentorum contentio adducit in angustum disceptationem. Ea in coniectura nulla est. Nemo enim eius, quod negat factum, rationem aut potest, aut debet, aut solet reddere. Itaque in his causis eadem et prima quaestio, et disceptatio est extrema. 105. In illis autem, ubi ita dicitur: Non minuit maiestatem, quod egit de Caepione turbulentius: populi enim Romani dolor iustus vim illam[4] excitavit, non tribuni actio: maiestas autem, quoniam est magnitudo quaedam populi Romani, in eius potestate ac iure retinendo, aucta est potius, quam deminuta[5]: et ubi ita refertur: Maiestas est in imperii atque in nominis populi Romani dignitate[6], quam minuit is, qui per vim multitudinis rem ad seditionem vocavit: exsistit illa disceptatio: Minueritne maiestatem, qui voluntate populi Romani rem gratam et aequam per vim egerit. 106. In his autem causis, ubi aliquid recte factum, aut concedendum esse [factum[7]] defenditur, quum est facti subiecta ratio, sicut ab Opimio: Iure feci, salutis omnium, et conservandae rei publicae causa: relatumque est ab Decio, Ne sceleratissimum quidem civem, sine iudicio, iure ullo necare potuisti: oritur illa disceptatio: Potueritne recte, salutis rei publicae causa, civem, eversorem civitatis, indemnatum necare? Ita disceptationes eae, quae in his[8] controversiis oriuntur, quae sunt certis personis et temporibus notatae, fiunt rursus infinitae, detractisque temporibus et personis, rursum ad consultationis formam rationemque revocantur. XXXI. 107. Sed in gravissimis firmamentis etiam illa ponenda sunt, si qua ex scripto legis, aut testamenti, aut verborum ipsius iudicii, aut alicuius stipulationis, aut cautionis opponuntur[9] defensioni contraria. Ac ne hoc quidem genus in eas causas incurrit[10], quae coniectura continentur. Quod enim factum negatur, id argui non potest scripto. Ne in definitionem quidem venit, genere scripti ipsius[11]. Nam etiam si verbum aliquod de scripto[12] definiendum est, quam vim habeat: ut, quum ex testamentis, quid sit penus, aut quum ex lege praedii quaeritur, quae sint[13] ruta caesa: non scripti genus, sed verbi interpretatio controver-

---

([1]) = *q. quaedam exor.* e Gu. Sch. 2. ([2]) Sic Ven. Ern. 1. 2. — *deveniat* Iu. Crat. M. L. Grut. ([3]) Sic Man. ∞ *diffusa* L. Sch. 2. sed probabilius est falsam lectionem — *confusa* Iu. Crat. Ern. 1. ortam esse e v. *fusa*. ([4]) — *vim tum illam* L. 1. ([5]) Sic L. = *diminuta* Ceteri. ([6]) Sic Erl. Ven. L. Ern. 1. 2. ∞ *mai. est imperii atque in omni populi R. dign.* Iu. Crat. M. Grut. Sed Quintil. 7, 3, 35. *maiestas est in imperio atque in omni populi Romani dignitate.* Vere fortasse. ([7]) ∞ om. *factum* Ven. Sch. 2. Nos [ ]. ([8]) — *iis* L. ([9]) — *opponi possunt* L. ([10]) — *Atque hoc quidem genus in eas causas non incurrit* L. Male. Cfr. §. 104. ([11]) — *genus scr. ips.* L. ([12]) = *ex scripto* Erlang. ([13]) Sic Cdd. aliq. L. Ern. 1. 2. — *sunt* Iu. M. Grut.

siam parit. 108. Quum autem plura [1] significantur scripto, propter verbi aut verborum ambiguitatem, ut liceat ei, qui contra dicat, eo trahere significationem scripti, quo expediat [2], aut velit: aut, si [3] ambigue scriptum non sit, vel a verbis voluntatem et sententiam scriptoris abducere, vel alio se, eadem de re, contrarie scripto defendere: tum disceptatio ex scripti contentione exsistit, ut in ambiguis disceptetur, quid maxime significetur; in scripti sententiaeque contentione, utrum potius sequatur iudex: in contrariis scriptis, utrum magis sit comprobandum.

109. Disceptatio autem quum est constituta, propositum [4] esse debet oratori, quo omnes argumentationes, repetitae ex inveniendi [5] locis, coniiciantur. Quod quamquam satis est ei, qui videt, quid in quoque loco lateat, quique illos locos, tamquam thesauros aliquos argumentorum, notatos habet: tamen ea, quae sunt certarum causarum propria, tangemus. XXXII. 110. In coniectura igitur, quum est in infitiando reus, accusatori haec duo prima sunt; (sed accusatorem pro omni actore et petitore appello: possunt enim etiam sine accusatione [6] in causis haec eadem controversiarum genera versari;) sed haec duo sunt ei prima, causa et eventus. Causam appello, rationem efficiendi; eventum, id, quod est effectum. Atque ipsa quidem partitio causarum paullo ante in suasionis locis distributa est. 111. Quae enim in consilio capiendo futuri temporis praecipiebantur, quamobrem aut utilitatem viderentur habitura, aut efficiendi facultatem, eadem, qui de facto argumentabitur, colligere debebit, quamobrem et utilia illi, quem arguet, fuisse, et ab eo effici potuisse demonstret. Utilitatis coniectura [7] movetur, si illud, quod arguitur, aut spe bonorum, aut malorum metu fecisse dicitur: quod fit acrius [8], quo illa in utroque genere maiora ponuntur. 112. Spectantur [9] etiam ad causam facti, motus animorum, si ira recens, si odium vetus, si ulciscendi studium, si iniuriae dolor: si honoris, si gloriae, si imperii, si pecuniae cupiditas: si periculi timor, si aes alienum, si angustiae rei familiaris: si audax, si levis, si crudelis, si impotens, si incautus, si insipiens, si amans [10], si commota mente, si vinolentus [11], si cum spe efficiendi, si cum opinione celandi, aut, si patefactum esset, depellendi criminis, vel perrumpendi periculi, vel in longinquum tempus differendi: aut si iudicii poena levior, quam facti praemium: aut si facinoris voluptas maior, quam damnationis dolor. 113. His fere rebus facti suspicio confirmatur, quum et voluntatis in reo causae reperiuntur, et facultas. In voluntate autem utilitas ex adeptione alicuius commodi, vitationeque alicuius [12] incommodi quaeritur, ut aut spes, aut metus impulisse videatur, aut aliquis [13] repentinus animi motus, qui etiam citius in fraudem, quam

---

([1]) ∞ *Quum autem aut pl.* e Gu. Sch. 2. ([2]) — *quo ei exp.* L. ([3]) e Cdd. Ern. 1. 2. — *etiamsi* Iu. — L. Grut. ([4]) e Cdd. Ern. 1. 2. — *proposita* Iu. — L. Grut. ([5]) — *inveniendis* Grut. ([6]) e Cdd. prob. Ern. Sch. 2. — *accusatore* Ceteri. ([7]) — *et coni.* Ven. prob. Ern. ([8]) ∞ *quod eo fit a.* L. Sch. 2. ([9]) ∞ *Spectant* quidam ap. Lamb. hoc probante; iterum de Ern. C. Sch. 2. ([10]) — *amens* Cdd. aliq. ([11]) — *violentus* Ven. Omnib. Sch. 2. ([12]) — om. *alicuius* Gu. Sch. in Ed. mai. ([13]) ex Edd. vett. Sch. 2. — *alius* Iu. — L. Ern. 1.

ratio utilitatis, impellit. Quamobrem sint haec dicta de causis. 114. C. F. Teneo, et quaero, qui sint illi eventus, quos ex causis effici dixisti. XXXIII. C. P. Consequentia quaedam signa praeteriti, et quasi impressa facti vestigia: quae quidem vel maxime suspicionem movent, et quasi tacita sunt criminum testimonia, atque hoc quidem graviora, quod causae communiter videntur insimulare et arguere omnes posse, quorum modo[1] interfuerit aliquid: haec proprie attingunt eos ipsos, qui arguuntur, ut telum, ut vestigium, ut cruor, ut deprehensum aliquid, quod ablatum ereptumve videatur, ut responsum inconstanter, ut haesitatum, ut titubatum, ut cum aliquo visus, ex quo suspicio oriatur, ut eo ipso in loco visus, in quo facinus[2], ut pallor, ut tremor, ut scriptum, aut obsignatum, aut depositum quidpiam. Haec enim et talia[3] sunt, quae aut in[4] re ipsa, aut etiam ante quam factum est, aut postea, suspiciosum crimen efficiant. 115. Quae si non erunt, tamen causis ipsis, et efficiendi facultatibus niti oportebit, adiuncta illa disputatione communi, non fuisse illum tam amentem, ut indicia facti aut effugere aut occultare non posset; ut ita apertus esset[5], ut locum crimini relinqueret. Communis ille contra locus, audaciam temeritati, non prudentiae esse coniunctam. 116. Sequitur autem ille locus ad augendum, non esse exspectandum, dum fateatur: argumentis peccata convinci: et hic etiam exempla ponentur[6]. XXXIV. 117. Atque haec quidem de argumentis. Sin autem erit etiam testium facultas: primum genus erit ipsum laudandum, dicendumque, ne argumentis teneretur reus, ipsum sua cautione effecisse[7], testes effugere non potuisse: deinde singuli laudentur[8]: (quae autem essent laudabilia, dictum est:) deinde etiam[9] argumento firmo, quia tamen saepe falsum est, posse recte non credi: viro bono et firmo, sine vitio iudicis, non posse non credi. Atque etiam, si obscuri testes erunt, aut tenues, dicendum erit, non esse ex fortuna fidem ponderandam, aut eos esse cuiusque locupletissimos testes, qui id, de quo agatur, facillime scire possint. Sin quaestiones habitae, aut postulatio ut habeantur, causam adiuvabunt: confirmandum genus primum[10] quaestionum erit: dicendum de vi doloris, de opinione maiorum, qui eam[11] rem totam, nisi probassent, certe repudiassent; 118. de institutis Atheniensium, Rhodiorum[12], doctissimorum hominum, apud quos etiam (id quod acerbissimum est) liberi civesque torquentur; de nostrorum etiam prudentissimorum hominum institutis, qui quum de servis in dominos[13] quaeri noluissent, de incestu tamen et coniuratione, quae facta me consule est, quaerendum putaverunt. Irridenda etiam disputatio est, qua solent uti[14] ad infirmandas quaestiones, et meditata[15] puerilisque dicenda.

---

(1) Sic L. Grut. Ern. 1. 2. — *non* Iu. Man. (2) ∞ *facinus factum fuerit* L. (3) Mihi hoc rectum videtur. — *Haec enim talia* e Cdd. prob. Ern. Sch. 2. — *haec enim et alia* Cdd. aliq. (4) — om. *in* Grut. (5) Fortasse: *aut ita ineptum, ut locum* cet. cfr. §. 119. (6) — *ponuntur* Grut. (7) e Cdd. Edd. vett. Ern. 1. 2. — *fecisse* Iu. M. L. Grut. (8) — *laudabuntur* L. (9) — *deinde dicendum etiam* L. Vide de h. l. Sch. in Ed. mai. (10) = *primum genus* L. (11) ∞ om. *eam* Cdd. aliq. Ven. prob. Ern. (12) — *Rhodiorumque* L. (13) = *in dominos de servis* Gu. ut *pro S. Roscio Am.* C. 41. (14) ∞ *niti* Ven. N. (15) — *minuta* Ern. suspic.

Tum facienda fides, diligenter esse et sine cupiditate quaesitum: dictaque quaestionis[1] argumentis et coniectura ponderanda. Atque haec accusationis fere membra sunt. XXXV. 119. Defensionis autem primum infirmatio causarum; aut non fuisse, aut non tantas, aut non sibi soli, aut commodius[2] potuisse idem consequi: aut non iis se esse[3] moribus, non ea vita; aut nullos animi motus, aut non tam impotentes fuisse. Facultatum autem infirmatione utetur, si aut vires, aut animum, aut copias, aut opes abfuisse demonstrabit: aut alienum tempus, aut locum non idoneum, aut multos arbitros, quorum crederet nemini: aut non se tam ineptum[4], ut id susciperet, quod occultare non posset, neque tam amentem, ut poenas ac iudicia contemneret. 120. Consequentia autem diluet, exponendo, non esse illa certa indicia facti, quae etiam nullo admisso consequi possent: consistetque in singulis: et ea, aut eorum, quae ipse facta esse dicit[5], propria esse defendet potius, quam criminis: aut si sibi cum accusatore communia essent, pro periculo[6] potius, quam contra salutem valere debere: testiumque et quaestionum genus universum, et quod poterit, in singulis, ex reprehensionis locis, de quibus ante dictum est, refellet. 121. Harum causarum principia, suspiciosa ad acerbitatem, ab accusatore ponentur; denunciabiturque insidiarum commune periculum, excitabunturque animi, ut attendant. Ab reo autem, querela conflati criminis collectarumque suspicionum, et accusatoris insidiae, et item commune periculum proferetur, animique ad misericordiam allicientur, et modice benevolentia iudicum colligetur. Narratio autem accusatoris erit quasi membratim gesti negotii suspiciosa explicatio, spargens omnibus argumentis, obscuratis defensionibus. Defensori, aut praeteritis, aut obscuratis suspicionum argumentis, rerum ipsarum eventus erunt casusque narrandi. 122. In confirmandis autem nostris argumentationibus, infirmandisque contrariis, saepe erunt accusatori motus animorum incitandi, reo mitigandi. Atque haec quidem utrique maxime in peroratione facienda[7]: alteri frequentatione argumentorum, et coacervatione universa; alteri, si plane causam redarguendo explicarit, enumeratione, ut quidque diluerit, et miseratione ad extremum.

XXXVI. 123. C. F. Scire mihi iam videor, quemadmodum coniectura tractanda sit. Nunc de definitione audiamus. C. P. Communia dantur in isto genere accusatori defensorique praecepta. Uter enim definiendo describendoque verbo magis ad sensum iudicis opinionemque penetrarit, et uter ad communem verbi vim, et ad eam praeceptionem, quam inchoatam habebunt in animis ii, qui audient, magis et propius accesserit, is vincat necesse est. 124. Non enim argumentando hoc genus tractatur, sed tamquam explicando excutiendoque verbo: ut, si in reo, pecunia absoluto, rursusque revocato, praevaricationem accu-

---

(1) — *in quaestione* Sch. suspic. (2) — *aut se commodius* L. (3) Sic Non. (nisi quod *his*) Grut. Ern. 1. 2. — *aut non his moribus, non ea v.* Iu. Crat. — *aut non iis esse morib.* Man. — *aut non his esse morib.* L. (4) — *apertum* Gu. Ven. cfr. §. 115. (5) e Cdd. Ern. 1. 2. = *dicet* Iu. — L. Grut. (6) — *propulsando periculo* Sch. suspic. (7) ∞ *hoc - - - faciendum* ex Edd. vett. Sch. 2. sed duplex memoratur h. l. opus oratorium.

sator esse definiat, omnem iudicii corruptelam ab reo; defensor autem, non omnem, sed tantummodo accusatoris corruptelam ab reo[1]: sit ergo haec contentio prima verborum: in qua, etiamsi propius accedat ad consuetudinem mentemque sermonis defensoris definitio, tamen accusator sententia legis nititur[2]: 125. negat enim probari oportere[3], eos, qui leges scripserint[4], ratum habere iudicium, si totum corruptum sit; si unus accusator corruptus sit, rescindere: † nititur aequitate: ut illa quasi scribenda lex sic esset, quaeque tamen complecteretur in iudiciis corruptis, ea verbo uno praevaricationis comprehendisse dicitur[5]: 126. defensor autem testatur[6] consuetudinem sermonis, verbique vim ex contrario repetit[7], quasi ex vero accusatore, cui contrarium est nomen praevaricatoris[8]; ex consequentibus, quod ea litera de accusatore soleat[9] dari iudici; ex nomine ipso, quod significat eum, qui in contrariis causis, quasi varie[10] esse positus videatur. Sed huic tamen ipsi confugiendum est ad aequitatis locos, ad rerum iudicatarum auctoritatem, ad finem aliquem periculi[11]: communeque sit hoc praeceptum, ut, quum uterque definierit, quam maxime potuerit ad[12] communem sensum vimque verbi, tum similibus, exemplisque eorum, qui ita[13] locuti sunt, suam definitionem sententiamque confirmet. 127. Atque accusatori[14] in hoc genere causarum locus ille communis, minime esse concedendum, ut is, qui de re confiteatur, verbi se interpreta-

---

([1]) — *corrupt. profectam ab reo* O1x. e gloss. ([2]) — *nitetur* Gu. prob. Sch. in Ed. mai. Sed hic ubique habes praesentia *negat*, *testatur*, *repetit* e libris quidem melioribus. ([3]) Suspecta haec Ern. sed vide Lamb. — *probare oportere* Nor. ([4]) ex Erlang. Ern. 1. 2. — *scripserunt* Ceteri. ([5]) Locus corruptus. Sic, uti nos quoque dedimus, Iu. Crat. Camer. Man. Grut. Ern. 1. 2. Sed Norimb. — *ratum habere auditum iudicium si totum corruptum sit, si unus accusator corruptus sit, rescindere nititur aequitate. Utilitate quasi scribenda lex esset;* (om. *sic*) *qq.* (sic non omnibus literis *quamque*, ut ait Sch.) *vim, complecterentur in iudiciis corruptis ea verbo uno praevaricationis comprehendisse dicitur.* Lambinus autem sic partim e Ranconeti, partim e propria €: — — *rescindere: nititur aequitate, et utilitate: quasi scribenda lex sic esset:* QVI IVDICIA ACCVSATORVM CORRVPERIT; *quaecunque tamen complecteretur iudiciis* (om. *in*) *corruptis, ea verbo uno praevaricationis comprehendisse dicit.* In Adnotatt. mavult: — — — *complecteretur iudicii corrupti nomine.* Ernestii Schuetziique suspicc. parum probabiles vide apud ipsos. Mihi in mentem venit: — — — *rescindere: nititur aequitate, utilitate:* (sic etiam O1x.) *quasi scribenda lex sic esset:* QVI IVDICIA CORRVPERIT; *quamque vim* (δύναμιν, significationem, non violentiam, ut perperam accepit Sch.) *complecterentur* (scil. Latini) *in* IVDICIIS CORRVPTIS, *eam verbo uno* PRAEVARICATIONIS *comprehendisse* (scil. legem) *dicit* (accusator.) ubi vides maximam partem lectionis Norimb. optimo sensu conservari. ([6]) Sic omnes praeter Ern. €. 1. 2. *testabitur* propter sequens corruptum *reperiet*. ([7]) Sic optime Nor. Margo Crat. — *repetet* O1x. — *reperiet* Iu. — L. Ern. 1. 2. ([8]) Sic iam Lamb. Rursus e C1d. Ern. 1. 2. — *praevaricationis* Ceteri. ([9]) Sic omnes praeter Ern. €. 1. 2. — *solet:* sed propter v. *significat* h. l. minime requiritur indicativus. (— *quod P. litera* Hotomanni et Sch. suspic.) ([10]) ∞ *vare* ingeniosa Gesneri €. recepta a Sch. 2. Caret tamen auctoritate hoc vocab. ([11]) Id est, defensor eo quoque confugiet ut dicat, finem aliquem tandem esse debere periculi iudicialis, neque aequum esse, ut re semel iudicata, iterum atque iterum causa sit dicenda. — *ad r. i. auctoritatem affinem aliquam periculi* Sch. €. 2. prava sagacitate. (Erl. om. *aliquem* male, etsi prob. Ern.) ([12]) — *accommodate ad* L. Sch. 2. Nihil opus hac €. ([13]) — *item* Iu. Man. al. ([14]) ∞ *accusatori sit in h. g.* L.

tione defendat: defensor autem et ea, quam proposui, aequitate nitatur, et, ea quum secum faciat, non re, sed depravatione verbi se urgeri queratur. Quo in genere percensere poterit plerosque inveniendi locos. Nam et similibus utetur, et contrariis, et consequentibus; quamquam uterque, tamen reus, nisi plane erit absurda causa, frequentius. 128. Amplificandi autem causa, quae, aut quum degredientur a causa, dici solent, aut quum perorabunt, haec vel ad odium, vel ad misericordiam, vel omnino ad animos iudicum movendos ex iis, quae sunt ante posita, sumentur, si modo rerum magnitudo, hominumve aut invidia, aut dignitas postulabit.

XXXVII. 129. C. F. Habeo ista: nunc ea, quae quum, quale sit quidpiam, disceptatur, quaeri ex utraque parte deceat, velim audire. C. P. Confitentur in isto genere, qui arguuntur, se id fecisse ipsum, in quo reprehenduntur[1]: sed, quoniam iure se fecisse dicunt, iuris est omnis ratio nobis explicanda. Quod dividitur in duas partes primas, naturam atque legem: et utriusque generis vis in divinum et humanum ius est distributa: quorum aequitatis est unum, alterum religionis. 130. Aequitatis autem vis est duplex: cuius altera directo[2], et veri, et iusti, et, ut dicitur, aequi et boni ratione defenditur; altera ad vicissitudinem referendae gratiae pertinet: quod in beneficio, gratia; in iniuria, punitio[3] nominatur. Atque haec communia sunt naturae atque legis: sed propria legis et ea, quae scripta sunt, et ea, quae sine literis, aut gentium iure, aut maiorum more retinentur. Scriptorum autem privatum aliud est, publicum aliud: publicum, lex, senatusconsultum, foedus; privatum, tabulae, pactum conventum, stipulatio. Quae autem scripta non sunt, ea aut consuetudine, aut conventis hominum, et quasi consensu obtinentur. Atque etiam hoc in primis, ut nostros mores legesque tueamur, quodammodo naturali iure praescriptum est. 131. Et quoniam breviter aperti sunt fontes[4] quasi quidam aequitatis, meditata nobis ad hoc causarum genus esse debebunt ea, quae dicenda erunt in orationibus, de natura, de legibus, de more maiorum, de propulsanda iniuria, de ulciscenda, de omni parte iuris. Si imprudenter, aut necessitate, aut casu quidpiam fecerit, quod non concederetur iis, qui sua sponte et voluntate fecissent: ad eius facti deprecationem, ignoscendi petenda venia est; quae sumetur ex plerisque locis aequitatis. Expositum est, ut potui brevissime, de omni controversiarum genere: nisi praeterea tu quid requiris.

XXXVIII. 132. C. F. Illud equidem, quod iam unum restare video, quale sit, quum disceptatio versatur[5] in scriptis. C. P. Recte intelligis: eo enim exposito, munus promissi omne confecero. Sunt igitur ambigui duobus adversariis praecepta communia. Uterque enim hanc[6]

([1]) Sic omnes praeter Ern. €. 1. Sch. in Ed. mai. — *reprehendantur*. ([2]) Sic scripsi, ut §. 46. = *directe* Ern. suspic. — *directi* Iu. — L. Ern. 1. — *directa* e Gu. Sch. 2. melius aliquanto, nec tamen optime. ([3]) Sic Erl. Gu. eodemque ducit Nor. *piratio* (sic): Rarius voc. *punitio* s. potius *poenitio* cessit glossemati — *ultio* Iu. — L. Ern. 1. 2. ([4]) Sic e Gu. Sch. 2. = *fontes sunt* Ceteri. ([5]) ∞ *versetur* Cdd. aliq. ([6]) — *eam* L.

significationem, qua nitetur [1] ipse, dignam scriptoris prudentia esse defendet: uterque id, quod adversarius ex ambigue scripto intelligendum esse dicet, aut absurdum, aut inutile, aut iniquum, aut turpe esse defendet, aut etiam discrepare cum [2] ceteris scriptis, vel aliorum, vel maxime, si poterit, eiusdem; quamque defendet ipse, eam rem et sententiam quemvis prudentem, et iustum hominem, si integrum daretur [3], scripturum fuisse, sed planius: 133. eamque sententiam, quam significari posse dicet, nihil habere aut captionis, aut vitii; contrariam autem si probarit, fore, ut multa vitia, stulta, iniqua, contraria consequantur. Quum autem aliud scriptor sensisse videtur, [et] [4] aliud scripsisse: qui scripto nitetur, eum, re exposita, recitatione uti oportebit; deinde instare adversario, iterare, renovare, interrogare, num aut scriptum neget, aut contra factum infitietur. 134. Post, iudicem ad vim scripti vocet. Hac confirmatione usus, amplificet rem lege laudanda, audaciamque confutet eius, qui quum palam contra fecerit, idque fateatur, adsit tamen, factumque defendat. Deinde infirmet defensionem, quum adversarius aliud voluisse [5], aliud sensisse scriptorem, aliud scripsisse dicat, non esse ferendum, a quoquam potius latoris sensum, quam a lege, explicari. Cur ita scripserit, si ita non senserit? Cur, quum ea, quae plane scripta sint, neglexerit [6], quae nusquam [7] scripta sint, proferat? Cur prudentissimos in scribendo viros, summae stultitiae putet esse damnandos? Quid impedierit scriptorem, quo minus exciperet illud, quod adversarius, tamquam si exceptum esset, ita dicit [8] se secutum? 135. Utetur exemplis iis, quibus idem scriptor: aut, si id non poterit, quibus alii, quod excipiendum putarint, exceperint. Quaerenda etiam ratio est, si qua poterit inveniri, quare non sit exceptum: aut iniqua lex, aut inutilis futura dicetur, aut alia causa obtemperandi [9], alia abrogandi: dissentire adversarii vocem atque legis. Deinde amplificandi causa, de conservandis legibus, de periculo rerum publicarum atque privatarum, quum aliis locis, tum in perorando maxime graviter erit vehementerque dicendum. XXXIX. 136. Ille autem, qui se sententia legis voluntateque defendet, in consilio atque in mente scriptoris, non in verbis ac literis vim legis positam esse defendet: quodque nihil exceperit in lege, laudabit, ne diverticula peccatis darentur, atque ut ex facto cuiusque iudex legis mentem interpretaretur. Deinde erit utendum exemplis, in quibus

---

([1]) Sic e Cdd. Lamb. — *utetur*, ut saepe in hoc erratum est, Ceteri. ([2]) — *a* Lamb. Male. Non concoquebat Vir doctissimus formulas *differre*, *dissidere*, *discrepare cum aliquo*, ideoque ubivis correxit. ([3]) — *si daretur*, vel *si integrum esset* Lamb. suspicc. ([4]) Hoc *et* mihi suspectum equidem [ ]. ([5]) Alterutrum *aliud voluisse*, vel *aliud sensisse* e gloss. natum potest videri, quocirca Sch. C. 2. expunxit *aliud sensisse*, mihi aliquando suspectius erat *aliud voluisse:* Lambinus non male scripsit *aliud voluisse et sensisse.* Satis tamen defenditur Cdd. lectio seqq. §. 136. *sententia legis voluntateque.* ([6]) Sic Iu. M. L. Ern. 1. 2. — *neglexit* Ed. 1584. Grut. ([7]) e Cdd. Edd. vett. Ern. 1. 2. — *nunquam* Iu. — L. Grut. ([8]) — *dicat* Ern. suspic. ([9]) Haesit in hoc v. Lamb. perperam coniiciens: *temperandi.* Sensus est: dicet aliam causam esse legi nunc obtemperandi, dum nondum est abrogata; alias vero proferri debere, aliterque cum populo agendum fore, si quis de eadem abroganda cogitet.

omnis aequitas perturbetur [1], si verbis legum, ac non sententiis pareatur. 137. Deinde genus eiusmodi calliditatis et calumniae retrahetur [2] in odium iudicis, cum quadam invidiosa querela. Et si incidet imprudentiae causa, quae non ad delictum, sed ad casum necessitatemve pertineat, quod genus paullo ante attigimus: erit iisdem aequitatis sententiis contra acerbitatem verborum deprecandum. Sin scripta inter se dissentient: tanta series artis est, et sic inter se sunt pleraque connexa et apta, ut, quae paullo ante praecepta dedimus ambigui, quaeque proxime sententiae et scripti, eadem ad hoc genus causae tertium transferantur. 138. Nam quibus locis in ambiguo defendimus eam significationem, quae nos adiuvat, eisdem in contrariis legibus nostra lex defendenda est. Deinde est efficiendum, ut alterius scripti sententiam, alterius verba defendamus. Ita quae modo de scripto sententiaque praecepta sunt, eadem huc omnia transferemus.

XL. 139. Expositae sunt tibi omnes oratoriae partitiones, quae quidem e media illa nostra Academia * effloruerunt [3]: neque sine ea aut inveniri, aut intelligi, aut tractari possunt. Nam et partiri ipsum, et definire, et ambigui partitiones [4] dividere, et argumentorum locos nosse, et argumentationem ipsam concludere, et videre, quae sumenda in argumentando sint, quidque ex iis, quae sumpta sunt, efficiatur, et vera a falsis, veri similia ab incredibilibus diiudicare, et distinguere, et aut male sumpta [5], aut male conclusa reprehendere, et eadem vel anguste disserere, ut dialectici qui appellantur, vel, ut oratorem decet, late exprimere [6]: illius exercitationis et subtiliter disputandi, et copiose dicendi [artis] [7] est. 140. De bonis vero rebus et malis, aequis iniquis, utilibus inutilibus, honestis turpibus, quam potest habere orator, sine illis maximarum rerum artibus, facultatem, aut copiam? Quare haec tibi sint, mi Cicero, quae exposui, quasi indicia fontium illorum: ad quos si nobis eisdem ducibus aliisve perveneris, tum et haec ipsa melius, et multo maiora alia cognosces. C. F. Ego vero, ac magno quidem studio, mi pater: multisque ex tuis praeclarissimis muneribus nullum maius exspecto.

---

(1) Sic etiam M. L. — *perturbaretur* Grut. (2) Sic L. Sch. 2. — *retrahatur* Iu. M. Ern 1. (3) Sic e €. Bruti et Ern. Sch. 2. — *floruerunt* N. Iu. M. Ern. 1. — *fluxerunt* L. (4) — *partes* Sch. €. 2. Sed etiam §. 110. *partitio - - - distributa est.* (5) Sic Cdd. Edd. vett. Iu. — L. — om. *et* Grut. Ern. 1. (6) ∞ *expromere* Gu. Olx. Sch. in Ed. mai. (7) ∞ *artis* Ern. [ ]. delevit Sch. €. 2.

M. TULLII CICERONIS
DE
OPTIMO GENERE
ORATORUM.

(Ex recensione potissimum Ernestiana passim correcta, cum integra varietate Lambiniana (L.), Ernestiana (Ern. 1.), Schuetziana (Sch. 2.), Lallemandiana, et Garatoniana (3.) habita praeterea ratione Ed. Norimbergensis MCCCCXCVII. Iuntinae, Cratandrinae, Manutianae, aliarumque.)

I. 1. Oratorum genera esse dicuntur, tamquam poëtarum. Id secus est: nam alterum est multiplex[1]. Poëmatis enim tragici, comici, epici, melici etiam ac dithyrambici, † quod magis est tractatum a Latinis, suum quodvis est diversum a reliquis[2]. Itaque et in tragoedia comicum vitiosum est, et in comoedia turpe tragicum: et in ceteris suus est cuique sonus[3], et quaedam intelligentibus nota vox. 2. Oratorum autem si quis ita numerat plura[4] genera, ut alios grandes, aut graves, aut copiosos, alios tenues, aut subtiles, aut breves, alios eis interiectos, et tamquam medios putet: de hominibus dicet aliquid, de re parum[5]. In re enim, quod optimum sit, quaeritur: in homine dicitur, quod est. Itaque licet dicere et Ennium, summum epicum poëtam, si cui ita videtur: et Pacuvium tragicum; et Caecilium fortasse comicum. 3. Oratorem genere non divido: perfectum enim quaero. Unum est autem genus perfecti, a quo qui absunt, non genere differunt, ut ab Attio[6] Terentius; sed in eodem non sunt pares. Optimus est enim orator, qui dicendo animos audientium et docet, et delectat, et permovet. Docere, debitum est: delectare, honorarium: permovere, necessarium. 4. Haec ut alius melius, quam alius, concedendum est: verum id fit non genere, sed gradu. Optimum quidem unum est; et proximum, quod ei simillimum.

(1) — *nam alterum est simplex, alterum multiplex* L. (2) Locus corruptus. Sic Iu Crat. M. Grut. Ern. 1. (post v. *a reliquis* Gar. 3. nescio unde, addit *genus.*) — *quod magis est tractatum a Latinis* de Ern. €. del. Sch. 2. — *quo magis* (sic etiam Olx. Turneb.) *est tractatum a Latinis suum, quo cuiusque est diversum a reliquis.* Nor. — *quod minus est tract. a Lat.* ex Amasaei €. L. — *dithyrambici etiam, ac iambici, quod magis est tract. a Lat.* Ursini €. — *quod magis est tractatum a Graecis, quam a Latinis* Mureti €. In Nor. lectione haec fere sententia videtur latere: quo quodque magis est tractatum a Latinis, eo suum cuiusque genus magis est diversum a reliquis; eo magis enitet generum diversitas. (3) e Cld. Ern. 1. 2. ∞ *suus est cuiusque certus sonus* Nor. Iu. — L. Grut. 3. (4) ∞ cum Cld. Sch. 2. del. *plura* (— *numeret* Ern. suspic.) (5) — *de re parum ipsa* Cd. Vineb. (6) = *Accio* N. In. — L.

Ex quo perspicuum est, quod optimo dissimillimum sit, id esse deterrimum. II. Nam quoniam eloquentia constat ex verbis et sententiis, perficiendum est, ut pure et emendate loquentes, quod est Latine, verborum praeterea, et propriorum, et translatorum elegantiam persequamur: in propriis, ut aptissima eligamus: in translatis, ut similitudinem secuti, verecunde utamur alienis. 5. Sententiarum autem totidem genera sunt, quot diximus esse laudum[1]. Sunt enim docendi, acutae, delectandi, quasi argutae, commovendi, graves. Sed et verborum est structura quaedam, duas res efficiens, numerum, et laevitatem[2]: et sententiae suam compositionem habent, et ad probandam[3] rem accommodatum ordinem. Sed earum omnium rerum, ut aedificiorum[4], memoria est quasi fundamentum, lumen actio. 6. Ea igitur omnia in quo erunt[5] summa, erit orator perfectissimus[6]; in quo media, mediocris: in quo minima, deterrimus. Et appellabuntur omnes oratores, ut pictores appellantur etiam mali: nec generibus inter sese, sed facultatibus different. Itaque nemo est orator, qui se Demosthenis similem esse nolit: at Menander, Homeri noluit: genus enim erat aliud. Id non est in oratoribus: aut si[7] est, ut alius gravitatem sequens, subtilitatem fugiat: contra, alius acutiorem se, quam ornatiorem, velit[8]: etiamsi est in genere tolerabili, certe non est in optimo: siquidem, quod omnes laudes habet, id est optimum.

III. 7. Haec dixi brevius equidem, quam res petebat: sed ad id, quod agimus, non fuit dicendum pluribus. Unum enim quum sit genus, id quale sit, quaerimus. Est autem tale, quale floruit Athenis: ex quo Atticorum oratorum ipsa vis ignota est, nota gloria. Nam alterum multi viderunt, vitiosi nihil apud eos: alterum pauci, laudabilia esse multa. Est enim vitiosum in sententia, si quid absurdum, aut alienum, aut non acutum, aut subinsulsum est: in verbis, si inquinatum, si abiectum, si non aptum, si durum, si longe petitum. 8. Haec vitaverunt fere omnes, qui aut Attici numerantur, aut dicunt Attice. Sed qui eatenus valuerunt[9], sani dumtaxat et sicci[10] habeantur, sed[11] ita, ut palaestrice spatiari in xysto iis liceat[12], non ab Olympiis coronam petant. Qui, quum[13] careant omni vitio, non sunt contenti quasi bona valetudine, sed vires, lacertos, san-

---

([1]) — *esse gradus oratorum.* ex amici €. L. 1566. Ipse postea improbavit. ([2]) Sic O1x. L. Sch. 2. — *lenitatem* Ceteri. ([3]) — v. *probandam* suspectum L. ([4]) — Haec *ut aedif.* del. censebant Lamb. et Nagel. Sed est *βραχυλογία*: idem, quod in aedificiis fundamentum, in eloquentia est memoria. ([5]) Sic O1x. L. (— *ea igitur in quo omnia erunt summa* Nor.) — *ea ig. omnia in quo summa erunt* Sch. €. 2. haud monito lectore. — om. *erunt* Iu. Crat. M. Ern. 1. 3. ([6]) Sic Lamb. 1566. Item Rhuncken. *ad Rutil.* p. 200. Sch. 2. (nisi quod hic *is erit o. perfect.* dedit de Ern. suspic.) — *erit orator peritissimus* Iu. Cr. M. Ern. 1. 3. = *erit peritiss. or.* N. An *orator* gloss.? — *erit or. praestantissimus* L. in marg. 1581. ([7]) ∞ *etiamsi* O1x. L. ([8]) ∞ *malit* O1x. Nor. — *esse velit* L. ([9]) Hoc Gulielm. e Cdd. commendarat, recepit recte Lallem. (— *qui hactenus valuerunt*, volebat, non tamen edidit L.) — *quatenus valuerunt* Iu. Crat. Ern. 1. 3. — *quatenus voluerunt* Man. ([10]) Sic ex Edd. vett. Ern. 1. 2. — *sani et sicci dumtaxat* Iu. Crat. L. Grut. 3. ([11]) — om. *sed* L. ([12]) Sic Grut. Ern. 1. 2. 3. — *ut eis pal. sp. in x. liceat* L. — *ut pal. sp. in x. ut liceat* Nor. (nisi quod *palaestrae*) Iu. Crat. Man. (— *palaestritae* Paschalii €.) ([13]) Sic Iu. — L. 3. — *qui quomodo et quamvis careant* Ed. Ven. N. unde Ern. 1. 2. — *qui quamvis careant.* Perperam. Laborabat praeterea hic locus vitiosa interp. *petant; qui - - coloris. Eos*, cet.

guinem quaerunt, quandam etiam suavitatem coloris, eos imitemur, si possumus: sin minus, illos potius, qui incorrupta sanitate sunt, (quod est proprium Atticorum,) quam eos, quorum vitiosa abundantia est, quales Asia multos tulit. 9. Quod quum faciemus, (si modo id ipsum assequemur: est enim permagnum,) imitemur, si poterimus, Lysiam, et eius quidem tenuitatem potissimum: est enim multis in locis grandior: sed quia et privatas ille plerasque, et eas ipsas aliis, et parvarum rerum causulas scripsit, videtur esse iciunior, quoniam se ipse consulto ad minutarum genera causarum limaverit[1]. IV. Quod qui ita faciet, ut, si cupiat uberior esse, non possit, habeatur sane orator, sed de minoribus; magno autem oratori etiam illo modo saepe dicendum est in tali genere causarum. 10. Ita fit, ut Demosthenes certe possit summisse dicere: elate Lysias fortasse non possit. Sed si[2] eodem modo putant, exercitu in foro et in omnibus templis, quae circum forum sunt, collocato, dici pro Milone decuisse[3], ut si de re privata ad unum iudicem diceremus; vim eloquentiae sua facultate, non rei natura, metiuntur. 11. Quare quoniam nonnullorum sermo iam increbuit[4], partim se ipsos Attice dicere, partim neminem nostrum dicere: alteros negligamus. Satis enim his res ipsa respondet, quum aut non adhibeantur ad causas, aut adhibiti deridcantur. Nam si arriderentur[5], esset id ipsum Atticorum. Sed qui dici a nobis Attico more nolunt, ipsi autem, se non oratores esse, profitentur[6]; si teretes aures habent, intelligensque iudicium, tamquam ad picturam probandam adhibentur[7] etiam inscii faciendi cum aliqua sollertia iudicandi: 12. sin autem intelligentiam ponunt in audiendi fastidio, neque eos quidquam excelsum magnificumque delectat; dicant, se subtile quiddam et politum velle, grave ornatumque contemnere: id vero desinant dicere, qui subtiliter dicant[8], eos solos Attice dicere, id est, quasi sicce et integre. At ample[9], et ornate, et copiose, cum eadem integritate, Atticorum est. Quid[10]? dubium est, utrum orationem nostram tolerabilem tantum, an etiam admirabilem esse cupiamus? non enim iam quaerimus, quid sit Attice, sed quid sit optime dicere. 13. Ex quo intelligitur, quoniam Graecorum oratorum praestantissimi sunt ii, qui fuerunt Athenis; eorum autem princeps facile Demosthenes: hunc si quis imitetur, cum et Attice dicturum, et optime: ut, quoniam Attici nobis propositi sunt ad imitandum, bene dicere, id sit Attice dicere.

V. Sed quum in eo magnus error esset, quale esset id dicendi genus: putavi mihi suscipiendum laborem, utilem studiosis, mihi quidem ipsi non necessarium. 14. Converti enim ex Atticis duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes inter se contrarias, Aeschinis Demosthenisque: nec converti, ut interpres, sed ut orator, sententiis iisdem, et earum formis, tam-

---

(1) ∞ *limaverat* Man. — *limavit* Sch. suspic. (2) — *si qui* Ern. susp. Sed ubivis h. l. subiectum est: *falsi illi Attici nostrates.* (3) — *debuisse* L. suspic. non recepta. — *potuisse* N. (4) Sic Edd. vett. Ern. 1. 3. = *increbruit* L. Sch. 2. (5) Sic L. Rursus E. Ern. 1. 2. — *arrideantur* Ceteri. (*adhibeantur* N.) (6) — *se non oratores profit.* vel *se non or. esse confiterentur* Ern. suspicc. (7) — *adhibeantur* de Ern. suspic. Sch. 2. sed quum h. l. grata quadam negligentia imago ipsa cum re misceatur, *ἀναχολουθον* hoc indicativi longe rectius sese habet. (8) e Cld. Ern. 1. 2. — *dicunt* Ceteri. (9) Sic Man. Ern. 1. 3. Sch. 2. — *quasi sicce, et integre, et ample.* Olx. N. Iu. — *quasi sicce. At integre et ample.* Grut. — *quasi sicce et integre. At si ample* L. (10) — *Cui* L.

quam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis: in quibus non verbum pro[1] verbo necesse habui reddere, sed genus omnium verborum vimque servavi. Non enim ea me annumerare lectori putavi oportere, sed tamquam appendere. 15. Hic labor meus hoc assequetur, ut nostri homines, quid ab illis exigant, qui se Atticos[2] volunt, et ad quam eos quasi formulam dicendi revocent, intelligant. Sed exoritur[3] Thucydides. Eius enim quidam eloquentiam admirantur. Id quidem recte: sed nihil ad eum oratorem, quem quaerimus. Aliud est enim explicare res gestas narrando, aliud argumentando criminari, crimenve dissolvere: aliud narratione tenere auditorem, aliud concitare. 16. At loquitur pulchre. Num melius, quam Plato? Necesse tamen est oratori, quem quaerimus, controversias explicare forenses dicendi genere apto ad docendum, ad delectandum, ad permovendum. VI. Quare si quis erit, qui Thucydidio genere causas in foro dicturum se[4] esse profiteatur, is abhorrebit[5] etiam a suspicione eius, quae versatur[6] in re civili et forensi: qui Thucydidem laudavit[7], suae nostram adscribat sententiam[8]. 17. Quin ipsum Isocratem, quem divinus auctor Plato, suum fere aequalem, admirabiliter in Phaedro laudari fecit a Socrate, quemque omnes docti summum oratorem esse dixerunt, tamen hunc[9] in numero[10] non repono. Non enim in acie versatur, et ferro[11]: sed quasi[12] rudibus eius eludit[13] oratio. A me autem (ut cum maximis minima conferam) gladiatorum par nobilissimum inducitur. Aeschines[14], tamquam Aeserninus, ut ait Lucilius,

— non spurcus homo, sed doctus et acer,
Cum Pacideiano[15] *hic componitur, optimus longe*
Post homines natos[16] *—*

Nihil enim illo oratore arbitror cogitari posse divinius. 18. Huic labori nostro duo genera reprehensorum opponuntur. Unum hoc: Verum melius Graeci: a quo quaeratur, ecquid possint ipsi melius Latine? alterum: Quid istas potius legam, quam Graecas? Nec Andromacham, aut Antiopam, aut Epigonos Latinos recipiant. Sed tamen Ennium et Pacuvium et Attium potius, quam Euripidem et Sophoclem legunt. Iidem Andriam

---

(1) — om. *pro* L. (2) — *se esse Atticos* L. (3) Sic vere, et ex Ciceronis usu Nor. Man. — *exorietur* Iu. — L. Ern. 1. 2. 3. (4) Sic L. 1. 2. 3. ∞ *se dicturum profit.* Nor. ∞ *dicturum esse profit.* om. *se* Iu. Man. (5) Sic Nor. Rursus Sch. C. 2. — *abhorreat* Iu. — L. Ern. 1. 3. (6) *etiam sumptione eius, quae versatur* Nor. (— *a sumptione et suspicione* Ed. Med.) — *quod versatur* de Ern. susp. Sch. 2. Sed sic intelligendum: is remotus erit vel a levi cognitione (*von ieder Kenntniss*) eius causae, quae cet. (7) — *laudabit* Lambino immerito tribuit, hoc probans, Grut. Recepit Sch. 2. sed est: qui, ut supra dixi, laudare solet. (8) ex Ed. Med. Ern. 1. 2. = *adscribat suae nostram sent.* Iu. — L. Grut. (9) *hoc* Lamb. (non: *hunc hoc*, ut ait Grut.) (10) — *numerum* Otx. cfr. *de Invent.* 1. §. 59. (11) — *versatur cum ferro* de Purgoldi C. Sch. in Ed. mai. — *versatur ferro* Sch. C. 2. (12) Sic Nor. Man. L. 3. — om. *sed* Iu. Crat. Grut. Ern. 1. 2. Nou video quid h. l. sibi velit *εὐφυέστερον*. (13) — *ludit* Sch. C. 2. sed *eludere* h. l. significat petulanter ludere. (14) — *Aeschines enim cum Demosthene* Sch. C. 2. Nihil opus: nam etiam sine duplici isto fulcro, quod Sch. intrusit praeeuntibus Crinito et Parrhasio, satis intelligebant lectores sensum Ciceronis. (15) Sic Nonius Merceri in v. *Spurcum.* Wolfius *Tusc.* 4, 21. — *Pacidiano* Iu. M. Ern. 1. 2. Nonius Aldi. — *Placideiano* L. Douza. Lallem. 3. ex Horatii *Serm.* 2, 7, 97. (16) e Nonio addidit Sch. 2. *gladiator aequi fuit unus.* Locus sanus est sine his, etsi dubitabat etiam Ern. quem vide.

et Synephebos, nec minus Terentium et Caecilium, quam Menandrum legunt[1]. Quod igitur est eorum in orationibus e Graeco conversis fastidium, nullum quum sit in versibus?

VII. Sed aggrediamur iam, quod suscepimus, si prius exposuerimus, quae causa in iudicium deducta sit. 19. Quum esset lex Athenis, NE QVIS POPVLI SCITVM FACERET, VT QVISQVAM CORONA DONARETVR IN MAGISTRATV PRIVS, QVAM RATIONES REDDISSET: et altera lex, EOS, QVI A POPVLO DONARENTVR, IN CONCIONE DONARI DEBERE: †QVIA IN SENATV[2]. Demosthenes curator muris reficiendis fuit, eosque refecit pecunia sua. De hoc igitur Ctesiphon scitum fecit, nullis ab ipso rationibus relatis, ut corona aurea donaretur, eaque donatio fieret in theatro, populo convocato: qui locus non est concionis legitimae: atque ita praedicaretur, EVM DONARI VIRTVTIS ERGO BENEVOLENTIAEQVE, QVAM ERGA POPVLVM ATHENIENSEM HABERET. 20: Hunc igitur Ctesiphontem in iudicium adduxit Aeschines, quod contra leges scripsisset, ut et rationibus non relatis corona donaretur, et ut in theatro, et quod de virtute eius et benevolentia falsa scripsisset; quoniam Demosthenes nec vir bonus esset, nec bene meritus de civitate. Causa ipsa abhorret illa quidem a formula consuetudinis nostrae: sed est magna. Habet enim et legum interpretationem satis acutam in utramque partem, et meritorum in rem publicam contentionem sane gravem. 21. Itaque causa Aeschini[3], quoniam ipse a Demosthene esset capitis accusatus, quod legationem mentitus esset, ut ulciscendi inimici causa, nomine Ctesiphontis, iudicium fieret de factis famaque Demosthenis. Non enim tam multa dixit de rationibus non relatis, quam de eo, quod civis improbus, ut optimus, laudatus esset. 22. Hanc mulctam Aeschines a Ctesiphonte petiit quadriennio ante Philippi Macedonis mortem: sed iudicium factum est aliquot annis post, Alexandro iam Asiam tenente: ad quod iudicium concursus dicitur e tota Graecia factus esse. Quid enim aut tam visendum, aut audiendum[4] fuit, quam summorum oratorum in gravissima causa, accurata et inimicitiis incensa contentio? 23. Quorum ego orationes si, ut spero, ita expressero, virtutibus utens illorum omnibus, id est, sententiis, et earum figuris, et rerum ordine, verba persequens eatenus, ut ea non abhorreant a more nostro: (quae si e Graecis omnia conversa non erunt, tamen ut generis eiusdem sint elaboravimus[5]:) erit regula, ad quam eorum dirigantur orationes, qui Attice volent[6] dicere. Sed de nobis satis. Aliquando enim Aeschinem ipsum Latine dicentem audiamus.

---

(1) Sic locum ordinavit L. sequentibus Lall. 3. Sch. 2. (*igitur* quod L. inseruit post v. *Andromacham* necessarium non est.) Ceteri sic habent: — *Graecas? Iidem Andriam et Synephebos: nec minus Terentium et Caecilium, quam Menandrum legunt* (— *legant* Nor.): *nec Andromacham, aut Antiopam, aut Epigonos Latinos recipiant. Sed tamen Ennium - - potius, quam Euripidem - - legunt.* — *At iidem Andriam*, et *reiiciunt* Ern. suspiciones. Illam probavit, hanc recepit Sch. in Ed. mai. (2) Quum vulgata (N. Iu. M. L. Ern. 1. 3.) — *debere: quia in senatu Demosthenes curator* cet. aperte sit vitiosa, Lambinus proposuit: *debere: quia in tribu sua Dem. cur.* Longe ingeniosius Muretus, Petrusque Faber DEBERE: QVI A SENATV IN SENATV. *Dem. curator.* hocque recepissem cum Lallem. et Sch. 2. nisi dubium mihi remaneret, an ἐν τῷ βουλευτηρίῳ Cicero converterit *in senatu*, nec potius *in curia*, vel *in senaculo*. (3) — *Causa autem fuit accusandi Ctesiphontis Aeschini* L. (4) — *aut tam aud.* L. (5) ∞ *elaborabimus* Cdd. aliq. Ed. Med. prob. Gul. (6) e C1d. Ern. 1. 2. — *volunt* Ceteri.

M. TULLII CICERONIS

SCRIPTA DUBIA

ET

SUPPOSITITIA.

M. TULLII CICERONIS

QUAE VULGO FERTUR

POST

REDITUM IN SENATU

ORATIO.

(Ex recensione potissimum Beckiana, cum integra varietate Lambiniana (L.), Graevio-Garatoniana (Graev. 3.), Ernestiana (Ern. 1.), Wolfiana (W.), Beckiana (B.), Schuetziana (Sch. 2.), reliquaeque accurato delectu; ratione habita Iuntinae praesertim editionis. Heumanni iudicia et commenta pleraque consulto praetermisi.)

I. 1. Si, Patres conscripti, pro vestris immortalibus in me, fratremque meum, liberosque nostros meritis parum vobis cumulate gratias egero; quaeso, obtestorque, ne meae naturae potius, quam magnitudini vestrorum beneficiorum, id tribuendum[1] putetis. Quae enim tanta potest exsistere[2] ubertas ingenii, quae tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile genus orationis, quo quisquam possit vestra in nos universa promerita[3], non dicam complecti orando[4], sed percensere enumerando[5]? qui mihi fratrem optatissimum, me fratri amantissimo, liberis nostris parentes, nobis liberos: qui dignitatem, qui ordinem, qui fortunas, qui amplissimam rem publicam, qui patriam, qua nihil potest esse iucundius, qui denique nosmet ipsos nobis reddidistis. 2. Quod si parentes carissimos habere debemus, quod ab iis nobis vita, patrimonium, libertas, civitas tradita est; si deos immortales, quorum beneficio et haec tenuimus, et ceteris rebus aucti sumus; si populum Romanum, cuius honoribus in amplissimo consilio, et in altissimo gradu dignitatis, atque in hac omnium terrarum arce collocati sumus; si hunc ipsum ordinem, a quo saepe magnificentissimis decretis sumus honestati: immensum quiddam et infinitum est, quod vobis debemus[6], qui vestro singulari studio atque consensu, parentum beneficia, deorum immortalium munera, populi Romani honores, vestra de me multa iudicia, nobis omnia uno tempore reddidistis: ut, quum

(1) — *attribuendum* Cld. Lambini. (2) — *quae tanta enim* (ordine fortasse meliore) *potest esse* Franc. pr. (3) — *merita* Cld. Stephani. (4) — *ornando* C2d. prob. Graev. et Gar. (5) Sic dedi e Cld. ut *ad Quir.* C. 2. — *numerando* Ceteri. (6) e Cld. L. 1566. Ern. 1. 2. W. B. — *debeamus* Iu. Crut. Graev. 3.

multa vobis, magna populo Romano, innumerabilia parentibus, omnia diis immortalibus debeamus; haec[1] antea singula per illos habuerimus, nunc universa per vos recuperarimus[2]. II. 3. Itaque, Patres conscripti, quod ne optandum quidem est homini, immortalitatem quandam per vos[3] adepti videmur[4]. Quod enim tempus erit unquam, quo vestrorum in nos beneficiorum memoria ac fama moriatur, qui illo ipso tempore, quum vi, ferro, metu, minis obsessi teneremini, non multo post discessum meum, universi me revocavistis, referente L. Ninnio[5], fortissimo atque optimo viro? quem habuit ille pestifer annus et maxime fidelem, et minime timidum, si dimicare placuisset, defensorem salutis meae: posteaquam[6] vobis potestas decernendi[7] non est permissa per eum tribunum plebis, qui, quum per se rem publicam lacerare non posset, sub alieno scelere delevit[8]; nunquam de me siluistis, nunquam meam salutem non ab his[9] consulibus, qui vendiderant, flagitavistis. 4. Itaque vestro studio atque auctoritate perfectum est, ut ille ipse annus, quem ego mihi, quam patriae, malueram esse fatalem, hos[10] tribunos haberet, qui et[11] promulgarent de salute mea, et ad vos saepenumero referrent. Nam consules modesti, legumque metuentes, impediebantur lege, non ea, quae de me, sed, quae[12] de ipsis lata erat, quum[13] meus inimicus promulgavit[14], ut si revixissent ii, qui haec paene delerunt[15], tum ego redirem: quo facto utrumque confessus est, et se illorum vitam desiderare, et magno in periculo rem publicam futuram, si aut hostes atque interfectores rei publicae revixissent, aut ego non revertissem[16]. Itaque illo ipso tamen[17] anno, quum ego cessissem[18], princeps autem civitatis, non legum praesidio, sed parietum, vitam suam tueretur[19]; res publica sine consulibus[20] esset, neque solum parentibus perpetuis, verum etiam tutoribus annuis esset orbata; sententias dicere prohiberemini; caput meae proscriptionis recitaretur; nunquam dubitastis meam salutem cum communi salute coniungere. III. 5. Postea vero quam singulari et praestantissima virtute P. Lentuli consulis, ex superioris anni caligine et tenebris lucem in re publica Kalendis Ianuariis dispicere[21] coepistis: quum Q. Metelli, nobilissimi ho-

---

([1]) Sic Cdd. Iu. Graev. 3. Ern. 1. 2. W. B. — *quod haec* L. Grut. ([2]) e Cdd. Graev. 3. W. B. = *recuperaverimus* L. 1566. — *recuperavimus* Iu. 1. 2. ([3]) — *eos* Ern. 1. 2. errore typogr. ([4]) — *adepti esse vid.* e Cdd. Graev. 3. — *esse ad. vid.* e Cdd. Lallem. ([5]) Sic e Cdd. L. 1. 2. 3. W. B. — *L. Mumio* Cdd. aliq. — *L. Mummio* Iu. Lall. defendente Pighio ad a. 695. ([6]) ∞ *postea vero quam* e Cld. Graev. 3. ([7]) = *decern. pot.* L. (— *permissa* om. Cdd. aliq.) ([8]) ∞ *delituit* boni Cdd. prob. Gar. ([9]) ∞ *iis* L. ([10]) ∞ *octo* Iu. Victor. L. prob. Gar. cfr. *pro Sext.* C. 32. — *nos* Sch. 2. errore typogr. ([11]) Sic e Cdd. Graev. 3. Ern. 1. 2. W. B. = *qui et de sal. mea prom.* L. — *et* om. Iu. Grut. ([12]) — *sed ea, quae* Iu. L. Grut. ([13]) ∞ *quam* L. ([14]) — *promulgavisset* Ern. suspic. ([15]) — *delerant* Ern. susp. ([16]) Sententiam requirere *si aut hostes - non revixissent, aut ego revertissem* alii iam viderunt; sicque puto dedisse nostrum declamatorem; εἰρωνείαν nimis aliquanto exaggeratam mitigarunt, immo deformaverunt scioli. ([17]) — om. *tamen* Cdd. aliq. L. al. vide Garat. — *tum* Iu. al. ([18]) — *cecidissem* Cdd. aliq. Edd. vett. prob. Graev. perperam. ([19]) ∞ *principes - tuerentur* Cdd. aliq. Crat. Man. habetque, quo se tueatur. Cfr. *ad Quirit.* C. 6. ([20]) ∞ *res publica sine re publica, sine consulibus* Cdd. aliq. nimio acumine. ([21]) Sic L. C. 1. 2. W. B. — *despicere* Cdd. aliq. Iu. Naug. Oliv. — *respicere* Cdd. aliq. Graev. 3.

minis atque optimi viri summa dignitas, quum praetorum, tribunorum plebis paene omnium virtus et fides, rei publicae subvenisset: quum virtute, gloria, rebus gestis Cn. Pompeius, omnium gentium, omnium seculorum, omnis memoriae facile princeps, tuto se in senatum venire arbitraretur: tantus vester consensus de salute mea fuit, ut corpus [1] abesset meum, dignitas iam in patriam revertisset. 6. Quo quidem mense, quid inter me et meos inimicos interesset, existimare potuistis. Ego meam salutem deserui, ne propter me civium vulneribus res publica cruentaretur: illi meum reditum non populi Romani suffragiis, sed flumine sanguinis intercludendum putaverunt. Itaque postea nihil vos civibus, nihil sociis, nihil regibus respondistis: nihil iudices sententiis, nihil populus suffragiis, nihil hic ordo auctoritate declaravit: mutum forum, elinguem curiam, tacitam et fractam civitatem videbatis. 7. Quo quidem tempore, quum is excessisset, qui caedi et flammae, vobis auctoribus, restiterat, cum ferro et facibus homines tota urbe volitantes, magistratuum tecta impugnata [2], deorum templa inflammata, summi viri et clarissimi consulis fasces fractos, fortissimi atque optimi viri, tribuni plebis, sanctissimum corpus, non tactum [3] ac violatum manu, sed vulneratum ferro confectumque vidistis. Qua strage nonnulli permoti magistratus, partim metu mortis, partim desperatione rei publicae, paullum [4] a mea causa recesserunt: reliqui fuerunt, quos neque terror, neque [5] vis, nec spes, nec metus, nec promissa, nec minae, nec tela, nec faces a vestra auctoritate, a populi Romani dignitate, a mea salute depellerent. IV. 8. Princeps P. Lentulus, parens ac deus nostrae vitae, fortunae, memoriae, nominis, hoc specimen virtutis, hoc indicium animi, hoc lumen consulatus sui fore putavit, si me mihi, si meis, si vobis, si rei publicae reddidisset; qui ut est designatus, nunquam dubitavit sententiam de salute mea, se et re publica dignam, dicere. Quum a tribuno plebis vetaretur, quum praeclarum caput recitaretur, NE QVIS AD VOS REFERRET, NE QVIS DECERNERET, NE DISPVTARET, NE LOQVERETVR, NE PEDIBVS IRET, NE SCRIBENDO ADESSET: totam illam [6], ut ante dixi, proscriptionem, non legem putavit, qua civis optime de re publica meritus, nominatim, sine iudicio, una cum senatu rei publicae esset ereptus. Ut vero iniit magistratum, non dicam, quid egit [7] prius, sed quid omnino egit aliud, nisi, ut, me conservato, vestram in posterum dignitatem auctoritatemque sanciret? 9. Dii immortales, quantum mihi beneficium dedisse videmini, quod hoc anno P. Lentulus consul fuit [8]! quo [9] quanto maius dedissetis, si superiore anno fuisset! Nec enim eguissem medicina consulari, nisi consulari vulnere concidissem. Audieram ex sapientissimo homine, atque optimo civi [10]

(1) Sic Cdd. plerique. Iu. Grut. Ern. 1. 2. 3. W. B. — *ut aiebat corpus* L. 1566. Alii. (2) Sic e Cdd. Grut. 1. 2. 3 W. B. — *oppugnata* Iu. — L. (3) — *non solum tactum* (— *tractum* Iu.) Edd. vett. Iu. — L. 1566. *solum* prob. L. om. Grut. 1. 2. 3. W. B. (4) = *paullulum* L. al. (5) = *nec t.*, *nec v.* L. (6) — *illam causam* Cdd. aliq. Iu. — *illam clausulam* Nang. L. 1566. (om. hoc additamentum prob. L. Grut. Sequentes.) (7) — *egerit* Cdd. aliq. Iu. Graev. 3. (— *egit* e Cdd. iam L.) (8) *fuit* ex Erfurt. L. aliis restitui cum Wolfio. ∞ *praefuit* Cdd. alii. Iu. Inter utrumque dubius haereo. E C. omnino reiicienda in tali scriptore *est* Grut. 1. 2. 3 B. (9) Sic Cdd. aliq. Iu. Graev. 3. W. B. — — om. *quo* L. Ern. 1. 2. (10) = *civi* Cdd. aliq. Iu.

et viro, Q. Catulo, non saepe unum consulem improbum, duos vero nunquam, post Romam conditam[1], excepto illo Cinnano[2] tempore, fuisse: quare meam causam semper fore firmissimam, dicere solebat, dum vel unus in re publica consul esset. Quod vere dixerat, si illud de duobus consulibus, quod ante in re publica non fuerat, perenne ac proprium manere potuisset. Quod si Q. Metellus illo tempore consul fuisset unicus[3]: dubitatis, quo animo fuerit in me conservando futurus, quum in restituendo auctorem fuisse adscriptoremque videatis? 10. Sed fuerunt duo[4] consules, quorum mentes angustae, humiles, parvae[5], oppletae tenebris ac sordibus, nomen ipsum consulatus, splendorem illius honoris, magnitudinem tanti imperii nec tueri[6], nec sustinere, nec capere potuerunt: non consules, sed mercatores provinciarum ac venditores vestrae dignitatis: quorum alter a me Catilinam, amatorem suum, multis audientibus, alter Cethegum, consobrinum[7], reposcebat: qui me duo sceleratissimi post hominum memoriam, non consules, sed latrones, non modo deseruerunt, in causa praesertim publica et consulari, sed prodiderunt, oppugnarunt, omni auxilio, non solum suo, sed etiam vestro, ceterorumque ordinum, spoliatum esse voluerunt: quorum alter tamen neque me, neque quemquam fefellit. V. 11. Quis enim ullam ullius boni spem haberet in eo, cuius primum tempus aetatis palam fuisset ad omnes[8] libidines divulgatum? qui ne a sanctissima quidem parte corporis potuisset hominum impuram intemperantiam propulsare; qui quum suam rem non minus strenue, quam postea publicam confecisset, egestatem et luxuriam[9] domestico lenocinio sustentavit; qui nisi in aram tribunatus confugisset, neque vim praetoris, nec multitudinem creditorum, nec bonorum proscriptionem effugere potuisset. Quo[10] in magistratu nisi rogationem de piratico bello tulisset: profecto egestate et improbitate coactus piraticam ipse fecisset; ac minore quidem cum[11] rei publicae detrimento, quam quod[12] intra moenia nefarius hostis, praedoque versatus est: quo inspectante ac sedente, legem tribunus plebis tulit, NE AVSPICIIS OBTEMPERARETVR: NE OBNVNCIARE CONCILIO AVT COMITIIS, NE LEGI INTERCEDERE LICERET: VT LEX AELIA ET FVFIA[13] NE VALERENT: quae nostri maiores certissima subsidia rei publicae contra tribunicios furores esse voluerunt. 12. Idemque postea, quum innumerabilis multitudo bonorum de Capitolio supplex ad eum sordidata venisset, quumque adolescentes nobilissimi, cunctique equites Romani se ad lenonis impurissimi[14] pedes abiecissent: quo

---

([1]) Haec *post R. c.* om. Cdd. aliq. Iu. L. W. ([2]) — *Caesonino* Iu. al. ([3]) Sic Iu. Grut. 1. 2. 3. W. B. (hic [ ]) — *inimicus* Manut. L. — *non inimicus* Cdd. aliq. Edd. vett. — *unus* Ern. suspic. ([4]) — *hii* vel *ii* Cdd. aliq. ([5]) Sic Cdd. aliq. Ern. 1. et videtur convenientius huic scriptori. ∞ *pravae* Cdd. alii. Iu. L. 3. W. B. 2. — *pronae* Cdd. aliq. probb. Turneb. et Garat. ([6]) Sic e Cdd. Lallem. B. — *intueri* Iu. L. 1. 2. 3. W. sed est gradatio a maiore ad minus: et erga talem quoque scriptorem aequum se praebebit verus Criticus permittentibus Mss. ([7]) ∞ *consobr. suum* Iu. al. ([8]) Sic Cdd. aliq. Iu. L. W. B. Sch. 2. — *omnium* e Cdd. Grut. 1. 3. ([9]) = *luxuriem* L. ([10]) — *Qui* Cdd. aliq. Edd. ante Man. et L. ([11]) — om. *cum* Cdd. aliq. Graev. G. 3. W. ([12]) *quod* del. censebat I. F. Gronov. Punctis, ut delendum notatur in Cld. Lallem. ([13]) Sic iam L. Ern. 1. 2. W. B. — *Fusia* Iu. 3. ([14]) Sic Iu. L. 1. 2. 3. W. B. — *impudicissimi* e Cdd. Grut. — *impudentissimi* Edd. vett.

vultu cincinnatus ganeo non solum civium lacrymas, verum etiam patriae preces repudiavit! Neque eo contentus [1] fuit, sed etiam in concionem adscendit [2], eaque dixit, quae, si eius vir Catilina revixisset, dicere non esset ausus: se Nonarum Decembrium [3], quae me consule fuissent, clivique Capitolini poenas ab equitibus Romanis esse repetiturum: neque solum id dixit, sed quos ei commodum fuit, compellavit: L. vero Lamiam, equitem Romanum, praestanti dignitate hominem, et saluti meae pro familiaritate, rei publicae pro fortunis suis, amicissimum, consul imperiosus exire urbe iussit: et quum vos vestem mutandam censuissetis, cunctique mutassetis [4], atque idem omnes boni iam ante fecissent; ille unguentis oblitus, cum toga praetexta, quam omnes praetores, aedilesque tum abiecerant, irrisit squalorem vestrum, et luctum gratissimae [5] civitatis: fecitque, quod nemo unquam tyrannus, ut, quo minus occulte vestrum malum gemeretis, nihil diceret, ne aperte incommoda patriae lugeretis, ediceret. VI. 13. Quum vero in Circo Flaminio, non a tribuno plebis consul in concionem, sed a latrone archipirata, productus esset: primum processit, qua auctoritate vir! vini, somni, stupri plenus, madenti coma, composito capillo, gravibus oculis, fluentibus buccis, pressa voce et temulenta: quod in cives indemnatos esset animadversum, id sibi dixit gravis auctor vehementissime displicere. Ubi nobis haec auctoritas tamdiu tanta latuit? cur in lustris et helluationibus huius calamistrati saltatoris tam eximia virtus tamdiu cessavit? Nam ille alter Caesoninus Calventius, ab adolescentia versatus est in foro, quum eum, praeter simulatam versutamque [6] tristitiam, nulla res commendaret; non iuris studium, non dicendi, non rei militaris, non cognoscendorum hominum, non liberalitas [7]. Quem praeteriens quum incultum, horridum, maestumque vidisses; etiam si agrestem et inhumanum existimares, tamen libidinosum et perditum non putares [8]. 14. Cum hoc homine, an cum stipite Aethiope [si] in foro constitisses [9], nihil crederes interesse: sine sensu, sine sapore, elinguem, tardum, inhumanum negotiūm [10], Cappadocem modo abreptum de grege venalium diceres. Idem domi quam libidinosus, quam impurus, quam

---

(1) Sic Iu. L. 1. 2. W. B. — *contentus eo* Graev. 3. — om. *eo* Grut. (2) — *escendit* Gulielm. suspic. (3) Sic Cdd. aliq. Graev. 3. W. B. — *Decembris* Lallem. al. (4) Haec *cunctiq. mut.* exciderunt e B. (5) Sic Iu. L. 1566. 1. 2. 3. B. — *gravissimae* L. 1584. W. (etsi hic *gratissimae* praefert.) (6) *versutamque* e Victorii €. editiones posteriores occupavit. Nec tamen verum videtur. — *irritamque* Cdd. pleriq. Iu. — *fictamq.* Cdd. pauci. ∞ *mutamque* Cdd. Turnebi. probb. Gar. et W. ∞ *mimicamque* Graevii susp. ingeniosa. (7) Sic e Cdd. Grut. 1. 2. 3. W. B. — *commendaret*, *non consulis studium*, *non discendi initia rei militaris*, *non cogn. hom. non lib.* Iu. al. — *comm. non consularis dignitas*, *non scientia rei militaris*, *non cogn. hom. studium*, *non lib.* L. 1566. — *non consilium*, *non dicendi facultas*, *non scientia rei militaris*, *non studium cognosc. hom. non l.* Posterior L. €. (8) Sic Cdd. aliq. Iu. Grut. 1. 2. 3. W. B. — *putasti* Cdd. aliq. — *putasses* Cd. Ursini suspectus, prob. Gar. — *dubitares* L. alii. (9) ∞ *an cum stipite in foro c.* L. *si* recte del. W. B. Nos [ ]. *an* pro *aut* primus dedit L. — *an cum stipite vel Aeth.* Turneb. Graev. suspic. (10) — *elingue* Ern. €. 1. Sch. 2. pro *negotium* Iu. al. *neglectum.* Hinc W. €. *elinguem*, *tardum*, *inhumanum*, *neglectum negotium.* — *elinguem*, *tardum*, *inhumanum*, *vecordem*, *Cappad.* L. Ern. post *negotium* punctum posuit.

intemperans, non ianua receptis, sed pseudothyro intromissis[1] voluptatibus! Quum vero etiam literis[2] studere incipit, et helluo[3] immanis cum Graeculis philosophari, tum est Epicureus, non penitus illi disciplinae, quaecunque est, deditus, sed captus uno verbo voluptatis. Habet autem magistros non ex istis ineptis, qui dies totos de officio ac de virtute disserunt, qui ad laborem, ad industriam, ad pericula pro patria subeunda adhortantur[4]; sed eos, qui disputent[5], horam nullam vacuam voluptate esse debere; in omni parte corporis semper oportere aliquod gaudium delectationemque versari. 15. His utitur quasi praefectis libidinum suarum: hi voluptates omnes vestigant atque odorantur: hi sunt conditores instructoresque[6] convivii: iidem expendunt atque aestimant voluptates, sententiamque dicunt, et iudicant, quantum cuique libidini tribuendum esse videatur. Horum ille artibus eruditus, ita contempsit hanc prudentissimam[7] civitatem, ut omnes suas libidines, omnia flagitia latere posse arbitraretur, si modo vultum importunum in forum detulisset. VII. Is me, quamquam me quidem non, (cognoram enim, propter[8] Pisonum affinitatem, quam longe hunc ab hoc genere cognatio materna Transalpini sanguinis abstulisset,) sed vos populumque Romanum, non consilio, neque eloquentia, quod in multis saepe accidit, sed rugis supercilioque decepit. 16. L. Piso, tune ausus es isto oculo, non dicam isto animo, ista fronte, non vita, tanto supercilio, non enim possum dicere, tantis [rebus][9] gestis, cum A. Gabinio consociare consilia pestis meae? Non te illius unguentorum odor, non vini anhelitus, non frons calamistri notata[10] vestigiis, in eam cogitationem[11] adducebat, ut, quum illius re similis fuisses, frontis tibi integumento ad occultanda tanta flagitia diutius uti non liceret? Cum hoc tu[12] coire ausus es, ut consularem dignitatem, ut rei publicae statum, ut senatus auctoritatem, ut civis optime meriti fortunas provinciarum foedere addiceres? Te consule, tuis edictis et imperiis, senatui populoque Romano non est licitum, non modo sententiis atque auctoritate sua, sed ne luctu[13] quidem ac vestitu rei publicae subvenire. 17. Capuaene te putabas, in qua urbe domicilium quondam superbiae fuit, consulem esse, sicut eras eo tempore: an Romae, in qua civitate omnes ante vos consules senatui paruerunt? Tu es ausus, in Circo Flaminio productus cum tuo illo pari dicere, te semper misericordem fuisse? quo verbo senatum, atque

---

(1) Sic Naug. seqq. omnes. — *non in avare coeptis, sed porro intermissis* Iu. (2) Sic Iu. L. 1566. 1. 2. 3. W. B. — *literas* Grut. (3) — *bellua* L. E. prob. Gar. (4) = *cohortantur* Cdd. aliq. L. (5) Sic L. 1566. 1. 2. 3. W. B. — *disputant* Iu. Ed. 1581. (6) *instructores* est ἅπαξ λεγόμενον. Ideoque longe praefero lectionem H. ap. Beck. ∞ *structoresque*. Structores passim in Inscripti. memorantur. (7) Sic Cdd. aliq. Iu. L. Sch. 2. quem vide. — *prudentissimam* Grut. 3. W. B. (8) Locus ita est constitutus a Grut. 1. 2. W. B. lectione parum certa. — *Is non me quamquam equidem cognoveram eum, propter.* Iu. — *Is non me (namque equidem cognoveram, propter* — L. — *Is me quidem minime; cognoram enim pr.* Graev. 3. Lallem. (9) *rebus* om. Cdd. omnes. W. B. Habent Manut. e E. ut videtur, L. 1. 2. 3. Nos []. (10) — *torta* Cdd. aliq. Iu. — *intorta* al. (11) — *cogitationem* Iu. al. (12) e Codd. inscruit *tu* Graev. Ern. 1. 2. B. — om. Iu. L. W. (13) — *vultu* e Pith. Graev. 3.

omnes bonos tum, quum a patria pestem depellerent[1], crudeles demonstrabas fuisse. Tu misericors me affinem tuum, quem tuis comitiis[2], praerogativae primum custodem praefeceras, quem Kalendis Ianuariis tertio loco sententiam rogaras, constrictum inimicis rei publicae tradidisti: tu meum generum, propinquum tuum, tu affinem tuam, filiam meam[3], superbissimis et crudelissimis verbis a genibus tuis repulisti: idemque tu, clementia ac misericordia singulari, quum ego una cum re publica non tribunicio, sed consulari ictu concidissem, tanto scelere, tantaque intemperantia fuisti, ut ne unam quidem horam interesse paterere inter meam pestem et tuam praedam; saltem dum conticesceret illa lamentatio et gemitus urbis. 18. Nondum palam factum erat occidisse[4] rem publicam, quum tibi arbitria[5] funeris solvebantur. Uno eodemque tempore domus mea diripiebatur, ardebat, bona ad vicinum consulem de Palatio, de Tusculano ad item vicinum alterum consulem deferebantur: quum, iisdem operis suffragium ferentibus, eodem gladiatore latore, vacuo non modo a bonis, sed etiam a liberis, atque inani foro, ignaro populo Romano quid ageretur, senatu vero oppresso et afflicto, duobus impiis nefariisque consulibus, aerarium, provinciae, legiones, imperia donabantur.

VIII. Horum consulum ruinas vos consules vestra virtute fulsistis, summa tribunorum plebis practorumque fide et diligentia sublevati. 19. Quid ego de praestantissimo viro, T. Annio, dicam? aut quis de tali cive satis digne unquam loquetur? qui quum videret, sceleratum civem, aut domesticum potius hostem, si legibus uti liceret, iudicio esse frangendum: sin ipsa iudicia vis impediret ac tolleret, audaciam virtute, furorem fortitudine, temeritatem consilio, manum manu, vim vi esse superandam: primo de vi postulavit. Posteaquam ab eodem iudicia sublata esse vidit; ne ille omnia vi posset efficere, curavit: qui docuit, neque tecta, neque templa, neque forum, neque curiam, sine summa virtute, ac maximis opibus et copiis ab intestino latrocinio posse defendi: qui primus, post meum discessum, metum bonis, spem audacibus[6], timorem huic ordini, servitutem depulit civitati[7]. 20. Quam rationem pari virtute, animo, fide, P. Sextius secutus, pro mea salute, pro vestra auctoritate, pro statu civitatis, nullas sibi inimicitias, nullam vim, nullos impetus, nullum vitae discrimen vitandum unquam putavit: qui causam senatus exagitatam concionibus improborum, sic sua diligentia multitudini commendavit, ut nihil tam populare, quam vestrum nomen, nihil tam omnibus carum aliquando, quam vestra auctoritas videretur: qui me quum omnibus rebus, quibus tribunus plebis potuit, defendit, tum reliquis officiis, iuxta ac si meus frater esset, sustentavit: cuius ego clientibus, libertis, familia, copiis, literis ita sum sustentatus, ut meae calamitatis non adiutor solum,

(1) Haec *tum quum-depellerent* [ ] B. quia om. Cdd. haud pauci. Sic e Cdd. Heum. Ern. 1. 2. W. — *expellerent* Iu. — *depulissent* L. — *depulissem* Grut. Graev. 3. (2) Sic e paucis Graev. 3. = *comitiis tuis* Ern. C. 1. 2. (cum [ ] B.) ∞ om. *tuis* Iu. L. W. (3) = *meam fil.* L. (4) — *concidisse* Cdd. aliq. Iu. L. 1566. (5) Sic iam Iu. L. 1. 2. 3. W. B. — *arbitraria* Cdd. aliq. Grut. (6) — *spem aud.* om. Cdd. aliq. L. (— *bonis et audac.* Iu.) (7) — *metum o bonis, timorem ab hoc ordine, serv. dep. a civitate* L.

verum etiam socius videretur. 21. Iam ceterorum officia studiaque[1] vidistis: quam cupidus mei C. Cestilius[2], quam studiosus vestri, quam non varius fuerit in causa. Quid M. Cispius? cui ego ipsi, parenti, fratrique eius, sentio quantum debeam: qui quum a me[3] voluntas eorum in privato iudicio esset offensa, publici mei beneficii memoria privatam offensionem obliterarunt[4]. Iam T. Fadius, qui mihi quaestor fuit, M' Curius[5], cuius ego patri quaestor fui, studio, amore, animo, huic necessitudini non defuerunt. Multa de me C. Messius[6], et amicitiae et rei publicae causa, dixit: legem separatim[7] initio de salute mea promulgavit. 22. Q. Fabricius, si, quae de me agere conatus est, ea contra vim et ferrum perficere potuisset, mense Ianuario nostrum statum recuperassemus[8]: quem ad salutem meam voluntas impulit, vis retardavit, auctoritas vestra revocavit. IX. Iam vero praetores quo animo in me fuerint, vos existimare potuistis, quum L. Caecilius privatim me suis omnibus copiis studuerit sustentare: publice promulgarit de mea salute cum collegis paene omnibus: direptoribus autem meorum bonorum in ius adeundi potestatem non fecerit. M. autem Calidius, statim designatus, sententia sua, quam esset cara sibi mea salus, declaravit. 23. Omnia officia C. Septimii, Q. Valerii, P. Crassi, Sex. Quintilii, C. Cornuti, summa et in me, et in rem publicam constiterunt.

Quae quum libenter commemoro[9], tum non invitus nonnullorum in me nefarie commissa praetereo. Non est mei temporis iniurias meminisse: quas ego etiam si ulcisci possem, tamen oblivisci mallem; alio transferenda mea tota vita est, ut bene de me meritis referam gratiam, amicitias igne perspectas tuear[10], cum apertis hostibus bellum geram, timidis amicis ignoscam, proditoribus meis non indicem dolorem profectionis meae: defensores reditus dignitate consoler[11]. 24. Quod si mihi nullum aliud esset officium in omni vita reliquum, nisi ut erga duces ipsos, et principes, atque auctores salutis meae, satis gratus iudicarer: tamen exiguum reliquae vitae tempus non modo ad referendam, verum etiam ad commemorandam gratiam mihi relictum putarem. Quando enim ego huic homini ac liberis eius, quando omnes mei gratiam referent? quae memoria, quae vis ingenii, quae magnitudo observantiae, tot tantisque beneficiis respondere poterit? qui mihi primus[12] afflicto et iacenti consularem fidem dexteramque[13] porrexit: qui me a morte ad vitam, a desperatione ad spem, ab exitio ad salutem revoca-

---

([1]) — *studia* Cdd. aliq. Grut. ([2]) — *Sextilius* L. ([3]) — *quum mihi* Cdd. aliq. ([4]) e Cdd. W. B. = *obliteraverunt* Ceteri. etiam Sch. 2. ([5]) Sic L. Graev. 3. W. B. — *M. Curius* Sch. 2. — *M' Curtius* Ern. 1. ([6]) — *Messinius* Iu. L. ([7]) — *speciatim* Cdd. aliq. Iu. Graev. 3. ([8]) — *veterem statum recuperassem* Garat. E. e vestigiis Cdd. ([9]) Quae hic inserunt Cdd. aliq. *nemo enim gratiarum immemor, est gratus inventus* sapientiam redolent medii aevi, ac ne hoc quidem scriptore videntur digna. ([10]) Haec *amic. igne* (∞ *igni* Gulielm.) *persp. tuear* e Cdd. recepit primus Grut. tum 1. 2. 3. W. B. Consulto videntur esse deleta. ([11]) Sic Iu. L. 1. 2. W. B. ∞ *proditores non indicem, dolorem profectionis meae reditus dignitate consoler.* e Cdd. aliq. Man. Graev. 3. Lall. prob. Garat. ac sane praestat posterior sententiolae pars. In priore etiam Wolfio iudice potius cum Cdd. aliq. et Hotom. pro *indicem* legendum *vindicem.* ([12]) = *primus mihi* editurus erat Graev. v. VV. LL. ([13]) = *dextramque* L.

vit: qui tanto amore in me, studio in rem publicam, fuit, ut excogitaret, quemadmodum calamitatem meam non modo levaret, sed etiam honestaret. Quid enim magnificentius, quid praeclarius mihi accidere potuit, quam quod, illo petente[1], vos decrevistis, ut cuncti ex omni Italia, qui rem publicam salvam vellent, ad me unum, hominem fractum et prope dissipatum, restituendum et defendendum venirent? ut, qua voce ter omnino[2] post Romam conditam consul usus esset pro universa re publica apud eos solum, qui eius vocem exaudire possent, eadem voce senatus omnibus agris atque oppidis, cives[3] totamque Italiam ad unius salutem defendendam excitaret. X. 25. Quid ego gloriosius meis posteris potui relinquere, quam, hoc senatum iudicasse, qui civis me non defendisset, eum rem publicam salvam noluisse? Itaque tantum vestra auctoritas, tantum eximia consulis dignitas valuit, ut dedecus et flagitium[4] se committere putaret, si qui[5] non veniret. Idemque consul, quum illa incredibilis multitudo Romam, et paene Italia ipsa venisset, vos frequentissimos in Capitolium convocavit. Quo tempore quantam vim naturae bonitas haberet[6], aut vera nobilitas, intelligere potuistis. Nam Q. Metellus, et inimicus, et frater inimici, perspecta vestra voluntate, omnia privata odia deposuit: quem P. Servilius, vir quum clarissimus, tum vero optimus, mihique amicissimus, et auctoritatis, et orationis suae divina quadam gravitate, ad sui generis communisque sanguinis facta virtutesque revocavit, ut haberet in consilio et fratrem ab inferis[7], socium rerum mearum, et omnes Metellos, praestantissimos cives, paene ex Acheronte excitatos: in quibus Numidicum illum, cuius quondam de patria discessus molestus omnibus, ipsi ne luctuosus quidem est visus[8]. 26. Itaque exstitit[9] non modo salutis defensor, qui ante hoc unum beneficium fuerat inimicus, verum etiam adscriptor dignitatis meae. Quo quidem die, quum vos ccccxvii Senatores essetis[10], magistratus autem hi omnes[11] adessent, dissensit unus, is qui sua lege coniuratos etiam ab inferis excitandos putarat. Atque illo die, quo[12] rem

(1) ∞ *referente* e Pith. Graev. 3. — *illo suffragium ferente* Cld. Lambini. (2) Sic Cdd. aliq. Grut. 1. 2. 3. W. B. — *te Romule post R. c.* Iu. — *a te Romule* cet. Al. prob. Ferratio. — *semel omnino* L. (3) Sic Grut. 1. 2. W. B. e Cdd. — *senatus omnibus agris atque oppidis vicis cives* Cdd. aliq. Iu. ubi *vicis* non est nisi *διττογραφία* voc. *cives*. Sed hoc correxerunt Naug. — L. speciose, non vere: *sen. omnibus agris, vicis atque opp. cives.* — *senatus omnes ex omnibus agris atque opp. cives:* Cd. Pith. prob. Heum. Hinc Graev. 3. Lall. perperam: *sen. omnes omnibus agris atque opp. cives.* (4) e C2d. Grut. 1. 2. 3. B. — *ut omne is flag.* Naug. L. W. (e C. ut videtur Naugerii) *ut omnis flag.* Iu. — *ut omnes se flag.* Augustini C. Cd. Ursini. (5) e Cdd. B. = *si quis* Ceteri. (6) — *vim haberet vera bonitas* L. (Iu. iam nostram lect. exhibet.) (7) Haec *ab inferis* suspecta L. del. Heumann. Defendit W. (8) Sic e Cdd. B. Sch. 2. — *molestus - - visus fuit* Ern. 1. — *molestus - - visus est* W. — *mol. omnibus sane, ipsi - visus est.* Graev. 3. ex Erfurt. — *honestus ipsi, bonis omnibus tamen luctuosus visus est.* L. 1566. — *discessus honestis omnibus luctuosus tandem visus est.* Iu. — *honestus ipsi, omnibus luctuosus tandem visus est* Grut. (9) e Cdd. Graev. 3. Lall. W. B. ∞ *Itaque fuit is* Man. L. — *Itaque hic fuit* Iu. — *Itaque dimittit* Cdd. aliq. — *Itaque dimittitur* Edd. vett. Grut. Ern. 1. Sch. 2. (10) Sic e Cdd. B. — *quum CCCCXVII* (*CCCCX* Iu. L.) *senatores essetis* Iu. L. W. — *quum vos CCCCXVII, ex senatu essetis.* Graev. 3. — *quum CCCCXVII, ex senatu essetis* Grut. Ern. 1. Sch. 2. (11) e Cdd. Grut. 1. 2. 3. W. B. ∞ *magistratusque omnes* Iu. L. (12) — *quod* Naug. ∞ *quum* Garat. suspic.

publicam meis consiliis conservatam gravissimis verbis et plurimis iudicassetis, idem consul curavit, ut eadem a principibus civitatis in concione, postero die, dicerentur: quum quidem ipse egit ornatissime causam meam[1], perfecitque, adstante atque audiente Italia tota, ut nemo cuiusquam conducti aut perditi vocem acerbam atque inimicam bonis posset audire. XI. 27. Ad haec non modo adiumenta salutis, sed etiam ornamenta dignitatis meae, reliqua vos iidem addidistis: decrevistis, ne quis ulla ratione rem impediret: qui [id] impedisset, vos graviter[2] molesteque laturos; illum contra rem publicam, salutemque bonorum, concordiamque civium facturum: et ut ad vos de eo statim referretur[3]: neque etiam, si diutius calumniarentur, redire iussistis. Quid? ut agerentur gratiae iis, qui e municipiis venissent? quid? ut ad illam diem, res quum redissent[4], rogarentur, ut pari studio convenirent? Quid denique ille dies[5], quem P. Lentulus mihi, fratrique meo, liberisque nostris natalem constituit, non modo ad nostram, verum etiam ad sempiterni memoriam temporis? quo die[6] nos comitiis centuriatis, quae maxime maiores[7] comitia iusta dici haberique voluerunt, arcessivit in patriam, ut eadem centuriae, quae me consulem fecerant, consulatum meum comprobarent. 28. Quo die quis civis fuit, qui non nefas[8] esse putaret, quacunque aut aetate, aut valetudine esset, non se de salute mea sententiam ferre? Quando tantam frequentiam in campo, tantum splendorem Italiae totius ordinumque omnium, quando illa dignitate rogatores, diribitores, custodesque vidistis? Itaque P. Lentuli beneficio excellenti atque divino non[9] reducti sumus in patriam, sicut nonnulli clarissimi cives[10], sed equis insignibus et curru aurato reportati.

29. Possum ego satis in Cn. Pompeium unquam gratus videri? qui non solum apud vos, qui omnes idem sentiebatis, sed etiam apud universum populum Romanum, salutem rei publicae[11] et conservatam per me et coniunctam esse cum mea dixerit; qui causam meam prudentibus commendarit, imperitos edocuerit, eodemque tempore improbos auctoritate sua compresserit, bonos excitarit; qui populum Romanum pro me, tamquam pro fratre, aut pro parente, non solum hortatus sit, verum etiam obsecrarit; qui ipse quum propter metum dimicationis et sanguinis, domo se teneret, etiam a superioribus tribunis

---

([1]) = *meam causam* L. ([2]) Sic Graev. 3. ex Erfurt. *id* tamen, quod abest a Pith. Naug. Camer. ego [ ]. ∞ *qui impedisset, id vos gr.* L. — *qui id impedisset, graviter* Iu. Ern. 1. 2. W. B. (— *impediret.* Cd. Guelf.) ([3]) e Cdd. Grut. 1. 2. 3. W. B. — *ad vos ea statim referrentur* Iu. L. ([4]) Sic de Lamb. posteriore sententia Grut. Graev. 3. W. B. Sch. 2. — *res quum recidissent* Iu. — *res quum redisset* Hervag. unde Ern. 1. pessime *quum res redisset.* — *ad res suas quum redissent* L. 1566. ([5]) e Cdd. Graev. 3. Lall. B. Sch. 2. — *quid denique illo die* Iu. Ern. 1. W. — *qui denique ille dies* Lall. et W. suspicio. Totum locum sic edidit Lamb.: *Quid, quod ut iis ag. gr.* (*gratiae iis* B. de Ern. et W. sententia e vestig. Cd. Gu. *gratis;* ceteri om. *iis*) --- *quid, quod ut ad i. d. ad res suas quum redissent* -- *quid denique, quod illo die, quem diem P. Lentulus* - ([6]) — *illo, inquam, die* L. ([7]) — *maiores nostri* L. ([8]) e Cdd. Edd. vett. Graev. 3. (prob. Garat.) B. — *fas* Iu. L. 1. 2. W. ([9]) e Cdd. Grut. 1. 2. 3. W. B. — *non solum* Cdd. aliq. Iu. L. ([10]) Sic L. 1566. et postea omnes. — *viri* Iu. al. ([11]) — *ap. univ. po. Ro. popul. Romani salutem et* e Cdd. aliq. Graev. 3. Lallem.

petierit, ut de salute mea et promulgarent et referrent[1]; qui in colonia nuper constituta, quum ipse gereret magistratum, in qua nemo erat emptus intercessor[2], vim et crudelitatem privilegii, auctoritate honestissimorum hominum, et publicis literis consignarit[3], princepsque Italiae totius praesidium ad meam salutem implorandum putarit; qui, quum ipse mihi semper amicissimus fuisset, etiam ut suos necessarios mihi amicos redderet, elaborarit. XII. 30. Quibus autem officiis T. Annii beneficia remunerabo[4]? cuius omnis actio, ratio, cogitatio, totus denique tribunatus, nihil aliud fuit, nisi constans, perpetua, fortis, invicta defensio salutis meae. Quid de P. Sextio loquar? qui suam erga me benevolentiam et fidem non solum animi dolore, sed etiam corporis vulneribus ostendit.

Vobis vero, Patres conscripti, singulis et egi et agam gratias. Universis egi initio[5], quantum potui: satis ornate agere nullo modo possum. Et quamquam sunt in me praecipua merita multorum, quae silcri nullo modo possunt, tamen huius temporis ac timoris mei non est, conari commemorare beneficia in me singulorum: nam difficile est, non aliquem; nefas, quemquam praeterire. Ego vos universos, Patres conscripti, deorum numero colere debeo. Sed, ut in ipsis diis immortalibus non semper eosdem, atque alias alios solemus et venerari, et precari: sic in hominibus de me divinitus meritis omnis erit actas mihi ad eorum erga me merita praedicanda atque recolenda. 31. Hodierno autem die nominatim a me magistratibus[6] statui gratias esse agendas, et de privatis uni, qui pro salute mea municipia coloniasque adisset, populum Romanum supplex obsecrasset, sententiam dixisset eam, quam vos secuti, mihi dignitatem meam reddidistis. Vos me florentem semper ornastis; laborantem, mutatione vestis, et prope luctu vestro, quoad licuit, defendistis. Nostra memoria senatores ne in suis quidem periculis mutare vestem solebant: in meo periculo senatus veste mutata fuit, quoad licuit per eorum edicta, qui mea pericula non modo suo praesidio, sed etiam vestra deprecatione nudarunt.

32. Quibus ego rebus obiectis, quum mihi privato confligendum viderem cum eodem exercitu, quem consul non armis, sed vestra auctoritate superaram: multa mecum ipse reputavi. XIII. Dixerat in concione consul, se clivi Capitolini poenas ab equitibus Romanis repetiturum. Nominatim alii compellabantur, alii citabantur, alii relegabantur. Aditus templorum erant non solum praesidiis et manu, verum etiam demolitione sublati. Alter consules[7], ut me et rem publicam non modo desererent, sed etiam hostibus rei publicae proderent[8], pactionibus eos[9] suorum praemiorum obligarat. Erat alius ad portas cum imperio in multos annos, magnoque exercitu: quem ego inimicum mihi fuisse

(1) — *ferrent* nescio quo errore Grut. Lallem. (2) e Cdd. Grut. 1. 2. 3. W. B. — *intercessorum* Iu. L. (3) Sic L. 1. 2. W. B. — *consignavit - putavit - elaboravit* Iu. Grut. Graev. 3. (4) e Cdd. Iu. Graev. 3. W. B. = *remunerabor* L. 1. 2. (5) Sic Iu. L. W. B. — *ab initio* e Cdd. Grut. 1. 2. 3. — *in initio* Cdd. aliq. (6) — *et magg.* L. (7) Sic e Cd. Gu. (*Consul*'.) Augustini et L. E. W. B. — *consul* Ceteri. (8) — *desereret - proderet* Iu. Graev. 3. (*Alterum consulem ut me - desereret - proderet* de Graevii suspic. Lall.) (9) — *eos* suspectum Graev. Ern. defendunt Gar. W.

non dico; tacuisse, quum diceretur esse inimicus, scio. 33. Duae partes esse in re publica quum putarentur, altera me deposcere, propter inimicitias; altera timide defendere, propter suspicionem caedis putabatur. Qui autem me deposcere videbantur[1], in hoc auxerunt dimicationis metum, quod nunquam infitiando suspicionem hominum curamque minuerunt[2]. Quare quum viderem senatum ducibus orbatum, me a magistratibus partim oppugnatum, partim proditum, partim derelictum, servos simulatione collegiorum nominatim esse conscriptos, copias omnes Catilinae paene iisdem ducibus ad spem caedis et incendiorum esse revocatas, equites Romanos, proscriptionis, municipia, vastitatis, omnes, caedis metu esse permotos[3]: potui, potui, Patres conscripti, multis auctoribus fortissimis viris, me vi armisque defendere: nec mihi ipse[4] ille animus idem meus[5], vobis non incognitus, defuit. Sed videbam, si vicissem praesentem adversarium, nimium multos mihi alios esse vincendos; si[6] victus essem, multis bonis et pro me, et mecum, etiam post me esse pereundum; tribuniciique sanguinis ultores, esse praesentes; meae mortis poenas, iudicio et posteritati reservari. XIV. 34. Nolui, quum consui communem salutem sine ferro defendissem, meam privatus armis defendere: bonosque viros lugere malui meas fortunas, quam suis desperare: ac, si solus essem interfectus, mihi turpe; si cum multis, rei publicae funestum fore videbatur. Quod si mihi aeternam esse aerumnam propositam arbitrarer: morte me ipse potius, quam sempiterno dolore multassem. Sed quum viderem, me non diutius, quam ipsam rem publicam ex hac urbe afuturum: neque ego illa exterminata mihi remanendum amplius[7] putavi, et illa, simul atque revocata est, me secum pariter reportavit[8]. Mecum leges, mecum quaestiones, mecum iura magistratuum, mecum senatus auctoritas, mecum libertas, mecum etiam frugum ubertas, mecum deorum et hominum sanctitates omnes, et religiones afuerunt. Quae si semper abessent, magis vestras fortunas lugerem, quam desiderarem meas; sin aliquando revocarentur, intelligebam, mihi cum illis una esse redeundum. 35. Cuius mei sensus certissimus testis est hic idem, qui custos capitis fuit, Cn. Plancius, qui, omnibus provincialibus ornamentis commodisque depositis, totam suam quaesturam in me sustentando et conservando collocavit. Qui si mihi quaestor imperatori fuisset, in filii loco fuisset; nunc certe erit in parentis, quum fuerit quaestor non imperii, sed doloris mei[9].

36. Quapropter, Patres conscripti, quoniam in rem publicam sum pariter cum re publica restitutus: non modo in ea defendenda nihil minuam[10] de libertate mea pristina, sed etiam adaugebo. XV. Ete-

---

(1) — *dicebantur* e Pith. Graev. 3. (2) Haec omnia *Duae partes* - - *minuerunt* ironice pro gloss. habet W. (3) ∞ *perterritos* Cdd. aliq. prob. Graev. (4) ∞ *ipsi* Heumanni suspic. (5) Haec *idem meus* om. C1d. prob. Gar. (6) *sin* tribuitur Lambino: *si* Ed. 1566. (7) e Cdd. *amplius* inseruit Grut. omittunt priores: Iu. — L. Lall. (8) — *revocavit* e Pith. Graev. 3. (9) — *qui, si mihi Quaestor fuisset, in filii loco fuisset, nunc certe erit in parentis* ceteris omissis, Garat. suspic. ad *Plancianam* p. 269. Ed. nostrae. Aliter nimirum succurri nequibat ineptissimo declamatori. (10) ∞ *imminuam* e Pith. Lallem.

nim, si eam tum defendebam, quum mihi aliquid[1] illa debebat: quid nunc me facere oportet, quum ego illi plurimum debeo? Nam quid est, quod animum meum frangere aut debilitare possit, cuius ipsam calamitatem non modo nullius delicti, sed etiam divinorum in rem publicam beneficiorum testem esse videatis? Nam et importata est, quia defenderam civitatem: et mea voluntate suscepta est, ne a me defensa res publica per eundem me extremum in discrimen vocaretur. 37. Pro me non, ut pro P. Popillio, nobilissimo homine, adolescentes filii, non propinquorum multitudo populum Romanum est deprecata: non, ut pro Q. Metello, summo et clarissimo viro, spectata iam adolescentia filius: non[2] L. et C. Metelli, consulares, non eorum liberi, non Q. Metellus Nepos, qui tum consulatum petebat, non Luculli, Servilii, Scipiones, Metellarum[3] filii, flentes ac sordidati, populo Romano supplicaverunt: sed unus frater, qui in me pietate, filius; consiliis, parens; amore, (ut erat) frater inventus est: squalore et lacrymis, et quotidianis precibus, desiderium mei nominis renovari, et rerum gestarum memoriam usurpari coëgit. Qui quum statuisset, nisi per vos me recuperasset, eandem subire fortunam, atque idem sibi domicilium et vitae et mortis d. poscceret: nunquam[4] nec magnitudinem negotii, nec solitudinem suam, nec vim inimicorum ac tela pertimuit. 38. Alter fuit propugnator mearum fortunarum, et defensor assiduus, summa virtute et[5] pietate, C. Piso, gener: qui minas inimicorum meorum, qui inimicitias affinis mei, propinqui sui, consulis[6], qui Pontum et Bithyniam quaestor pro[7] mea salute neglexit. Nihil unquam senatus de P. Popillio decrevit, nunquam in hoc ordine Q. Metelli mentio facta est. Tribuniciis sunt illi rogationibus, interfectis inimicis, denique nulla auctoritate senatus, restituti; quum alter eorum senatui paruisset, alter vim caedemque fugisset. Nam C. quidem Marius, qui hac hominum memoria tertius ante me consularis, tempestate civili expulsus est, non modo a senatu non est restitutus, sed reditu suo senatum cunctum paene delevit. Nulla de illis magistratuum consensio, nulla ad rem publicam defendendam populi Romani convocatio, nullus Italiae motus, nulla decreta municipiorum et coloniarum exstiterunt. 39. Quare quum me vestra auctoritas arcessierit, populus Romanus revocarit, res publica implorarit, Italia cuncta paene suis humeris reportarit: non committam, Patres conscripti, ut quum ea mihi sint restituta, quae in potestate mea non fuerunt, ea non habeam, quae ipse praestare possim[8], praesertim quum illa amissa recuperarim, virtutem et fidem nunquam amiserim.

---

(1) = *aliquid mihi* Iu. al. (2) — quater *non* om. L. (3) Sic Manut. Lall. Heum. W. B. Sch. 2. — *Metellorum* Cdd. Iu. L. 1. 3. (4) Sic L. W. B. — *tamen nunquam* Iu. Grut. Graev. 3. Ern. 1. 2. (5) ∞ *ac* Cd. Lambini. (6) — *consularis* Ern. 1. Sch. 2. errore typogr. (7) ∞ *prae* L. solus cfr. *pro Milone* C. 2. *Verr. Act.* 2. *L.* 2. §. 156. (8) ∞ *possum* Margo L. Weiske.

M. TULLII CICERONIS

QUAE VULGO FERTUR

AD

QUIRITES

POST REDITUM ORATIO.

(Ex recensione potissimum Beckiana, cum integra varietate Lambiniana (L.), Graevio-Garatoniana (Graev. 3.), Ernestiana (Ern. 1.), Wolfiana (W.), Beckiana (B.), Schuetziana (Sch. 2.), reliquaeque accurato delectu; ratione habita Iuntinae praesertim editionis.)

I. 1. Quod precatus a Iove Optimo Maximo, ceterisque diis immortalibus, sum, Quirites, eo tempore, quum me fortunasque meas pro vestra incolumitate, otio, concordiaque devovi, ut, si meas rationes unquam vestrae saluti anteposuissem, sempiternam poenam sustinerem, mea voluntate susceptam: sin et ea, quae ante gesseram, conservandae civitatis causa gessissem, et illam miseram profectionem vestrae salutis gratia suscepissem: ut, quod odium scelerati homines et audaces in rem publicam et in omnes bonos conceptum iamdiu continerent, id in me uno potius, quam in optimo quoque, et in universa civitate deficeret[1]: hoc si animo in vos liberosque vestros fuissem, ut aliquando vos, patres conscriptos, Italiamque universam, memoria mei, misericordia, desideriumque teneret: eius devotionis me esse convictum iudicio deorum immortalium, testimonio senatus, consensu Italiae, confessione inimicorum, beneficio divino immortalique vestro, maxime lector, Quirites. 2. Etsi[2] homini nihil est magis optandum, quam prospera, aequabilis, perpetuaque fortuna, secundo vitae sine ulla offensione cursu[3]: tamen, si mihi tranquilla et placata omnia fuissent, incredibili quadam et paene divina, qua nunc, vestro beneficio, fruor,

(1) Sic Graev. 3. W. B. e Cdd. item Grut. Ern. 1. Sch. 2. nisi quod *univ. re publica* pro *univ. civitate.* — *id in me unum potius, quam in optimum quemque, et in universam rem publicam deflecterent* Iu. L. 1566. — *deflecteret* Grut. Lall. errore typogr. — *defigerent* Hotom. et L. susp. — *desaeviret* Gesneri susp. (2) ∾ *Et si* Edd. vett. L. 1566. (prob. Marcl.) B. Sed melius huic scriptori convenit *ἀσύνδετον*. *Etsi* 1. 2. 3. W. (= *Et si nihil est homini* L. 1566. — *Etsi enim homini* Hotom. suspic.) (3) — *secundus - cursus* e Cld. L.

laetitiae voluptate caruissem. Quid dulcius hominum generi a natura datum est, quam sui cuique liberi? mihi vero et propter indulgentiam meam, et propter excellens eorum ingenium, vita sunt mea cariores. Tamen non tanta voluptate erant suscepti, quanta nunc sunt restituti. 3. Nihil cuiquam fuit unquam iucundius, quam mihi meus frater: non tam id sentiebam, quum fruebar, quam tunc[1], quum carebam, et postcaquam vos me illi, et mihi eum reddidistis[2]. Res familiaris sua quemque delectat: reliquae meae fortunae recuperatae, plus mihi nunc voluptatis afferunt, quam tunc incolumitatis[3] afferebant. Amicitiae, consuetudines, vicinitates, clientelae, ludi denique, et dies festi, quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo. 4. Iam vero honos, dignitas, locus, ordo, beneficia vestra, quamquam mihi semper clarissima visa sunt, tamen ea nunc renovata, illustriora videntur, quam si obscurata non essent. Ipsa autem patria, dii immortales! dici vix potest, quid caritatis, quid voluptatis habeat[4]! quae species Italiae! quae celebritas oppidorum! quae forma regionum! qui agri! quae fruges! quae pulchritudo urbis! quae humanitas civium! quae rei publicae dignitas! quae vestra maiestas! Quibus ego omnibus antea rebus sic fruebar, ut nemo magis. Sed tamquam[5] bona valetudo iucundior est eis, qui e gravi morbo recreati sunt, quam qui nunquam aegro corpore fuerunt: sic ea omnia desiderata magis, quam assidue percepta, delectant. II. 5. Quorsum igitur haec disputo? quorsum? ut intelligere possitis, neminem unquam tanta eloquentia[6] fuisse, neque tam divino atque incredibili genere dicendi, qui vestrorum magnitudinem multitudinemque beneficiorum, quae in me, fratremque meum, et liberos[7] nostros contulistis, non modo augere, aut ornare oratione[8], sed enumerare, aut consequi possit. A parentibus, id quod necesse erat, parvus sum procreatus: a vobis natus sum consularis. Illi mihi fratrem, incognitum, qualis futurus esset, dederunt: vos spectatum et incredibili pietate cognitum reddidistis. Rem publicam illis accepi temporibus eam, quae paene amissa est[9]: a vobis eam[10] recuperavi, quam aliquando omnes unius opera servatam iudicaverunt. Dii immortales mihi liberos[11] dederunt: vos reddidistis. Multa praeterea a diis immortalibus optata consecuti sumus: nisi vestra voluntas fuisset, omnibus divinis muneribus caruéramus[12]. Vestros denique honores, quos

---

(1) — *tum* L. (2) — *sed posteaquam - reddidistis, incredibile est, quantam animo voluptatem perceperim* Veneta pr. prob. Gar. (3) Sic Cdd. pleriq. Iu. (prob. W.) B. — *incolumitates* Grut. ∞ *incolumi* L. Graev. 3. W. *incolumes* ex Hotom. €. Ern. 1. Sch. 2. (— *incolumi totae* vel *incolumes totae* Lamb. suspicc. non receptae.) (4) Sic Cld. L. 1566. Ern. 1. 2. B. — *habet* Iu. Graev. 3. W. (5) Sic Iu. L. Grut. Ern. 1. 2. W. B. — *Sed sicut tanquam* Cdd. aliq. — *Sed sicut bona* Graev. 3. (6) — *tantae eloquentiae* Cdd. aliq. prob. Graev. (7) = *liberosque* L. (8) — om. *oratione* Cdd. aliq. (9) — *esset* dc Ern. prava suspic. Sch. 2. (10) Sic Cdd. Iu. L. prob. Gar. et W. B. — *iam* Grut. errore typogr. 1. 2. 3. (11) Sic omnes, etiam L. 1566. = *liberos mihi* L. in marg. 1584. (12) Sic ex Olx. dedi ego. Plusquamperfectum hoc, (de quo videsis Gerhardum in Excurs. 1. ad *Laelium.*) haud intelligentes, Cdd. aliq. dederunt — *caruerimus*, ∞ *careremus* Cdd. aliq. Edd. vett. Margo L. 1584. B. — *caruissemus* Iu. Grut. 1. 2. 3. W. *caruéramus* est et tunc caruissemus, et nunc careremus.

eramus gradatim singulos assecuti, nunc a vobis universos habemus: ut, quantum antea parentibus, quantum diis immortalibus, quantum vobismet ipsis, tantum hoc tempore cuncto[1] populo Romano debeamus.

6. Nam, quum in ipso beneficio vestro tanta magnitudo est, ut eam complecti oratione non possim: tum in studiis vestris tanta animorum declarata est voluntas, ut non solum calamitatem mihi detraxisse[2], sed etiam dignitatem auxisse videamini. III. Non enim pro meo reditu, ut pro P. Popillii, nobilissimi hominis, adolescentes filii, et multi praeterea cognati atque affines deprecati sunt: non, ut pro Q. Metello, clarissimo viro, iam spectata aetate filius, non[3] L. Diadematus, consularis, summa auctoritate vir, non C.[4] Metellus censorius, non eorum liberi, non Q. Metellus Nepos, qui tum[5] consulatum petebat, non sororum filii, Luculli, Servilii, Scipiones: permulti enim tum Metelli, aut Metellarum[6] liberi pro Q. Metelli reditu vobis ac patribus vestris supplicaverunt. Quod si ipsius summa dignitas maximaeque res gestae non satis valerent: tamen filii pietas, propinquorum preces, adolescentium squalor, maiorum natu lacrymae populum Romanum movere potuerunt. 7. Nam C. Marii, qui post illos veteres clarissimos consulares, vestra[7] patrumque memoria: tertius ante me consularis, subiit indignissimam fortunam praestantissima sua gloria, dissimilis fuit ratio. Non enim ille deprecatione rediit; sed in discessu[8] civium, exercitu se armisque revocavit. At me[9] nudum a propinquis, nulla cognatione munitum, nullo armorum ac tumultus metu, C. Pisonis, generi mei, divina quaedam et inaudita[10] auctoritas[11] atque virtus, fratrisque[12] miserrimi atque optimi quotidianae lacrymae, sordesque lugubres a vobis deprecatae sunt. 8. Frater erat unus, qui suo squalore vestros oculos inflecteret: qui suo fletu desiderium mei, memoriamque renovaret: qui statuerat, Quirites, si vos me sibi non reddidissetis, eandem subire fortunam; et[13] tanto in me amore exstitit, ut negaret fas esse, non modo domicilio, sed ne sepulcro quidem se a me esse seiunctum. Pro me praesente senatus, hominumque praeterea viginti millia vestem mutaverunt: pro eodem me absente[14] unius squalorem sordesque vidistis. Unus hic, qui domi, qui in foro posset esse

---

([1]) Sic Beckius, qui omnino consulendus, recte. — *universo* (Gloss.) *cuncto p. R.* Iu. — *universim cuncto p. R.* L. Grut. Graev. 3. W. Sch. 2. — *uni p. R.* Ern. 1. Attamen leg. mihi videtur *nobismet ipsis. vobis* enim, si vel maxime, non vero *vobismet ipsis* opponi poterat etiam a tam malo scriptore *cuncto populo Romano.* ([2]) — *detraxistis* Cdd. aliq. probante Graevio tam immanem soloecismum. ([3]) Hoc *non* om. Grut. (male iungens *filius L. Diadematus*) quater *non* omisit L. recte ceterum distinguens. ([4]) — *Q.* Iu. L. (om. praenomen Lall. al.) ([5]) — *tum* om. Oliv. Lall. ([6]) Sic h. l. Cdd. pauci. Graev. 3. W. B. — *Metellorum* Iu. L. Ern. 1. Sch. 2. (incuria. Supra *ad Senat.* §. 59. hic recte habet.) ([7]) ∞ *hac vestra* Cdd. aliq. ([8]) Sic Cdd. aliq. Iu. Ern. 1. 2. W. B. ∞ *dissensu* Cdd. aliq. Naug. L. Graev. 3. Lall. ([9]) e Cdd. Graev. 3. B. — *Me autem* Iu. L. 1. 2. W. ([10]) ∞ om. *et inaudita* Cdd. aliq. ([11]) — *pietas* Ern. C. 1. ([12]) Sic e Cdd. Graev. 3. Lall. W. B. — *fratrisque mei* Iu. L. Ern. 1. 2. ([13]) om. *et* Cdd. aliq. Graev. 3. Lall. ([14]) Sic Cdd. aliq. Iu. Grut. W. B. — *pro absente* L. — *pro me abs.* Graev. 3. — *pro eodem abs.* Ern. 1. 2.

mihi pietate filius, inventus est beneficio parens[1], amore idem, qui semper fuit, frater. Nam coniugis miserae squalor et luctus, atque optimae filiae maeror assiduus, filiique parvi[2] desiderium mei, lacrymaeque pueriles, aut itineribus necessariis, aut magnam partem tectis ac tenebris continebantur. IV. Quare hoc maius est vestrum in nos promeritum, quod non multitudini propinquorum, sed nobismet ipsis nos reddidistis.

9. Sed quemadmodum propinqui, quos ego parare non potui, mihi ad deprecandam calamitatem meam non affuerunt[3]: sic, illud, quod mea virtus praestare debuit, adiutores, auctores, hortatoresque ad me restituendum ita multi fuerunt, ut longe superiores omnes hac dignitate copiaque superarem. Nunquam de P. Popillio, clarissimo atque fortissimo viro; nunquam de Q. Metello, nobilissimo et constantissimo cive; nunquam de C. Mario, custode civitatis atque imperii vestri, in senatu mentio facta est. 10. Tribuniciis superiores[4] illi rogationibus, nulla auctoritate senatus sunt restituti. Marius vero non modo non[5] a senatu, sed etiam oppresso senatu est restitutus: nec rerum gestarum memoria in reditu C. Marii, sed exercitus atque arma valuerunt. At de me ut valeret, semper senatus flagitavit: ut aliquando perficeretur[6], quum primum licuit, frequentia atque auctoritate perfecit. Nullus in eorum reditu motus municipiorum et coloniarum factus est. At me in patriam ter suis decretis Italia cuncta revocavit. Illi, inimicis interfectis, magna civium caede facta, reducti sunt. Ego iis[7], a quibus eiectus sum, provincias obtinentibus, inimico hoc[8], optimo viro et mitissimo, altero consule referente[9] reductus sum: quum is inimicus, qui ad meam perniciem vocem suam communibus hostibus praebuisset, spiritu dumtaxat viveret, re quidem infra omnes mortuos amandatus esset. V. 11. Nunquam de P. Popillio L. Opimius, fortissimus consul, nunquam de Q. Metello non modo C. Marius, qui erat inimicus, sed ne is quidem, qui secutus est, M. Antonius, homo eloquentissimus, cum A. Albino collega senatum aut populum est cohortatus. At pro me superiores consules semper, ut referrent, flagitati[10] sunt: sed veriti sunt, ne gratiae causa facere viderentur, quod alter mihi affinis erat, alterius causam capitis receperam: qui provinciarum foedere irretiti, totum illum annum querelas senatus, luctum bonorum, Italiae gemitum pertulerunt. Kalendis vero Ianuariis posteaquam orba res publica consulis fidem, tamquam legitimi tutoris, imploravit, P. Lentulus consul[11], parens, deus, salus nostrae

(1) Sic Grut. Ern. 1. 2. W. B. — *Unus hic domi in foro, qui posset esse mihi aetate filius, inventus est b. p.* Iu. — *Unus hic, qui in foro posset esse, mihi pietate filius inventus est, benef. p.* Graev. 3. Lall. (— *Unus hic qui quidem in foro* e Cld. praeferebat Gar.) — *Unus hic, qui domi posset esse mihi aetate filius, in foro pietate item filius inventus est, benef. p.* L. ∞ *Unus hic, qui domi, qui in foro posset esse, is mihi pietate filius inv. est, b. p.* Wolfii suspic. (2) ∞ *parvuli* Cdd. aliq. (3) ∞ *fuerunt* Cdd. aliq. Edd. vett. Graev. 3. (4) — voc. *superiores* [] Ern. 1. 2. (5) ∞ Hoc *non* del. B. cum Cdd. aliq. v. de toto hoc genere *Ien. Litztg.* Iuny 1825. p. 382. (6) — *proficeretur* Cld. prob. Gar. (7) — del. *iis* cum Cdd. aliq. Graev. 3. (8) Sic e Cdd. Heumann. B. — *inimico autem optimo v.* Ceteri praeter L. qui dedit: *inimico autem altero consule opt. v. et mit. altero cons. ref.* (9) — *referente* suspectum Ern. (10) Sic e Cdd. prob. Marcl. B. Sch. 2. — *efflagitati* Ceteri. (11) — *consul* suspectum Weiskio.

vitae[1], fortunae, memoriae, nominis, simulac de sollemni religione retulit, nihil humanarum rerum sibi prius, quam de me agendum iudicavit. 12. Atque eo die confecta res esset, nisi is tribunus plebis, quem ego maximis beneficiis quaestorem consul ornaveram, quum et cunctus ordo, et multi cum summi viri orarent, et Cn. Oppius socer, optimus vir, ad pedes eius flens iaceret, noctem sibi ad deliberandum postulasset: quae deliberatio non in reddenda, quemadmodum nonnulli arbitrabantur, sed, ut patefactum est, in augenda mercede consumpta est. Postea res acta est in senatu alia nulla; et quum variis rationibus impediretur, voluntate tamen perspecta senatus, causa ad vos mense Ianuario deferebatur[2]. 13. Hic tantum interfuit inter me et inimicos meos. Ego, quum homines in tribunali Aurelio palam conscribi centuriarique vidissem: quum intelligerem, veteres ad spem caedis Catilinae copias esse revocatas[3], quum viderem, ex ea parte homines, cuius partis[4] nos vel principes numerabamur, partim quod mihi inviderent, partim quod sibi timerent, aut proditores esse, aut desertores salutis meae: quum duo consules, empti pactione provinciarum, auctores se inimicis rei publicae tradidissent: quum egestatem, avaritiam, libidines suas viderent expleri non posse, nisi me constrictum[5] domesticis hostibus dedidissent[6], quum senatus equitesque Romani flere pro me, ac, mutata veste, vobis supplicare edictis atque imperiis vetarentur: quum omnium provinciarum pactiones, quum omnia cum omnibus foedera, reconciliationes gratiarum, sanguine meo sancirentur; quum omnes boni non recusarent, quin vel pro me, vel mecum perirent: armis decertare pro mea salute nolui, quod potui, quoniam et vincere[7] et vinci luctuosum rei publicae fore putavi. 14. At inimici mei, mense Ianuario quum de me ageretur, corporibus civium trucidatis, flumine sanguinis meum reditum intercludendum putaverunt. VI. Itaque quum ego afui, eam rem publicam habuistis, ut aeque me, atque illam, restituendam putaretis. Ego autem, in qua civitate nihil valeret senatus, omnis esset impunitas, nulla iudicia, vis et ferrum in foro versarentur; quum privati se parietum praesidio, non legum tuerentur; tribuni plebis, vobis inspectantibus, vulnerarentur, ad magistratuum domos cum ferro et facibus iretur, consulis fasces frangerentur, deorum immortalium templa incenderentur: rem publicam esse nullam[8] putavi. Itaque neque[9], re publica exterminata, mihi locum in hac urbe esse duxi: nec, si illa restitueretur, dubitavi, quin me secum ipsa reduceret. 15. An ego, quum mihi esset exploratissimum, P. Lentulum proximo anno consulem futurum, qui illis ipsis rei pu-

---

(1) Sic Cdd. aliq. Iu. L. W. B. Sch. 2. — *deus salutis nostrae*, v. Cdd. aliq. Edd. vett. (L. C. non recepta.) Graev. 3. Ern. 1. (2) Sic Hervag. Man. L. W. B. Sch. 2. — *quum* (om. *et*) *v. r. i. et voluntate tamen perfecta senatus causa ad vos* cet. Grut. Graev. 3. Ern. 1. (3) — *renovatas* Cdd. aliq. (4) — *cui parti* Cdd. aliq. Graev. 3. Lall. (5) — *conflictum* Cdd. aliq. unde Graev. suspic. — *adflictum*. (6) Sic Naug. L. prob. Gar. W. B. Sch. 2. — *dedissent* Iu. Grut. Graev. 3. Ern. 1. (7) Sic Cdd. aliq. Iu. prob. Gar. Lall. W. B. Sch. 2. — *nolui, quod potui, quod et v.* Graev. 3. — *nolui, quod et v.* Naug. L. Ern. 1. (8) e Cdd. Lambini Grut. 1. 2. 3. W. B. — *nullam esse* Iu. L. 1. 66. (9) = *nec* L.

blicae periculosissimis temporibus aedilis curulis, me consule, omnium meorum consiliorum particeps periculorumque socius fuisset: dubitarem, quin is me, confectum consularibus vulneribus, consulari medicina ad salutem reduceret? Hoc duce, collega autem eius[1], clementissimo atque optimo viro, primo non adversante, post etiam adiuvante, reliqui magistratus paene omnes fuerunt defensores salutis meae: ex quibus excellenti animo, virtute, auctoritate, praesidio, copiis[2], T. Annius et P. Sextius, praestanti[3] in me benevolentia et divino studio exstiterunt. Eodemque P. Lentulo auctore, et pariter referente collega, frequentissimus senatus, uno dissentiente, nullo intercedente, dignitatem meam, quibus potuit, verbis amplissimis[4] ornavit: salutem vobis, municipiis coloniisque omnibus commendavit. 16. Ita me nudum a propinquis, nulla cognatione munitum, consules, praetores, tribuni plebis, senatus, Italia cuncta, semper a vobis deprecata est: denique omnes, qui vestris maximis beneficiis honoribusque sunt ornati, producti ad vos ab eodem[5], non solum ad me conservandum vos cohortati sunt, sed etiam rerum mearum gestarum auctores, testes, laudatores[6] fuerunt. VII. Quorum princeps[7] ad cohortandos vos, et ad rogandos fuit Cn. Pompeius, vir omnium, qui sunt, fuerunt, erunt, virtute, sapientia ac[8] gloria princeps: qui mihi unus uni privato amico eadem omnia dedit, quae universae rei publicae, salutem, otium, dignitatem. Cuius oratio fuit, quemadmodum accepi, tripartita: primum vos docuit, meis consiliis rem publicam esse servatam, causamque meam cum communi salute coniunxit; hortatusque est, ut auctoritatem senatus, statum civitatis, fortunas civis bene meriti defenderetis: tum in perorando posuit, vos rogari a senatu, rogari ab equitibus Romanis, rogari ab Italia cuncta: denique ipse ad extremum pro mea vos salute non rogavit solum, verum etiam obsecravit. 17. Huic ego homini, Quirites, tantum debeo, quantum hominem homini debere vix fas est. Huius consilia, P. Lentuli sententiam, senatus auctoritatem vos secuti, in eo me loco, in quo vestris beneficiis fueram, iisdem centuriis, quibus collocaratis[9], reposuistis. Eodem tempore audistis eodem ex loco summos viros, ornatissimos atque amplissimos homines, principes civitatis, omnes consulares, omnes praetorios, eadem dicere, ut omnium testimonio per me unum[10] rem publicam conservatam esse constaret. Itaque quum P. Servilius, gravissimus vir, et ornatissimus civis, dixisset, opera mea rem publicam incolumem magistratibus deinceps traditam, dixerunt in eandem sententiam ceteri. Sed audistis eo tempore clarissimi viri non solum auctoritatem, sed etiam testimonium, L. Gellii: qui, quia suam classem attentatam magno cum suo periculo

---

(1) — *collega eius, et cl.* Graev. 3. errore typogr. pro ∞ *et collega eius, cl.* e Mss. (2) — om. *copiis* Edd. nonnullae. Habent Iu. Grut. seqq. Sed L.: *auctoritate praediti T. Annius.* (3) — *praesenti* Ctd. probb. Grut. Garat. (4) — *meam verbis, quam potuit ampliss.* L. (5) Haec *ab eodem* om. Cdd. aliq. De Gar. sententia B. [] — *ab eadem* Cdd. aliq. (6) — *laudatoresque* Cdd. aliq. Iu. Lall. (7) — *princeps virtute* e Cdd. Graev. 3. Lall. (8) ∞ om. *ac* L. (9) Sic etiam L. 1566. In marg. L. 1581. Lamb. tribuitur *collocatus fueram.* (10) ∞ om. *unum* Cdd. aliq.

paene sensit, dixit in concione vestra: „*si ego consul, quum fui, non fuissem, rem publicam funditus interituram fuisse.*"

VIII. 18. En ego[1] tot testimoniis, Quirites, hac auctoritate senatus, tanta consensione Italiae, tanto studio bonorum omnium, agente P. Lentulo, consentientibus ceteris magistratibus, deprecante Cn. Pompeio, omnibus hominibus faventibus, diis denique immortalibus frugum ubertate, copia, vilitate, reditum meum comprobantibus, mihi, meis, rei publicae restitutus, tantum vobis, quantum facere[2] possum, Quirites, polliceor: primum, qua sanctissimi homines pietate erga deos immortales esse solent, eadem me erga populum Romanum semper fore, numenque vestrum aeque mihi grave et sanctum, ac deorum immortalium in omni vita futurum: deinde, quoniam me in civitatem res publica ipsa reduxit, nullo me loco rei publicae defuturum. 19. Quod si quis existimat, me aut voluntate esse mutata, aut debilitata virtute, aut animo fracto, vehementer errat. Mihi, quod potuit vis et iniuria, et sceleratorum[3] hominum furor detrahere, eripuit[4], abstulit, dissipavit: quod viro forti adimi non potest, id manet et permanebit. Vidi ego fortissimum virum, municipem meum, C. Marium, — quoniam nobis, quasi aliqua fatali necessitate, non solum cum his, qui haec delere voluissent, sed etiam cum fortuna belligerandum fuit — cum tamen vidi, quum esset summa senectute, non modo non infracto animo propter magnitudinem calamitatis, sed confirmato atque renovato. 20. Quem egomet dicere audivi[5], tum se fuisse[6] miserum, quum careret patria, quam obsidione liberasset[7]; quum sua bona possideri ab inimicis ac diripi audiret; quum adolescentem filium videret eiusdem socium calamitatis; quum in paludibus demersus, concursu ac misericordia Minturnensium corpus ac vitam suam conservasset; quum parva navicula traiectus[8] in Africam, quibus regna ipse dederat, ad eos inops supplexque venisset: recuperata vero sua dignitate, se non commissurum, ut, quum ea, quae amiserat[9], sibi restituta essent, virtutem animi non haberet, quam nunquam perdidisset. Sed hoc inter me atque illum interest: quod ille, qua re plurimum potuit, ea ipsa re inimicos suos ultus est, armis; ego qua consuevi, utar[10]: quoniam illi arti in bello ac seditione locus est, huic in pace atque otio. 21. Quamquam ille[11] animo irato nihil nisi de inimicis ulciscendis agebat: ego de ipsis inimicis tantum, quantum mihi res publica permittet, cogitabo. IX. Denique, Quirites, quoniam me quatuor omnino genera hominum violarunt: unum eorum, qui odio rei publicae, quod eam ipsis invitis conservaram, mihi inimicissimi fuerunt;

---

(1) — pro *En ego* Man. suspic. *Ergo.* (2) — *facere* suspectum Ern. (3) — *sceleratus* Cdd. Lambini. (4) — *id eripuit* tribuitur L. in marg. 1584. (5) = *audivi dicere* e Cld. Graev. 3. (6) — *se non fuisse* Hotom. et Marcl. suspic. (7) Sic L. Graev. 3. B. = *liberavisset* Ceteri. (8) — *travectus* L. ∞ *pervectus* Cdd. aliq. prob. Oudend. ad *Invent.* 2, 51. et *Appul.* T. 1. p. 65. (9) — *amiserit* Weiske C. (10) — *utar pietate* Iu. L. 1566. *pietate* de Lamb. sententia et Cdd. auctoritate del. Grut. Sequentes Edd. — *arte* excidisse putat W. (11) —*quamquam quo ille* Cld. (— *quodque ille* Weisike C.)

alterum, qui per simulationem amicitiae, nefarie me[1] prodiderunt; tertium, qui, quum propter inertiam suam eadem assequi non possent, inviderunt laudi et dignitati meae; quartum, qui, quum custodes rei publicae esse [*] debuerant[2], salutem meam, statum civitatis, dignitatem eius imperii, quod erat penes ipsos, vendiderunt: sic ulciscar genera singula[3], quemadmodum a quibusque sum provocatus: malos cives rem publicam bene gerendo: perfidos amicos, nihil credendo, atque omnia cavendo: invidos, virtuti et gloriae serviendo: mercatores provinciarum, revocando domum, atque ab iis provinciarum rationem repetendo. 22. Quamquam mihi maiori curae est, quemadmodum quidem[4] vobis, qui de me estis optime meriti, gratiam referam, quam, quemadmodum inimicorum iniurias crudelitatemque persequar. Etenim ulciscendae[5] iniuriae facilior ratio est, quam beneficii remunerandi, propterea quod superiorem esse contra improbos, minus est negotii, quam bonis exaequari: tum etiam ne[6] tam necessarium quidem est, male meritis, quam optime meritis, referre quod debeas[7]. 23. Odium vel precibus mitigari[8] potest, vel temporibus rei publicae communique utilitate deponi, vel difficultate ulciscendi teneri, vel vetustate sedari: bene meritos quin colas, nec[9] exorari fas est, nec id rei publicae repetere[10] utcunque[11] necesse est, neque est excusatio difficultatis, neque aequum est, tempore et die memoriam beneficii definire. Postremo qui in ulciscendo remissior fuit, mox aperte laudatur[12]: at gravissime vituperatur, qui in tantis beneficiis, quanta vos in me contulistis, remunerandis est tardior: neque solum ingratus, quod ipsum grave est, verum etiam impius appelletur necesse est. [Atque in officio persolvendo dissimilis est ratio pecuniae debitae: propterea quod pecuniam qui retinet, non dissolvit; qui reddidit, non habet: gratiam et qui retulit, habet; et qui habet, dissolvit[13].] X. 24. Quapropter memoriam vestri beneficii colam benevolentia sempiterna, non solum dum anima spirabo mea[14], sed etiam quum[15] mortuo monumenta[16] vestri in me beneficii permanebunt. In referenda autem gratia hoc vobis repromitto, semperque praestabo, mihi neque in consiliis de re publica capiendis, dili-

---

([1]) Sic Cdd. aliq. Iu. B. — om. *me* Ceteri. ([2]) Sic dedi C. — *debuerunt* Cdd. pleriq. Iu. L. Graev. 3. — *debuerint* Heum. — *debuissent* Otx. — *deberent* Ern. C. 1. 2. W. B. ([3]) Sic Iu. Ern. 1. 2. W. B. — *singula genera* L. — *facinora singula* Cdd. aliq. — *facinorum singula* Cdd. aliq. Grut. Graev. 3. (— *ea genera singula* L. susp. prob. Gar.) ([4]) ∞ cum Cdd. aliq. om. *quidem* Graev. 3. W. Sch. 2. post v. *Quamquam mihi* transposuit L. ([5]) ∞ *Et. quum ulc.* L. e C1d. prob. Gar. ([6]) — *nec* Iu. Graev. 3. ([7]) Sic editur inde a Naug. Priores v. c. Iu.: *nec tam nec. quidem est, male meritis* (Graev. et Ern. nescio unde referunt: *n. t. n. q. est, non tam male m.*) *referre quod debeas, quam ut bene meritos colas.* ([8]) — *medicari* Alii in marg. 1581. prob. Gulielm. ([9]) = *neque - neque* L. ([10]) — *petere* C1d. prob. Man. — *reputare* C1d. — *dare* Graevii suspic. — *remittere unquam* Gar. suspic. (— *remittere* volebat etiam Ern.) ([11]) ∞ *utcunque* om. L. 1565. In marg. 1581. idem: *utique.* ([12]) — *in eo partim reprehenditur, partim laudatur* Lamb. suspic. non recepta. ([13]) Haec *Atque - dissolvit* ex *Planciana* C. 28. desumpta om. Cdd. aliq. Ern. 1. B. [ ]. *Atqui officii persolvendi diss. est ratio, et pecuniae debitae;* L. — *Atque in officio persolvendo diss. est r. et pecunia debita* e C2d. Lallem. ([14]) Sic Hervag. L. cum seqq. — *cum anima superaro mea* Iu. Valde turbant Cdd. ([15]) — *dum* L. ([16]) — *m. ulla mon.* L.

gentiam; neque in periculis a re publica propulsandis, animum; neque in sententia simpliciter referenda[1], fidem; neque in hominum voluntatibus pro re publica laedendis, libertatem; nec in perferendo labore, industriam; nec in vestris commodis augendis, gratam animi benevolentiam defuturam. 25. Atque haec cura, Quirites, erit infixa animo meo sempiterna, ut, quum vobis, qui apud me deorum immortalium vim et numen tenetis, tum posteris vestris cunctisque gentibus dignissimus ea civitate videar, quae suam dignitatem non posse tenere se, nisi me recuperasset, cunctis suffragiis indicavit.

---

(1) — *efferenda* Man. suspic. — *ferenda* Ern. et Gar. suspic. — *dicenda* L. 1566. (— *simpliciter* suspectum Ern.)

M. TULLII CICERONIS

QUAE VULGO FERTUR

PRO

D O M O S U A,

AD PONTIFICES ORATIO.

(Ex recensione potissimum Beckiana, cum integra varietate Lambiniana (L.), Graevio - Garatoniana (Graev. 3.), Ernestiana (Ern. 1.), Wolfiana (W.), Beckiana (B.), Schuetziana (Sch. 2.), reliquaeque accurato delectu; ratione habita Iuntinae praesertim editionis.

I. 1. Quum multa divinitus, Pontifices, a[1] maioribus nostris inventa atque instituta sunt; tum nihil praeclarius, quam quod vos[2] eosdem et religionibus deorum immortalium, et summae rei publicae, praeesse voluerunt: ut amplissimi et clarissimi cives rem publicam bene gerendo, pontifices[3] religiones sapienter interpretando, rem publicam[4] conservarent. Quod si ullo tempore magna causa in[5] sacerdotum populi Romani iudicio ac potestate versata est: haec profecto tanta est, ut omnis rei publicae dignitas, omnium civium salus, vita, libertas, arae, foci, dii penates, bona, fortunae, domicilia vestrae sapientiae, fidei, potestatique[6] commissa creditaque esse videantur. 2. Vobis hodierno die constituendum est, utrum posthac amentes ac perditos magistratus improborum ac sceleratorum civium praesidio nudare, an etiam deorum immortalium religione armare malitis. Nam si illa labes ac flamma rei publicae, suum illum pestiferum et funestum tribunatum, quem aequitate humana tueri non potest, divina religione defenderit: aliae caerimoniae nobis erunt, alii antistites deorum immortalium, alii interpretes religionum requirendi: sin autem vestra auctoritate sapientiaque, Pontifices, ea, quae furore improborum in re publica, ab aliis oppressa, ab aliis deserta, ab aliis prodita, gesta sunt, rescindantur[7]: erit causa, cur consilium maiorum in amplissimis viris ad sa-

(1) ∞ om. *a* C2d. Lambini. (2) — om. *vos* C2d. Lambini Ern. 1. Sch. 2. (3) — *pontifices* Ern. 1. [ ]. Pro hoc v. ∞ *religiosissimi* Pantagath. L. 1566. (4) — *remp.* Ern. [ ]. (5) — om. *in* Cdd. aliq. Edd. vett. Grut. (6) ∞ *potestati* Cdd. Lambini, qui non recepit. (7) — *rescindentur* Pantag. susp. — *rescindantur* Ern. susp.

cerdotia deligendis, iure ac merito laudare possimus. 3. Sed, quoniam ille demens, si ea, quae ego per hos dies in senatu de re publica sensi, vituperasset, aliquem se aditum ad aures vestras esse habiturum putavit: omittam[1] ordinem dicendi meum; respondebo hominis furiosi non orationi, qua ille uti non potest, sed convicio, cuius exercitationem quum intolerabili petulantia, tum etiam diuturna impunitate munivit.

II. Ac primum illud a te, homine vesano ac furioso, requiro, quae te tanta poena tuorum scelerum flagitiorumque vexet, ut hos tales viros, qui non solum consiliis suis, sed etiam specie ipsa dignitatem rei publicae sustinent, quod ego in sententia dicenda salutem civium cum honore Cn. Pompeii coniunxerim, mihi esse iratos, et aliud de summa hoc tempore religione[2] sensuros, ac me absente[3] senserint, arbitrere. 4. „Fuisti tu, inquit, apud pontifices[4] superior: sed iam, quoniam te ad populum[5] contulisti, sis inferior, necesse est". Itane vero? quod in imperita multitudine est vitiosissimum, varietas et inconstantia, et crebra, tamquam tempestatum, sic sententiarum, commutatio, hoc tu ad hos transferas, quos ab inconstantia gravitas, a libidinosa sententia certum et definitum ius religionum, vetustas exemplorum, auctoritas literarum monumentorumque deterret? „Tune es ille, inquit, quo senatus carere non potuit? quem boni luxerunt[6]? quem res publica desideravit? quo restituto, senatus auctoritatem restitutam putabamus, quam primum adveniens prodidisti?" Nondum de mea sententia dico. Impudentiae primum respondebo tuae. III. 5. Hunc igitur, funesta rei publicae pestis, hunc tu civem ferro, et armis, et exercitus terrore, et consulum scelere, et audacissimorum hominum minis, servorum delectu, obsessione templorum, occupatione fori, oppressione curiae, domo et patria, ne cum improbis boni ferro dimicarent, cedere curasti[7], quem a senatu, quem a bonis omnibus, quem a cuncta Italia desideratum, arcessitum, revocatum, conservandae rei publicae causa, confiteris? „At enim in senatum venire, in Capitolium intrare turbulento illo die non debuisti." 6. Ego vero neque veni, et domo[8] me tenui, quamdiu turbulentum tempus fuit: quum servos tuos ad rapinas[9], ad bonorum caedem paratos, cum illa tua conscelceratorum ac perditorum manu, armatos etiam[10] in Capitolium tecum venisse constabat: quod quum mihi nuntiaretur, scio[11] me domi mansisse, et tibi, et gladiatoribus tuis instaurandae caedis potestatem non fecisse. Posteaquam mihi nuntiatum est, populum Romanum in Capitolium, propter metum atque inopiam rei frumentariae, convenisse; ministros autem scelerum tuorum perterritos, partim amissis gladiis, partim ereptis diffugisse: veni non solum sine ullis copiis ac manu, verum etiam cum paucis amicis. 7. An ego, quum P. Lentulus consul, optime de me ac de re publica meritus, quum Q. Metellus, qui,

(1) — *non omittam* Cdd. aliq. Graev. 3. (2) — *hoc tempore* om. Cdd. aliq. = *de summa rel. hoc temp.* L. (3) — *praesente* Cdd. aliq. Iu. (4) ∞ *Fuisti, inquit, tum ap. p.* L. (5) — *Pompeium* L. e C. (6) Haec *quem b. lux.* exciderunt ex ed. Beck. (7) — *coegisti* L. e C. (8) — *domi* L. (9) Sic Cdd. aliq. Edd. vett. Iu. W. B. Sch. 2. — *rapinam* Grut. Graev. 3. Ern. 1. — *tuos a te iampridem ad bon.* L. e Cd. (10) e Cdd. *etiam* inseruerunt Graev. 3. W. B. Ceteri omitt. (11) — *scito* Wolfii suspic.

quum meus inimicus esset, frater tuus, et dissensioni nostrae, et precibus tuis, salutem ac dignitatem meam praetulisset, me arcesserent in senatum: quum tanta multitudo civium, tam recenti officio[1] suo, me ad referendam gratiam nominatim vocarent[2], non venirem? quum praesertim te iam illinc cum tua fugitivorum manu discessisse constaret. Hic tu me etiam, custodem defensoremque Capitolii, templorumque omnium, hostem Capitolinum appellare ausus es, quod, quum in Capitolio senatum duo consules haberent, eo venirem[3]? Utrumne est tempus aliquod[4], quo in senatum venisse[5] turpe sit? an res illa talis erat, de qua agebatur[6], ut rem ipsam repudiare, et eos, qui agebant, condemnare deberem? IV. 8. Primum dico senatoris esse boni, semper in senatum venire: nec cum his[7] sentio, qui statuunt minus bonis temporibus in senatum ipsi non venire[8]; non intelligentes, hanc suam nimiam perseverantiam, vehementer iis, quorum animum offendere voluerunt, gratam et iucundam fuisse. At enim nonnulli, propter timorem, quod se in senatu tuto non esse arbitrabantur, discesserunt. Non reprehendo: nec quaero, fueritne aliquid pertimescendum; puto, suo quemque arbitratu[9] timere oportere. Cur ego non timuerim, quaeris? quia te illinc abiisse constabat. Cur, quum viri boni nonnulli putarint, tuto se in senatu esse non posse, ego non idem senserim? Cur, quum ego me existimassem tuto omnino in civitate esse non posse, illi non item[10]? An aliis licet, et recte licet, in meo metu sibi nihil timere: mihi uni necesse erit et meam et aliorum vicem pertimescere?

9. An, quia non condemnavi sententia mea duo[11] consules, sum reprehendendus? Eos igitur ego potissimum damnare debui, quorum lege perfectum est, ne ego indemnatus, atque optime de re publica meritus, damnatorum poenam sustinerem? quorum etiam delicta, propter eorum egregiam in me conservando voluntatem, non modo me, sed omnes bonos ferre oporteret, eorum optimum consilium ego potissimum, per eos in meam pristinam dignitatem restitutus, consilio repudiarem meo[12]? At quam sententiam dixi? Primum eam, quam populi sermo in animis vestris[13] iam ante defixerat: deinde eam, quae erat superioribus diebus agitata in senatu: deinde eam, quam senatus frequens, tum, quum mihi est assensus, secutus est: ut neque allata sit a me res inopinata ac recens, nec, si quod in sententia vitium est, magis sit eius, qui dixerit, quam omnium, qui probarint. 10. „At enim liberum senatus iudicium, propter metum, non fuit." Si timuisse eos facis, qui discesserunt, concede, non timuisse eos, qui remanserunt: sin autem sine iis, qui tum afuerunt, nihil decerni libere potuit, quum omnes adessent, coeptum est referri de inducendo senatusconsulto: ab universo senatu reclamatum est. V. Sed quaero, in ipsa

(1) — *beneficio* Ern. C. 1. (2) ∞ *vocaret* Cdd. aliq. Iu. (3) — *venissem* Gar. susp. (4) — *aliquod* om. Sch. 2. (5) — *venire* Gar. susp. (6) Haec *de qua ag.* om. Cdd. aliq. Iu. (7) f. *iis.* (8) — *ut ipsi non venirent* Cdd. aliq. Iu. (9) = *arbitratu suo quemque* L. Graev. 3. — *arbitrio s. q.* Iu. al. — *s. q. arbitrio* Cdd. aliq. (10) e Cld. Man. Lall. B. Sch. 2. prob. Gar. et W. — *illuc irem* Iu. Grut. Graev. 3. Ern. 1. W. — *illi remanserint* C. Viri docti in marg. Lamb. meae. (11) = *duos* Iu. L. (12) = *meo cons. rep.* Cdd. aliq. Iu. Naug. L. (13) Sic Cdd. aliq. Hervag. B. prob. Wolfio. — *nostris* Iu. L. 1. 2. 3. W.

sententia, quoniam princeps ego sum eius atque auctor, quid reprehendatur. Utrum causa capiendi novi consilii[1] non fuit? an meae partes in ea causa non praecipuae fuerunt? an alio potius confugiendum fuit? Quae vis[2], quae causa maior, quam fames esse[3] potuit? quam seditio? quam consilia tua tuorumque; qui, facultate oblata, ad imperitorum animos incitandos, renovaturum te tua illa funesta latrocinia ob annonae causam putarunt[4]? 11. Frumentum provinciae frumentariae partim non habebant; partim in alias terras, credo, propter varietatem[5] venditorum, miserant, partim, quo gratius esset, tum, quum in ipsa fame subvenissent, custodiis suis clausum continebant, ut subito novum mitterent. Res erat non in opinione dubia, sed in praesentia[6] atque ante oculos proposito periculo: neque id coniectura prospiciebamus, sed iam experti videbamus. Nam, quum ingravesceret annona, ut iam plane inopia ac fames, non caritas timeretur: concursus est ad templum[7] Concordiae factus, senatum illuc vocante Metello consule. Qui si verus fuit[8], ex dolore hominum et fame; certe consules causam suscipere, certe senatus aliquid consilii capere potuit[9]. Sin causa[10] fuit annona, seditionis quidem instimulator[11] et concitator tu fuisti: nonne id agendum nobis omnibus fuit, ut materiem subtraheremus furori tuo? 12. Quid, si utrumque fuit, ut et[12] fames stimularet homines, et tu in hoc ulcere tamquam unguis exsisteres? nonne fuit eo maior adhibenda medicina, quae et illud nativum et hoc delatum[13] malum sanare posset? Erat igitur et praesens caritas, et futura fames: non est satis; facta lapidatio est. Si ex dolore plebei[14], nullo incitante; magnum malum. Si P. Clodii impulsu; usitatum hominis facinorosi scelus: si utrumque, ut et res esset ea, quae sua sponte multitudinis animos incitaret, et parati atque armati seditionis duces; videturne ipsa res publica et consulis auxilium implorasse, et senatus fidem? Atqui utrumque fuisse perspicuum est, difficultatem annonae, summamque inopiam rei frumentariae, ut homines non iam diuturnam caritatem, sed ut[15] famem plane timerent: nemo[16] negat: hanc istum otii et pacis hostem causam arrepturum fuisse ad incendia, caedes[17], rapinas, nolo, Pontifices, suspicemini, nisi videritis. 13. Qui sunt homines a Q. Metello, fratre tuo, consule, in senatu palam nominati, a quibus ille se lapidibus appetitum, etiam[18] percussum esse dixit? L. Sergium et M. Lollium nominavit. Quis est iste Lollius? qui sine ferro ne nunc quidem tecum est: qui, te tribuno plebis, nihil de me dicam, sed qui Cn. Pompeium interficiendum depoposcit. Quis est Sergius? armi-

---

(1) = *novi cons. cap.* Iu. al. = *novi cap. cons.* Graev. 3. (2) Sic Cdd. aliq. Iu. L. Lall. W. B. — *res* Cdd. aliq. Grut. Graev. 3. Ern. 1. Sch. 2. (3) Sic Cdd. aliq. Iu. L. W. B. — *esse. quam f.* Grut. Graev. 3. Ern. 1. 2. (4) = *putaverant* L — *putavisti* Iu. (5) — *avaritiam* Graevii suspic. (6) Sic Cdd. pleriq. Iu. Graev. 3. W. B. ∞ *praesenti* Man. L. Grut. Ern. 1. 2. (Mox - *posito* Lamb. suspic.) (7) ∞ *templum* suspect. Gulielmio. (8) ∞ *verus timor fuit* L. (9) ∞ *debuit* L. 1566. (10) Sic Cdd. multi. Edd. vett. Naug. Graev. 3. Lall. W. B. — *sin in causa* Iu. L. Ern. 1. 2. (11) Sic Cdd. aliq. Naug. Grut. Sequentes. — *stimulator* Iu. L. (12) Sic Cdd. aliq. L. 1566. Lall. W. B. — *et ut* Iu. Grut. Graev. 3. Ern. 1. 2. (13) *delatum* fort. corruptum. — *dilectum* Iu. al. — *delictum* al. (14) Sic e Cd. Lambini Grut. ac posteriores. — *plebeio* Iu. L. (15) *ut* non om. L. 1566. sed margo 1584. (16) — *fuisse nemo* L. Mox *hunc* Edd. ante L. (17) Sic Cdd. pleriq. Iu. Man. B. Sch. 2. — *caedem* L. Grut. 1. 3. W. (18) *et* Iu.

ger Catilinae, stipator tui corporis, signifer seditionis, concitator tabernariorum, damnatus iniuriarum, percussor, lapidator, fori depopulator, obsessor curiae. His atque huiusmodi ducibus, quum tu in annonae caritate in consules, in senatum, in bona fortunasque locupletium[1], per causam inopum atque imperitorum[2], repentinos impetus comparares: quum tibi salus esse in otio nulla posset: quum, desperatis ducibus, decuriatos ac descriptos haberes exercitus perditorum: nonne providendum senatui fuit, ne in hanc tantam materiem seditionis ista funesta fax adhaerescceret[3]?

14. Fuit igitur causa capiendi novi consilii. Videte nunc, fuerintne partes meae paene praecipuae. VI. Quem tum Sergius ille tuus, quem Lollius, quem ceterae pestes in lapidatione illa nominabant? quem annonam praestare oportere dicebant? nonne me? quid? puerorum illa concursatio nocturna, non[4] a te ipso instituta? Me frumentum flagitabant[5]. Quasi vero ego aut rei frumentariae praefuissem, aut compressum aliquod frumentum tenerem, aut in isto genere omnino quidquam, aut curatione, aut potestate valuissem. Sed homo ad caedem imminens, meum nomen operis ediderat, imperitis iniecerat. Quum de mea dignitate in templo Iovis Optimi Maximi senatus frequentissimus, uno isto dissentiente, decrevisset, subito, illo ipso die, carissimam annonam nec opinata vilitas consecuta est. 15. Erant, qui deos immortales (id quod ego sentio) numine suo reditum meum dicerent comprobasse. Nonnulli autem illam rem ad illam rationem[6] coniecturamque revocabant, qui[7], quod in meo reditu spes otii et concordiae sita videbatur, in discessu autem quotidianus seditionis timor, iam paene belli depulso metu, commutatam esse[8] annonam dicebant: quae quia rursus in meo reditu facta erat durior, a me, cuius adventu fore vilitatem boni viri dictitabant[9], annona flagitabatur. VII. Ego denique non solum ab operis tuis, impulsu tuo, nominabar, sed etiam, depulsis ac dissipatis tuis copiis, a populo Romano universo, qui tum in Capitolium convenerat, quum illo die minus valerem, nominatim in senatum[10] vocabar. 16. Veni exspectatus. Multis sententiis iam[11] dictis, rogatus sum sententiam. Dixi rei publicae saluberrimam, mihi necessariam[12]. Petebatur a me frumenti copia, annonae vilitas; quasi possem aliquid in ea re gerenda: non habebatur[13]. Flagitabar bonorum expostulatione; improborum convicia sustinere non poteram; delegavi amico locupletiori, non quo illi, ita de me merito, onus

---

(1) — *locupletum* ante Lamb. (2) ∞ *peregrinorum* Cdd. aliq. Edd. vett. Iu. (3) — *adolesceret* Cld. Ed. Waldarf. prob. Graev. qui suspic.: *ne haec tanta materies sed. ista funesta face adolesceret.* Sed vide etiam Oudendorp. ad *Appul.* T. 1. p. 404. (4) Sic e Cdd. L. vere, ni fallor; modo recte distinguatur. — *num* Iu. Grut. Graev. 3. — *tum* Ern. C. 1. 2. W. B. (5) — *flagitabat* L. (6) — *nonnulli autem rem ad illam rat.* Ern. susp. — *nonnulli autem illam rem ad aliam rat.* Gesneri suspic. (7) — *revocabant. Quid quod* Iu. — *qui* suspectum I. F. Gronovio. (8) — om. *esse* Grut. Graev. 3. Ern. 1. errore typogr. (9) — *dictitarant* Ern. C. 1. (10) = *in sen. nominatim* L. (11) = *iam multis sent.* Iu. = *multis iam sent.* L. (12) — *salub. ac necessariam* Iu. — *saluberrimam, necess.* Cdd. aliq. — *sal. ac mihi nec.* Naug. (13) Locus, ut videtur corruptus. v. Beckium. Sic Iu. Grut. Graev. 3. 1. 2. W. B. — *aliquid in ea re; meae valetudinis ratio non habebatur* L. 1566. Idem postea: *mei ratio non habebatur.* — *num possem aliquid in ea re gerenda, ratio non habebatur* Graevii susp. recepta a Lall.

illud imponerem (succubuissem enim potius ipse) sed quia videbam id, quod omnes: quod nos de Cn. Pompeio polliceremur, id illum fide, consilio, virtute, auctoritate, felicitate denique sua facillime perfecturum. 17. Itaque, sive hunc dii immortales fructum mei reditus populo Romano tribuunt, ut, quemadmodum discessu meo frugum inopia, fames, vastitas, caedes, incendia, rapinae, scelerum impunitas, fuga, formido, discordia fuisset: sic reditu meo ubertas agrorum, frugum copia, spes otii, tranquillitas animorum, iudicia, leges, concordia populi, senatus auctoritas, mecum simul reducta videantur: sive egomet aliquid adventu meo, consilio, auctoritate, diligentia, pro tanto beneficio populo Romano[1] praestare debui: praesto, promitto, spondeo; nihil dico amplius: hoc, quod satis est huic tempori, dico, rem publicam annonae nomine, in id discrimen, quo[2] vocabatur, non esse venturam. VIII. 18. Num igitur in hoc officio, quod fuit praecipue meum, sententia mea reprehenditur? Rem maximam eripui a peste[3] summi periculi, non solum eam, sed etiam vos a caede, incendiis, vastitate: nemo negat: quum ad causam caritatis accederet iste speculator communium miseriarum, qui semper in rei publicae malis sceleris sui faces inflammarit[4].

Negat oportuisse quidquam uni extra ordinem decerni. Non iam tibi sic respondebo, ut ceteris: Cn. Pompeio plurima, periculosissima, maxima, terra marique bella extra ordinem esse commissa: quarum rerum si quem poeniteat, eum victoriae populi Romani necesse est poenitere[5]. Non ita tecum ago. 19. Cum his haec a me haberi oratio potest, qui ita disputant, se, si qua res ad unum deferenda sit, ad Cn. Pompeium delaturos potissimum[6]: sed se extra ordinem nihil cuiquam dare: quum Pompeio datum sit, id se, pro dignitate hominis, ornare ac tueri solere. Horum ego sententiam ne laudem, impedior Cn. Pompeii triumphis: quibus ille, quum esset extra ordinem ad patriam defendendam vocatus, auxit nomen populi Romani, imperiumque honestavit: constantiam probo, qua mihi quoque utendum fuit, quo ille auctore extra ordinem bellum cum Mithridate Tigraneque gessit. 20. Sed cum illis tamen possum aliquid disputare: tua vero quae tanta impudentia est, ut audeas dicere, extra ordinem dari nihil cuiquam oportere? qui quum lege nefaria Ptolemaeum, regem Cypri, fratrem regis Alexandrini, eodem iure regnantem, causa incognita, publicasses, populumque Romanum sceleri obligasses: quum in eius regnum, bona, fortunas, latrocinium[7] huius imperii immisisses, cuius cum patre, avo, maioribus societas nobis et amicitia fuisset, huius pecuniae deportandae, et, si quis suum defenderet[8], bello gerendo M. Catonem praefecisti.

---

(1) Sic Naug. L. 1566. Graev. 3. Lall. W. B. Sch. 2. — *populi Romani* L. 1584. Grut. Ern. 1. (2) — *in quod* Iu. (3) Sic Cdd. pleriq. Iu. Graev. 3. W. B. Sch. 2. — *e peste* L. Grut. Ern. 1. (∞ *non solum rem max. eripui e p. s. periculi, sed etiam vos* L.) (4) ∞ *inflammavit* de Ern. C. Sch. 2. — *inflammaret* L. (5) Sic Cdd. pleriq. Iu. Graev. 3. W. B. (etsi operis non parentibus.) Sch. 2. = *poenitere necesse est* L. — om. *necesse est* Naug. Grut. Ern. 1. (6) = *potiss. del.* L. (7) Sic Naug. seqq. — *patrocinium* Cdd. ut videtur, omnes. Iu. Grut. Paullo ante Wolfius: „Quis ante hunc dixit *homines publicare?*" Ipse Cicero *de Invent.* 2, §. 118. (8) Sic e Cdd. prob. Graev. Ern. 1. 2. W. B. ∞ *si quis suum ius def.* Cdd. aliq. Iu. Graev. 3. — *si is suum ius* L. prob. Gar.

21. Dices, quem virum? Sanctissimum, prudentissimum, fortissimum, amicissimum rei publicae, virtute, consilio, ratione vitae, mirabili[1] ad laudem, et prope singulari. Sed quid ad te[2], qui negas esse verum[3], quemquam ulli rei publicae extra ordinem praefici? IX. Atque in hoc solum inconstantiam redarguo tuam; qui in ipso Catone, quem tu non pro illius dignitate produxeras, sed pro tuo scelere subduxeras; quem[4] tuis Sergiis, Lolliis, Titiis, ceterisque caedis et incendiorum ducibus, obiecceras; quem carnificem civium, quem indemnatorum necis principem, quem crudelitatis auctorem fuisse dixeras: ad hunc, honorem et imperium extra ordinem nominatim rogatione tua detulisti: et tanta fuisti intemperantia, ut illius tui sceleris rationem occultare non posses. 22. Literas in concione recitasti, quas tibi a C. Caesare missas diceres: CAESAR PVLCHRO: quum etiam es argumentatus, amoris esse hoc signum, quum nominibus[5] tantum uteretur, neque adscriberet, PROCONSVLE[6], aut TRIBVNO PLEBIS: deinde gratulari tibi, quod idem in posterum M. Catonem[7] tribunatu tuo removisses, et quod idem[8] in posterum de extraordinariis potestatibus libertatem ademisses; quas aut nunquam tibi ille literas misit: aut, si misit, in concione recitari noluit: aut[9], sive ille misit, sive tu finxisti, certe consilium tuum de Catonis honore, illarum literarum recitatione patefactum est. Sed omitto Catonem, cuius eximia virtus, dignitas, et in eo negotio, quod gessit, fides et continentia, tegere videntur improbitatem et legis, et actionis tuae: 23. quis homini[10] post homines natos turpissimo, sceleratissimo, contaminatissimo, quis illam opimam fertilemque Syriam, quis bellum pacatissimis gentibus[11], quis pecuniam ad emendos agros constitutam, ereptam vi ex Caesaris rebus actis[12], quis imperium infinitum dedit? Cui quidem quum Ciliciam dedisses[13], mutasti pactionem, et Ciliciam ad praetorem item extra ordinem transtulisti: Gabinio, pretio amplificato, Syriam nominatim dedisti. Quid? homini teterrimo, crudelissimo, fallacissimo, omnium scelerum libidinumque maculis notatissimo, L. Pisoni, nonne nominatim populos liberos, multis senatusconsultis, etiam recenti lege generi[14] ipsius liberatos, vinctos, et constrictos tradidisti? nonne, quum ab eo merces tui beneficii, pretiumque provinciae, meo sanguine tibi esset persolutum, tamen aerarium cum eo partitus es? 24. Itane vero? tu provincias consulares, quas C. Gracchus, qui unus maxime popularis fuit, non modo non abstulit ab senatu, sed etiam, ut necesse esset quotannis constitui per senatum, decreta[15] lege sanxit: eas, lege Sempronia per senatum decretas, rescidisti, extra

---

([1]) Sic Cd. Dresd. Ald. Man. Graev. 3. Ern. 1. 2. W. B. — *ratione, vita mirabili* Iu. L. ([2]) — *quid id ad te* Ern. suspic. ([3]) — *iuris* Cdd. aliq. e gloss. v. Davis ad *Caes. B. C.* 1, 10. ([4]) — *subduxeras. Quem* distinguunt Ern. 1. 2. ([5]) ∞ *quod cognominibus* L. prob. W. ([6]) Sic C1d. L. 1566. Graev. 3. Lall. W. B. — *proconsul* Iu. Ern. 1. 2. ([7]) ∞ *quod M. Catonem* omissis *idem in post.* L. (∞ *a trib.* Margo 1584.) ([8]) ∞ *eidem* Ursini et al. €. ([9]) ∞ *at* Ern. €. confirmata ab Ed. vet. apud W. ([10]) Sic Graev. 3. W. B. Sch. 2. — *tuae. Quid? homini* Cdd. aliq. Edd. vett. Ern. 1. — *tuae. Quis provinciam homini* Iu. L. Grut. ([11]) — *gentibus inferendum* L. ([12]) = *vi ereptam ex C. a.* L. — *ereptam vi C. rebus* Graevii susp. ∞ *er. vi Caes. rebus actis* C1d. Edd. Ven. prob. Gar. ([13]) — *dedisset* C1d. Sch. 2. Hic errore typogr. ([14]) Sic €. Man. L. Ern. 1. 2. W. B. ∞ *soceri* Cdd. omnes. Iu. Grut. Graev. 3. ([15]) ∞ *per senatum decretas* L.

ordinem, sine sorte, nominatim dedisti, non consulibus, sed rei publicae pestibus: nos, quod nominatim rei maximae, paene iam desperatae, summum virum saepe ad extrema rei publicae discrimina delectum, praefecimus, a te reprehendemur? X. Quid tandem? si, quae tum in[1] illis rei publicae tenebris, caecisque nubibus et procellis, quum senatum a gubernaculis deiecisses, populum e navi exturbasses; ipse archipirata cum grege praedonum impurissimo plenissimis velis navigares[2]: si, quae tum promulgasti, constituisti, promisisti, vendidisti, perferre[3] potuisses, qui locus in orbe[4] terrarum vacuus extraordinariis fascibus atque imperio Clodiano fuisset? 25. Sed excitatus aliquando Cn. Pompeii, (dicam ipso audiente, quod sensi, et sentio, quoquo animo me[5] auditurus est,) excitatus, inquam, aliquando Cn. Pompeii nimium diu reconditus, et penitus abstrusus animi dolor, subvenit subito rei publicae, civitatemque fractam malis, mutam[6], debilitatam, abiectam metu, ad aliquam spem libertatis et pristinae dignitatis erexit. Hic vir extra ordinem rei frumentariae praficiendus non fuit? scilicet tu helluoni spurcissimo, praegustatori libidinum tuarum, homini egentissimo et facinorosissimo, Sex. Clodio, socio tui sanguinis, qui sua lingua etiam sororem tuam a te abalienavit, omne frumentum privatum et publicum, omnes provincias frumentarias, omnes mancipes, omnes horreorum claves lege tua tradidisti. Qua ex re primum caritas nata est: deinde inopia. Impendebat fames, incendia, caedes, direptio: imminebat tuus furor omnium fortunis et bonis. 26. Queritur etiam importuna pestis, ex ore impurissimo Sex. Clodii rem frumentariam esse ereptam, summisque in periculis, eius viri auxilium implorasse rem publicam, a quo saepe se et servatam et amplificatam[7] esse meminisset. Extra ordinem ferri nihil placet Clodio. Quid? de me quod tulisse te dicis, patricida, fratricida, sororicida, nonne extra ordinem tulisti? An de peste civis, quemadmodum omnes iam dii atque homines iudicarunt[8], conservatoris rei publicae, quemadmodum autem tute ipse confiteris, non modo indemnati, sed ne accusati quidem, licuit tibi ferre, non legem, sed nefarium privilegium, lugente senatu, maerentibus bonis omnibus, totius Italiae precibus repudiatis, oppressa captaque re publica; mihi, populo Romano implorante, senatu poscente, temporibus rei publicae flagitantibus, non licuit de salute populi Romani sententiam dicere? 27. Qua quidem in[9] sententia, si Cn. Pompeii dignitas aucta est, coniuncta cum[10] utilitate communi, certe laudandus essem, si eius dignitati suffragatus viderer, qui meae saluti opem et auxilium tulisset. XI. Desinant, desinant homines, iisdem machinis, sperare me restitutum posse labefactari, quibus antea stantem perculerunt. Quod enim par amicitiae consularis[11] fuit unquam in hac civitate coniunctius, quam

---

(1) *in* habent Cdd. multi. Iu. L. W. B. — om. Grut. Graev. 3. Ern. 1. 2. (2) — *navigasses* Iu. al. (3) — *perficere* Cdd. aliq. Edd. vett. (*perferre* iam Iu.) (4) — *locus orbi* Iu. al. — *locus orbis* Gar. suspic. (5) = *me animo* L. (6) — *mutatam* Cdd. aliq. — *mutilatam* Iu. — *nudatam* Graevii susp. (7) Haec *a quo* — — *amplif.* exciderunt e Sch. 2. errore typogr. (8) = *iudicaverunt* Grut. Ern. 1. (9) ∞ *in* del. censet W. (10) — *cum* omitti iubet L. in marg. 1584. (11) ∞ *consularis* om. Cdd. pleriq. Edd. vett. Iu.

fuimus inter nos, ego et Cn. Pompeius? quis apud populum Romanum de illius dignitate industrius[1], quis senatui[2] saepius dixit? qui tantus fuit labor, quae simultas, quae contentio, quam ego non pro illius dignitate susceperim? qui ab illo in me honos, quae praedicatio de mea laude, quae remuneratio benevolentiae praetermissa est? 28. Hanc nostram coniunctionem, hanc conspirationem in re publica bene gerenda, hanc iucundissimam vitae atque officiorum omnium societatem, certi homines fictis sermonibus et falsis criminibus diremerunt: quum iidem illum, ut me metueret, me[3] caveret, monerent; iidem apud me, mihi illum esse uni inimicissimum, dicerent: ut neque ego, ab illo quae mihi petenda essent, satis audaciter[4] petere possem: neque ille, tot suspicionibus certorum hominum et scelere exulceratus, quae meum tempus postularet, satis prolixe mihi polliceretur. 29. Data merces est erroris mei magna, Pontifices, ut me non solum pigeat stultitiae meae, sed etiam pudeat: qui, quum me non repentinum aliquod meum tempus, sed veteres multo ante suscepti et provisi labores cum viro fortissimo et clarissimo coniunxissent, sim passus[5] a tali amicitia distrahi; neque intellexerim, quibus aut ut apertis[6] inimicis obsisterem, aut ut insidiosis amicis non crederem. Proinde desinant aliquando me iisdem inflammare[7] verbis: „Quid sibi iste vult? nescit, quantum auctoritate valeat, quas res gesserit, qua dignitate sit restitutus. Cur ornat eum, a quo desertus est?" 30. Ego vero neque me tum desertum puto, sed paene[8] deditum: nec, quae sint in illa rei publicae flamma gesta contra me, neque quomodo, neque per quos, patefaciendum[9] mihi esse arbitror. Si utile rei publicae fuit, haurire me unum pro omnibus illam indignissimam calamitatem: etiam hoc utile sit[10], quorum id scelere conflatum sit, me occultare et tacere. Illud vero est hominis ingrati tacere — itaque libentissime praedicabo — Cn. Pompeium studio et auctoritate, aeque[11] ut unumquemque vestrûm, opibus, contentione, precibus, periculis denique, praecipue pro salute mea laborasse. XII. Hic tuis, P. Lentule, quum tu nihil aliud dies et noctes, nisi de salute mea cogitares, consiliis omnibus interfuit: hic tibi gravissimus auctor ad instituendam, fidelissimus socius ad comparandam, fortissimus adiutor ad rem perficiendam fuit: hic municipia coloniasque adiit: hic Italiae totius auxilium cupientis imploravit: hic in senatu princeps sententiae fuit: idemque quum dixisset[12], tum etiam pro salute mea populum Romanum obsecravit. 31. Quare istam orationem, qua es usus, omittas licet: post illam sententiam, quam dixeram[13] de annona, pontificum animos esse mutatos: perinde[14], quasi isti aut de Cn. Pompeio aliter, atque ego existimo, sentiant; aut, quid mihi pro exspectatione populi Romani, pro Cn. Pompeii meritis erga me, pro ratione mei temporis faciendum fuerit, ignorent; aut etiam, si cuius forte pontifi-

(1) ∞ *illustrius* Cdd. aliq. L. prob. Ern. (2) — *in senatu* L. prob. Ern. (3) — *sibi a me* L. (4) Sic e Cdd. L. cum seqq. Edd. = *audacter* Iu. (5) ∞ *passus sim me a t.* L. (6) — *apertissimis* Naug. Cam. (7) ∞ *inflare* Cdd. aliq. L. (8) — *poenae* Al. in marg. 1584. — *plane* Ursini suspic. (9) Sic iam Iu. L. = *patefaciundum* Ern. 1. 2. (10) ∞ *est* L. (11) — *atque* Ern. 1. errore typogr. (12) ∞ *dixit* Alii apud L. (13) — *dixerim* Lambino tribuitur in marg. 1584. (14) — *proinde* Cdd. aliq. L.

cis animum, quod certo scio aliter esse, mea sententia offendit, alio modo sit constituturus, aut de religione [a] pontifex, aut de re publica civis [1], quam eum aut caerimoniarum ius, aut civitatis salus coëgerit.

32. Intelligo, Pontifices, me plura extra causam dixisse, quam aut opinio tulerit [2], aut voluntas mea: sed quum me purgatum vobis esse cuperem, tum etiam vestra in me attente audiendo benignitas provexit orationem meam. Sed hoc compensabo brevitate eius orationis, quae pertinet ad ipsam cognitionem vestram [3]: quae quum sit in ius religionis, et in ius rei publicae distributa, religionis partem, quae multo est verbosior, praetermittens [4], de iure rei publicae dicam. 33. Quid est enim aut tam arrogans, quam de religione, de rebus divinis, caerimoniis, sacris [5], pontificum collegium docere conari; aut tam stultum, quam, si quis quid in [6] vestris libris invenerit, id narrare vobis; aut tam curiosum, quam ea scire velle, de quibus maiores nostri vos solos et consuli et scire voluerunt? XIII. Nego potuisse iure publico, legibus iis, quibus haec civitas utitur, quemquam civem ulla eiusmodi calamitate affici, sine iudicio: hoc iuris in hac civitate, etiam tum [7], quum reges essent, dico fuisse: hoc nobis esse a maioribus traditum: hoc esse denique proprium liberae civitatis, ut nihil de capite civis, aut de bonis, sine iudicio senatus, aut populi, aut eorum, qui de quaque re constituti iudices sint, detrahi possit. 34. Videsne, me non [8] radicitus evellere omnes actiones tuas? neque illud [9] agere, quod apertum est, te omnino nihil gessisse iure, non fuisse tribunum plebis? hoc dico [10], esse patricium [11]. Dico apud pontifices: augures adsunt: versor in medio iure publico. Quod est, Pontifices, ius adoptionis? Nempe ut is adoptet, qui neque procreare iam liberos possit, et, quum potuerit, sit expertus. Quae deinde causa cuique sit adoptionis, quae ratio generum ac dignitatis, quae sacrorum, quaeri a pontificum collegio solet. Quid est horum in ista adoptione quaesitum? Adoptat annos viginti natus, etiam minor, senatorem. Liberorumne causa? At procreare potest: habet uxorem: suscepit [12] etiam liberos. Exheredabit [13] igitur pater filium. Quid? sacra Clodiae gentis cur intercunt, quod in te est? quae omnis notio pontificum, quum adoptarere [14], esse debuit. 35. Nisi forte ex te ita quaesitum est, num perturbare rem publicam seditionibus velles, et ob eam causam adoptari, non ut [eius [15]] filius esses, sed

---

([1]) Sic de Gulielmii €. e Cdd. vestigiis ducta probb. Grut. Gar. Wolf. dedere B. Sch. 2. — *aut de rel. pontificum, aut de re publica, quam* L. Graev. 3. Ern. 1. W. (— *aut de rel. pontificum, aut de reip. iure* Iu.) ([2]) — *tulerat* C1d. Graev. 3. Lall. Ern. 1. ([3]) ∞ *ad causam cognitionemque vestrum* e Cdd. L. prob. B. ([4]) ∞ *praetermittam* e C1d. L. prob. Gar. ([5]) ∞ *de caerimoniis, sacris* e C1d. Graev. 3. — *de caerimoniis sacris* Lall. ([6]) ∞ *quam quod quis in* L. 1566. ([7]) ∞ om. *tum* Cd. Lambini. ([8]) ∞ om. *non* Iu. L. ([9]) ∞ *me illud* L. ([10]) ∞ om. *hoc dico* C1d. B. [ ]. ∞ *hodie* Mss. in marg. Lamb. meae. ([11]) Sic Man. Graev. 3. Lall. B. Sch. 2. e Cdd. ∞ *te esse patricium* L. — *esse parricidium* Grut. Ern. 1. W. ∞ *non fuisse tribunatum plebis tuum, sed parricidium, hoc dico et dico apud P.* Iu. memorabilis omnino lectio. ([12]) ∞ *suscipiet* Cdd. pauci, probb. Grut. Gar. W. recepit Sch. 2. et favet aliquatenus §. 37. ([13]) ∞ *exheredavit* Cdd. aliq. Iu. ([14]) Est haec emendatio fortasse haud necessaria L. a seqq. Edd. recepta ex lectione C1d. *adoptare.* ∞ *adoptaret* Pleriq. Iu. ([15]) *eius* primus e Cdd. inservit B. imitante Sch. 2. Reliqui omittunt. Fortasse praestet *illius*, absorptum a simili voc. *filius.*

ut tribunus plebis fieres, et funditus everteres civitatem [1]. Respondisti, credo, te ita velle. Pontificibus bona causa visa est: approbaverunt. Non aetas eius, qui adoptabat, quaesita est, ut in Cn. Aufidio, M. Pupio: quorum uterque nostra memoria, summa senectute, alter Orestem, alter Pisonem adoptavit: quas adoptiones, sicut alias innumerabiles, hereditates nominis, pecuniae, sacrorum secutae sunt. Tu neque Fonteius es, qui esse debebas: neque patris heres: neque, amissis sacris paternis, in haec adoptiva venisti. Ita perturbatis sacris, contaminatis gentibus, et quam deseruisti, et quam polluisti, iure Quiritium legitimo tutelarum et hereditatum relicto [2], factus es eius filius contra fas, cuius per aetatem pater esse potuisti. XIV. 36. Dico apud pontifices: nego, istam adoptionem pontificio iure esse factam: primum, quod hae [3] vestrae sunt [4] aetates, ut is, qui te adoptavit loco patris [5], vel filii tibi loco per aetatem esse potuerit; vel eo, quo fuit [6]: deinde quod causa quaeri solet [7] adoptandi, ut et is adoptet, qui, quod natura iam assequi non potest, et [8] legitimo, et pontificio iure quaerat: et ita adoptet, ut ne quid aut de dignitate generum, aut de sacrorum religione minuatur: illud in primis, ne qua calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhibeatur: ut haec simulata adoptio [9] filii quam maxime veritatem illam suscipiendorum liberorum imitata esse videatur. 37. Quae maior calumnia est, quam venire imberbem [10] adolescentulum, bene valentem ac maritum: dicere, filium senatorem populi Romani sibi velle adoptare: id autem scire et videre omnes, non ut ille filius instituatur, sed ut e patriciis exeat, et tribunus plebis fieri possit, idcirco adoptari? neque id obscure: nam adoptatum emancipari statim, ne sit eius filius, qui adoptarit. Cur ergo adoptatur [11]? Probate genus adoptionis: iam omnium sacra interierint, quorum custodes vos esse debetis; iam [12] patricius nemo relinquetur. Cur enim quisquam vellet [13], tribunum plebis se fieri non licere? angustiorem sibi esse petitionem consulatus? in sacerdotium quum possit venire, quia patricio non is sit [14] locus, non venire? Ut cuique aliquid acciderit, quare commodius sit esse plebeium, simili ratione adoptabitur. 38. Ita [15] populus Romanus brevi tempore, neque regem sacrorum, neque Flamines, nec Salios habebit, nec ex parte dimidia reliquos sacerdotes, neque auctores centuriatorum et curiatorum comitiorum: auspiciaque populi Ro-

---

([1]) = *fund. civ. evert.* Lambino tribuitur in marg. 1584. ([2]) ∞ *derelicto* e Cld. Lambino tribuitur in m. 1584. ([3]) ∞ *eae* L. ([4]) Sic Ern. 1. C. W. B. Sch. 2. — *sint* Iu. L. ([5]) *loco patris* habent Cdd. aliq. Iu. Graev. 3. Lall. W. B. (hic *p. l.*) — om. L. Ern. 1. Sch. 2. ([6]) Haec *vel — fuit* e Cdd. inseruit Grut. Graev. 3. Ern. 1. 2. W. B. — om. Iu. L. ([7]) Sic Iu. L. Ern. 1. 2. W. B. — *soleat* Grut. Graev. 3. ([8]) ∞ om. *et* Cdd. aliq. Iu. Graev. 3. W. B. Mihi videtur solita oppositio inter ius civile ac pontificium eo retento melius significari. ([9]) ∞ *adeptio* de Pantagathi C. prob. W. recepit B. (al. C. *susceptio*, *adiectio*, *adgnatio*.) ([10]) Sic etiam L. 1566. commendans in Adnot. e *Charis.* p. 74. *P. imberbum*, quod recepit Grut. ([11]) — om. *Cur. e. ad.* Cdd. aliq. prob. Graev. Ern. B. non item W. ([12]) Sic Cdd. Iu. L. Lall. W. B. — om. *iam* Ed. 1584. Grut. Ern. 1. 2. ([13]) Sic Cdd. Iu. L. Graev. 3. W. — *velit* Ern. C. 1. 2. B. — *volet* Pantag. C. ([14]) Sic Iu. et Cdd. ni fallor. = *sit is l.* Graev. 3. W. B. — om. *is* Cdd. aliq. L. Grut. Ern. 1. 2. ([15]) Sic Cdd. Iu. Grut. Edd. seqq. — *Itaque* L. al.

mani, si magistratus patricii creati non sint, intereant necesse est, quum interrex nullus sit, quod et ipsum patricium esse, et a patricio prodi necesse est. Dixi apud pontifices, istam adoptionem nullo decreto huius collegii probatam, contra omne pontificium ius factam, pro nihilo esse habendam: qua sublata, intelligis, totum tribunatum tuum concidisse. XV. 39. Venio ad augures; quorum ego libros, si qui sunt reconditi, non scrutor: non sum in exquirendo iure augurum curiosus. Haec, quae una cum populo didici, quae saepe in concionibus responsa sunt, novi. Negant fas esse agi cum populo, quum de caelo servatum sit. Quo die de te lex curiata lata esse dicatur, audes negare de caelo esse servatum? Adest praesens vir singulari virtute, constantia, gravitate praeditus, M. Bibulus: hunc consulem illo ipso die contendo servasse de caelo. „Infirma sunt igitur, tua sententia, acta[1] C. Caesaris, viri fortissimi?" Minime. Neque enim mea iam quidquam interest, exceptis his[2] telis, quae ex illius actionibus in meum corpus immissa sunt. 40. Sed haec de auspiciis, quae ego nunc perbreviter attingo, acta sunt a te. Tu, tuo praecipitante iam et debilitato tribunatu, auspiciorum patronus subito exstitisti: tu M. Bibulum in concione[3], tu augures produxisti: te interrogante[4] augures responderunt, quum de caelo servatum sit, cum populo agi non posse: tibi M. Bibulus quaerenti, se de caelo servasse, respondit: idemque in concione dixit, ab Appio, fratre tuo, productus, te omnino, quod contra auspicia adoptatus esses, tribunum plebis non fuisse. Tua denique omnis actio posterioribus mensibus fuit: omnia, quae C. Caesar egisset, quod[5] contra auspicia essent acta, per senatum rescindi oportere; quod si fieret, dicebas, te tuis humeris me custodem urbis in urbem relaturum. Videte hominis amentiam, ubi[6] per suum tribunatum Caesaris actis illigatus[7] teneretur. 41. Si et sacrorum iure pontifices, et auspiciorum religione augures totum evertunt tribunatum tuum, quid quaeris amplius? an etiam apertius aliquod ius populi atque legum? XVI. Hora fortasse[8] sexta diei questus sum in iudicio, quum C. Antonium, collegam meum, defenderem, quaedam de re publica, quae mihi visa sunt ad illius miseri causam pertinere. Haec homines improbi ad quosdam viros fortes longe aliter, atque a me dicta erant, detulerunt. Hora nona, illo ipso die, tu es adoptatus. Si, quod in ceteris legibus trinum nundinum esse oportet, id in adoptione satis est, trium esse horarum, nihil reprehendo. Sin eadem observanda sunt, si[9] decrevit senatus, M. Drusi legibus, quae contra legem Caeciliam et Didiam latae essent, populum non teneri: 42. iam intelligis, omni genere iuris, quod in sacris, quod in auspiciis, quod in legibus sit, te tribunum plebis non fuisse. Atque ego hoc totum non sine causa relinquo.

(1) Ita Iu. L. Edd. seqq. (— *acta*, *tua sententia* Ed. 1584.) — *sententia* om. Cdd. pleriq. *tua* om. Ald. (2) ∞ *iis* L. (3) Sic Cdd. Iu. Graev. 3. W. B. — *in concionem* Car. Steph. L. Grut. Ern. 1. 2. (4) — *tibi interroganti* L. (5) *quod* e Cdd. L. Lall. W. B. — *quae* Iu. Graev. 3. Ern. 1. 2. (6) — *ut* Cdd. aliq. — *qui* (Iu.) Ern. susp. (7) — *alligatus* Cdd. aliq. Edd. vett. W. (— *qui suum trib. Caesaris actis irritatis tueretur* Iu. vide Gar. — *qui tum demum suum tribunatum perire voluerit, ubi per suum t.* cet. L. 1566.) (8) — *circiter* L. contra Cdd. (9) — *si* om. Cdd. aliq. Iu. L. Grut.

Video enim quosdam clarissimos viros, principes civitatis, aliquot locis iudicasse, te cum plebe iure agere potuisse: qui etiam de me ipso, quum tua rogatione funere elatam rem publicam esse dicerent, tamen id funus, etsi miserum atque acerbum fuisset, iure indictum esse dicebant; quod de me civi[1], ac de re publica bene merito[2] tulisses, [funestum][3] funus te indixisse rei publicae: quod salvis auspiciis tulisses, iure egisse dicebant[4]. Quare licebit, ut opinor, nobis, eas actiones non infirmare, quibus illi actionibus constitutum tribunatum tuum comprobaverunt.

43. Fueris sane tribunus plebis tam iure quam[5] lege, quam fuit hic ipse Rullus[6], vir omnibus rebus clarissimus atque amplissimus: quo iure, quo more, quo exemplo legem nominatim de capite civis indemnati tulisti? XVII. Vetant leges sacratae, vetant XII tabulae, leges * privis[7] hominibus irrogari: id est enim privilegium. Nemo unquam tulit: nihil est crudelius, nihil perniciosius, nihil quod minus haec civitas ferre possit. Proscriptionis miserrimum nomen illud, et omnis acerbitas Sullani temporis, quid habet, quod maxime sit insigne ad memoriam crudelitatis? Opinor, poenam in cives Romanos nominatim sine iudicio constitutam. 44. Hanc vos igitur, Pontifices, iudicio atque auctoritate vestra tribuno plebis potestatem dabitis, ut proscribere possit, quos velit? Quaero enim, quid sit aliud proscribere: VELITIS, IVBEATIS, VT M. TVLLIVS IN CIVITATE NE SIT, BONAQVE EIVS VT MEA SINT. Ita enim fecit, etsi aliis verbis tulit. Hoc plebeiscitum[8] est? haec lex? haec rogatio est? hoc vos pati potestis? hoc ferre civitas, ut singuli cives singulis versiculis e civitate tollantur? Equidem iam perfunctus sum: nullam vim, nullum impetum metuo: explevi animos invidorum: placavi odia improborum: saturavi etiam perfidiam et scelus proditorum: denique de mea causa, quae videbatur perditis civibus ad invidiam esse proposita, iam omnes urbes, omnes ordines, omnes dii atque homines iudicaverunt[9]. 45. Vobismet ipsis, Pontifices, et vestris liberis, ceterisque civibus, pro vestra auctoritate et sapientia consulere debetis. Nam, quum tam moderata iudicia populi sint a maioribus constituta, primum, ut ne poena capitis cum pecunia coniungatur: deinde, ne, nisi prodicta[10] die, quis accusetur: ut ter ante magistratus accuset[11] intermissa die, quam multam irroget, aut iudicet: quarta sit accusatio trinum nundinum prodicta die, qua die iudicium sit futurum: tum multa etiam ad placandum, atque ad misericordiam reis concessa sunt[12]: deinde exorabilis populus, facilis suffragatio pro salute: denique etiam si qua res illum diem, aut auspiciis, aut excusatione[13], sustulit, tota causa iudiciumque sublatum est. XVIII. 46. Haec quum ita sint in re[14],

---

([1]) — *cive* Graev. al. ([2]) — *bene m. civi* L. ([3]) Sic etiam L. 1566. — *funeste* Cdd. aliq. Iu. quod Gar. ortum censet e seq. *funus te* ∞ *funestum* del. censet L. in marg. 1584. Recte. ([4]) Haec *quod de me - - - dicebant* absunt a Cd. Gu. Ern. 1. [ ]. ([5]) Sic Cdd. Iu. Grut. Graev. 3. W. B. ∞ *tam lege* L. *legeque* Car. Steph. — *ac lege* Ern. €. 1. 2. ([6]) *Rullus* non sine causa corruptum videtur Garat. ([7]) Sic de Scalig. €. Ern. 1. 2. W. B. — *privatis* Cdd. Iu. Grut. Graev. 3. — *privatas* L. (— *nominibus* Sch. 2. errore typogr.) ([8]) Sic, vel *plebei scitum* edunt inde a L. = *plebiscitum* Iu. ([9]) = *iudicarunt* L. ([10]) *praedicta* Naug. Hotom. Verum esse *dicta* monet W. ([11]) — *citet* L. ([12]) — *sint* Iu. al. ([13]) — *recusatione* L. ([14]) — *sint iure constituta* L.

ubi crimen est, ubi accusator, ubi testes: quid indignius, quam, qui neque adesse sit iussus, neque citatus, neque accusatus, de eius capite, liberis, fortunis omnibus, conductos, sicarios[1], egentes, et perditos suffragium ferre, et eam legem putare? At, si hoc de me potuit, quem honos, quem dignitas, quem causa, quem res publica tuebatur, cuius denique pecunia non expetebatur, cui nihil oberat praeter conversionem status et inclinationem communium temporum: quid tandem futurum est iis, quorum vita remota ab honore populari et ab hac illustri gratia est, pecuniae autem tantae sunt, ut eas nimium multi, egentes, sumptuosi, nobiles concupiscant? 47. Date hanc tribuno plebis licentiam, et intuemini paullisper[2] animis iuventutem, et eos maxime, qui inminere iam cupiditate videntur in tribuniciam potestatem: collegia, medius fidius, tribunorum plebis tota reperientur, hoc iure firmato, quae coëant de hominum locupletissimorum bonis, praeda praesertim populari et spe largitionis oblata.

At quid tulit legum scriptor peritus et[3] callidus? VELITIS, IUBEATIS, VT M. TVLLIO AQVA ET IGNI[4] INTERDICATVR. Crudele, nefarium, ne in scelleratissimo quidem civi sine iudicio ferendum[5]. „Non tulit, ut interdicatur". Quid ergo? VT INTERDICTVM SIT. O coenum, o portentum, o scelus! hanc tibi legem Clodius[6] scripsit, spurcidrem lingua sua? ut interdictum sit, cui non sit interdictum? Sexte noster, bona venia[7], quoniam iam dialecticus es[8], et hoc quoque ligurris[9]: quod factum non est, ut sit factum, ferri ad populum, aut verbis ullis sanciri, aut suffragiis confirmari potest? 48. Hoc tu scriptore, hoc consiliario, hoc ministro, omnium non bipedum solum, sed etiam quadrupedum impurissimo, rem publicam perdidisti? Neque tu eras tam excors, tamque demens, ut nescires, hunc Clodium esse, qui contra leges faceret, alios[10], qui leges scribere solerent: sed neque eorum, neque ceterorum, in quibus esset aliquid modestiae, cuiusquam tibi potestas fuit: neque tu legum scriptoribus iisdem potuisti uti, quibus ceteri, neque operum architectis: neque pontificem adhibere, quem velles: postremo ne in praedae quidem societate[11] mancipem, aut praedem socium[12], extra tuorum gladiatorum numerum, aut denique suffragii latorem in ista tua proscriptione quemquam, nisi furem, aut[13] sicarium, reperire potuisti. XIX. 49. Itaque quum tu florens ac potens, per medium cohortis popularis[14] volitares: amici illi tui, te uno

---

([1]) Sic Cdd. aliq. Graev. 3. Ern. 1. B. Sch. 2. — *et sic.* Cdd. aliq. Iu. L. W. ([2]) — om. *paullisper* Cdd. aliq Graev. 3. ([3]) — om. *et* Cdd. multi. Hinc *peritus et* e gloss. videbatur Graev. Contra C1d. om. *et callidus.* ([4]) — *ignis* Cdd. pleriq. Iu. Oliv. ([5]) — *ferundum* Grut. Graev. 3. Ern. 1. 2. ([6]) ∞ *Sex. Clodius* L. Sch. 2. cfr. *pro Milone* C. 12. Ed. nostrae. H. l. tamen non est necessarium, quum mox sequatur *Sexte.* ([7]) — *bona v. dic*, Iu. al. (*dic* om. Cdd. multi. L. 1566.) ([8]) — *es* om. Cdd. aliq. Iu. Grut. ([9]) = *ligurris* Cdd. aliq. Iu. B. ([10]) — *et alios* Cdd. aliq. Iu. Cum Cdd. *et* del. L. Edd. seqq. ([11]) — *sectione* Pithoei et Graevii susp. recepit Lallem. ([12]) Sic Man. Ern. 1. B. Sch. 2. — *aut praedonem socium* Cdd. Iu. — *aut praedae socium* Victor. L. Graev. 3. W. (∞ *ne in pr. q. sectione manc. aut praedem, socium*, vel: *ne in pr. q. societate manc. aut praedem* del. voc. *socium* Garat. suspicc.) ([13]) — *ac* Cdd. aliq. L. Graev. 3. ([14]) Sic Cdd. aliq. Iu. Graev. 3. Ern 1. 2. W. B. — *per medium forum popularis* Naug. Grut. — *per medium forum, scortum populare* e vestigiis Cdd. L. Turbant Mss.

amico tecti et beati, qui se populo commiserant, ita repellebantur, ut etiam Palatinam tuam perderent; qui in iudicium venerant, sive accusatores erant, sive rei, te deprecante damnabantur. Denique etiam ille novitius Ligur[1], venalis adscriptor et subscriptor tuus, quum M. Papirii, sui fratris, esset testamento et iudicio improbatus, mortem eius se velle persequi dixit: nomen Sex. Propertii detulit: accusare alienae damnationis scelerisque socius[2], propter calumniae metum, non est ausus. 50. De hac igitur lege dicimus, quae iure rogata videatur: cuius quam quisque partem tetigit, digito, voce, praeda, suffragio, quocunque venit, repudiatus convictusque discessit.

Quid, si iis verbis scripta est ista proscriptio, ut se ipsa dissolvat? Est enim, QVOD M. TVLLIVS FALSVM SENATVSCONSVLTVM RETVLERIT[3]. Si igitur retulit falsum senatusconsultum, tum est rogatio: si non retulit, nulla est. Satisne tibi videtur a senatu iudicatum, me non modo non ementitum esse auctoritatem eius ordinis, sed etiam unum post urbem conditam diligentissime senatui paruisse? Quot modis doceo, legem istam, quam vocas, non esse legem? Quid, si etiam pluribus de rebus uno sortitu[4] retulisti? tamenne arbitraris, id, quod M. Drusus in legibus suis plerisque, bonus ille vir[5], M. Scaurus, et L. Crassus consularis[6] non obtinuerint, id te posse, omnium facinorum et stuprorum omnium[7], Decumis et Clodiis auctoribus, obtinere? 51. Tulisti de me, ne reciperer, non ut exirem, quem tu ipse non poteras dicere non licere esse Romae. XX. Quid enim diceres? Damnatum? Certe non. Expulsum? Qui licuit? Sed tamen ne id quidem est scriptum, ut exirem; poena est, qui receperit: quam omnes neglexerunt: eiectio nusquam est. Verum sit. Quid? operum publicorum exactio: quid? nominis inscriptio tibi? num[8] aliud videtur esse, ac meorum bonorum direptio? praeterquam, quod ne id quidem per legem Liciniam, ut ipse tibi curationem ferres, facere potuisti. Quid? hoc ipsum, quod nunc apud pontifices agis, te meam domum consecrasse, te monumentum fecisse, in meis[9] aedibus te signum dedicasse, eaque te ex una rogatiuncula fecisse: unum et idem videtur esse, atque id, quod de me ipso nominatim tulisti? 52. Tam hercule[10] est unum, quam quod idem tu lege una tulisti: ut Cyprius rex, cuius maiores huic populo socii atque amici semper fuerunt, cum bonis omnibus sub praecone subiiceretur, et exsules Byzantium[11] reducerentur. „Eidem, inquit, utraque de re negotium dedi". Quid[12], si eidem negotium dedisses, ut in Asia cistophorum[13] flagitaret, inde iret in Hispaniam: quum Roma[14] decessisset, consu-

(1) = *Ligus* Cdd. pauci. (2) Sic Edd. vett. L. W. B. — *socios* Cdd. pleriq. Iu. Graev. 3. Ern. 1. Sch. 2. (— *dominationis* Cdd. aliq.) (3) ∞ RETVLIT Cdd. aliq. prob. W. (4) — *scitu* Man. E. recepta a Lall. (5) — *in bonis ille vir M. Scauro et L. Crasso Coss. non obtinuerit* - C2d. Gruteri. Vide Beck. (6) ∞ *Consulares* Ed. Ven. 1480. Man. suspic. non improb. B. (7) — *omnium facinorum et stuprorum maculis contaminatissimum* L. 1566. — *omnium fac. et st. hominem* Garat. suspic. (Posterius *omnium* om. Cdd. aliq.) (8) Sic disting. Edd. vett. W. B. Sch. 2. — *inscriptio, tibi num* L. Graev. 3. Ern. 1. (9) ∞ *mediis* Edd. aliq. vett. prob. Garat. (= *te in meis aed.* L. in marg. 1581. ∞ *te monumentum fecisse in aedibus mediis, te s. d.* Iu.) (10) = *hercle* L. (11) — *Byzantii* L. (12) Sic Cdd. aliq. Iu. 1566. L. W. B. Sch. 2. — *dedi. Sed quid* Grut. Graev. 3. Ern. 1. — *dedi. Scilicet. Quid* L. in marg. 1581.) (13) ∞ *cistophorum M.* Wolfii suspic. (14) Sic Iu. Graev. 3. 1. 2. W. B. — *Romae* Cdd. aliq. Edd. vett. — *inde* L.

latum ei petere liceret: quum factus esset, provinciam Syriam obtineret? quoniam de uno homine scriberes, una res esset? 53. Quod si iam populus Romanus de ista re[1] consultus esset, et non omnia per servos latronesque gessisses, nonne fieri poterat, ut populo de Cyprio rege placeret, de exsulibus Byzantiis[2] displiceret? Quae est, quaeso[3], alia vis, quae sententia Caeciliae legis et Didiae, nisi haec, ne populo necesse sit in coniunctis[4] rebus compluribus, aut id, quod nolit, accipere, aut id, quod velit, repudiare?

Quid? si per vim tulisti, tamenne lex est? aut[4] quidquam iure gestum videri potest, quod per vim gestum esse constet? An, si in ipsa latione tua, capta iam urbe, lapides iacti, si manus collata non est, ideirco tu ad illam labem atque eluviem[5] civitatis, sine summa vi pervenire potuisti? XXI. 54. Quum in tribunali Aurelio conscribebas palam non modo liberos, sed etiam servos, ex omnibus vicis concitatos, vim tum videlicet non parabas? Quum edictis tuis tabernas claudi iubebas, non vim imperitae multitudinis, sed hominum honestorum modestiam prudentiamque quaerebas? Quum arma in aedem Castoris comportabas, nihil aliud, nisi uti ne quid per vim agi posset, machinabare? Quum vero gradus Castoris convellisti ac removisti: tum, ut modeste tibi agere liceret, homines audaces[6] ab eius templi aditu atque adscensu repulisti? Quum eos, qui conventu[7] virorum bonorum verba de salute mea fecerant, adesse iussisti, eorumque advocationem, manibus, ferro, lapidibus discussisti: tum profecto ostendisti, vim tibi maxime displicere. 55. Verum haec furiosa vis vesani tribuni plebis facile superari frangique potuit virorum bonorum vel virtute, vel multitudine. Quid? quum Gabinio Syria dabatur, Macedonia Pisoni, utrique infinitum imperium, ingens pecunia, ut tibi omnia permitterent, te adiuvarent, tibi manum, copias[8], tibi suos speratos[9] centuriones, tibi pecunias[10], tibi familias compararent, te suis sceleratis concionibus sublevarent, senatus auctoritatem irriderent, equitibus Romanis mortem proscriptionemque minitarentur, me terrerent minis, mihi caedem et dimicationem denuntiarent, meam domum, refertam viris bonis, per amicos suos complerent[11], proscriptionis metu me frequentia nudarent virorum bonorum, me praesidio spoliarent, senatum[12] pro me non modo propugnare[13], amplissimum ordinem, sed etiam plorare, et supplicare, mutata veste, prohiberent: ne tum quidem

(1) — *ista lege* e Cdd. vestigiis L. (2) ∞ sic Iu. L. W. ut omnes §. 129. — *Byzantinis*. Ceteri. (3) Sic Margo 1584. Ern. €. 1. 2. W. B. — *quasi* Cdd. Iu. — *enim* Car. Steph. L. (4) ∞ *an* Cd. Steph. L. al. (5) *eluviem* defendit Oudend. *ad Appul.* T. 1. p. 31. contra nescio quorum *illuviem*. (6) — om. *audaces* L. errore typogr.? (7) Sic Cdd. Iu. Graev. 3. W. B. Scb. 2. — *qui in conv.* Man. L. Grut. Ern. 1. (8) ∞ *tibi copias* L. (9) Hoc corruptum. Sic Cdd. aliq. Grut. Ern. 1. 2. W. B. — *paratos* Cdd. plerique. Iu. Graev. 3. Lall. — *tibi sparatos* id est, sparis armatos, om. *suos* L. — *patos* Cdd. aliq. unde in mentem mihi venit: *tibi suos peronatos c.* (10) = *pecuniam* Cdd. aliq. L. (11) Hoc corruptum videtur. ∞ *compilarent* Lamb. suspic. non recepta. — *terrore complerent* Graevii suspic. recepta a Lall. — *complerent metu, me fr.* om. voc. *proscriptionis* Garat. suspic. — *complerent proscriptionis metu, me fr.* Marclandi suspic. Mox *viror. bonor* Iu. al. trahunt ad v. *me praes. spol.* (12) — *senatum* suspectum Ern. — *spoliarent senatus; pro me* Marcl. suspic. (13) Sic Cdd. Iu. L. W. B. — *pugnare* Grut. Graev. 3. Ern. 1. Scb. 2.

vis erat? XXII. 56. Quid igitur ego *cessi[1], aut qui timor fuit? non dicam, in me[2]: fac me timidum esse natura: quid illa tot virorum fortissimorum millia? quid nostri illi equites[3] Romani? quid senatus? quid denique omnes boni? si nulla erat vis[4], cur me flentes potius prosecuti sunt, quam aut increpantes retinuerunt, aut irati reliquerunt? An hoc timebam, si mecum ageretur more institutoque maiorum, ut possem praesens sustinere? 57. Utrum si dies dicta esset, iudicium mihi fuit pertimescendum? an sine iudicio privilegium? Iudicium in causa tam turpi? Scilicet is homo sum[5], qui, etiam si causa[6] esset ignota, dicendo[7] non possem explicare. An eam causam probare non poteram, cuius tanta bonitas est, ut ea ipsa non modo se, sed etiam me absentem per se[8] probarit? An senatus, an ordines, an[9] ii, qui cuncta ex Italia ad me revocandum convolaverunt, segniores, me praesente, ad me retinendum et conservandum fuissent in ea causa, quam ipse iam[10] parricida talem dicat fuisse, ut me ab omnibus ad meam pristinam dignitatem expetitum[11] atque revocatum queratur? 58. An[12] vero in iudicio periculi nihil fuit: privilegium pertimui, ne, mihi praesenti si multa irrogaretur, nemo intercederet? Tam inops autem ego eram ab amicis, aut tam nuda res publica a magistratibus? Quid? si vocatae tribus essent, proscriptionem non dicam in me, ita de sua salute merito, sed omnino in ullo civi comprobassent[13]? An, si ego praesens fuissem, veteres illae copiae coniuratorum, tuique perditi milites atque egentes, et nova vis[14] sceleratissimorum consulum corpori meo pepercissent? qui quum eorum omnium crudelitati scelerique cessissem, ne absens quidem luctu meo mentes illorum[15] satiare potui. XXIII. 59. Quid enim vos uxor mea misera violarat? quam vexavistis, raptavistis, omni crudelitate lacerastis[16]. Quid mea filia? cuius fletus assiduus, sordesque lugubres, vobis erant iucundae; ceterorum omnium mentes, oculosque flectebant. Quid parvus filius? quem, quamdiu afui, nemo nisi lacrymantem confectumque vidit, quid fecerat, quod eum toties per insidias interficere voluistis? Quid frater meus? qui quum aliquanto post meum discessum ex provincia venisset, neque sibi vivendum, nisi me restituto, putaret, quum eius maeror, squalor[17] incredibilis et inauditus, omnibus mortalibus miserabilis videretur, quoties ex vestro ferro ac manibus est elapsus? 60. Sed quid ego vestram crudelitatem expromo[18], quam in ipsum me[19] ac meos adhibuistis: qui parietibus, qui tectis, qui columnis ac postibus meis horrificum[20] quoddam et nefarium, omni[21] imbutum odio

(1) Sic de Pantagathi E. Ern. 1. Lall. W. B. Sch. 2. — *gessi* Cdd. Iu. L. Graev. 3. (2) — *in me quidem* Edd. vett. Iu. (3) Sic L. ∞ *quid illi eq.* Cdd. multi Iu. Man. W. B. ∞ *quid nostri eq.* Cdd. aliq. Grut. Graev. 3. Ern. 1. 2. Recte Lamb. utramque lect. coniunxit. (4) Sic L. 1566. Grut. Graev. 3. Ern. 1. 2. B. = *vis erat* Edd. vett. Iu. W. (5) „aut *tam* del. aut *turpi* vitiosum est." Ern. ∞ *iudicium? in causa tam turpi scilicet. An is homo sum* Gar. E. recepta a Sch. 2. (6) ∞ *qui, si iam causa* e Cdd. L. (7) — *eam dicendo* L. (8) — om. *per se* cum Cld. Grut. solus. (9) Sic Cdd. multi. Iu. L. 1566. Graev. 3. W. B. — om. *an* Grut. Ern. 1. 2. (10) — *etiam* L. (11) Sic Cdd. pauci. Iu. Graev. 3. Ern. 1. 2. W. B. — *expectatum* L. Grut. (12) ∞ *At* L. (13) Sic L. = *comprobavissent* Ceteri. (14) — *non manus* Cld. unde Graev. 3. Lall.: — *nova manus.* (15) ∞ *eorum* Cd. Stephani. L. (16) Sic Cdd. aliq. L. B. = *laceravistis* Ceteri. (17) ∞ *squallorque* L. (18) — *exprobro* Ern. suspic. (19) — *me ipsum* L. (20) ∞ *hostificum* Cdd. aliq. unde Lamb. suspic. non recepta: *hosticum.* (21) — *omnique* L.

bellum intulistis? Non enim te arbitror, quum post meum discessum, omnium locupletium fortunas, omnium provinciarum fructus, tetrarcharum[1] ac regum bona, spe et[2] avaritia devorasses, argenti et supellectilis meae cupiditate esse caecatum: non existimo, Campanum illum consulem cum saltatore colliga, quum alteri totam Achaiam, Thessaliam, Boeotiam, Graeciam, Macedoniam, omnemque barbariam, bona civium Romanorum condonasses: alteri Syriam, Babylonem, Persas, integerrimas pacatissimasque gentes, ad diripiendum tradidisses: illos tam cupidos liminum meorum et columnarum et valvarum fuisse. 61. Neque porro illa manus copiaeque Catilinae caementis ac testis[3] tectorum meorum se famem suam expleturas putaverunt. Sed, ut hostium urbes, nec omnium hostium, verum eorum, quibuscum acerbum bellum intestinumque[4] suscepimus, non praeda adducti, sed odio solemus excidere[5], quod, in quos propter eorum crudelitatem inflammatae mentes nostrae fuerunt, eum horum etiam tectis ac sedibus residere aliquod[6] bellum semper videtur: ° °

XXIV. 62. Nihil erat latum de me; non adesse eram iussus[7]; non citatus; afueram[8]; eram etiam tuo iudicio civis incolumis[9], quum domus in Palatio, villa in Tusculano, altera ad alterum consulem[10], transferebatur, senatusconsulta volabant[11]: columnae marmoreae ex aedibus meis, inspectante populo Romano, ad socrum[12] consulis portabantur: in fundum autem vicini consulis non instrumentum[13], aut ornamenta villae, sed etiam arbores transferebantur: quum ipsa villa non praedae cupiditate, (quid enim erat praedae?) sed odio et crudelitate funditus everteretur[14]. Domus ardebat in Palatio non fortuito, sed oblato incendio: consules epulabantur, et in coniuratorum gratulatione versabantur, quum alter se Catilinae delicias, alter Cethegi consobrinum fuisse diceret. 63. Hanc ego vim, Pontifices, hoc scelus, hunc furorem meo corpore opposito, ab omnium bonorum[15] cervicibus depuli, omnemque impetum discordiarum, omnem diu collectam vim improborum, quae inveterata, compresso odio atque tacito, iam erumpebat, nacta tam[16]

---

(1) ∞ *et tetrarch.* Cdd. aliq. L. (2) = *atque* Lambino tribuitur in marg. 1581. e Cd. (3) Sic Cdd. aliq. Edd. vett. — *tectis* Cdd. pleriq. — *tignis* Iu. L. — *tegulis* Gryph. Ed. 1581. e gloss. (4) — om. *intest.* Graev. 3. cum C1d. ∞ *internecinumque* Quorundam C. in Lamb. Adnotatt. ∞ *internecivumque* Graevii suspic. recepta a Lall. (5) Sic Naug. Victor Ern. 1. 2. W. B. ∞ *excindere* Man. L. Lall. — *excipere* Cdd. Iu. Grut. Graev. (6) — *aliquando* Ed. 1581. Grut. Ern. 1. Lacunam sic fere explendam putabat Lamb.: „*sic vos vestrum in me crudele et immane odium in meam domum profudistis.*" (— pro *videtur* Cdd. aliq. *videretur.*) (7) = *iussus eram* L. (8) Sic Grut. Edd. seqq. — *non citatus affueram* Iu. — *non citatus fueram* L. (9) Post v. *incolumis*, inani opera in tam malo scriptore, Lamb. 1566. inseruit: *Senatus consules ad meam salutem auctoritate, atque adeo precibus vocabat.* (10) Certans nostro cum declamatore Lamb.: *altera ad alterum, altera ad alterum consulem.* (11) De his quisquiliis consule Beckium, diligentissimum hucusque Ciceronis editorem. — *Senatus consules vocabat* Edd. vett. Iu. — *Senatum consules vocabant* Cdd. aliq. — *Senatum consules vetabant* Naug. Oliv. Lall. H. l. om. L. Nostrum e Cd. Erfurt. Grut. Graev. 3. 1. 2. W. B. (12) Sic Man. Ern. 1. 2. W. B. — *socerum* Cdd. Iu. L. Graev. 3. (13) Sic Cdd. Iu. Grut. 1. 2. 3. W. B. — *non modo instr.* Naug. L. (14) — *evertebatur* L. (15) = *a bonorum omn.* L. (16) De Mureti C. L. Edd. seqq. — *erumpebat in actum, per tam* Cdd. Iu. (*per* tamen non habent Cdd. Ed. 1581.) v. Parei *Lex. crit.* p. 29.

audaces duces, excepi meo corpore. In me uno consulares faces, iactae manibus tribuniciis, in me omnia, quae ego quondam retuderam, coniurationis nefaria tela adhaeserunt. Quod si, ut multis fortissimis viris placuit[1], vi et armis contra vim decertare voluissem: aut vicissem cum magna[2] internecione improborum, sed tamen civium; aut, interfectis bonis omnibus, quod illis optatissimum erat, una cum re publica concidissem. 64. Videbam, vivo senatu populoque Romano, celerem mihi[3] summa cum dignitate reditum: nec intelligebam fieri diutius[4] posse, ut mihi non liceret esse in ea re publica, quam ipse servassem. Quod si non liceret, audieram et legeram, clarissimos nostrae civitatis viros se in medios hostes ad perspicuam mortem, pro salute exercitus, iniecisse[5]: ego, pro salute rei publicae universae[6], dubitarem? hoc meliore conditione, quam Decii, quod illi ne auditores[7] quidem suae gloriae, ego etiam spectator meae laudis esse potuissem. XXV. Itaque infractus furor tuus inanes faciebat impetus. Omnem enim vim omnium sceleratorum acerbitas mei casus exceperat. Non erat in tam immani iniuria tantisque ruinis novae crudelitati locus. 65. Cato fuerat[8] proximus: quid ageres? Non erat, ut qui modus moribus fuerat, idem esset iniuriae. Quid? posses extrudere ad Cypriam pecuniam: praeda perierit; alia non deerit: hunc modo amandandum esse[9]. Sic M. Cato invisus, quasi per beneficium, Cyprum relegatur. Eiiciuntur duo, quos improbi videre[10] non poterant: alter per honorem turpissimum: alter per honestissimam calamitatem. 66. Atque, ut sciatis, non hominibus istum, sed virtutibus hostem semper fuisse: me expulso, Catone amandato, in eum ipsum se convertit, quo auctore, quo adiutore, in concionibus, ea, quae gerebat, omnia, quaeque gesserat, se et fecisse[11], et facere dicebat. Cn. Pompeium, quem omnium iudicio longe principem esse civitatis videbat, diutius furori suo veniam daturum non arbitrabatur. Qui ex eius custodia, per insidias, regis amici filium, hostem, captivum, surripuisset, et ea iniuria virum fortissimum lacessisset: speravit iisdem se copiis cum illo posse confligere, quibuscum ego noluissem, bonorum periculo, dimicare: et primo quidem, adiutoribus consulibus: postea fregit foedus Gabinius: Piso tamen[12] in fide mansit. 67. Quas iste tum caedes, quas lapidationes, quas fugas fecerit: quam facile ferro, quotidianisque insidiis, quum iam a fir-

(1) — *placebat* Carat. suspic. (2) — *maxima* Oliv. Lall. (3) — *mihi fore* L. (4) v. *diu ius* malebat transponi post v. *ut mihi* Ern. Sed vide Car. Wolf. (5) — *obiecisse* L. 1566. E. (6) = *universae reip.* L. (7) Sic L. (*essem* non habet L. 1566.) Graev. 3. Lall. W. B. Sch. 2. — *dubitarem hoc meliori conditione quam Decius? quod ille ne auditor* Iu. — *dubitarem hoc meliore conditione esse, quam Decii, quod illi ne auditores* Naug. Grut. Ern. 1. Vide Beck. (8) — *mihi fuerat* L. (9) Locus admodum dubius. Sic Grut. Graev. 3. Ern. 1. 2. B. (et W. nisi quod ex Edd. vett. Iu. ∞ *modus omnibus moribus f.*) (∞ *amandaras* Iu. quod corrigendum *amandares.*) — *Quid ageres non erat, nisi ut, qui mihi dux in omnibus meis rebus fuerat, socius idem esset iniuriae. Quid? eiicere posses? Non. Quid ergo? extrudere ad Cypriam pecuniam? Praeda perierit: alia non deerit: hic modo amandatus sit.* Cd. H. Steph. et Hotom. — *quod ageres, non erat, nisi ut, qui mihi dux omnibus in rebus fuerat, idem socius esset iniuriae* cet. ut nos. L. 1566. (10) = *vid. impr.* L. (11) Sic de Gulielmii E. B. Sch. 2. — *se effecisse* Cdd. multi. Iu. — *se fecisse* L. Graev. 3. Ern. 1. W. (12) — *autem* Lambino tribuitur in m. 1581. Ed. 1566. habet *tamen.*

missimo robore copiarum suarum relictus esset, Cn. Pompeium foro, curiaque privarit domumque coniecerit, vidistis. Ex quo iudicare potuistis[1], quanta vis illa fuerit oriens et congregata[2], quum haec Cn. Pompeium terruerit iam distracta et exstincta.

XXVI. 68. Hoc vidit in sententia dicenda Kalendis[3] Ianuariis vir prudentissimus, et quum rei publicae, tum[4] mihi, tum etiam veritati amicissimus, L. Cotta, qui legem de meo reditu ferendam non censuit; qui me consuluisse rei publicae, cessisse tempestati, amiciorem vobis ceterisque civibus, quam mihi ac meis exstitisse, vi, armis, dissensione[5] hominum ad caedem instituta, novoque dominatu pulsum esse dixit: nihil de meo capite potuisse ferri: nihil esse inscriptum[6], aut posse valere: omnia contra leges moremque[7] maiorum, temere, turbulente, per vim, per furorem esse gesta: quod si illa lex esset, nec referre ad senatum consules[8], nec sententiam dicere sibi licere[9]: quorum utrumque quum fieret, non oportere, ut de me lex ferretur, decerni: ne illa, quae nulla esset, esse lex iudicaretur. Sententia verior, gravior[10], [utilior,] melior[11] rei publicae nulla esse potuit: hominis enim scelere et furore notato, similis a re publica labes in posterum demovebatur[12]. 69. Neque hoc Cn. Pompeius, qui ornatissimam de me sententiam dixit, vosque, Pontifices, qui mi vestris sententiis auctoritatibusque defendistis, non vidistis, illam esse[13] nullam, atque esse potius flammam temporis, interdictum sceleris, vocem furoris: sed prospexistis, ne qua popularis in vos aliquando invidia redundaret, si sine populi iudicio[14] restituti videremur. Eodemque consilio M. Bibuli, fortissimi viri, senatus sententiam secutus est, ut vos[15] de mea domo statueretis: non quod dubitaret, quin ab isto nihil legibus, nihil religionibus, nihil iure esset actum; sed ne quis oriretur aliquando in tanta ubertate improborum, qui in meis aedibus aliquam religionem residere diceret. Nam legem quidem istam, nullam esse, quotiescunque de me senatus sententiam dixit, toties iudicavit: quoniam quidem[16] scripto illo[17] istius, sententiam dicere vetabatur[18]. 70. Atque hanc rem par illud simile, Piso et Gabinius, vidit. Homines legum iudiciorumque metuentes, quum frequentissimus senatus eos, ut de me referrent, quotidie flagitaret, non se rem improbare dicebant, sed lege istius impediri. Erat hoc verum: nam impedichantur; verum ea lege, quam idem iste de Macedonia Syriaque tulerat. XXVII. Hanc tu, P. Lentule, neque privatus, neque consul

---

(1) e Cdd. Graev. 3. W. B. Sch. 2. — *potestis* Iu. L. Ern. 1. (2) ∞ *aggregata* Cdd. aliq. Iu. prob. Graev. (3) — III. *Kal.* Cdd. aliq. prob. Grut. (4) — *quum* L. (5) ∞ *discessione* C1d. prob. Ern. (6) Sic Cdd. pleriq. Iu. Grut. Graev. 3. Ern. 1. W. attamen corruptum videtur. — *proscriptum* C2d. ∞ *scriptum* quasi ex Iunt. B. Sch. 2. sed meum Iuntinae exemplar habet *inscriptum*. ∞ *iure scriptum* L. — *iure scitum* de Pantag. et Man. C. Lall. (7) Sic Cdd. aliq. L. B. Sch. 2. — *moresque* Iu. Graev. 3. Ern. 1. W. (8) Sic etiam L. 1566. In marg. 1584. Lambino tribuitur *consulibus*. (9) — *sibi dic. lic.* Graev. 3. (10) Sic Iu. L. W. B. — *gravior, verior* Graev. 3. Sch. 2. — *gravior* excidit in Ern. 1. (11) Sic Iu. L. Ern. 1. W. B. — *melior; utilior* Graev. 3. Sch. 2. Multi Cdd. om. *utilior*, unus *melior*, *utilior* omnino est gloss. v. *melior*, ideoque nos [ ]. (12) — *dimov.* Iu. al. (13) — *illam legem esse* L. (14) — *sine populo* Cd. Car. Steph. (15) — om. *vos* L. (16) — *quandoquidem* Naug. (17) — om. *illo* L. (18) Sic iam Iu. Edd. seqq. — *videbatur* Cdd. aliq. Edd. vett.

legem esse unquam putasti. Nam tribunis plebis referentibus, sententiam de me designatus consul saepe dixisti: ex Kalendis Ianuariis, quoad perfecta res est, de me retulisti, legem promulgasti, tulisti: quorum tibi, si esset illa lex, nihil liceret. At etiam Q. Metellus, collega tuus, vir clarissimus, quam legem esse homines alienissimi a P. Clodio iudicarent[1], Piso et Gabinius, eam nullam esse, frater P. Clodii, quum de me ad senatum tecum una retulit, iudicavit. 71. Sed isti, qui Clodii leges timuerunt, quemadmodum ceteras observarunt? Senatus quidem, cuius est gravissimum iudicium de iure legum, quotiescunque de me consultus est, toties eam nullam esse iudicavit. Quod idem tu, Lentule, vidisti in ea lege, quam de me tulisti. Nam non est ita latum, ut mihi Romam venire liceret, sed VT VENIREM. Non enim voluisti id, quod licebat, ferre, ut liceret: sed me ita esse in re publica, magis ut arcessitus imperio populi Romani viderer, quam ad administrandam civitatem restitutus.

72. Hunc tu etiam, portentosa[2] pestis, exsulem appellare ausus es, quum tantis sceleribus esses et factis[3] notatus, ut omnem locum, quo adisses, exsilii simillimum redderes? Quid est enim exsul? Ipsum per se nomen calamitatis[4], non turpitudinis. Quando igitur est turpe? Re vera, quum[5] est poena peccati: opinione autem hominum, etiam si est poena damnati. Utrum igitur peccato meo exsulis nomen subeo, an re iudicata? Peccato? Iam neque tu id dicere audes, quem isti satellites tui felicem Catilinam nominant, neque quisquam eorum, qui solebant. Non modo iam nemo est tam imperitus, qui ea, quae gessi in consulatu, peccata esse dicat: sed nemo est tam inimicus patriae, qui non meis consiliis patriam conservatam esse fateatur. XXVIII. 73. Quod enim est in terris commune tantum tantulumve consilium, quod non de meis rebus gestis ea, quae mihi essent optatissima et pulcherrima, iudicarit? Summum est populi Romani, populorumque et gentium omnium ac regum consilium, senatus. Decrevit, ut omnes, qui rem publicam salvam esse vellent, ad me unum defendendum venirent: ostenditque, nec stare potuisse rem publicam, si ego non fuissem[6], nec futuram esse ullam, si non redissem[7]. 74. Proximus est huic dignitati ordo equester. Omnes omnium publicorum[8] societates de meo consulatu, ac de meis rebus gestis amplissima atque ornatissima decreta fecerunt. Scribae, qui nobiscum in rationibus monumentisque publicis versantur, non obscurum de meis in rem publicam beneficiis suum iudicium decretumque esse voluerunt. Nullum est in hac urbe collegium, nulli pagani aut montani, (quoniam plebei[9] quoque urbanae maiores

---

(1) Sic Cdd. Iu. W. Sch. 2. — *indicarant* L. Graev. 3. Ern. 1. 2. (2) Sic Cdd. Iu. Grut. Edd. seqq. — *perniciosa* L. al. (3) Haec *et factis* cum Cdd. aliq. del. Graev. 3. — *et malefactis* Ern. suspic. (4) — *calam. est* L. in marg. 1584. (5) Sic Cdd. aliq. Iu. L. W. B. — *quando* Grut. Graev. 3. Ern. 1. Sch. 2. (6) Sic Grut. Ern. 1. 2. W. B. — *fuissem restitutus* Iu. L. 1566. (Lamb. del. censebat.) Graev. 3. Lall. (7) Sic L. W. B. = *redissem* Ceteri. (8) Sic Cdd. multi. Grut. Ern. 1. 2. B. — *publicanorum* Iu. L. Graev. 3. Lall. W. quod tamen propter v. *omnium* locum omnino non habet. (9) Sic L. Edd. seqq. = *plebi* Iu.

nostri conventicula, et quasi consilia[1] quaedam esse voluerunt,) qui non amplissime, non modo de salute mea, sed etiam de dignitate decreverint. 75. Nam quid ego illa divina atque immortalia municipiorum et coloniarum, et totius Italiae decreta commemorem? quibus, tamquam gradibus, mihi videor in caelum adscendisse, non solum in patriam revertisse. Ille vero dies qui[2] fuit, quum te, P. Lentule, legem de me ferentem, populus Romanus vidit[3], sensitque, quantus et quanta dignitate esses[4]? Constat enim[5], nullis unquam comitiis, campum Martium tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominum, aetatum, ordinum floruisse. Omitto civitatum, nationum, provinciarum, regum, orbis denique terrarum de meis in omnes mortales meritis unum iudicium, unumque consensum: adventus meus atque introitus in urbem qui fuit? Utrum me patria sic accepit, ut lucem salutemque redditam sibi ac restitutam accipere debuit, an ut crudelem tyrannum? quod vos, Catilinae gregales de me dicere solebatis. 76. Itaque ille unus dies, quo die me populus Romanus a porta in Capitolium, atque inde domum sua celebritate laetitiaque comitatum[6] honestavit, tantae mihi iucunditati fuit, ut tua mihi conscelerata illa vis, non modo non[7] propulsanda, sed etiam emenda fuisse videatur. Quare illa calamitas (si ita est appellanda) excussit hoc genus totum maledicti, ne quisquam audeat iam reprehendere consulatum meum tot, tantis, tam ornatis iudiciis, testimoniis, auctoritatibus comprobatum. XXIX. Quod si in isto tuo maledicto probrum non modo mihi nullum obiectas, sed etiam laudem illustras meam; quid te aut fieri, aut fingi dementius potest? Uno enim maledicto, bis a me patriam servatam esse concedis: semel, quum id feci, quod omnes non negent immortalitati, si fieri potest[8], mandandum, tu supplicio puniendum putasti; iterum, quum tuum, multorumque propter te, inflammatum in bonos omnes impetum meo corpore excepi, ne eam civitatem, quam servassem inermis, armatus in discrimen adducerem.

77. Esto; non fuit in me poena ulla peccati. At fuit iudicii. Cuius? quis me unquam ulla lege interrogavit? quis postulavit? quis diem dixit? Potest igitur damnati poenam sustinere indemnatus? hoc tribunicium est? hoc popularе[9]? (quamquam ubi tu[10] te popularem, nisi quum pro populo fecisti, potes dicere?) Scilicet! quum hoc iuris[11] a maioribus proditum sit, ut nemo civis Romanus aut libertatem aut civitatem possit amittere, nisi ipse auctor factus sit: quod tu ipse potuisti in tua causa discere.

---

(1) Sic Man. L. Edd. seqq. praeter Lall. ∞ *concilia* Iu. Lall. (2) Sic e Cdd. B. Sch. 2. — *quis* Ceteri. (3) Sic cum Cdd. multis Iu. Graev. 3. Ern. 1. B. Sch. 2. — *ipse vidit* L. Grut. W. (4) — *essem* Cdd. aliq. Iu. ∞ *esset* de Lamb. et Faërni C. Sch. 2. Recte. Totum locum ita constituit Faërnus: *qui fuit, quum te P. R. l. de me ferente, P. R. ipse se vidit s. q. et q. d. esset.* probb. Gar. et W. (5) excidit *enim* ap. Grut. (6) — *ac comitatu* e C1d. Graev. 3. (7) — om. hoc *non* C1d. Edd. vett. v. Beier *Offic.* T. 1. p. 166. (8) — *possit* Ern. suspic. (9) Sic Cdd. aliq. Iu. Grut. Ern. 1. 2. B. — *populare est* Cdd. aliq. Edd. vett. L. W. (10) — om. *tu* Edd. aliq. vett. Habent etiam Iu. et L. 1566. (11) Sic Grut. Graev. 3. Ern. 1. 2. W. B. sed interpunctio nostra debetur Manutio, W. B. Ceteri *Scilicet: quum - factus sit? quod — Sed quum* Cdd. aliq. *Sed quod iuris* Iu. — *potes dicere? Potest desinere civis esse, quum hoc* L.

Credo enim, quamquam in illa adoptione legitime factum est nihil, tamen te esse interrogatum, AVCTORNE ESSES, VT IN TE P. FONTEIVS VITAE NECISQVE POTESTATEM HABERET, VT IN FILIO[1]. Quaero, si aut negasses, aut tacuisses, si tamen id XXX curiae[2] iussissent, num id iussum esset ratum? Certe non. Quid ita? Quia ius a maioribus nostris, qui non ficte et fallaciter populares, sed vere et sapienter fuerunt, ita comparatum est, ut civis Romanus libertatem nemo posset[3] invitus amittere. 78. Quin etiam, si decemviri sacramentum in libertatem iniustum iudicassent, tamen, quotiescunque vellet quis, in hoc genere solo rem iudicatam referre posse voluerunt[4]: civitatem vero nemo unquam ullo populi iussu amittet invitus. XXX. Qui cives Romani in colonias Latinas proficiscebantur, fieri non poterant Latini, qui non erant auctores facti, nomenque dederant. Qui erant rerum capitalium condemnati, non prius hanc civitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc est, mutandi, soli causa venerant: id autem ut esset faciendum[5], non ademptione civitatis, sed tecti, et aquae et ignis interdictione faciebant. 79. Populus Romanus, L. Sulla dictatore ferente, comitiis centuriatis, municipiis civitatem ademit: ademit iisdem[6] agros: de agris ratum est; fuit enim populi potestas: de civitate, ne tamdiu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt: hanc vero[7] Volaterranis, quum etiam tum essent in armis, L. Sulla victor, re publica recuperata, comitiis centuriatis, civitatem eripere non potuit: hodieque Volaterrani non modo cives, sed etiam optimi cives, fruuntur nobiscum simul hac civitate. Consulari homini P. Clodius, eversa re publica, civitatem adimere potuit, concilio advocato, conductis operis non solum egentium, sed etiam servorum, Sedulio[8] principe, qui se illo die confirmavit Romae non fuisse? 80. Quod si non fuit, quid te audacius, qui eius nomen[9] incideris? quid desperatius, qui ne ementiendo quidem potueris auctorem adumbrare meliorem? Sin autem is primus scivit, quod facile potuit, propter inopiam tecti, in foro pernoctans: cur non iuret se Gadibus fuisse, quum tu te fuisse Interamnae probaveris? Hoc tu igitur homo popularis iure munitam civitatem et libertatem nostram putas esse oportere, ut, si, tribuno plebis rogante, VELITIS, IVBEATISNE[10], Sedulii centum se velle et iubere dixerint, possit unusquisque nostrûm amittere[11]? Tum igitur maiores nostri populares non fuerunt, qui de civitate et libertate ea iura sanxerunt, quae nec vis temporum, nec potentia[12] magistratuum,

---

(1) — *filium* Lamb. qui tamen haec *ut in filio* pro spuriis habebat. Sed cfr. Gell. N. A. 5, 19. (2) — *cives* Cld. perperam prob. Graev. (3) Sic Cdd. pleriq. Iu. Grut. Ern. 1. 2. W. B. — *possit* Cdd. aliq. L. Graev. 3. Lall. (4) Sic Cdd. aliq. Iu. Grut. Edd. seqq. — *hoc in genere se rem iud. referre vol.* Edd. aliq. v. c. 1584. — *hoc in genere rem iud. rescindere posse vol.* L. 1566. *hoc in g. se rem iud. referre posse vol.* L. posterior scriptura. (∞ pro *referre posse* malebant *referri* Faërnus, Man. Hotom. W.) (5) Sic L. = *faciundum* Ceteri. (6) = *eisdem* L. (7) — *An vero* L. (8) ∞ *Fidulio* Cdd. aliq. et sic in seqq. quoque. (9) Sic Cdd. aliq. W. B. Sch. 2. — *qui in eius nomen* Cdd. aliq. Iu. L. Grut. Graev. 3. Ern. 1. — *qui in aes eius* cet. Manut. Lall. (10) Sic Cdd. pleriq. Iu. Grut. Graev. 3. Ern. 1. 2. W. B. — *velitis, iubeatis* L. 1566. — *velitis iubeatisve* Repetitt. L. (11) ∞ *amittere civitatem* Cdd. aliq. Iu. Lall. (12) ∞ *impotentia* Gulielmii suspic. Nam in tali scriptore omnia tentare licet.

nec res iudicata[1], nec denique universi populi Romani potestas, quae ceteris in rebus est maxima, labefactare possit[2]. 81. At tu etiam, creptor civitatis, legem de iniuriis publicis tulisti Anagnino nescio cui Menulae[3], per gratiam, qui tibi ob eam legem statuam in meis aedibus posuit; ut locus ipse, in tua tanta[4] iniuria, legem et inscriptionem statuae refelleret. Quae res municipibus Anagninis ornatissimis[5] multo maiori dolori fuit, quam quae idem ille gladiator scelera Anagniae fecerat. XXXI. Quid? si ne scriptum quidem unquam[6] est in ista ipsa rogatione, quam se Sedulius negat scivisse: tu huius, ut acta tui praeclari tribunatus hominis dignitate honestes[7], auctoritatem amplecteris?

82. Sed, tametsi[8] nihil de me tulisti, quo minus essem non modo in civium numero, sed etiam in eo loco, in quo me honores populi Romani collocarunt[9]: tamenne cum tua voce violabis, quem post nefarium scelus consulum superiorum, tot vides iudiciis senatus, populi Romani, totius Italiae honestatum? quem ne tum quidem, quum aberam, negare poteras esse tua lege senatorem? Ubi enim tuleras, ut mihi aqua et igni[10] interdiceretur? quod Gracchus de P. Popillio, Saturninus de Metello tulit: homines seditiosissimi de optimis ac fortissimis civibus non, ut esset interdictum, quod ferri non poterat[11], tulerunt, sed ut interdiceretur. Ubi cavisti, ne meo me loco censor in senatum legeret? quod de omnibus, etiam quibus[12] damnatis interdictum est, scriptum est in legibus. 83. Quaere hoc e Sex. Clodio[13], scriptore legum tuarum: iube adesse: latitat omnino: sed si requiri iusseris, invenient hominem apud sororem tuam, occultantem se, capite demisso. Sed si patrem tuum, civem, medius fidius, egregium, dissimilemque[14] vestri, nemo unquam sanus exsulem appellavit, qui, quum de eo tribunus plebis promulgasset, adesse propter iniquitatem illius Cinnani temporis noluit, eique imperium est abrogatum. Si in illo poena legitima turpitudinem non habuit propter vim temporum: in me, cui dies dicta non[15] est, qui reus non fui, qui nunquam sum a tribuno plebis citatus, damnati poena esse potuit, ea praesertim, quae ne in ipsa quidem rogatione perscripta[16] est? XXXII. 84. At vide, quid intersit inter illum iniquissimum patris tui casum, et hanc fortunam conditionemque nostram. Patrem tuum, civem optimum, clarissimi viri filium, qui si viveret,

---

(1) Sic Cdd. Iu. L. Graev. 3. W. B. Sch. 2. — *nec res tum iudicata* Grut. Ern. 1. (2) ∞ *posset* Ern. €. 1. B. (3) — *Menullae* e Cdd. L. (4) = *tanta tua* e Cdd. L. (5) — v. *ornatissimis* cum Cdd. del. Ern. 1. prob. Gar. (6) — *usquam* Gulielmii suspic. Lallem. (7) Sic Cdd. Iu. Graev. 3. W. — *cohonestes* ex inutili emendatione L. Grut. Ern. 1. B. Sch. 2. (8) ∞ *tamen etsi* Cdd. aliq. — *tamen si* Iu. (9) = *collocaverunt* Grut. Ern. 1. (10) Sic L. Grut. Graev. 3. Ern. 1. estque legitima formula etiam cum forma verbi passiva apud Gaium. — *ignis* Cdd. aliq. Iu. W. B. Sch. 2. (11) Sic Cdd. Edd. vett. Iu. Ern. 1. 2. W. B. — *quod fieri non poterat* Cdd. aliq. Gryph. Ed. 1584. Grut. — *quod ferre non poterant* C2d. Ed. Wald. Graev. 3. (12) Sic Ald. Gryph. P. Faber. Ern. 1. Lall. W. B. Sch. 2. — *quibusdam* Cdd. Iu. L. (13) Sic e Cdd. Lambini Grut. Edd. seqq. — *ex Clodio* Cdd. aliq. Iu. L. 1566. (14) ∞ *dissimilem* Cdd. aliq. (15) Sic Cdd. aliq. Iu. Ern. 1. B. Sch. 2. — *nunquam* L. Graev. 3. W. (16) Sic omnes Edd. praeter Ern. 1. qui de Graevii suspic. dedit *proscripta*: — *praescripta* Cdd. aliq.

qua severitate fuit, tu profecto non viveres, L. Philippus censor avunculum suum praeteriit in recitando senatu: nihil enim poterat dicere, quare rata non essent, quae erant acta in ea re publica, in qua se illis ipsis temporibus censorem esse voluisset: me L. Cotta, homo censorius, in senatu iuratus dixit, se, si censor tum esset, quum ego aberam, meo loco[1] senatorem recitaturum fuisse. 85. Quis in meum locum iudicem subdidit? quis meorum amicorum testamentum discessu meo fecit, qui mihi non idem tribuerit, quod et si adessem? quis me non modo civis, sed socius recipere contra tuam legem et iuvare dubitavit? Denique universus senatus multo ante, quam est lata lex de me, GRATIAS AGENDAS censuit CIVITATIBVS IIS, QVAE M. TVLLIVM: tantumne? immo etiam, CIVEM OPTIME DE RE PVBLICA MERITVM, RECEPISSENT. Et tu unus pestifer civis, cum restitutum negas esse civem, quem eiectum universus senatus non modo civem, sed etiam egregium civem semper putavit? 86. At vero, ut annales populi Romani et monumenta vetustatis loquuntur, Kaeso[2] ille Quintius, et M. Furius Camillus, et M.[3] Servilius Ahala, quum essent optime de re publica meriti, tamen populi incitati vim iracundiamque subierunt: damnatique comitiis centuriatis quum in exsilium profugissent, rursus ab eodem populo placato sunt in suam pristinam dignitatem restituti. Quod si his[4] damnatis non modo non[5] imminuit calamitas clarissimi nominis gloriam, sed etiam honestavit: (nam, etsi optabilius est, cursum vitae conficere sine dolore, et sine iniuria; tamen ad immortalitatem gloriae plus affert, desideratum esse a suis civibus, quam omnino nunquam esse violatum:) mihi, sine[6] ullo iudicio populi profecto, tum amplissimis omnium iudiciis restituto, maledicti locum aut criminis obtinebit? 87. Fortis et constans in optima ratione civis, P. Popillius, semper fuit: tamen eius in omni vita nihil est ad laudem illustrius, quam calamitas ipsa. Quis enim iam meminisset, cum bene de re publica meritum, nisi et ab improbis expulsus esset, et per bonos restitutus? Q. Metelli praeclarum imperium in re militari fuit, egregia censura, omnis vita plena gravitatis: tamen huius viri laudem ad sempiternam memoriam temporis calamitas propagavit. XXXIII. Quod si et[7] illis, qui expulsi sunt inique, sed tamen legibus reducti, inimicis interfectis, rogationibus tribuniciis, non auctoritate senatus, non comitiis centuriatis, non decretis Italiae, non desiderio civitatis, inimicorum iniuria probro non fuit: in me, qui profectus sum integer, afui simul cum re publica, redii cum maxima dignitate[8], te vivo[9],

---

(1) — *meo me loco* Cd. Puccii. Iuntina (quae saepe ex hoc sive codice, sive coniecturis Puccii vel Iannoctii emendata est:) retento *me* initio periodi. (2) — *censor* Cdd. aliq. Iu. L. — *Kaeso* Cdd. aliq. Man. Grut. Edd. seqq. (3) Falsum hoc praenomen esse, substituendumque *C.* docuerunt Muretus, et alii. Unus Sch. 2. recepit *C.* (4) Sic Cdd. Ern. 1. Edd. seqq. — *iis* L. Grut. Graev. 3. (5) ∞ om. *non* h. l. Cld. unde vides, quam incertum sit de hac re Grammaticorum iudicium. (6) ∞ *quum sine* L. (7) *et* non omisit L. 1566. sed Margo 1584. (8) Ut docemur e Cdd. aliq. et Iuntina, excidit verbum. Hinc ∞ *redii* suppleverunt Manut. Graev. 3. Ern. 1. W. B. Sch. 2. — *dicam* minus bene Cdd. alii L. Grut. invertentes praeterea ordinem v. cum Lall. W. *maxima cum digu.* (9) — *te invito* Pantagathi C. Sed longum est corrigere omnes has ineptias.

fratre tuo altero, consule, reducente, altero, praetore, petente[1], tuum scelus meum probrum putas esse oportere? 88. Ac, si me populus Romanus incitatus iracundia, aut invidia, e civitate eiecisset, idemque postea mea in rem publicam beneficia recordatus, se collegisset, temeritatem atque iniuriam suam restitutione mea reprehendisset: tamen profecto nemo tam esset amens, qui mihi populi tale[2] iudicium non dignitati potius, quam dedecori putaret esse oportere. Nunc vero, quum me in iudicium populi nemo omnium[3] vocarit: condemnari non potuerim, qui accusatus non sim: denique ne expulsus quidem ita sim, ut, si contenderem, superare non possem, contraque a populo Romano semper sim defensus, amplificatus, ornatus: quid est, quare quisquam mihi se ipsa populari ratione[4] anteponat? 89. An tu populum Romanum esse illum putas[5], qui constat ex iis, qui mercede conducuntur? qui impelluntur, ut vim afferant magistratibus? ut obsideant senatum? optent quotidie caedem[6], incendia, rapinas? quem tu tamen populum, nisi tabernis[7] clausis, frequentare non poteras: cui populo duces Lentidios, Lollios, Plaguleios[8], Sergios praefeceras. O speciem dignitatemque populi Romani, quam reges, quam nationes exterae, quam gentes ultimae pertimescant[9], multitudinem hominum ex servis, ex conductis[10], ex facinorosis, ex egentibus congregatam! 90. Illa fuit pulchritudo populi Romani, illa forma, quam in campo vidisti tum, quum etiam tibi, contra senatus totiusque Italiae auctoritatem et studium, dicendi potestas fuit[11]. Ille, ille populus est dominus regum, victor atque imperator omnium gentium, quem illo clarissimo die, scelerate, vidisti tum, quum omnes principes civitatis, omnes ordinum atque aetatum omnium[12], suffragium se, non de civis, sed de civitatis salute ferre censebant: quum denique homines in campum, non tabernis, sed municipiis clausis, venerunt[13]. XXXIV. 91. Hoc ego populo, si tum consules aut fuissent in re publica, aut omnino non fuissent, nullo labore, tuo praecipiti furori atque impio sceleri restitissem. Sed publicam causam contra vim armatam sine populi praesidio[14] suscipere nolui: non quod[15] mihi P. Scipionis, fortissimi viri, vis intima[16], privati hominis displiceret; sed Scipionis factum statim P. Mucius consul, qui in gerenda re publica putabatur fuisse segnior, gesta[17], multis senatusconsultis non modo defendit, sed etiam ornavit: mihi aut, te interfecto, cum consulibus, aut, te vivo, et tecum, et cum illis, armis decertan-

---

(1) — *patiente* Man. E. recepit Aldus Nepos. sed hoc ex eodem est genere. (2) = *tale populi* L. (3) ∞ *omnino* Cd. Puccii. Iu. Ecce novum argumentum, quomodo e Puccii thesauris sive carbonibus emendata sit Iuntina. (4) — *in ipsa* Pantagathi et Ern. suspic. improb. W. — *populi rat.* Car. Steph. L. (5) = *putas illum* L. in marg. 1584. (6) — *optent Catilinae caedem* Cd. Car. Steph. (7) ∞ *nisi his tab.* Idem. al. (8) Hoc v. om. Cdd. pleriq. Iu. L. (9) Sic e Cdd. Ern. 1. Edd. seqq. — *pertimescunt* L. Grut. Graev. 3. (10) Sic Cdd. Iu. Graev. 3. Ern. 1. 2. W. B. — *ex servis conductis* L. Grut. (11) — *defuit* L. (12) — *omnium homines* Ern. suspic. (13) ∞ *venerant* Ern. suspic. confirmata ab Olx. (14) ∞ *sine publico praes.* Gar. suspic. (15) Sic Cdd. aliq. Iu. L. W. B. — *non quo* Grut. Graev. 3. Ern. 1. 2. (16) ∞ *ultima* Man. suspic. — *legitima* Guilelmii susp. (17) Sic Iu. Graev. 3. W. B. Sch. 2. — *segnior quam gesta* L. Oliv. *segnior, gestam multis* Ern. E. 1.

dum fuit. 92. Erant eo tempore multa etiam alia metuenda. Ad servos, medius fidius, res pervenisset: tantum homines impios ex vetere illa coniuratione inustum nefariis mentibus bonorum odium retinebat[1].

Hic tu me etiam gloriari vetas: negas esse ferenda, quae soleam de me praedicare: et homo facetus inducis etiam sermonem urbanum ac venustum: me dicere solere, esse me Iovem: eundemque dictitare, Minervam esse sororem meam. Non tam insolens sum, quod Iovem esse me dico, quam ineruditus, quod Minervam sororem Iovis esse existimo[2]. Sed tamen ego mihi sororem virginem adsciseo: tu sororem tuam virginem esse non sivisti[3]. Sed vide, ne tu te debeas Iovem dicere, quod tu iure eandem sororem et uxorem appellare possis. XXXV. 93. Et quoniam hoc reprehendis, quod solere me dicas de me ipso gloriosius praedicare: quis unquam audivit, quum ego de me, nisi coactus ac necessario dicerem? Nam si, quum mihi furta, largitiones, libidines obiiciuntur, ego respondere soleo, meis consiliis, periculis, laboribus, patriam esse conservatam, non tam sum existimandus de gestis rebus gloriari, quam de obiectis confiteri[4]. Sed si mihi ante haec durissima rei publicae tempora nihil unquam aliud obiectum est, nisi crudelitas illius temporis, quum a patria perniciem depuli: quid? me huic maledicto utrum non respondere, an demisse respondere decuit? 94. Ego vero etiam rei publicae semper interesse putavi, me illius pulcherrimi facti, quod ex auctoritate senatus, consensu bonorum omnium, pro salute patriae, gessissem, splendorem verbis dignitatemque retinere: praesertim quum mihi uni in hac re publica, audiente populo Romano, opera mea hanc urbem et hanc rem publicam esse salvam, iurato dicere fas fuisset. Exstinctum est iam illud maledictum crudelitatis, quod me, non ut crudelem tyrannum, sed ut mitissimum parentem, omnium civium studiis desideratum, repetitum, arcessitum vident. 95. Aliud exortum est. Obiicitur mihi meus ille discessus: cui ego crimini respondere sine mea maxima laude non possum. Quid enim, Pontifices, debeo dicere? Peccati me conscientia profugisse? At id, quod mihi crimini dabatur, non modo peccatum non erat, sed erat res post natos homines[5] pulcherrima. Iudicium populi pertimuisse? At id nec propositum ullum fuit, et, si fuisset, duplicata gloria discessissem. Bonorum mihi praesidium defuisse? Falsum est. Me mortem timuisse? Turpe est. XXXVI. Dicendum igitur est id, quod non dicerem, nisi coactus: (ni-

---

(1) ∞ *tenebat* Hervag. quod requirebat etiam Marcl. (2) Sic e Cld. Grut. Ern. 1. W. B. Sch. 2. — *Non t. i. sum, quod Iovem me esse dicam. Non tam ineruditus, qui Minervam sororem Iovis meam esse sororem existimem* Iu. — *Non t. i. sum, qui Iovem esse me dicam, non tam ineruditus, qui Minervam, Iovis filiam, meam sororem esse existimem.* L. — *Non t. i. sum, quod Iovem esse me dico, non tam ineruditus, quod Minervam sororem Iovis esse existimo* Graev. 3. Cet. v. Beck. (3) = *sisti* Cdd. aliq. B. (4) Sic Cdd. aliq. Sch. 2. quem vide. — *de obi. non confiteri* Ceteri. nisi quod Lallem. mala E. prius *non* delevit edens: *conserv. tam sum.* (5) = *post hom. natos* L.

hil enim unquam de me dixi sublatius, adsciscendae laudis causa potius, quam criminis depellendi:) dico igitur, et quam possum maxima voce dico: 96. Quum omnium perditorum et coniuratorum incitata[1] vis, duce tribuno plebis, consulibus auctoribus, afflicto senatu, perterritis equitibus Romanis, suspensa ac sollicita tota civitate, non tam in me impetum faceret, quam per me in omnes bonos: me vidisse, si vicissem, tenues rei publicae reliquias; si victus essem, nullas futuras. Quod quum iudicassem, deflevi coniugis miserae discidium, liberorum carissimorum solitudinem, fratris absentis amantissimi atque optimi casum, subitas fundatissimae familiae ruinas: sed his omnibus rebus vitam anteposui meorum civium; remque publicam concidere[2] unius[3] discessu, quam omnium interitu occidere malui: speravi, id quod accidit, me iacentem posse a[4] vivis viris fortibus excitari: si una cum bonis interiissem, nullo modo posse recreari. 97. Accepi, Pontifices, magnum atque incredibilem dolorem: non nego: neque istam mihi adsciseo sapientiam, quam nonnulli in me requirebant, qui me animo nimis fracto esse atque afflicto loquebantur. An ego poteram, quum a tot rerum tanta varietate[5] divellerer: (quas ideirco praetereo, quod ne nunc quidem sine fletu commemorare possum) infitiari me esse hominem, et communem naturae sensum repudiare? Tum vero neque illud meum factum laudabile, nec[6] beneficium ullum a me in rem publicam profectum dicerem, si quidem ea rei publicae causa reliquissem, quibus aequo animo carerem: eamque animi duritiam, sicut corporis, quod, quum uritur, non sentit, stuporem potius, quam virtutem putarem. XXXVII. 98. Suscipere tantos animi dolores, atque ea, quae capta urbe, accidunt victis, stante urbe, unum perpeti, et iam se videre distrahi a complexu suorum, disturbari tecta, diripi fortunas, patriae denique causa patriam ipsam amittere, spoliari populi Romani beneficiis amplissimis, praecipitari ex altissimo dignitatis gradu, videre praetextatos inimicos, nondum morte complorata, arbitria petentes funeris: haec omnia subire conservandorum civium causa, atque ita, ut dolenter absis, non tam sapiens, quam ii, qui nihil curant, sed tam amans tuorum ac tui, quam communis humanitas postulat: ea laus praeclara atque[7] divina. Nam, qui ea, quae nunquam cara ac[8] iucunda duxit, animo aequo rei publicae causa deserit, nullam benevolentiam insignem in rem publicam declarat: qui autem ea relinquit, rei publicae causa, a quibus cum summo dolore divellitur, ei patria cara est, cuius salutem caritati anteponit suorum. 99. Quare rem publicam (disrumpatur licet ista furia, atque audiat haec ex me, quoniam lacessivit) bis servavi[9], ut consul togatus armatos vicerim, privatus consu-

---

(1) — *incita* e Cdd. Grut. (2) Sic L. Graev. 3. Ern. 1. Edd. seqq. — *concedere* e Cdd. Grut. — *condere* Cdd. pleriq. Iu. (3) — *meo* Cdd. aliq. — *meo unius* Gryph. prob. Gar. (4) — om. *a* L. (5) — *suavitate* vel *caritate* Ern. suspicc. (6) = *neque* L. (7) = *ac* L. (8) = *atque* L. (9) Sic dedi cum L. (nisi quod hic *dirumpatur*) Oliv. B. sicque dare voluit etiam Sch. 2. sed *rem publicam* de Gar. suspic. posuit ante v. *bis servavi*. — *Quare disrump. - - lacessivit: bis servavi* Cdd. Iu. Graev. 3. W. Ern. 1. nisi quod hic v. *atque* [].

libus armatis cesserim. Utriusque[1] temporis fructum tuli maximum: superioris, quod ex senatus auctoritate, et senatum, et omnes bonos, meae salutis causa, mutata veste vidi: posterioris, quod et senatus, et populus Romanus, et omnes mortales, et privatim, et publice iudicarunt, sine meo reditu rem publicam salvam esse non posse.

100. Sed hic meus reditus, Pontifices, vestro iudicio continetur. Nam, si vos me in meis aedibus collocatis, id quod in omni mea causa semper studiis, consiliis, auctoritatibus, sententiisque fecistis; video me plane ac sentio restitutum: sin mea domus non modo mihi non redditur, sed etiam monumentum praebet inimico doloris mei, sceleris sui[2], publicae calamitatis; quis erit, qui hunc reditum potius, quam poenam sempiternam putet? In conspectu praeterea totius urbis domus est mea, Pontifices: in qua si manet illud, non monumentum urbis[3], sed sepulcrum, inimico[4] nomine inscriptum; demigrandum potius aliquo est, quam habitandum in ea urbe, in qua tropaea et de me et de re publica videam constituta. XXXVIII. 101. An ego tantam aut animi duritiem[5] habere, aut oculorum impudentiam possim, ut, cuius urbis servatorem me esse senatus omnium assensu toties iudicarit, in ea possim intueri domum meam eversam, non ab inimico meo, sed ab hoste communi, et ab eodem exstructam[6] et positam in oculis civitatis, ne unquam conquiescere possit fletus bonorum? Sp. Maelii[7], regnum appetentis, domus est complanata. Ecquid aliud? aequum accidisse Maelio populus Romanus iudicavit: nomine ipso Aequimaelii, stultitia[8] poenâ comprobata est. Sp. Cassii domus ob eandem causam eversa[9], atque in eodem loco aedes posita Telluris. In Vacci pratis domus fuit M. Vacci, quae publicata est et eversa, ut illius facinus memoria et nomine loci notaretur. M. Manlius, quum ab adscensu Capitolii Gallorum impetum repulisset, non fuit contentus beneficii sui gloria; regnum appetisse est iudicatus: ergo eius domum eversam duobus lucis convestitam videtis. Quam igitur maiores nostri sceleratis ac nefariis civibus maximam poenam constitui posse arbitrati sunt; eandem ego subibo ac sustinebo, ut apud posteros nostros non exstinctor coniurationis et sceleris, sed auctor et dux fuisse videar? 102. Hanc vero, Pontifices, labem turpitudinis et inconstantiae poterit populi Romani dignitas sustinere, vivo senatu, vobis[10] principibus publici consilii, ut domus M. Tullii Ciceronis cum domo Fulvii Flacci[11] ad memoriam poenae publice constitutae coniuncta esse videatur? M. Flaccus, quia cum C. Gracchо contra salutem rei publicae fecerat, et

---

(1) — *bis servavi; semel consul, quum togatus armatos vici, iterum privatus quum consulibus armatis cessi cuius utriusque* L. 1566. E. — *bis servavi et quum consul t. a. vici, et quum p. c. a. cessi.* L. in marg. 1584. (2) — om. *sui* L. (3) — *urbis* [ ] Ern. E. 1. (4) — *inimici* L. (5) = *duritiam* L. (6) ∞ *ab eodem aedem exstr.* L. (7) — *Melii* L. Ern. 1. (8) Sic Iu. Ern. 1. W. — *Ecquid aliud* (om. v. *aequum*) *accidisse M. p. R. iudicavit? nomine i. A. stultitiae poena c. e.* L. ∞ *stultitiae* recepit etiam Sch. 2. vulgari distinctione conservata. Sed B. de Marclandi sententia: *Ecquid aliud? ac. a. M. p. R. iudicavit nomine ipso Aequimaelii; stultitia p. c. e.* (9) ∞ *eversa est* L. (10) — *nobis* Cdd. aliq. L. (11) — *Fulvii et Flacci* L.

senatus sententia est interfectus, et [1] eius domus eversa et publicata est: in qua porticum post aliquanto Q. Catulus de manubiis Cimbricis fecit. Ista autem fax ac furia patriae, quum urbem, Pisone et Gabinio ducibus, cepisset, occupasset, teneret, uno eodemque tempore et clarissimi viri mortui monumenta delebat, et meam domum cum M. Flacci domo coniungebat: ut, qua poena senatus affecerat eversorem civitatis, eadem iste, oppresso senatu, afficeret eum, quem patres conscripti custodem patriae iudicassent. XXXIX. 103. Hanc vero in Palatio atque in pulcherrimo urbis loco porticum esse patiemini, furoris tribunicii, sceleris consularis, crudelitatis coniuratorum, calamitatis rei publicae, doloris mei defixum indicium ad memoriam omnium gentium sempiternam? quam porticum pro amore, quem habetis in rem publicam, et semper habuistis, non modo sententiis, sed, si opus esset, manibus vestris disturbare cuperetis; nisi quem forte illius castissimi sacerdotis superstitiosa dedicatio deterret.

104. O rem, quam homines soluti [2] ridere non desinant: tristiores autem sine maximo dolore audire non possint [3]! Publiusne Clodius, qui ex pontificis maximi domo religionem eripuit, is in meam intulit? huncine [4] vos, qui estis antistites caerimoniarum et sacrorum, auctorem habetis et magistrum publicae religionis? O dii immortales! (vos enim haec audire cupio) P. Clodius vestra sacra curat? vestrum numen horret? res omnes humanas religione vestra contineri putat? Hic non illudit auctoritati horum omnium, qui adsunt, summorum virorum? non vestra, Pontifices, gravitate abutitur? Ex isto ore religionis verbum excidere aut elabi potest? quam [5] tu eodem ore, accusando senatum, quod severe de religione decerneret, impurissime teterrimeque violasti. XL. 105. Adspicite, adspicite, Pontifices, hominem religiosum, et, si vobis videtur, (quod est bonorum pontificum,) monete eum, modum quendam esse religionis: nimium esse superstitiosum non oportere. Quid tibi necesse fuit anili superstitione, homo fanatice, sacrificium, quod alienae domi fieret, invisere? quae autem te tanta mentis imbecillitas tenuit, ut non putares, deos satis posse placari, nisi etiam muliebribus religionibus te implicuisses? quem unquam audisti maiorum tuorum, qui et sacra privata coluerunt, et publicis sacerdotiis praefuerunt, quum sacrificium Bonae Deae fieret, interfuisse? neminem, ne illum quidem, qui caecus est factus [6]. Ex quo intelligitur, multa in vita falso homines opinari: quum ille, qui nihil viderat sciens, quod nefas esset, lumina amisit; istius, qui non solum adspectu, sed etiam incesto flagitio et stupro polluit caerimonias, poena omnis oculorum ad caecitatem mentis est conversa. Hoc auctore tam casto, tam religioso, tam sancto, tam pio, potestis, Pontifices, non commoveri, quum suis dicat se manibus domum civis optimi evertisse, et eam iisdem manibus consecrasse?

([1]) — *et - et* del. censet L. in marg. 1581. ([2]) Sic Grut. e Cdd. Edd. seqq. — *soluti a cura et liberati* Iu. al. — *cura soluti ac liberati* L. ([3]) — *desinunt - - possunt* Cdd. aliq. Iu. ([4]) Sic W. B. Sch. 2. — *huncin'* Grut. e Cdd. Graev. 3. Ern. 1. — *hunc, inquam, vos* Cdd. aliq. Iu. — *hunc, inquam, etiam vos* L. ([5]) Sic L. Ern. 1. W. B. — *quum.* Cdd. Iu. Grut. Graev. 3. ([6]) = *factus est* Iu. L.

106. Quae tua fuit consecratio? Tuleram, inquit, ut mihi liceret. Quid? non exceperas, ut, si quid[1] ius non esset rogare, ne esset rogatum? Ius igitur statuetis esse, uniuscuiusque vestrûm sedes, aras, focos, deos penates subiectos esse libidini tribuniciae? in quem quisque per homines concitatos irruerit, quem impetu perculerit, huius domum non solum affligere, quod est praesentis insaniae[2], quasi tempestatis repentinae, sed etiam in posterum tempus religione sempiterna[3] obligare? XLI. 107. Equidem sic accepi, Pontifices, in religionibus suscipiendis, caput esse, interpretari, quae voluntas deorum immortalium esse videatur: nec est ulla erga deos pietas, nisi honesta de numine eorum ac mente opinio, quum expeti nihil ab iis, quod sit iniustum atque inhonestum, arbitrere. Hominem invenire ista labes tum, quum omnia tenebat, neminem potuit, cui meas aedes[4] addiceret, cui traderet, cui donaret: ipse quum loci illius, quum aedium cupiditate flagraret, ob eamque causam unam, una iusta illa rogatione[5] sua vir bonus dominum se in meis bonis esse voluisset: tamen illo ipso in furore suo non est ausus meam domum, cuius cupiditate inflammatus erat, possidere. Deos immortales existimatis, cuius labore et consilio sua ipsi templa tenuerunt, in eius domum afflictam et eversam per unius hominis[6] sceleratissimi nefarium latrocinium immigrare voluisse? 108. Civis est nemo in tanto populo[7], extra contaminatam illam et cruentam P. Clodii manum, qui rem ullam de meis bonis attigerit, qui non pro suis opibus in illa tempestate[8] defenderit: at, qui aliqua se contagione praedae, societatis, emptionis, contaminaverunt, nullius neque privati neque publici iudicii poenam effugere potuerunt. Ex his igitur bonis, quorum nemo rem ullam attigit, qui non omnium iudicio sceleratissimus haberetur, dii immortales domum meam concupiverunt? Ista tua pulchra Libertas, deos penates et familiares meos lares expulit, ut a te ipsa, tamquam in captivis sedibus, collocaretur[9]? 109. Quid est sanctius, quid omni religione munitius, quam domus uniuscuiusque civium? hic arae sunt, hic foci, hic dii penates, hic sacra, religiones, caerimoniae[10] continentur: hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit. XLII. Quo magis est furor istius ab auribus vestris repellendus, qui, quae maiores nostri religionibus tuta nobis et sancta esse voluerunt, ea iste non solum contra religionem labefactavit, sed etiam ipsius religionis nomine evertit.

110. At quae dea est? Bonam esse oportet, quandoquidem[11] est abs te dedicata. Libertas, inquit[12]. Eam tu igitur domi meae

---

([1]) Sic L. W. B. sed praeterea scribendum *rogari* v. *pro Caecina* C. 33. — *si quod* Grut. Graev. 3. Ern. 1. Sch. 2. — *si quem* Iu. ([2]) — *infamiae* L. ([3]) = *semp. relig.* Iu. L. ([4]) = *aedes meas* Iu. al. ([5]) — *universa illa rog.* L. E. ([6]) — *per vim hominis* Grut. e Cdd. (— *istius h.* Ern. suspic.) ([7]) ∞ *tanto in populo* Iu. L. ([8]) — *op. illam tempestatem* Cdd. aliq. unde Gar. suspic. *op. in illa me t.* ([9]) Sic Iu. (nisi quod cum Cdd. aliq. *ipso*) Graev. 3. Ern. 1. 2. W. B. — *ut te ipsa - - - collocaret* L. Grut. ([10]) — *hic sacrae religionis cuer.* Iu. L. Sed Lamb. e Cd. Memmii edendum censuit, ut dederunt Grut. Edd. seqq. ([11]) = *quoniam quidem* Cdd. aliq. ([12]) Sic Iu. L. B. — *Lib. inquit, est* Grut. Graev. 3. Ern. 1. 2. W.

collocasti, quam ex urbe tota sustulisti? Tu, quum collegas tuos, summa potestate praeditos, negares liberos esse: quum in templum Castoris aditus esset apertus nemini: quum hunc clarissimum virum, summo genere natum, summis populi beneficiis usum, pontificem, et consularem, et singulari bonitate, et modestia praeditum, (quem satis mirari, quibus oculis adspicere audeas, non queo![1]) audiente populo Romano a pedisequis conculcari iubere: quum indemnatum exturbares, privilegiis tyrannicis irrogatis: quum principem orbis terrae[2] virum, inclusum domi contineres: quum forum armatis catervis perditorum hominum possideres[3]: Libertatis simulacrum in ea domo collocabas, quae domus erat ipsa indicio tui crudelissimi dominatus, et miserrimae populi Romani servitutis? 111. Eumne potissimum Libertas domo sua debuit pellere, qui nisi fuisset, in servorum potestatem civitas tota venisset? XLIII. At unde inventa est ista Libertas? quaesivi enim diligenter. Tanagraea quaedam meretrix fuisse dicitur. Eius non longe a Tanagris simulacrum e marmore in sepulcro positum fuit. Hoc quidam homo nobilis, non alienus ab hoc religioso Libertatis sacerdote, ad ornatum aedilitatis suae deportavit. Etenim cogitarat omnes superiores muneris splendore superare. Itaque omnia signa, tabulas, ornamentorum quod superfuit in fanis, et communibus locis[4], tota e Graecia, atque insulis[5] omnibus, honoris populi Romani causa, sane frugaliter domum suam deportavit. 112. Is posteaquam intellexit, posse se, interversa[6] aedilitate, a L. Pisone consule praetorem renuntiari, si modo eadem prima litera competitorem habuisset aliquem: aedilitatem duobus in locis, partim in arca, partim in hortis suis collocavit: signum de busto meretricis ablatum isti dedit, quod esset signum magis istorum[7], quam publicae libertatis. Hanc deam quisquam violare audeat, imaginem meretricis, ornamentum sepulcri, a fure sublatam, a sacrilego collocatam? haec me domo mea pellet? haec ultrix[8] afflictae civitatis, rei publicae spoliis ornabitur? haec erit in eo monumento, quod positum est, ut esset indicium oppressi senatus ad memoriam sempiternam turpitudinis[9]? 113. O Q. Catule, (patremne appellem[10], an filium? recentior memoria[11] filii est, et cum rebus meis gestis coniunctior:) tantumne te fefellit, quum mihi summa et quotidie maiora praemia in re publica fore putabas? negabas fas esse, duos[12] consules esse in hac civitate inimicos rei publicae. Duo sunt inventi, qui senatum tribuno furenti constrictum traderent: qui pro me patres conscriptos deprecari, et populo supplices esse, edictis atque imperio vetarent: quibus inspectantibus[13] domus mea disturbaretur, diriperetur: qui denique ambustas fortunarum mearum reliquias, suas in[14] domos comportari iuberent[15].

([1]) Sic Cdd. aliq. Iu. Grut. Edd. seqq. — *quem, quibus oculis adspicere audeas, satis mirari non queo*, Hervag. L. 1566. ([2]) ∞ *terrarum* Cld. L. ([3]) — *obsideres* Graevii suspic. ([4]) — om. *locis* Cdd. aliq. prob. Grut. ([5]) — *atque ex i.* L. ([6]) — *intermissa* Ern. suspic. ([7]) — *istorum sceleris* L. e E. ([8]) — *victrix* Ern. et Gar. susp. ([9]) = *turp. sempit.* L. ([10]) — *appellemne patrem* e Cld. Graev. 3. ([11]) ∞ *rec. enim mem.* Cdd. aliq. ([12]) = *duo* Graev. 3. ([13]) — *spectantibus* Iu. al. ante Car. Steph. ([14]) ∞ om. *in* Cdd. aliq. ([15]) ∞ *comportaren?* Cdd. aliq. Iu.

114. Venio nunc ad patrem. Tu, Q. Catule, M. Fulvii domum, quum is fratris tui socer fuisset, monumentum tuarum manubiarum esse voluisti, ut eius, qui perniciosa rei publicae consilia cepisset, omnis memoria funditus ex oculis hominum ac mentibus tolleretur. Hoc si quis[1] tibi aedificanti illam porticum diceret, fore tempus, quum is tribunus plebis, qui auctoritatem senatus, iudicium bonorum omnium neglexisset, tuum monumentum, consulibus non modo inspectantibus, verum adiuvantibus disturbaret, everteret, idque cum eius civis, qui rem publicam ex senatus auctoritate consul defendisset, domo coniungeret: nonne responderes, id, nisi eversa civitate, accidere non posse?

XLIV. 115. At videte hominis intolerabilem audaciam cum proiecta quadam et effrenata cupiditate. Monumentum iste nunquam[2] aut religionem ullam excogitavit[3]: habitare laxe et magnifice voluit, duasque et magnas et nobiles domos coniungere. Eodem puncto temporis, quo meus discessus isti causam caedis eripuit, a Q. Seio contendit, ut sibi domum venderet[4]: quum ille id negaret, primo se luminibus eius esse obstructurum[5] minabatur. Affirmabat Postumus[6], se vivo, illam domum istius nunquam futuram. Acutus adolescens ex ipsius sermone intellexit, quid fieri oporteret: hominem veneno apertissime sustulit: emit domum, licitatoribus[7] defatigatis, prope dimidio carius, quam aestimabat[8]. 116. Quorsum igitur haec oratio pertinet? domus mea illa[9] prope tota vacua est: vix pars aedium mearum decima ad Catuli porticum accessit. Causa[10] fuit ambulatio, et monumentum, et ista Tanagraea, oppressa libertate, Libertas. In Palatio, pulcherrimo prospectu, porticum cum conclavibus pavimentatam trecentum pedum concupierat, amplissimum peristylum[11]; cetera eiusmodi, facile ut omnium domos et laxitate et dignitate superaret. Et homo religiosus, quum aedes meas idem emeret et venderet: tamen illis tantis tenebris[12] non est ausus suum nomen emptioni illi adscribere. Posuit scilicet Scatonem[13] illum, hominem sua virtute egentem[14], ut is, qui in Marsis, ubi natus est, tectum, quod[15] imbris vitandi causa succederet, nullum haberet, aedes in Palatio nobilissimas emisse se diceret. Inferiorem aedium partem assignavit non suae genti Fonteiae, sed Clodiae, quam reliquit: quem in numerum ex multis Clodiis nemo nomen dedit, nisi aut egestate, aut scelere perditus. XLV. Hanc vos, Pontifices, tam variam, tam novam in omni genere voluntatem, impudentiam[16], audaciam, cupiditatem comprobabitis?

---

(1) ∞ *si qui* Ed. Romana. (2) ∞ *unquam – – excogitavit?* Cdd. aliq. Edd. vett. Iu. Lall. (3) ∞ *cogitavit* L. (4) — *ut Q. sibi d. v.* Iu. — *ut Q. Postumius s. d. v.* Naug. Oliv. (5) *obstructum* Ern. 1. errore typogr. (6) Sic Cdd. aliq. Ed. 1472. L. Graev. 3. Ern. 1. 2. W. B. — *Postumius* Iu. Grut. (7) Sic de A. Augustini et Pantag. €. Grut. Edd. seqq. — *litigatoribus* Cdd. Iu. L. (8) ∞ *aestimabatur* de Gar. €. Sch. 2. Recte. (9) = *domus illa mea* L. (10) pro *causa*, Ern. suspic. *ea.* v. Gar. et Wolf. (11) ∞ *peristylium* C1d. L. (12) ∞ *tantis in ten.* Pantagathi suspic. (13) Sic e Cdd. Grut. Edd. seqq. — *Statonem* Iu. L. (14) — *sine virtute, egentem* L. e €. (15) Sic Cdd. Edd. vett. W. B. Sch. 2. — *quo* Iu. L. (16) — *volutatam impudentiam* Gulielmii suspic.

117. Pontifex, inquit, adfuit. Non te pudet, quum apud pontifices res agatur, pontificem dicere, non collegium pontificum adfuisse: praesertim quum tribunus plebis, vel denuntiare potueris, vel etiam cogere? Esto: collegium non adhibuisti. Quid? de collegio quis tandem adfuit? posuerat enim auctoritatem in uno, quae est in his omnibus: sed tamen auget et aetas et honos dignitatem. Opus erat etiam scientia: quam etsi omnes consecuti sunt, tamen[1] certe peritiores vetustas facit. 118. Quis ergo adfuit? Frater, inquit, uxoris meae. Si auctoritatem quaerimus, etsi id est aetatis, ut nondum consecutus sit: tamen quanta[2] est in adolescente auctoritas, ea, propter tantam coniunctionem affinitatis, minor est putanda. Sin autem scientia est quaesita: quis erat minus peritus, quam is, qui paucis illis diebus in collegium venerat? qui etiam tibi erat magis obstrictus beneficio recenti, quum se, fratrem uxoris tuae, fratri tuo germano antelatum videbat: etsi in eo providisti, ne frater te accusare posset. Hanc tu igitur dedicationem appellas, ad quam non collegium, non honoribus populi Romani ornatum pontificem, non denique adolescentem quemquam[3], quum haberes in collegio familiarissimos, adhibere potuisti? Adfuit is, si modo adfuit, quem tu impulisti, soror rogavit, mater coëgit. 119. Videte igitur, pontifices, quid statuatis in mea causa de omnium fortunis. Verbone pontificis[4] putatis, si is postem tenuerit et aliquid dixerit, domum unuscuiusque consecrari[5] posse? An[6] istae dedicationes, et templorum et delubrorum religiones, ad honorem deorum immortalium, sine ulla civium calamitate a maioribus nostris constitutae sunt? Est inventus[7] tribunus plebis, qui consularibus copiis instructus, omni impetu furoris in eum civem irruerit, quem perculsum ipsa res publica suis manibus extolleret. XLVI. 120. Quid, si quis similis istius (neque enim iam deerunt, qui imitari velint) aliquem mei dissimilem, cui res publica non tantum debeat, per vim afflixerit, domum eius per pontificem dedicarit: id vos ista auctoritate constituetis ratum esse oportere? Dicetis, quem reperiet pontificem? Quid? et tribunus plebis idem esse non potest pontifex[8]? M. Drusus ille, clarissimus[9] tribunus plebis, pontifex fuit; ergo, si is Q. Caepionis, inimici sui, postem aedium tenuisset, et pauca verba fecisset, aedes Caepionis essent dedicatae? 121. Nihil loquor de pontificio iure, nihil de ipsius verbis dedicationis, nihil de religione, caerimoniis[10]: non dissimulo me nescire ea, quae, etiam si scirem, dissimularem, ne aliis molestus, vobis etiam curiosus viderer: etsi effluunt multa ex vestra disciplina, quae etiam ad nostras aures saepe permanant. Postem teneri in dedicatione oportere videor audisse templi; ibi enim postis est, ubi templi aditus est[11]

---

(1) ∞ om. *tamen* C1d. prob. Grut. (2) ∞ *quanta quanta* L. (3) — *scientem* addi volebat L. (4) Sic e C2d. Lall. B. Sch. 2. — *Verbone pontifices* Cdd. multi. Iu. Grut. — *Ergone pontifices* Cdd. aliq. Graev. 3. Hinc: *Ergone pontificem* Ern. €. 1. W. — *Verbone, Pontifices, putatis, pontificem* L. (5) Sic Cdd. Iu. Graev. 3. B. Sch. 2. — *consecrare* L. Grut. Ern. 1. W. (6) — *At istae - - sunt.* de Graevii €. Ern. 1. (7) = *Inventus est* L. (8) = *esse pontifex non potest?* L. (— *pontifex* om. Cdd. aliq.) (9) Sic Cdd. Graev. 3. Ern. 1. Edd. seqq. — *clariss. vir, tr.* Victor. L. Grut. (10) — *et caer.* L. (11) ⌐ *ubi enim postis est, ibi templi ad. est* malebat L.

et valvae. Ambulationis postes nemo unquam tenuit in dedicando: simulacrum autem, aut aram si dedicasti, sine religione loco moveri potest. Sed iam hoc dicere tibi non licebit, quoniam pontificem postem tenuisse dixisti.

122. Quamquam quid ego de dedicatione loquar[1]? aut quid de vestro iure, et religione contra, quam proposueram, disputabo[2]? XLVII. Ego vero, si omnia sollemnibus verbis, veteribus et priscis[3] institutis acta esse dicerem, tamen me rei publicae iure defenderem. An, quum tu eius civis discessu, cuius unius opera senatus atque omnes boni civitatem esse incolumem toties iudicassent, oppressam teterrimo latrocinio cum duobus sceleratissimis consulibus rem publicam teneres; domum eius, qui patriam a se servatam perire suo nomine noluisset, per pontificem aliquem dedicasses; posset recreata res publica sustinere? 123. Date huic religioni[4] aditum, Pontifices: iam nullum fortunis communibus exitum reperietis. An, si postem tenuerit pontifex, et verba, ad religionem deorum immortalium composita, ad perniciem civium transtulerit, valebit ad iniuriam[5] nomen sanctissimum religionis: si tribunus plebis verbis non minus priscis, et paene[6] sollemnibus, bona civis cuiuspiam consecrarit, non valebit? Atqui C. Atinius, patrum memoria, bona Q. Metelli, qui eum ex senatu censor eiecerat, avi tui, Q. Metelle, et tui, P. Servili, et proavi tui, P. Scipio, consecravit, foculo posito in Rostris, adhibitoque tibicine. Quid tum? num ille furor tribuni plebis, ductus ex nonnullis perveterum[7] temporum exemplis, fraudi Metello fuit, summo illi et clarissimo viro? Certe non fuit. 124. Vidimus, hoc idem Cn. Lentulo censori tribunum plebis facere. Numquid igitur is bona Lentuli religionibus[8] obligavit? Sed quid ego ceteros? Tu, tu, inquam, capite velato, concione advocata, foculo posito, bona tui Gabinii, cui regna omnia Syrorum, Arabum, Persarumque donaras, consecrasti. Quod si tum nihil est actum: quid in meis bonis agi potuit? sin est ratum, cur ille gurges, heluatus tecum simul rei publicae sanguinem, ad caelum tamen exstruit[9] villam in Tusculano visceribus aerarii; mihi meas ruinas, quarum ego similem totam urbem esse passus non sum, adspicere non licuit? LXVIII. 125. Omitto Gabinium: Quid? exemplo tuo bona tua nonne L. Ninnius[10], vir omnium[11] fortissimus atque optimus, consecravit? Quod si, quia ad te pertinet, ratum esse[12] negas oportere: ea iura constituisti

---

(1) ∞ *loquor* Ern. €. 1. Sch. 2. (2) ∞ *disputo* e Cd. Gu. Ern. 1. Sch. 2. (3) Sic Cdd. aliq. ut videtur. L. Edd. seqq. — *praedictis* Cdd. aliq. Iu. — *publicis* Cdd. aliq. prob. Graevio. cfr. Rhuncken *ad Vell.* 1, 16, 3. (4) Sic e Cdd. Grut. Edd. seqq. — *date de hac religione* Cdd. aliq. Iu. L. Videtur fuisse: *Date, date huic religioni.* (5) — *valebit iniuria* Cdd. aliq. ∞ *v. in iniuria* Ed. Ven. ut volebat Grut. (6) — *plane* Lamb. suspic. Sed vide Beck. (7) Sic Cdd. aliq. Iu. L. W. B. Sch. 2. — *veterum* Grut. Graev. 3. Ern. (8) Sic Cdd. aliq. Iu. Ern. 1. W. B. Sch. 2. — *religione* L. — *religioni* Grut. Graev. 3. (9) e Cdd. (probb. Gar. et W.) B. Sch. 2. — *extruxit* Cdd. pleriq. Iu. L. Graev. 3. Ern. 1. W. (10) Sic de Gar. €. (prob. W.) B. Sch. 2. — *Numius* Cld. — *Mummius* Iu. L. Graev. 3. Ern. 1. W. (11) ∞ *omnium* om. Cdd. aliq. B. [ ]. (12) ∞ *quod si, quae ad te pertinent, rata esse* Cd. Barber. haud improb. Beckio.

in praeclaro tribunatu tuo, quibus in te conversis, recusares, alios everteres? sin ista consecratio legitima est: quid est, quod profanum in tuis bonis esse possit? An consecratio nullum habet ius[1], dedicatio est religiosa? Quid ergo illa tua tum[2] obtestatio tibicinis? quid foculus? quid preces? quid prisca verba voluerunt[3]? ementiri, fallere, abuti deorum immortalium numine ad hominum timorem quid[4] voluisti? Nam si est illud ratum: mitto Gabinium: tua domus certe, et, quidquid habes aliud, est Cereri consecratum. Sin ille [tibi[5]] ludus fuit, quid te impurius, qui religiones omnes pollueris aut ementiendo, aut stuprando? 126. Iam fateor, inquit, in Gabinio me[6] nefarium fuisse. Quippe vides, poenam illam a te in alium institutam, in te ipsum esse conversam. Sed homo omnium scelerum flagitiorumque documentum, quod in Gabinio fateris, cuius impudicitiam pueritiae, libidines adolescentiae, dedecus et egestatem reliquae vitae, latrocinium consulatus vidimus: cui ne ista quidem ipsa calamitas iniuria potuit accidere: id in me infirmas? et gravius esse dicis, quod uno adolescente, quam quod concione tota teste, fecisti? 127. Dedicatio magnam, inquit, habet religionem. XLIX. Nonne vobis Numa Pompilius videtur loqui? discite orationem, Pontifices, et vos, Flamines: etiam tu, Rex, disce a gentili tuo[8]: quamquam ille gentem istam reliquit: sed tamen disce ab homine religionibus dedito, iusto, tum[9] omnium religionum perito. Quid? in dedicatione, nonne, et quis dicit[10], et quid, et quomodo, quaeritur? An tu haec ita confundis et perturbas, ut, quicunque velit, quod velit, quomodo velit, possit dedicare? quis eras tu, qui dedicabas? quo iure? qua lege? quo exemplo? qua potestate? ubi te isti rei populus Romanus praefecerat? Video enim esse legem veterem tribuniciam, quae vetet, iniussu plebis aedes, terram, aram consecrare. Neque tum hoc [ille[11]] Q. Papirius, qui hanc legem rogavit, sensit, neque suspicatus est, fore periculum, ne domicilia aut possessiones indemnatorum civium consecrarentur. Neque enim id fieri fas erat, neque quisquam fecerat, neque erat causa, cur prohibendo non tam deterrere videretur, quam admonere. 128. Sed quia consecrabantur aedes, non privatorum domicilia, sed quae sacrae nominantur: consecrabantur agri, non ita[12] ut nostra praedia, si quis[13] vellet, sed ut imperator agros de hostibus captos consecraret: statuebantur arae, quae religionem afferrent, [ipso] si loco[14] essent consecratae: haec, nisi plebs iussisset, fieri vetuit. Quae si tu interpretaris de nostris aedibus atque agris scripta esse:

---

(1) — *nullam habet religionem* L. — *nullam h. vim* Gar. suspic. (*ius* om. Cdd. multi.) (2) Sic etiam L. 1566. sed in marg. 1581. *Q. e. tum tua illa.* (3) — om. *verba* Cdd. aliq. — *quid prisca iura v.* Ed. Ven. prima. Iu. — *quid rica v.* Iannoctii suspic. (4) ∞ om. *quid* Man. Car. Steph. L. Lall. W. Sch. 2. (5) Ex Erfurt. inseruere *tibi* Grut. Edd. seqq. ∞ om. Iu. L. Recte, puto; etiam B. [ ]. (6) — *me in Gab.* L. (7) ∞ *effecisti* Cdd. mukti. Iu. L. (8) Sic L. Graev. 3. Lall. W. B. — *a gentili umbitu. At tu quamq.* Cdd. Edd. vett. Iu. Aliter alii Cdd. turbant. — *a gentili homine tuo* Naug. Man. Grut. — *a gentili homine* Ern. E. 1. Sch. 2. (9) — *ab hom. quum religg. dedito, tum* omisso v. *iusto.* L. e E. (10) — *dicat* L. ut volebat Ern. (11) ∞ om. *ille* Cdd. aliq. B. [ ]. (12) — *ita* sine causa susp. Ern. (13) ∞ *si qui* Cd. Dresd. (14) Sic Cdd. aliq. Iu. Grut. Graev. 3. W. (∞ *ipso* Ern. 1. B. [ ]. Del. Sch. 2.) — *ipsi si loco* Cdd. aliq. — *ipsi loco, si* L.

non repugno. Sed quaero, quae lex lata sit, ut tu aedes meas[1] consecrares? ubi tibi haec potestas data sit? quo iure feceris? Neque ego nunc de religione, sed de bonis omnium nostrum, nec de pontificio, sed de iure publico disputo. L. Lex Papiria vetat, aedes iniussu plebis consecrari. Sit sane hoc de nostris aedibus, ac non de publicis templis. Unum ostende verbum consecrationis in ipsa tua lege: si illa lex est, ac non vox sceleris, et crudelitatis tuae. 129. Quod si tibi tum in illo rei publicae naufragio omnia in mentem venire potuissent, aut si tuus scriptor in illo incendio civitatis non syngraphas cum Byzantiis exsulibus et cum legatis regiis faceret, sed vacuo animo tibi ista non scita, sed portenta conscriberet: esses omnia, si minus re, at verbis legitimis consecutus. Sed uno tempore cautiones fiebant pecuniarum, foedera feriebantur provinciarum, regum appellationes[2] venales erant, servorum omnium vicatim celebrabatur tota urbe descriptio, inimici in gratiam reconciliabantur, imperia adscribebantur nova iuventuti[3], Q. Seio venenum misero parabatur, de Cn. Pompeio, propugnatore et custode imperii, interficiendo consilia inibantur, senatus ne quid esset, ut lugerent boni semper, ut capta res publica consulum proditione, vi tribunicia teneretur. Haec quum tot, tantaque agerentur: non mirum est, praesertim in furore animi et caecitate, multa illum et te fefellisse.

130. At videte, quanta vis sit[4] huius Papiriae legis, in re tali; non qualem tu affers, sceleris plenam et furoris. Q. Marcius, censor, signum Concordiae fecerat, idque in publico collocarat. Hoc signum C. Cassius censor quum in curiam transtulisset, collegium vestrum consuluit, numquid esse causae videretur, quin id signum curiamque Concordiae dedicaret. LI. Quaeso, Pontifices, et hominem cum homine, et tempus cum tempore, et rem cum re comparate. Ille erat summa modestia et gravitate censor: hic tribunus plebis, scelere et audacia singulari. Tempus illud erat tranquillum, et in libertate populi et gubernatione positum senatus: tuum porro tempus, libertate populi Romani oppressa, senatus auctoritate delcta; res illa plena iustitiae, sapientiae, dignitatis. Censor enim, penes quem maiores nostri (id quod tu sustulisti) iudicium senatus de dignitate[5] esse voluerunt, Concordiae signum volebat in curia, curiamque[6] ei deae dedicare. 131. Praeclara voluntas, atque omni laude digna. Praescribere enim se arbitrabatur, ut sine studiis dissensionis sententiae dicerentur, si sedem ipsam ac templum publici consilii religione Concordiae devinxisset. Tu quum ferro, quum metu, quum edictis, quum privilegiis, quum praesentibus copiis perditorum, absentis exercitus terrore et minis, consulum societate et nefario foedere, servitute oppressam civitatem teneres, Libertatis signum posuisti magis ad ludibrium impudentiae[7], quam ad simu-

---

(1) = *meas aedes* L. (2) — Cd. Barb. Graev. 3. male sic distinguunt: *foedera feriebantur; provinciarum, regum appellatt.* (3) Sic Ed. Ven. 1480. B. Sch. 2. — *imp. adscrib. novae iuventuti* Cdd. pleriq. (— *nova iuventute* Alii.) Iu. Graev. 3. Ern. 1. W. — *imperia scribebantur nova* omisso v. *iuventuti* L. (— *describebantur* Gar. suspic.) (4) = *sit vis* Iu. L. (5) Sic etiam L. 1566. In marg. 1584. *iud. de senatus dignitate* prob. Wolfio. (6) ∞ *aramque* Car. Steph. L. (7) Sic Cdd. (praeter Pal. 9. *impudicitiae*) — *pudicitiae* Margo Lambini. Ern. 1.

lationem religionis. Ille in curia, quae poterat, sine cuiusquam incommodo, dedicabat: tu in civis optime de re publica meriti cruore ac paene ossibus simulacrum non libertatis publicae, sed licentiae[1], collocasti. Atque ille tamen ad collegium retulit: tu ad quem retulisti? 132. Si quid deliberares, si quid tibi aut piandum, aut instituendum fuisset religione domestica: tamen instituto ceterorum vetere, ad pontificem detulisses[2]: novum delubrum quum in urbis clarissimo loco, nefando quodam atque inaudito instituto, inchoares, referendum ad sacerdotes publicos non putasti? At, si collegium pontificum adhibendum non videbatur: nemone horum tibi idoneus visus est, qui aetate, honore, auctoritate antecellunt, ut cum eo dedicationem communicares? quorum quidem tu non contempsisti, sed pertimuisti dignitatem. LII. An tu auderes quaerere ex P. Servilio, aut ex M. Lucullo, quorum ego consilio atque auctoritate rem publicam consul ex vestris manibus ac faucibus[3] eripui, quibusnam verbis, aut quo ritu, primum hoc dico, civis domum consecrares? deinde civis eius, cui princeps senatus, cui etiam ordines[4] omnes, deinde Italia tota, post cunctae gentes, testimonium huius urbis atque imperii conservati dedissent? 133. Quid diceres, o nefanda et perniciosa labes civitatis? „Ades, ades, Luculle, Servili, dum dedico domum Ciceronis, ut mihi praeceatis, postemque teneatis." Es tu quidem quum audacia, tum impudentia singulari: sed tibi tamen oculi, vultus, verba cecidissent, quum te viri, qui sua dignitate personam populi Romani atque auctoritatem imperii sustinerent, verbis gravissimis perterruissent[5], neque sibi fas esse dixissent, furori interesse tuo, atque in patriae parricidio et scelere[6]. 134. Quae quum videres, tum te ad tuum affinem, non delectum a te, sed relictum a ceteris contulisti. Quem ego tamen credo, si est ortus ab illis, quos memoriae proditum est ab ipso Hercule, perfuncto iam laboribus, sacra didicisse, in viri fortis aerumnis, non ita crudelem fuisse, ut in viventis etiam et spirantis caput[7] bustum suis manibus imponeret: qui aut nihil dixit, aut fecit omnino, poenamque hanc[8] maternae temeritatis tulit, ut mutam in delicto personam, nomenque praeberet: aut, si dixit aliquid verbis haesitantibus[9], postemque tremebunda

---

([1]) ∞ *licentiae tuae* Marclandi suspic. ([2]) — *retulisses* L. ([3]) — *facibus* Cdd. aliq. ([4]) — *tum etiam ord.* Cdd. aliq. prob. Gar. ([5]) — *proterruissent* Cdd. Lambini. ([6]) — *furori interesse tuo, in patriae parricidio exsultanti* Gar. suspic. ([7]) Sic dedi de Garatonii sententia (*Praefat.* Opp. Cic. T. VII. p. 9.) ex Arusiano, qui ita locum hunc laudat: *Imposuit in illa re*) *Non ita crud. fuisse, ut viventis etiam et spirantis capitibus cum* (sic) *suis man. imp.* ubi sane legendum aut: *Imposuit in illa re*) *N. i. c. f. ut in v. e. et sp. capite bustum*, aut: *Imposuit illi rei*) *N. i. c. f. ut viventis e. et sp. capiti b.* Angeli Maii quidem Arusianus s. Fronto hoc exemplum p. 385. Ed. Romanae non habet. — *ut in vivi et iam spirantis caput b.* Cdd. pleriq. Iu. L. Grut. Edd. seqq. — (— *ut in vivi etiam tum sp. c. b.* Lambini suspic.) ([8]) Sic Cdd. Edd. vett. Iu. Ern. 1. 2. W. B. — *qui aut nihil dixit, aut, si fecit, omnino poenam hanc* Grut. Graev. 3. — *qui aut nihil fecit, aut si fecit, omnino poenam h.* L. — *qui aut nihil dicit, nec fecit omnino, poenamque h.* Cd. Car. Steph. prob. Gar. ([9]) — *aut si dixit aliquid, dixit v. h.* L.

manu tetigit, certe nihil rite, nihil caste, nihil more institutoque perfecit[1]. Viderat ille Murenam, vitricum suum, consulem designatum, ad me consulem cum Allobrogibus communis exitii indicia afferre: audierat ex illo, se a me bis salutem accepisse, separatim semel[2], iterum cum universis. 135. Quare quis est, qui existimare possit, huic novo pontifici, primam hanc post sacerdotium initum religionem instituenti vocemque mittenti, non et linguam obmutuisse, et manum obtorpuisse, et mentem debilitatam metu concidisse: praesertim quum ex collegio tanto, non regem, non flaminem, non pontificem videret: fierique particeps alieni sceleris invitus cogeretur, et gravissimas poenas affinitatis impurissimae sustineret?

LIII. 136. Sed, ut revertar ad ius publicum dedicandi[3], quod ipsi pontifices semper non solum ad suas caerimonias, sed etiam ad populi iussa accommodaverunt: habetis in commentariis vestris, C. Cassium censorem de signo Concordiae dedicando ad pontificum collegium retulisse, eique M. Aemilium, pontificem maximum, pro collegio respondisse, nisi cum populus Romanus nominatim praefecisset, atque eius iussu faceret; non videri ea[4] recte posse dedicari. Quid? quum Licinia, virgo Vestalis, summo loco nata, sanctissimo sacerdotio praedita, T. Flaminino[5], Q. Metello consulibus, aram, et aediculam, et pulvinar sub saxo sacro dedicasset, non eam rem ex auctoritate senatus ad hoc collegium Sex. Iulius praetor retulit? quum P. Scaevola, pontifex maximus, pro collegio respondit, „quod in loco publico Licinia, Caii filia, iniussu populi dedicasset, sacrum non videri.[6]" Quam quidem rem quanta severitate, quantaque diligentia senatus sustulerit[7], ex ipso senatusconsulto facile cognoscetis. Recita senatusconsultum. SENATVSCONSVLTVM[8]. 137. Videtisne, praetori urbano negotium datum, ut curaret, ne id sacrum esset? et ut, si quae essent incisae aut inscriptae literae, tollerentur? O tempora! o mores! Tum censorem, hominem sanctissimum, simulacrum Concordiae dedicare pontifices in templo inaugurato[9] prohibuerunt: post autem senatus in loco augusto consecratam eam aram, tollendam ex auctoritate pontificum censuit, neque ullum est passus ex ea dedicatione literarum exstare monumentum; tu, procella patriae, turbo ac tempestas pacis atque otii, quod in naufragio, rei publicae tenebris offusis, demerso populo Romano, everso atque caecato senatu, dirueris, aedificaris, religione omni violata, religionis tamen[10] nomine contaminaris: in civis huiusce aedibus, et

---

(1) — *perfecerit* Cd. Gu. prob. Ern. solo. (2) = *semel separ.* L. (3) Sic Pal. prim. ut voluerat Man. Receperunt Graev. Lall. W. B. — *indicandi* Cdd. pleriq. — *indicandum* Alii. Hinc: *vindicandum* Iu. L. Grut. Ern. 1. Sch. 2. (4) *ea* [] Beck. — *id* L. e €. — *ea ratione posse* Iu. (5) — *Flaminio* Iu. L. (6) Sic Cld. B. Sch. 2. e *viderier* ortum est *videri esse* Iu. Grut. Graev. 3. (— *sacrum esse non videri* L. 1566) Postea *esse* deleverunt de Graevii sententia Verb. Lall. Ern. 1. W. (7) Suspectum hoc Lamb. et Ern. Sed vide Garat. (8) Sic L. Edd. seqq. v. *Recita* - SENATVSCONSVLTVM om. Cdd. aliq. Iu. — *Recita S. C.* dumtaxat Naug. Man. (9) — *inaurato* L. errore typogr.? (10) Sic de Marcl. et Garat. €. B. Sch. 2. — *rei tamen* Cdd. multi. — *rei publicae tamen* Alii. Edd. vett. Iu. Graev. 3. — *rei publicae tantum* L. Grut. Ern. 1. W.

in urbe, quam suis laboribus ac periculis conservasset[1], monumentum deletae rei publicae collocaris, ad equitum notam, ad dolorem[2] bonorum omnium, sublatoque Q. Catuli nomine incideris[3]: id sperasti rem publicam diutius, quam, quoad mecum simul expulsa careret his mocnibus, esse laturam?

138. At si, Pontifices, neque is, cui licuit, neque id, quod fas fuit, dedicavit: quid me attinet iam illud tertium, quod proposueram, docere, non his[4] institutis ac verbis, quibus caerimoniae postulant, dedicasse? LIV. Dixi a principio, nihil me de scientia vestra, nihil de sacris, nihil de abscondito iure pontificum, dicturum. Quae sunt adhuc a me de iure dedicandi disputata, non sunt quaesita ex occulto aliquo genere literarum, sed sumpta de medio, ex rebus palam per magistratus actis, ad collegiumque delatis, ex senatusconsulto, ex lege. Illa interiora, iam vestra sunt, quid dici, quid praecipi[5], quid tangi, quid teneri ius fuerit. 139. Quae si omnia ex Coruncanii scientia, qui peritissimus pontifex fuisse dicitur, acta esse constarent[6]: aut si M. Horatius ille Pulvillus, qui, quum eius dedicationem multi[7], propter invidiam, fictis religionibus impedirent, restitit, et constantissima mente Capitolium dedicavit, huiusmodi alicui dedicationi praefuisset: tamen in scelere religio non valeret; nedum valeat id, quod imperitus adolescens, novus sacerdos, sororis precibus, matris minis adductus, ignarus, invitus, sine collegis, sine libris, sine auctore, sine fictore[8], furtim, mente ac lingua titubante fecisse dicatur: praesertim quum iste impurus atque impius hostis omnium religionum, qui contra fas et[9] inter viros saepe mulier, et inter mulieres vir fuisset, ageret illam rem ita raptim et turbulente, ut neque mens, neque vox, neque lingua consisteret. LV. 140. Delatum tum[10] est ad vos, Pontifices, et post omnium sermone celebratum, quemadmodum iste praeposteris verbis, ominibus obscoenis, identidem se ipse revocando, dubitans, timens, haesitans, omnia aliter, ac vos in monumentis habetis, et pronuntiarit, et fecerit. Quod quidem minime mirum est, in tanto scelere, tantaque dementia, ne audaciae quidem locum ad timorem comprimendum fuisse. Etenim, si nemo unquam praedo tam barbarus atque immanis fuit, qui quum fana spoliasset, deinde aram aliquam in litore deserto, somniis[11] stimulatus, aut religione aliqua, consecraret, non horreret animo, quum divinum numen scelere violatum placare precibus cogeretur: qua tandem istum perturbatione mentis, omnium templorum atque tectorum totiusque urbis praedonem, fuisse censetis, quum pro detestatione tot scelerum unam aram nefarie consecraret? 141. Non poterat[12] ullo modo

---

(1) — *consecrasset* Cdd. aliq. Iu. prob Graev. (2) — *ab equitum nota doloris bonorum* Cdd. aliq. — *ad equitum notam dolorem* Iu. vide Beck. (3) ∞ *tuum incideris* de Graevii €. Sch. 2. (4) ∞ *iis* L. (5) Sic e C1d. Ern. 1. B. Sch. 2. ∞ *praecipere* Cdd. fere omnes Iu. L. Graev. 3. W. (6) — *constaret* L. (7) — *dedicationem* om. Cdd. multi. — *quum eum multi* Cd. Steph. prob. Gar. (8) Sic e Cdd. Grut. Edd. seqq. — *scriptore* Iu. L. *Fictores pontificum et Virginum Vestalium* passim memorantur in Inscriptt. v. Marini *Atti* T. 2. p. 791. (9) e Cdd. B. — om. *et* Ceteri. (10) — *Delatum iam tum* L. (11) Sic Cdd. aliq. Iu. L. Lall. W. B. Sch. 2. — *somnis* Grut. Graev. 3. Ern. 1. (12) Sic Cdd. aliq. Iu. L. W. B. Sch. 2. — *potuit* Cdd. aliq. Grut. Graev. 3. Ern. 1.

(quamquam et insolentia dominatus extulerat animos, et erat incredibili armatus audacia) non in agendo ruere, ac saepe peccare, praesertim illo pontifice, et magistro, qui cogeretur docere, antequam ipse didicisset. Magna vis est quum in deorum immortalium numine, tum vero in ipsa re publica. Dii immortales suorum templorum custodem ac praesidem sceleratissime pulsum quum viderent, ex suis templis in eius aedes immigrare nolebant: itaque istius vecordissimi mentem cura metuque terrebant. Res vero publica, quamquam erat exterminata mecum, tamen obversabatur ante oculos exstinctoris [1] sui, et ab istius inflammato atque ignito [2] furore iam tum me seque [3] repetebat. Quare quid est mirum, si iste metus furore instinctus [4], scelere praeceps, neque institutas caerimonias persequi, neque verbum ullum sollemne potuit effari?

LVI. 142. Quae quum ita sint, Pontifices, revocate iam animos vestros ab hac subtili nostra disputatione ad universam rem publicam, quam antea cum viris fortibus multis, in hac vero causa solis [5] vestris cervicibus sustinetis. Vobis universi senatus perpetua auctoritas, cui vosmet ipsi praestantissimi [6] semper in mea causa praefuistis; vobis Italiae magnificentissimus ille motus, municipiorumque concursus, vobis campus, centuriarumque una vox omnium, quarum vos principes atque auctores fuistis, vobis omnes societates, omnes ordines, omnes, qui aut re, aut spe denique sunt bona [7], omne suum [8] erga meam dignitatem studium, et iudicium non modo commissum, verum etiam commendatum esse arbitrantur [9]. 143. Denique ipsi dii immortales, qui hanc urbem atque hoc imperium tuentur, ut esset omnibus gentibus posteritatique perspicuum, divino me numine esse rei publicae redditum, idcirco mihi videntur fructum ipsum reditus et gratulationis meae ad suorum sacerdotum potestatem iudiciumque revocasse. Hic est enim reditus, Pontifices, haec restitutio, in domo, in sedibus, in aris, in focis, in diis penatibus recuperandis: quorum si [10] iste suis sceleratissimis manibus tecta sedesque convellit, ducibusque consulibus, tamquam urbe capta, hanc unam domum, quasi acerrimi propugnatoris, sibi delendam putavit; tamen illi dii penates ac familiares mei, per vos in meam domum mecum erunt restituti. LVII. 144. Quocirca te, Capitoline, quem propter beneficia populus Romanus Optimum, propter vim Maximum nominavit, teque, Iuno regina, et te, custos urbis, Minerva, quae semper adiutrix consiliorum meorum, testis laborum exstitisti, precor ac quaeso: vosque, qui maxime me repetistis, atque revocastis, quorum de sedibus haec mihi proposita est contentio, patrii

---

(1) — *exterminatoris* Hervag. L. (2) — *incito* Iu. (3) = *se meque* Cdd. aliq. L. (4) — *si iste invictus metu, furore inst.* Iu. — *si iste metu, si fur. inst.* Man. Oliv. Lall. — *si iste metu perculsus, fur. inst.* L. 1566. ∞ *si iste metu instinctus* omisso v. *furore* Sch. suspic. (5) ∞ *soli* L. (6) — *praestantissime* Pantagathi C. prob. Graev. ∞ *praesentissime* Ern. suspic. (7) e Cdd. Ern. 1. W. B. Sch. 2. — *boni* Cdd. pleriq. Iu. L. Grut. (8) Sic de Garat. C. B. Sch. 2. — *omnes hi tum* Cdd. aliq. unde Graev. 3. Lall : — *omnes hi suum* — *omne vobis* Iu. L. Grut. Ern. 1. (9) Sic L. Lall. Ern. 1. B Sch. 2. — *arbitrabantur* Cdd. pleriq. Iu. — *arbitrabuntur* Grut. Graev. 3. W. (10) — om. *si* L. 1566. Postea tentavit *etsi*.

penates familiaresque, qui huic urbi et rei publicae praesidetis[1], vos obtestor, quorum ego a templis ac delubris pestiferam illam et nefariam flammam depuli: teque, Vesta mater, cuius castissimas sacerdotes ab hominum amentia, furore et scelere defendi, cuiusque ignem illum sempiternum non sum passus aut sanguine civium restingui, aut cum totius urbis incendio commisceri: 145. ut[2], si in illo paene fato rei publicae obieci meum caput pro vestris cacrimoniis atque templis, perditissimorum civium furori atque ferro; et, si iterum, quum ex mea contentione interitus bonorum omnium quaereretur, vos sum testatus, vobis me ac meos commendavi, meque ac meum caput ea conditione devovi, ut, si et eo ipso tempore, et ante, et[3] in consulatu meo, commodis meis omnibus, emolumentis, praemiis praetermissis, cura, cogitatione, vigiliis omnibus, nihil, nisi de salute meorum civium, laborassem, tum mihi re publica aliquando restituta liceret frui; sin autem mea consilia patriae non profuissent, ut perpetuum dolorem, avulsus a meis, sustinerem: hanc ego devotionem capitis mei, quum ero in sedes meas restitutus, tum denique convictam esse et commissam putabo[4]. 146. Nam nunc quidem, Pontifices, non solum domo, de qua cognoscitis, sed tota urbe careo, in quam videor esse restitutus. Urbis enim celeberrimae et maximae partes adversum illud non monumentum, sed vulnus patriae contuentur: quem quum mihi conspectum morte magis vitandum fugiendumque esse videatis, nolite, quaeso, eum, cuius reditu restitutam rem publicam fore putastis, non solum dignitatis ornamentis, sed etiam urbis partibus velle esse privatum. LVIII. Non me bonorum direptio, non[5] tectorum excisio[6], non depopulatio praediorum, non praeda consulum ex meis fortunis crudelissime capta permovet: caduca semper et mobilia haec esse duxi, non virtutis atque ingenii, sed fortunae et temporum munera; quorum ego non tam facultatem unquam et copiam expetendam[7] putavi, quam et in utendo rationem, et in carendo patientiam. Etenim ad nostrum usum propemodum iam est definita moderatio rei familiaris; liberis autem nostris satis amplum patrimonium paterni nominis ac nostrae memoriae relinquemus: domo per scelus erepta, per latrocinium occupata, per religionis vim sceleratius etiam aedificata, quam eversa, carere sine maxima ignominia rei publicae, meo dedecore ac dolore non possum. Quapropter, si diis immortalibus, si senatui, si populo Romano, si cunctae Italiae, si provinciis, si exteris nationibus, si vobismet ipsis, qui in mea salute principem semper locum auctoritatemque tenuistis, gratum et iucundum meum reditum intelligitis esse: quaeso obtestorque vos, Pontifices, ut me, quem auctoritate, studio, sententiis restituistis, nunc, quoniam senatus ita vult, manibus quoque vestris in sedibus meis collocetis.

(1) Sic Cdd. aliq. Steph. L. Grut. Edd. seqq. — *praesides estis* Cdd. aliq. Iu. (2) — om. *ut* Iu. uti voluerat Pantagath. (3) ∞ Hoc *et* om. O6x. L. (4) — *putem* Lamb. susp. (5) — Hoc *non* om. L. (6) — *exscissio* L. (7) Sic Iu. L. Exn. 1. 2. W. B. — *extendendam* Cdd. pleriq. Grut. Graev. 3.

M. TULLII CICERONIS

QUAE VULGO FERTUR

DE

HARUSPICUM RESPONSIS,

IN SENATU ORATIO.

(Ex recensione potissimum Beckiana, cum integra varietate Lambiniana (L.), Graevio-Garatoniana (Graev. 3.), Ernestiana (Ern. 1.), Wolfiana (W.), Beckiana (B.), Schuetziana (Sch. 2.), reliquaeque accurato delectu, ratione habita Iuntinae praesertim editionis.)

I. 1. Hesterno die, Patres conscripti, quum me et vestra dignitas et frequentia equitum Romanorum, quibus senatus dabatur, magno opere commosset[1], putavi mihi reprimendam esse P. Clodii impudicam impudentiam[2], quum is publicanorum causam stultissimis interrogationibus impediret, et P. Tullioni Syro navaret operam, atque ei sese, cui totus venierat, etiam vobis inspectantibus venditaret. Itaque hominem furentem exsultantemque continui, simulac periculum iudicii intendi: duobus inceptis verbis omnem impetum gladiatoris ferociamque compressi. 2. Attamen ignarus ille, qui consules essent, exsanguis atque aestuans, se ex curia[3] repente proripuit, cum quibusdam fractis iam atque inanibus minis, et cum illius Pisoniani temporis Gabinianique terroribus. Quem quum egredientem insequi coepissem, cepi equidem fructum maximum, et ex consurrectione omnium vestrûm, et ex comitatu publicanorum. Sed vecors repente sine suo vultu, sine colore, sine voce constitit: deinde respexit; et simulac[4] Cn. Lentulum consulem adspexit, concidit in curiae paene limine, recordatione, credo, Gabinii sui, desiderioque Pisonis. Cuius ego de effrenato et praecipiti furore quid dicam? Haud[5] potest gravioribus a me verbis vulnerari,

---

(1) *magno opere* dedi e Cd. Barb. = *commovisset* Iu. L. (2) — *impudicam impudicitiam* Cdd. aliq. — *impudicam* del. Oliv. Lall. — *impunitam imp.* Ern. suspic. (3) = *e curia* L. al. (4) ∞ *simul ad* Cdd. multi. Edd. vett. Iu. Graev. 3. B. Nihilominus error videtur. (5) — om. *haud* cum Cdd. aliq. L. interrogat. signo post v. *trucidatus* posito. — *aut* Cdd. aliq.

quam est statim, in facto ipso[1], a gravissimo viro, P. Servilio, confectus ac trucidatus; cuius si iam[2] vim et gravitatem illam singularem ac paene divinam, assequi possem: tamen non dubito, quin ea tela, quae coniecerit inimicus, quam ea[3], quae collega patris emisit, leviora atque hebetiora esse videantur.

II. 3. Sed tamen mei facti rationem exponere illis volo, qui hesterno die dolore me elatum, et iracundia longius progressum[4] arbitrabantur, quam sapientis hominis cogitata ratio postularet[5]. Nihil feci iratus, nihil impotenti animo, nihil non diu consideratum ac multo ante meditatum. Ego enim, Patres conscripti, inimicum me semper esse professus sum duobus, qui me, qui rem publicam[6], quum defendere deberent, servare possent; quumque ad consulare officium ipsis insignibus illius imperii, ad meam salutem non solum auctoritate, sed etiam precibus vestris vocarentur, primo reliquerunt, deinde prodiderunt, postremo oppugnarunt[7], praemiisque nefariae pactionis[8] funditus una cum re publica oppressum exstinctumque voluerunt; quique suo ductu et imperio, cruento illo atque funesto, supplicia neque a sociorum moenibus prohibere, neque hostium urbibus inferre potuerunt; excisionem[9], inflammationem, eversionem, depopulationem, vastitatem [eam[10],] sua cum praeda, meis omnibus tectis atque agris intulerunt. 4. Cum his furiis et facibus, cum his, inquam, exitiosis prodigiis, ac paene huius imperii pestibus, bellum mihi inexpiabile dico esse susceptum: neque id tamen ipsum tantum, quantum meus ac meorum, sed tantum, quantum vester atque omnium bonorum dolor postulavit. III. In Clodium vero non est hodie meum maius odium, quam illo die fuit, quum illum ambustum religiosissimis ignibus, cognovi muliebri ornatu, ex incesto stupro atque ex domo pontificis maximi emissum; tum, inquam, tum vidi, ac multo ante prospexi, quanta tempestas excitaretur, quanta impenderet procella rei publicae. Videbam, illud scelus tam importunum, audaciam tam immanem adolescentis furentis, nobilis, vulnerati, non posse arceri otii finibus: erupturum illud malum aliquando, si impunitum fuisset, ad perniciem civitatis. 5. Non multum mihi sane post ad odium accessit. Nihil enim contra me fecit odio mei, sed odio severitatis, odio dignitatis, odio rei publicae: non me magis violavit, quam senatum, quam equites Romanos, quam omnes bonos, quam Italiam cunctam: non denique in me sceleratior fuit, quam in ipsos deos immortales. Etenim illos eo scelere violavit, quo nemo antea: in me fuit eodem animo, quo etiam eius familiaris Catilina, si vicisset, fuisset. Itaque cum nunquam a me esse accusandum putavi, non plus, quam stipitem illum, qui, quorum ho-

(1) — Suspecta haec *in facto ipso* Ern. (2) Sic Cdd. pleriq. Iu. L. 1566. (in marg. 1584. Lambino tribuitur *si eam v.*) B. — *etsi iam* Cdd. aliq. Edd. vett. — *si etiam* Grut. Graev. 3. Ern. 1. 2. W. (3) — *inimicus, iis* Ern. susp. (4) Sic Cdd. pauci. L. W. B. ∞ *longius prope progressum* Cdd. aliq. — *long. prope digressum* Cdd. pleriq. Iu. Grut. Graev. 3. Ern. 1. 2. (5) — *postulasset* Cdd. aliq. Iu. (6) Sic Cdd. pauci. L. Grut. Graev. 3. Ern. 1. 2. W. ∞ *qui rem meam* Cdd. pleriq. Edd. vett. Iu. B. Sed seqq. *ad consulare officium* nostrae potius favent lectioni, etsi infra legitur *una cum re publica.* (7) Sic Cdd. aliq. L. B. = *oppugnaverunt* Ceteri. (8) — *factionis* Cdd. aliq. (9) — *exscissionem* L. (10) ∞ *eam* om. Cdd. aliq. B. Sch. 2. []. — *vastitatem, aucti praeda* L.

minum esset, nesciremus, nisi se Ligurem ipse esse diceret. Quid enim hunc persequar, pecudem ac beluam, pabulo inimicorum meorum et glande corruptum[1]? qui si sensit[2], quo se[3] scelere devinxerit: non dubito, quin sit miserrimus: sin autem id non videt, periculum est, ne se stuporis excusatione defendat. 6. Accedit etiam, quod exspectatione omnium fortissimo et clarissimo viro, T. Annio, devota et constituta ista hostia esse videtur: cui me praeripere desponsam iam et destinatam laudem, quum ipse eius opera et dignitatem et salutem recuperarim, valde est iniquum. IV. Etenim, ut P. illo Scipio natus mihi videtur ad interitum exitiumque Karthaginis, qui illam a multis imperatoribus obsessam, oppugnatam, labefactatam[4], paene captam aliquando, quasi fatali eventu, solus evertit: sic T. Annius ad illam pestem comprimendam, exstinguendam, funditus delendam natus esse videtur, et quasi divino munere donatus rei publicae[5]. Solus ille cognovit, quemadmodum armatum civem, qui lapidibus, qui ferro alios fugaret, alios domi contineret, qui urbem totam, qui curiam, qui forum, qui templa omnia caede incendiisque terreret, non modo vincere, verum etiam vincire[6] oporteret. 7. Huic ego, et[7] tali, et ita de me ac de patria merito viro, nunquam mea voluntate praeripiam eum praesertim reum, cuius ille inimicitias non solum suscepit propter salutem meam, verum etiam appetivit. Sed si etiam nunc illaqueatus iam omnium legum periculis, irretitus odio bonorum omnium, exspectatione supplicii iam non diuturna implicatus, feretur tamen haesitans, et in me impetum impeditus facere conabitur: resistam, et aut concedente aut etiam adiuvante Milone, eius conatum refutabo: velut hesterno die, quum mihi stanti iacens[8] minaretur, voce tantum attigi legum initium et iudicii: consedit[9] ille, conticuit[10]. Diem dixisset, ut fecerat[11]: fecissem, ut ei statim tertius a praetore dies diceretur. Atque hoc sic moderetur, et cogitet, si contentus sit iis sceleribus, quae commisit, iam se esse[12] consecratum Miloni: si quod in me telum intenderit[13], statim me esse arrepturum arma iudiciorum atque legum.

8. Atqui[14] paullo ante, Patres conscripti, concionem habuit, quae est ad me tota delata: cuius concionis primum universum argumentum sententiamque audite; quum riseritis impudentiam hominis, tum a me de tota concione audietis. V. De religionibus, sacris et caerimoniis est concionatus, Patres conscripti, Clodius: P. inquam, Clodius sacra et religiones negligi, violari, pollui questus est. Non mirum, si hoc vobis ridiculum videtur: etiam sua concio risit hominem, quomodo ip[illegible]loriari

(1) ∞ *corruptum* Cld. Gryph. Sch. 2. (2) — *senserit* Cld. Ed. Ven. prima. Iu. — *sentit* Lambino tribuitur in marg. 1584. Ed. 1566. habet *sensit*. (3) Sic Cdd. pleriq Iu. B. — *sese* Grut. Graev. 3. Ern. 1. 2. W. = *scelere se* L. (4) ∞ *labefactam* Cdd. aliq. Iu. L. uti editur ab omnibus §. 60. (5) = *rei p. donatus* L. (6) Sic Edd. vett. Iu. Grut. Graev. 3. W. B. Sch. 2. — *vincire - - - vincere* L. Ern. 1. (7) ∞ Hoc *et* om. L. (8) Sic Cld. Man. E. L. W. B. — *stanti tacens* Cdd. pleriq. Iu. Grut. Graev. 3. ∞ *stans tacenti* de Graevii E. Ern. 1. Sch. 2. (9) Sic Cdd. Iu. Grut. Graev. 3. Edd. seqq. ∞ *concidit* Naug. L. (10) — *et conticuit* L. (11) ∞ *iecerat* Ern. E. 1. prob. Gar. (12) Sic Iu. L. W. B. — *esse iam* Grut. Graev. 3. Ern. 1. Sch. 2. — *se esse* Cdd. aliq. om. *iam*. (13) ∞ *intorserit* Cdd. aliq. Iu. (14) ∞ *Atque* Cdd. aliq.

solet, ducentis confixum senatusconsultis[1]; quae sunt omnia contra illum pro religionibus facta, hominemque eum, qui pulvinaribus Bonae Deae stuprum intulerit, eaque sacra, quae viri oculis, ne imprudentis quidem, adspici fas est, non solum adspectu virili, sed flagitio stuproque violarit, in concione de religionibus neglectis conqueri. 9. Itaque nunc proxima concio eius exspectatur de pudicitia. Quid enim interest, utrum ab altaribus religiosissimis fugatus, de sacris et religionibus conqueratur, an ex sororum cubiculo egressus, pudorem pudicitiamque defendat? Responsum haruspicum hoc recens de fremitu[2] in concione recitavit: in quo cum aliis multis scriptum etiam illud est, (id quod audistis) LOCA SACRA ET RELIGIOSA PROFANA HABERI. In ea causa esse dixit domum meam, a religiosissimo sacerdote, P. Clodio, consecratam. 10. Gaudeo mihi de toto hoc ostento, quod haud scio, an gravissimum multis his annis huic ordini nuntiatum sit, datam non modo iustam, sed etiam necessariam causam esse dicendi. Reperietis enim ex hoc toto prodigio atque responso, nos de istius scelere ac furore, ac de impendentibus periculis maximis, prope iam voce Iovis Optimi Maximi praemoneri. 11. Sed primum expiabo religionem aedium mearum, si id facere vere ac sine cuiusquam dubitatione potero: sin scrupulus tenuissimus[3] residere aliquis videbitur: non modo patienti, sed etiam libenti animo portentis deorum immortalium religionique[4] parebo.

VI. Sed quae tandem est in hac urbe tanta domus, ab ista religionis suspicione tam vacua atque pura? Quamquam vestrae domus, Patres conscripti, ceterorumque civium, multo maxima ex parte sunt liberae religione, tamen una mea domus iudiciis omnibus liberata, in hac urbe, sola est. Te enim appello, Lentule, et te Philippe; ex hoc haruspicum responso decrevit senatus, ut de locis sacris religiosis[5] ad hunc ordinem referretis. Potestisne referre de mea domo? quae (ut dixi) sola, in hac urbe, omni religione, omnibus iudiciis, liberata est: quam primum inimicus ipse, in illa tempestate ac nocte rei publicae, quum cetera scelera stilo illo impuro, Sex. Clodii ore tincto, conscripsisset[6], ne una quidem attigit litera religionis; deinde eandem domum populus Romanus, cuius est summa potestas omnium rerum, comitiis centuriatis, omnium aetatum ordinumque suffragiis, eodem iure esse iussit, quo fuisset. 12. Postea vos, Patres conscripti, non quod dubia res esset, sed ut huic furiae, si diutius in hac urbe, quam delere cuperet, maneret, vox interdiceretur[7], decrevistis, ut de mearum aedium religione ad pontificum collegium referretur. Quae tanta religio est, qua non in nostris dubitationibus, atque in maximis superstitionibus, unius P. Servilii ac M. Luculli responso ac verbo liberemur? De sacris publicis, de ludis maximis, de deorum penatium Vestaeque

---

(1) = *senaticonsultis* Cod. Lambini; (sic et §. 15. cet.) non tamen recepit L. 1566. (2) An excidit *terrae?* Ern. (3) ∞ *vel tenuissimus* L. (4) — *religionibusque* Cdd. aliq. (5) = *sacris ac relig.* L. (6) Sic e Cdd. Grut. (nisi quod hic errore typogr. reliquit *Clodius*) Graev. 3. Ern. 1. 2. W. B. — *Sex. Clodius conscripsisset* Cdd. pleriq. Iu. L. (7) ∞ *intercluderetur* L. 1566. prob. Ern. — *interciperetur* Gulielmi suspic. — *incideretur* I. F. Gronovii suspic.

matris caerimoniis, de illo ipso sacrificio, quod fit pro salute populi Romani, quod, post Romam conditam, huius unius casti tutoris religionum scelere violatum est, quod tres pontifices statuissent, id semper populo Romano, semper senatui, semper ipsis diis immortalibus satis sanctum, satis augustum, satis religiosum esse visum est. At vero meam domum P. Lentulus, consul et pontifex, P. Servilius, M. Lucullus, Q. Metellus, M' Glabrio, M. Messala, L. Lentulus, flamen Martialis, P. Galba, Q. Metellus Scipio[1], C. Fannius, M. Lepidus, L. Claudius, rex sacrorum, M. Scaurus, M. Crassus, C. Curio, Sex. Caesar, flamen Quirinalis, Q. Cornelius, P. Albinovanus, Q. Terentius, pontifices minores, causa cognita, duobus locis dicta, maxima frequentia amplissimorum ac sapientissimorum civium adstante, omni religione, una mente, omnes liberaverunt. VII. 13. Nego unquam post sacra constituta, quorum eadem est antiquitas, quae ipsius urbis, ulla de re, ne de capite quidem virginum Vestalium, tam frequens collegium iudicasse; quamquam ad facinoris[2] disquisitionem interest adesse quam plurimos. Ita est enim interpretatio illa pontificum, ut iidem potestatem habeant iudicum. Religionis explanatio[3] vel ab uno pontifice perito recte fieri potest: quod idem in iudicio capitis durum atque iniquum est. Tamen sic reperietis, frequentiores pontifices de mea domo, quam unquam de caerimoniis virginum iudicasse. Postero die frequentissimus senatus, te consule designato, Lentule, sententiae principe, P. Lentulo et Q. Metello consulibus referentibus, statuit, quum omnes pontifices, qui erant huius ordinis, adessent, quumque alii, qui honoribus populi Romani antecedebant, multa de collegii iudicio verba fecissent, omnesque iidem scribendo adessent: DOMVM MEAM IVDICIO PONTIFICVM RELIGIONE LIBERATAM VIDERI. 14. De hoc igitur loco sacro[4] potissimum videntur haruspices dicere, qui locus solus ex privatis locis omnibus hoc praecipue iuris habet, ut ab ipsis, qui sacris praesunt, sacer non esse iudicatus sit? Verum referte: quod ex senatusconsulto facere debetis. Aut vobis cognitio dabitur, qui primi de hac domo sententiam dixistis, et eam religione omni liberastis: aut senatus ipse iudicabit, qui, uno illo solo antistite sacrorum dissentiente, frequentissimus antea iudicavit: aut, id quod certe fiet, ad pontifices reiicietur, quorum auctoritati, fidei, prudentiae maiores nostri sacra religionesque, et privatas, et publicas, commendarunt. Quid ergo hi possunt aliud iudicare, ac iudicaverunt? Multae sunt domus in hac urbe, Patres conscripti, atque haud scio, an paene cunctae, iure optimo: sed tamen iure privato, iure hereditario, iure auctoritatis, iure mancipi, iure nexi: nego esse ullam domum aliam privato eodem, quo quae optima lege[5], publico vero omni praecipuo, et humano, et divino

---

(1) Sic e Cdd. Grut. Edd. seqq. (praeter Oliv. Lall.) — *Q. Scipio* L. Mox *M' Lepidus*, *C. Claudius* leg. censet van Vaassen *Fasti* p. 377. (2) — *facinorum* Cdd. aliq. (3) ∞ *expiatio* Iu. Manut. L. Graev. 3. (4) — Cum uno Erfurt. v. *sacro* deleverunt B. Sch. 2. Sed est, ut saepe, mali huiusce scriptoris inepta ironia. (5) Ita Garat. legendum docuit e Cdd. aliq. (Erfurt) Edd. vett. nisi quod habent *quoque* pro *quo quae*. — *aliam atque privato iure, atque optima lege* Iu. L. Graev. 3. Ern. 1. 2. W. B.

iure munitam. 15. Quae primum aedificatur ex auctoritate senatus, pecunia publica: deinde contra vim nefariam huius gladiatoris, tot senatusconsultis munita atque saepta est. VIII. Primum negotium iisdem magistratibus est datum anno superiore, ut curarent, ut sine vi mihi aedificare liceret, quibus in maximis periculis, universa res publica commendari solet: deinde, quum ille saxis, et ignibus, et ferro vastitatem meis aedibus[1] intulisset, decrevit senatus, eos, qui id fecissent, lege de vi, quae est[2] in eos, qui universam rem publicam oppugnassent, teneri. Vobis vero referentibus, o post hominum memoriam fortissimi atque optimi consules, decrevit idem senatus frequentissimus, qui meam domum violasset, contra rem publicam esse facturum. 16. Nego, ullo de opere publico, de monumento, de templo, tot senatus exstare consulta, quot de mea domo, quam senatus unam, post hanc urbem constitutam[3], ex aerario aedificandam, a pontificibus liberandam, a magistratibus defendendam, a iudicibus puniendam[4] putaret. P. Valerio, pro maximis in rem publicam beneficiis, data domus est in Velia publice[5]: at mihi in Palatio restituta: illi locus: at mihi etiam parietes atque tectum: illi, quam ipse privato iure tueretur: mihi[6], quam publice magistratus omnes defenderent. Quae quidem ego si aut per me, aut ab aliis haberem, non praedicarem apud vos, ne nimis gloriari viderer; sed, quum sint mihi data a vobis, quum ea attententur eius lingua, cuius antea manu eversa vos mihi et liberis meis, manibus vestris reddidistis: non ego de meis, sed de vestris factis[7] loquor: nec vereor, ne haec mea vestrorum beneficiorum praedicatio, non grata potius, quam arrogans videatur. 17. Quamquam, si me, tantis laboribus pro communi salute[8] perfunctum, efferret aliquando ad gloriam in refutandis maledictis improborum hominum animi quidam dolor, quis non ignosceret? Vidi enim hesterno die quendam murmurantem; quem aiebant negare, ferre[9] me posse, quia, quum ab hoc eodem impurissimo parricida rogarer, cuius essem civitatis, respondi, me, probantibus et vobis, et equitibus Romanis, eius esse, quae carere me non potuisset. Ille, ut opinor, ingemuit. Quid igitur responderem? (quaero ex eo ipso, qui ferre me non potest:) me civem esse Romanum? literate respondissem. Tacuissem[10]? desertum negotium. Potest quisquam vir in rebus magnis[11] cum invidia versatus, satis graviter contra inimici contumeliam sine sua laude respondere? At ipse non modo[12] respondet, quidquid potest, quum est lacessitus: sed etiam gaudet, se ab amicis, quid respondeat, admoneri.

---

(1) Sic Orx. Iu. L. W. — *sedibus* Cdd. pleriq. Grut. Graev. 3. Ern. 1. 2. B. ac defendi potest ultimis *Orat. pro Domo* verbis, nisi ibi quoque *aedibus* legendum. Alias constanter distinguit *aedes suas* ab *sedibus Deorum suorum Penat.m.* (2) — *esset* Ern. €. 1. (3) — *conditam* Margo 1584. (4) ∞ *muniendam* de P. Fabri €. L. (5) Sic de I. Palmerii €. probb. Graev. et Gar. Lall. W. B. Sch. 2. — *in Villa publica* Cdd. pleriq. L. Grut. Graev. 3. — *in via publica* Edd. vett. Iu. Ern. 1. (6) — *at mihi* volebat Garat. (7) = *de factis vestris* Cdd. Edd. vett. Iu. (8) Haec *pro c. sal.* om. Cdd. multi. Iu. (9) — *se ferre* Ern. suspic. (10) — *An tacuissem?* Cdd. multi. Iu. L. (11) = *rebus in magnis* L. (12) ∞ *non modo non* Cdd. aliq.

IX. 18. Sed, quoniam mea causa expedita est, videamus nunc, quid haruspices dicant. Ego enim fateor, me, et magnitudine ostenti, et gravitate responsi, et una atque constanti haruspicum voce vehementer esse commotum[1]. Neque is sum, qui, si cui forte videor plus, quam ceteri, qui aeque, atque ego, sunt occupati, versari in studio literarum, his[2] delecter, aut utar omnino literis, quae nostros animos deterrent atque avocant a religione. Ego vero primum habeo auctores ac magistros religionum colendarum maiores nostros: quorum mihi tanta fuisse sapientia videtur, ut satis superque prudentes sint, qui illorum prudentiam, non dicam assequi, sed, quanta fuerit, perspicere possint: qui statas[3] sollemnesque caerimonias, pontificatu: rerum bene gerendarum auctoritates, augurio: fatorum veteres praedictiones Apollinis, vatum libris: portentorum explanationes[4], Etruscorum disciplina contineri putarunt[5]: quae quidem tanta est, ut nostra memoria primum Italici belli funesta illa principia, post Sullani Cinnanique temporis extremum paene discrimen, tum hanc recentem urbis inflammandae, delendique imperii coniurationem non obscure nobis paullo ante praedixerint[6]. 19. Deinde etiam cognovi, multa homines doctissimos sapientissimosque et dixisse, et scripta de deorum immortalium numine reliquisse. Quae quamquam divinitus perscripta video, tamen eiusmodi sunt, ut ea maiores nostri docuisse illos, non ab illis didicisse videantur. Etenim quis est tam vecors, qui aut, quum suspexerit in caelum, deos esse non sentiat, et ea, quae tanta mente fiunt, ut vix quisquam arte ulla ordinem rerum ac necessitudinem[7] persequi possit, casu fieri putet: aut, quum deos esse intellexerit, non intelligat, eorum numine hoc tantum[8] imperium esse natum[9], et auctum, et retentum? Quam volumus licet, Patres conscripti, ipsi nos amemus: tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Poenos, nec artibus Graecos, nec denique hoc ipso huius gentis ac terrae domestico nativoque sensu, Italos ipsos ac Latinos, sed pietate ac religione, atque hac una sapientia, quod deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes nationesque superavimus.

X. 20. Quare, ne plura de re minime loquar dubia[10], adhibete animos, et mentes vestras, non solum aures, ad haruspicum vocem admovete: QVOD IN AGRO LATINIENSI[11] AVDITVS EST STREPITVS CVM FREMITV. Mitto haruspices, mitto illam veterem ab ipsis diis immortalibus, ut hominum fama est, Etruriae datam[12] disciplinam: nos nonne haruspices esse possumus? EXAVDITVS IN AGRO PROPINQVO ET SVBVRBANO EST STREPITVS QVIDAM RECONDITVS, ET HORRIBILIS FREMITVS ARMORVM.

---

(1) — *permotum* Cdd. aliq. (2) ∞ *iis* L. (3) — *statutas* perpetuo errore Cdd. aliq. (4) — *expiationes* malebant Sigonius, Pighius; Lambinus: *explanationes et expiationes.* (5) = *putaverunt* L. contra quam alias solet. (6) — *praedixerit* cum C2d. et Ed. vet. Graev. 3. (7) — *vicissitudinem* Iu. Naug. L. (8) — *totum* Ed. 1581. neutiquam vero Ed. 1566. (9) — *et natum* Graevii suspic. prob. Ern. (10) = *dubia loquar* L. — *loquar minime dubia* volebat Graev. (11) Cfr. §. 62. ∞ *Laviniensi* Cd. sive C. Puccii. Iu. quamquam *Lavinates*, non *Lavinienses* in Inscriptt. appellantur *Lavinii* cives; tamen haec posterior quoque forma satis est proba. — *Latinensi* Cdd. aliq. prob. Graev. — *Latiensi* Cdd. aliq. (12) ∞ *traditam* Cdd. aliq. Iu. L.

Quis est ex gigantibus illis, quos poëtae ferunt bellum diis immortalibus intulisse, tam impius, qui hoc tam novo tantoque motu non magnum aliquid deos populo Romano praemonstrare et praecinere fateatur? De ea re scriptum est, POSTVLATIONES ESSE[1] Iovi, Satvrno, Neptvno, Tellvri, diis caelestibvs. 21. Audio, quibus diis violatis expiatio debeatur: sed, hominum quae ob delicta, quaero. Lvdos[2] minvs diligenter factos, pollvtosqve. Quos ludos? te appello, Lentule, (tui sacerdotii sunt tensae, curricula, praecentio, ludi, libationes, epulaeque ludorum publicorum[3],) vosque, Pontifices, ad quos epulones Iovis Optimi Maximi, si quid est praetermissum, aut commissum, afferunt[4]: quorum de sententia illa eadem renovata atque instaurata celebrantur: qui sunt ludi minus diligenter facti? quanto[5], aut quo scelere polluti? Respondebis et pro te, et pro collegis tuis, et pro pontificum collegio, nihil cuiusquam aut negligentia contemptum, aut scelere esse pollutum: omnia sollemnia ac iusta ludorum, omnibus rebus observatis[6], summa cum caerimonia esse servata. XI. 22. Quos igitur haruspices ludos minus diligenter factos pollutosque esse dicunt? eos, quorum ipsi dii immortales, atque illa Mater Idaea[7], te, te, Cn. Lentule, cuius abavi[8] manibus esset accepta, spectatorem esse voluit. Quod ni tu Megalesia illo die spectare voluisses, haud scio an vivere nobis, atque his de rebus iam queri liceret. Vis enim innumerabilis incitata[9] ex omnibus vicis collecta servorum ab hoc aedili religioso, repente fornicibus ostiisque omnibus, in scenam, signo dato, immissa irrupit. Tua tum, tua, Cn. Lentule, eadem virtus fuit, quae in privato quondam tuo proavo[10]: te, nomen, imperium, vocem, adspectum, impetum tuum stans senatus, equitesque Romani, et omnes boni sequebantur, quum ille servorum et ludiorum multitudini senatum populumque Romanum vinctum ipso consessu, et constrictum spectaculis, atque impeditum turba et angustiis tradidisset. 23. An, si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit, aut puer ille patrimus et matrimus si terram non tenuit, aut tensam, aut lorum omisit, aut, si aedilis verbo, aut simpulo[11] aberravit, ludi sunt non rite facti, eaque errata expiantur, et mentes deorum immortalium, ludorum instauratione placantur: si ludi ab laetitia ad metum traducti sunt, si non intermissi,

---

([1]) Sic Steph. L. Grut. Edd. seqq. — *postulatt. esse decretas Iovi.* Cdd. aliq. Edd. vett. Iu. Ceterum vide ne leg. sit *postuliones* e Varrone *de Lingua L.* 4. p. 41. Bip. et Arnobio L. 4. C. 31. ([2]) — *ob ludos* Graevii susp. ([3]) — om. *publ.* Cdd. aliq. ([4]) — *deferunt* Ern. suspic. ([5]) ∞ *quando* de Ern. €. Sch. 2. ([6]) — om. *observ.* Ed. Rom. non improb. Gar. ([7]) Sic de Faërni €. a Lambino probata, nec tamen recepta Ern. 1. W. B. Sch. 2. — *Mater Dea* Cdd. Edd. vett. Iu. L. Grut. ([8]) Sic de Fr. Fabricii €. Man. (etsi hic proprie volebat *atavi*) Ern. 1. Edd. seqq. — *cuius ab avia* Cdd. Edd. vett. Iu. L. Grut. ([9]) — *incitata* suspectum Ern. ([10]) — *quae privati qu. tui proavi* Codex, id est, €. Ursini. ([11]) Locum hunc, non nominato Cicerone, suos in usus convertit Arnobius L. 4. C. 31. *si terram non tenuit* satis confirmatur ab Arnobio. — *si tensam non tenuit aut lorum remisit* Ant. Augustini €. *si sisarram non tenuit* Lipsii €. *si acerram n. t. aut lorum amisit* Salmasii et Fabretti €. — *aut tensae lorum* Ern. suspic. — *aut si tensae lorum amisit* Gar. suspic. (*amisit* habent Cdd. aliq non tamen sic edidit Lamb.) Tum *aut simpulo* e Cld. Grut. Edd. seqq. ∞ *aut simpuvio* ex Arnobio scribendum docet Garat. — *aut symbolo* e Cdd. aliq. L. 1566. — *aut si nutu* Edd. vett. Iu.

sed perempti atque sublati sunt; si civitati universae scelere eius, qui ludos ad luctum conferre voluit, exstiterunt dies illi pro festis [1] paene funesti: dubitabimus, quos ille fremitus nuntiet ludos esse pollutos? 24. Ac, si volumus ea, quae de quoque deo nobis tradita sunt, recordari: hanc Matrem magnam, cuius ludi violati, polluti, paene ad caedem et ad funus civitatis conversi sunt, hanc, inquam, accepimus, agros et nemora cum quodam strepitu fremituque peragrare [2]. XII. Haec igitur vobis, haec populo Romano, et scelerum indicia ostendit, et periculorum signa patefecit. Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri maiores ante templum, in ipso Matris magnae conspectu, Megalensibus [3] fieri celebrarique voluerunt? qui sunt more institutisque maxime casti, sollemnes, religiosi; quibus ludis primum ante populi consessum senatui locum P. Africanus iterum consul ille maior dedit: ut eos ludos haec lues impura polluerit [4]: quo si qui [5] liber aut spectandi, aut etiam religionis causa, accesserat, manus afferebantur: quo matrona nulla adiit, propter vim consessumque servorum. Ita ludos eos, quorum religio tanta est, ut ex ultimis terris arcessita in hac urbe consederit; qui uni ludi ne verbo quidem [6] appellantur Latino, ut vocabulo ipso et appetita religio externa, et Matris magnae nomine suscepta declaretur: hos ludos servi fecerunt, servi spectaverunt: tota denique, hoc aedile, servorum Megalesia fuerunt. 25. Pro [7] dii immortales! qui magis nobiscum loqui possetis, si essetis versareminique nobiscum? ludos [8] esse pollutos significatis ac plane dicitis. Quid magis deformatum, inquinatum, perversum, conturbatum dici potest, quam omne servitium, permissu magistratus, liberatum [9], in alteram scenam immissum, alteri praepositum, ut alter consessus potestati servorum obiceretur, alter servorum totus esset? Si examen apum ludis in scenam [10] venisset, haruspices acciendos ex Etruria putaremus: videmus universi repente examina tanta servorum immissa in populum Romanum saeptum atque inclusum, et non commovemur? Atque in apum fortasse examine, nos ex Etruscorum scriptis haruspices, ut a servitio caveremus, monerent. 26. Quod igitur ex aliquo disiuncto diversoque monstro significatum caveremus, id quum ipsum sibi [11] monstrum est, et quum in eo ipso periculum est, ex quo periculum portenditur, non pertimescemus? Istiusmodi Megalesia fecit pater tuus? istiusmodi patruus? Is mihi etiam generis sui mentionem facit, quum Athenionis, aut Spartaci exemplo ludos facere maluerit, quam Caii, aut Appii, Claudiorum? Illi quum ludos facerent, servos de cavea exire iubebant [12]: tu in alteram servos immisisti, ex al-

(1) Sic e Cdd. W. B. Sch. 2. — *festi* Iu. L. Grut. Graev. 3. Ern. 1. (2) — *peragrasse* Gar. suspic. (3) = *Megalesiis* L. e €. Postea Lambino ipsi, et ante eum Mureto, aliisque, etiam Ern. suspectum erat hoc voc. Ceterum Asconius ad *Or.* 1. *pro Cornelio* hunc locum ita laudat: *Nam quid - - - ante templum Matris Magnae fieri celebrarique voluerunt; quibus primum ludis ante p. c. s. l. P. A. it. Consul et collega eius Sempronius Longus.* (4) Sic iam Iu. Grut. Ern. 1. W. B. Sch. 2. — *polluceret* Cdd. pleriq. L. Graev. 3. Lall. (5) = *si quis* Iu. L. (6) Sic Naug. Edd. seqq. — *qui ludi ne uno quidem verbo* Cdd. pleriq. Edd. vett. Iu. (7) = *Proh* Iu. Ern. 1. (8) ∞ *ludos publicos* e Cld. Edd. vett. Iu. Graev. 3. (9) — *liberum* Pucc. Iu. prob. Gar. (10) = *scaenam* Edd. vett. Iu. ut Inscriptt. constanter. (11) — *sibi ipsum* Ed. 1584. Grut. (12) Sic L. 1566. — *servos exire de cavea iub.* Lambino tribuitur in marg. 1584.

tera liberos eiecisti. Itaque qui antea voce praeconis a liberis semovebantur, tuis ludis non voce, sed manu liberos a se segregabant. XIII. Ne hoc quidem tibi in mentem veniebat, Sibyllino sacerdoti, haec sacra maiores nostros ex vestris libris expetisse? si illi sunt vestri, quos tu impia mente conquiris, violatis[1] oculis legis, contaminatis manibus attrectas. 27. Hac igitur vate suadente quondam, defessa Italia Punico bello, atque ab Hannibale vexata, sacra ista maiores nostri[2] adscita ex Phrygia Romae collocarunt[3]: quae vir is accepit, qui est optimus populi Romani[4] iudicatus, P. Scipio: femina autem, quae matronarum castissima putabatur, Q. Claudia: cuius priscam illam severitatem sacrificii[5] mirifice tua soror[6] existimatur imitata. Nihil te igitur neque maiores tui, coniuncti cum his religionibus, neque sacerdotium ipsum, quo est haec tota religio constituta, neque curulis aedilitas, quae maxime hanc tueri religionem solet, permovit[7], quo minus castissimos ludos omni flagitio pollueres, dedecore maculares, scelere obligares? 28. Sed quid ego id admiror? qui, accepta pecunia, Pessinuntem ipsum, sedem domicilumque Matris deorum, vastaris, et Brogitaro Gallograeco, impuro homini ac nefario, cuius legati, te tribuno, dividere in aede Castoris tuis operis nummos solebant[8], totum illum locum[9] fanumque vendideris? sacerdotem ab ipsis aris, pulvinaribusque detraxeris? omina[10] illa, quae vetustas, quae Persae, quae Syri, quae reges omnes, qui Europam Asiamque tenuerunt, semper summa religione coluerunt, perverteris? quae denique nostri maiores tam sancta duxerunt, ut, quum refertam urbem, atque Italiam fanorum haberemus, tamen nostri imperatores maximis et periculosissimis bellis huic deae vota facerent, eaque in ipso Pessinunte ad illam ipsam principem aram, et in illo loco fanoque persolverent. 29. Quod quum Deiotarus religione sua castissime tueretur, quem unum habemus in orbe terrarum fidelissimum huic imperio atque amantissimum nostri nominis[11]: Brogitaro, ut ante dixi, addictum pecunia tradidisti. Atque hunc tamen Deiotarum, saepe a senatu regali nomine dignum existimatum, clarissimorum imperatorum testimoniis ornatum, tu etiam regem appellari cum Brogitaro iubes. Sed alter est rex iudicio senatus per nos[12], pecunia Brogitarus, per te appellatus: alterum putabo regem[13], si habuerit, unde tibi solvat, quod ei per syngraphan credidisti. Nam quum multa regia sunt in Deiotaro, tum illa maxime, quod tibi nummum nullum dedit; quod eam partem legis tuae, quae

---

(1) — *velatis* Nescio cuius €. (2) = *nostri mai.* L. (3) Sic L. = *collocaverunt* Ceteri. (4) Sic e Cdd. Grut. Edd. seqq. — *a populo Ro.* Cdd. pleriq. Iu. L. prob. Ern. Sed vide Garat. (5) *sacrificii* habent Cdd. omnes. Ern. 1. B. [ ]. — Del. Sch. 2. (6) Sic Naug. Edd. recentt. = *tua soror mirif.* Iu. = *tua mirif. soror* L. (7) ∞ *avocavit* Cd. Car. Steph. (8) Haec *cuius - solebant* primus inseruit Victorius. — om. Cdd. tantum non omnes; etiam O6x. Iu. Corrupte habet Erfurt. (9) ∞ *lucum* Gulielmii suspic. (10) Sic e Cdd. Grut. Graev. 3. W. B. Sch. — *omnia* Cdd. aliq. Iu. L. Ern. 1. (11) ∞ *nominis regem* L. (12) — *per ius* O1x. (13) — *alterum semper, alterum tum p. r.* Ursini €. — *sed alter est rex, iudicio senatus per nos, non pecunia per te appellatus;* vel: *pecunia per te alter appellatus; quem* (vel: *hunc*) *putabo r.* Gar. suspicc. — *sed alter est r. iudicio senatus per nos appellatus; alterum p. r.* Sch. susp.

congruebat cum iudicio senatus, ut ipse rex esset, non [1] repudiavit: quod Pessinuntem per scelus a te violatum, et sacerdote sacrisque spoliatum, recuperavit, ut in pristina religione [2] servaret: quod caerimonias, ab omni vetustate acceptas, a Brogitaro pollui non sinit, mavultque generum suum munere tuo, quam illud fanum antiquitate religionis carere. Sed, ut ad haec haruspicum responsa redeam, ex quibus est primum de ludis: quis est, qui id non totum in istius ludos praedictum et responsum esse fateatur?

30. Sequitur de locis sacris religiosis. XIV. O impudentiam miram! de mea domo dicere audes? Committe vel consulibus, vel senatui, vel collegio pontificum tuam. Ac mea quidem his tribus omnibus iudiciis, ut dixi antea, liberata est [3]. At in iis aedibus, quas tu, Q. Scio, equite Romano, viro optimo, per te apertissime interfecto, tenes, sacellum dico fuisse et aras. Tabulis hoc censorum, memoria multorum firmabo ac docebo: 31. agatur modo haec res, (quod [4] ex eo senatus consulto, quod nuper est factum, referri ad vos necesse est:) habeo, quae de locis religiosis velim dicere: quum de domo tua dixero, in qua tamen ita est inaedificatum sacellum, ut alius fecerit, tibi tantummodo sit demoliendum: tum videbo, num mihi necesse sit de aliis etiam aliquid dicere. Putant enim nonnulli ad me pertinere, armamentarium [5] Telluris aperire: nuper id patuisse dicunt [6], et ego recordor: nunc sanctissimam partem ac sedem maximae religionis privato dicunt vestibulo contineri. Multa me movent: quod aedes Telluris est curationis meae; quod is, qui illud armamentarium sustulit, meam domum pontificum iudicio liberatam, secundum fratrem suum iudicatam [7] esse dicebat; movet me etiam in hac caritate annonae, sterilitate agrorum, inopia frugum, religio Telluris, et eo magis, quod eodem ostento Telluri postulatio [8] deberi dicitur. 32. Vetera fortasse loquimur: quamquam hoc si minus civili iure perscriptum est, lege tamen naturae, communi iure gentium sancitum [9] est, ut nihil mortales a diis immortalibus usu capere possint. XV. Verumtamen antiqua negligimus: etiamne ea negligemus, quae fiunt quum maxime [10]? quae videmus? L. Pisonem, quis nescit, his ipsis temporibus, maximum et sanctissimum Dianae sacellum in Caeliculo [11] sustulisse? adsunt vicini eius loci: multi sunt etiam in hoc ordine, qui sacrificia gentilitia [12], illo ipso in sacello, statuto [13] loco, anniversarii [14] facitarint. Et conquirimus [15], dii immortales quae loca desiderent, quid significent,

([1]) *non* del. censebat I. F. Gronov. prob. Ern. Sed vide Gar. et W. ([2]) — *ut pristinam religionem* Nonnulli ap. Lamb. — *ut pristinas religiones* Graevii suspic. ([3]) ∞ *his omnibus tribus periculis liberata est* Iu. Est tamen correctio, Iannoctii fortasse vel Puccii, sentientis, quam inepta sit Cdd. lectio. (— *libera* Cdd. aliq.) ([4]) — *quam* Ern. susp. ([5]) — *agmentarium* vel *magmentarium* Mss. in margine Lambinianae meae. ([6]) — om. *dicunt* Erfurt. prob. Graev. ([7]) ∞ *indicatum* Cdd. multi. Iu. ([8]) — *postulo* vel *postillo* Cdd. aliq. In quo latet ∞ *postulio*, quod placebat etiam Wolfio: eoque ducunt seqq. *vetera - - antiqua*. ([9]) ∞ *sanctum* Margo 1581. ([10]) Sic e Cdd. Grut. Edd. seqq. — om. *quum* Cdd. pleriq. Iu. — *nunc maxime* Car. Steph. L. ([11]) Sic Cdd. Edd. pleraeq. ∞ *Caeliolo* de Graevii, Gar. et W. sententia Sch. 2. ([12]) — *gentilia* Ed. 1581. Grut. Graev. 3. ([13]) ∞ *stato* Iu. (prob. Ern. Gar. W.) Sch. 2. (— *statuto anni tempore* Ed. Mediol. e gloss.) ([14]) Sic Cdd. Edd. vett. Iu. Grut. Graev. 3. Ern. 1. B. ∞ *anniversaria* L. W. Sch. 2. ([15]) — *quaerimus* Mss. in marg. Lambinianae meae.

de quo loquantur? A Sex. Serrano sanctissima sacella suffossa, [incensa][1] inaedificata, oppressa, summa denique turpitudine esse foedata nescimus? 33. Tu meam domum religiosam facere potuisti? Ecqua[2] mente? quam amiseras[3]. Qua manu? qua disturbaras. Qua voce? qua incendi iusseras. Qua lege? quam ne in illa quidem impunitate tua scripseras. Quo pulvinari? quod stupraras. Quo simulacro? quod ereptum ex meretricis sepulcro in imperatoris monumento collocaras. Quid habet mea domus religiosi, nisi quod impuri et sacrilegi parietem tangit? Itaque, ne quis meorum imprudens introspicere possit tuam domum, ac te sacra illa tua facientem videre, tollam altius tectum: non ut ego te despiciam, sed ne tu adspicias urbem eam, quam delere voluisti.

XVI. 34. Sed iam haruspicum reliqua responsa videamus. ORATORES CONTRA IVS FASQVE INTERFECTOS. Quid est hoc? de Alexandrinis esse video[4] sermonem: quem ego non refuto. Sic enim sentio, ius legatorum, quum hominum praesidio munitum sit, tum etiam divino iure esse vallatum. Sed quaero ab illo, qui omnes indices[5] tribunus e carcere in forum effudit, cuius arbitrio sicae omnes nunc atque omnia venena tractantur, qui cum Hermarcho[6] Chio syngraphas fecit: ecquid sciat, unum acerrimum adversarium Hermarchi, Theodosium, legatum ad senatum a civitate libera missum, sica percussum? quod non minus, quam de Alexandrinis, indignum diis immortalibus esse visum, certo scio. 35. Nec confero nunc in te unum omnia. Spes maior esset salutis, si, praeter te, nemo esset impurus; plures sunt: hoc et tu tibi confidis magis, et nos prope iure diffidimus. Quis Platorem ex Orestide, quae pars Macedoniae libera est, hominem in illis locis clarum ac nobilem, legatum Thessalonicam ad nostrum (ut se ipse appellavit) imperatorem venisse nescit? quem ille, propter pecuniam, quam ab eo extorquere non poterat, in vincula coniecit, et medicum intromisit suum, qui legato, socio, amico, libero foedissime et crudelissime venas incideret. Secures suas cruentari scelere noluit: nomen quidem populi Romani tanto scelere contaminavit, ut id nulla re possit, nisi ipsius supplicio, expiari. Quales hunc carnifices putamus habere, qui etiam medicis suis non ad salutem, sed ad necem utatur?

XVII. 36. Sed recitemus, quid sequatur[7]. FIDEM ET IVSIVRANDVM NEGLECTVM. Hoc quid sit, per se ipsum non facile interpretor: sed ex eo, quod sequitur, suspicor de tuorum iudicum manifesto periurio dici: quibus olim erepti essent nummi, nisi a senatu praesidium postulassent. Quare autem de his dici suspicer, haec causa est, quod sic statuo, et illud in hac civitate esse maxime illustre atque insigne periurium, et te ipsum tamen in periurii poenam ab iis, quibuscum coniurasti, non vocari.

---

(1) ∞ *incensa* om. Cdd. aliq. Del. Ern. 1. B. Sch. 2. Retinuit W. Nos []. (2) — *Et qua* Cdd. aliq. — *At qua* L. (3) — *qua invaseras* Iu. al. (4) = *video esse* Iu. L. (5) Sic Ern. C. Lall. W. B. Sch. 2. sed videtur vocabulum pro re nimis leve. — *iudices* Cdd. Iu. ∞ *audaces* L. (6) Sic cum Goerenzio *de Finib.* 2, 30. Sch. 2. Cfr. *de Nat. Deor.* 1. §. 93. — *Hermacho* et mox *Hermachi* Ceteri. (7) — *quod sequitur* L. (— *sequitur* habet Olx.)

37. Et video, in haruspicum responsis haec esse subiuncta[1], SACRIFICIA VETVSTA OCCVLTAQVE MINVS DILIGENTER FACTA, POLLVTAQVE. Haruspices haec loquuntur, an patrii Penatesque dii? Multi enim sunt, credo, in quos huius maleficii suspicio cadat. Quis praeter hunc unum? Obscure dicitur, quae sacra polluta sint? Quid planius, quid gravius, quid religiosius dici potest? VETVSTA OCCVLTAQVE. Nego ulla verba Lentulum, gravem oratorem ac disertum, saepius, quum te accusaret, usurpasse, quam haec, quae nunc ex Etruscis libris in te conversa atque interpretata dicuntur. Etenim quod sacrificium tam vetustum[2] est, quam hoc, quod a regibus aequale huic urbi[3] accepimus? quod autem tam occultum, quam id, quod non solum curiosos oculos excludit, sed etiam errantes? quo non modo improbitas, sed ne imprudentia quidem possit intrare? quod quidem sacrificium nemo nisi P. Clodius[4] omni[5] memoria violavit, nemo unquam adiit, nemo neglexit, nemo vir adspicere non horruit: quod fit per virgines Vestales, fit pro populo Romano, fit in ea domo, quae est in imperio[6], fit incredibili caerimonia, fit ei deae, cuius ne nomen quidem viros scire fas est: quam iste ideirco Bonam dicit, quod in tanto sibi scelere ignoverit. XVIII. Non ignovit, mihi crede, non. Nisi forte tibi[7] ignotum putas, quod te iudices emiserunt[8] excussum et exhaustum: suo iudicio, absolutum; omnium, condemnatum: aut quod oculos, ut opinio illius religionis est, non perdidisti. 38. Quis enim ante te sacra illa vir sciens viderat, ut quisquam poenam, quae sequeretur illud scelus, scire posset? An tibi luminis obesset caecitas plus, quam libidinis? ne id quidem sentis, conniventes illos oculos abavi tui, magis optandos fuisse, quam hos flagrantes sororis[9]? Tibi vero, si diligenter attenderis, intelliges hominum poenas deesse adhuc, non deorum. Homines te in re foedissima defenderunt: homines turpissimum nocentissimumque laudarunt: homines prope confitentem [propter pecuniam] iudicio liberaverunt[10]: hominibus iniuria tui stupri illata in ipsos dolori non fuit: homines tibi arma, alii in me[11], alii post in illum invictum civem dederunt: hominum beneficia prorsus concedo tibi; ac maiora[12] non esse quaerenda. 39. A diis quidem immortalibus quae potest homini maior esse poena, furore atque dementia? nisi forte in tragoediis, quos vulnere ac dolore corporis cruciari et consumi vides[13], graviores deorum immortalium iras subire, quam illos, qui furentes

---

([1]) ∞ *subiecta* Erfurt. prob. Graev. et Gar. ([2]) — *vetus* Edd. vett. — *verum* Cd. Barberin. Iu. ([3]) ∞ *huius urbis* Cdd. aliq. Iu. ([4]) Sic Cdd. pleriq. Iu. W. B. — *nemo ante P. Clodium* L. Grut. Graev. 3. Ern. 1. Sch. 2. ([5]) — *in omni* Ed. 1584. Grut. ([6]) — *domo, in qua est imperium* L. misertus inepti scriptoris. ([7]) — om. *tibi* Cdd. aliq. prob. Gar. ([8]) ∞ *dimiserunt* Iu. Graev. 3. W. ([9]) — *quam os fragrantis sororis* Iu. al. ([10]) — *homines propter pecuniam iudicio lib.* Iu. — *homines prope confitentem propter pecuniam iud. lib.* L. Ern. 1. Sch. 2. B. Hic *propter pec.* [], quum desit in multis Mss. ∞ *propter pec.* del. Graev. 3. W. — *homines confitentem iud. lib.* Grut. ∞ *liberarunt* L. ([11]) Haec *alii in me* desunt in Ed. 1584. non item in Ed. 1566. ([12]) — *hominum in te beneficia concedo tibi prorsus esse maxima, et maiora* L. ([13]) Sic Iu. L. = *cruciari ac consumi vides* Ed. 1584. Graev. 3. W. = *cruciari vides et consumi* Grut. Ern. 1. Sch. 2. — *cruciari vides ac consumi* B.

inducuntur, putas. Non sunt illi ciulatus et gemitus Philoctetae tam miseri, (quamquam sunt acerbi) quam illa exsultatio Athamantis, et quam somnium[1] matricidarum. Tu, quum furiales in concionibus voces mittis, quum domos civium evertis, quum lapidibus optimos viros foro pellis, quum ardentes faces in vicinorum tecta iactas, quum aedes sacras inflammas, quum servos concitas, quum sacra ludosque conturbas, quum uxorem sororemque non discernis, quum, quod incas cubile, non sentis, quum baccharis, quum furis: tum das eas poenas, quae solae sunt[2] hominum sceleri a diis immortalibus constitutae. Nam corporis quidem nostri infirmitas multos subit casus per se, denique ipsum corpus tenuissima saepe de causa[3] conficitur: deorum tela in impiorum mentibus figuntur. Quare miserior es, quum in omnem fraudem raperis oculis, quam si omnino oculos non haberes[4].

XIX. 40. Sed, quoniam de iis omnibus, quae haruspices commissa esse dicunt, satis est dictum, videamus, quid iidem[5] haruspices a diis iam immortalibus dicant moneri. Monent[6]: NE PER OPTIMATIVM DISCORDIAM DISSENSIONEMQVE, PATRIBVS PRINCIPIBVSQVE CAEDES, PERICVLAQVE CRESCANT, AVXILIOQVE DEMINVTI[7] DEFICIANTVR, QVA RE AD VNVM IMPERIVM PROVINCIAE[8] REDEANT, EXERCITVSQVE PVLSVS, DEMINVTIOQVE ACCEDAT[9]. Haruspicum verba sunt haec omnia: nihil addo de meo. Quis igitur hanc optimatium discordiam molitur? Idem iste: nec ulla vi ingenii aut consilii sui, sed quodam errore nostro: quem quidem ille, quod obscurus non erat, facile perspexit. Hoc enim etiam turpius afflictatur res publica, quod ne ab eo quidem vexatur, ut, tamquam fortis in pugna vir, acceptis a forti adversario vulneribus adversis et honestis cadere videatur[10]. 41. Ti. Gracchus convellit[11] statum civitatis: qua gravitate vir! qua eloquentia! qua dignitate! nihil ut a patris avique Africani praestabili insignique virtute, praeterquam quod a senatu desciverat, deflexisset. Secutus est C. Gracchus: quo ingenio! quanta vi! quanta gravitate dicendi! ut dolerent boni omnes, non illa tanta ornamenta ad meliorem mentem voluntatemque esse conversa. Ipse L. Saturninus ita fuit effrenatus et paene demens, ut auctor esset egregius, et ad animos imperitorum excitandos inflammandosque perfectus. Nam quid ego de P. Sulpicio loquar? cuius tanta in dicendo gravitas, tanta iucunditas, tanta brevitas fuit, ut posset, vel ut prudentes errarent, vel ut boni minus bene sentirent, perficere dicendo. Cum his conflictari, et pro salute patriae quotidie dimicare,

---

(1) ∞ *senium* Cdd. aliq. etiam Erfurt. impense prob. Garat. etiam *ad Milonian.* p. 91. Bon. — *et quam somnia matricidae* Graevii suspic. — *et* ante v. *quam* om. L. (2) — *quae sunt solae* Ed. 1584. (3) — *de causa saepe* L. (4) — *habueris* Cdd. aliq. (5) — *nos iidem* L. (6) Male om. *Monent* L. Grut. Ern. 1. (7) Sic Graev. 3. W. B. Sch. 2. ∞ *diminuti* et *diminutio* Ceteri. (8) — *pecuniae* Cdd. aliq. Edd. vett. Iu. Vide ne locus corruptus emendandus sit e §. 54. ubi idem sic effertur: *ne in unius imperium res recidat.* (9) — *auxiliisque diminutis efficiatur, qua re ad unius imperium res redeat, exercitusque pulsus ad diminutionem accedat.* L. (10) Sic Cdd. aliq. etiam Erf. Naug. C. Steph. L. — *et honestis* del. Grut. Ern. 1. ∞ *honeste* Gryph. Ursini Cd. (videtur tamen C.) Graev. 3. W. B. Sch. 2. — *homines* Cdd. pleriq. Edd. vett. Iu. quae praeterea cum Cdd. aliq. — *cedere videantur.* (11) — *convertit* Ed. 1584.

erat omnino illis, qui tum rem publicam gubernabant, molestum: sed habebat ea molestia quamdam tamen dignitatem. XX. 42. Hic vero, de quo ego ipse tam multa nunc dico, pro dii immortales! quid est? quid valet? quid affert, ut tanta civitas, si cadet, (quod dii omen obruant[1]!) a viro tamen confecta videatur? qui post patris mortem, primam illam aetatulam suam ad scurrarum locupletium libidines detulit: quorum intemperantia expleta, in domesticis est germanitatis stupris volutatus[2]: deinde iam robustus, provinciae se ac rei militari dedit, atque ibi piratarum contumelias perpessus, etiam Cilicum libidines Barbarorumque satiavit: post, exercitu L. Luculli sollicitato, per nefandum scelus, fugit illinc, Romaeque, recenti adventu suo, cum propinquis suis decidit, ne[3] reos faceret: a Catilina pecuniam accepit, ut turpissime praevaricaretur. Inde cum Murena se in Galliam contulit: in qua provincia mortuorum testamenta conscripsit, pupillos necavit, nefarias cum multis scelerum pactiones societatesque conflavit; unde ut rediit, quaestum illum maxime fecundum uberemque, campestrem, totum ad se ita redegit, ut homo popularis fraudaret improbissime populum, idemque vir clemens divisores omnium tribuum domi ipse suae crudelissima morte mactaret. 43. Exorta est illa, rei publicae, sacris, religionibus, auctoritati vestrae, iudiciis publicis funesta quaestura: in qua idem iste deos hominesque, pudorem, pudicitiam, senatus auctoritatem, ius, fas, leges, iudicia, violavit. Atque hic ei gradus (o misera tempora, stultasque nostras discordias!) P. Clodio gradus ad rem publicam, hic primus est aditus[4] ad popularem iactationem atque adscensus. Nam Ti. Graccho invidia Numantini foederis, cui feriendo, quaestor C. Mancini consulis quum esset, interfuerat, et in eo foedere improbando senatus severitas, dolori et timori fuit: istaque res illum, fortem[5] et clarum virum, a gravitate patrum desciscere coëgit. C. autem Gracchum mors fraterna, pietas, dolor, magnitudo animi, ad expetendas domestici sanguinis poenas excitavit. Saturninum, quod[6] in annonae caritate quaestorem a sua frumentaria procuratione senatus amovit, eique rei M. Scaurum praefecit, scimus, dolore factum esse popularem. Sulpicium ab optima causa profectum, Caioque Iulio[7], consulatum contra leges petenti, resistentem, longius, quam voluit, popularis aura provexit. XXI. 44. Fuit in his omnibus causa, etsi non iusta, (nulla enim potest cuiquam male de re publica merendi iusta esse causa,) gravis tamen, et cum aliquo animi [et] virili[8] dolore coniuncta. P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis[9], purpureisque fasciolis, a strophio, a psalterio[10], a flagitio, a stupro, est factus

---

(1) — *avertant* Cld. (2) — *in domesticis germanisque stupris est vol.* L. suspicio non recepta. (3) — *ut* Ed. 1483. (4) — *gradus ad r. p. hic primus* (*primum* male Sch. 2.) *fuit; hic primus aditus* L. (prob. Gar. et W.) Sch. 2. ∞ *gradus ad r. p. hic primus et aditus* cet. Beieri €. sane melior. *Fragm. oratt.* p. 264. (5) ∞ *itaque illum fortem* Cdd. aliq. prob. Gar. (6) — *quod eum* Man. suspic. (7) — *Thuscio* Iu. al. (8) — *et iuris* Iu. *et* del. censebat Camerar. Recte; quocirca nos [ ]. (9) — *stolis* Lambini suspic. non recepta. (10) Sic Gryph. Ern. 1. Edd. seqq. — *a psaltrio* Iu. L. Grut. Graev. 3.

repente popularis. Nisi eum mulieres exornatum ita[1] deprehendissent, nisi ex eo loco, quo eum adire fas non erat[2], ancillarum beneficio emissus esset, populari homine populus Romanus, res publica cive tali[3] careret. Hanc ob amentiam, in discordiis nostris, de quibus ipsis his prodigiis recentibus, a diis immortalibus admonemur, arreptus est unus ex patriciis, cui tribuno plebis fieri non[4] liceret. 45. Quod anno ante frater Metellus, et concors etiam tum senatus, principe Cn. Pompeio sententiam dicente[5], excluserat[6], acerrimeque una voce ac mente restiterat: id post dissidium optimatium, de quo ipso nunc monemur, ita perturbatum, itaque permutatum est, ut, quod frater consul, ne fieret, obstiterat, quod affinis et sodalis, vir clarissimus[7], qui illum reum non laudarat, excluserat[8]: id is consul efficeret in discordiis principum, qui illi unus inimicissimus esse debuerat, et eo fecisse auctore se diceret, cuius auctoritatis neminem posset poenitere[9]. Iniecta est fax foeda ac luctuosa rei publicae; petita est auctoritas vestra, gravitas amplissimorum ordinum, consensio bonorum omnium, totus denique civitatis status. Haec enim certe petebantur[10], quum in me, cognitorem harum omnium rerum, illa flamma illorum temporum coniiciebatur. Excepi, et pro patria solus exarsi[11]: sic tamen, ut vos, iisdem ignibus circumsaepti, me primum ictum pro vobis et fumantem videretis. XXII. 46. Non sedabantur[12] discordiae: sed etiam crescebat in eos odium, a quibus nos defendi[13] putabamur. Ecce, iisdem auctoribus, Pompeio principe, qui cupientem Italiam, populum Romanum desiderantem, flagitantes vos[14], non auctoritate sua solum, sed etiam precibus ad meam salutem excitavit, restituti sumus. Sit discordiarum finis aliquando: a diuturnis dissensionibus conquiescamus. Non sinit eadem ista labes: eas habet[15] conciones, ea miscet ac turbat[16], ut se modo his, modo vendat illis[17]: nec tamen ita, ut se quisquam, si ab isto laudatus sit, laudatiorem putet; sed ut eos, quos non amant, ab eodem gaudeant vituperari. Atque ego hunc non miror. Quid enim faciat aliud? Illos homines[18] sapientissimos gravissimosque miror: primum, quod quemquam clarum hominem, atque optime de re publica meritum[19], impurissimi voce hominis violari facile patiuntur: deinde quod existimant, perditi hominis profligatique maledictis posse, id quod

---

(1) = *ita exorn.* L. (2) ∞ *fuerat* Iu. al. prob. Gar. (3) In marg. 1584. Lambino tribuitur: = *cive tali res p.* (4) — *non* Er. 1. prob. Gar. []. (5) Sic de Man. C. Ern. 1. Edd. seqq. — *principi* - - *dicenti.* Cdd. Iu. L. Grut. Graev. 3. (6) — *excusserat* L. Ipse postea improbavit. (7) = *clariss. vir* Iu. L. (8) — *excusserat* iterum L. (9) = *poenitere posset* L. (10) — *petebatur* Grut. Graev. errore typogr. (11) — *arsi* Ern. susp. (12) — *Non modo non sed.* L. (13) Sic Cdd. plerique. Edd. vett. Iu. (nisi quod *nos* om.) Graev. 3. Ern. 1. Edd. seqq. — *defensi* Cdd. aliq. Naug. L. Grut. (14) — *flag. vos, Po. Ro. desid.* L. (15) Sic Naug. L. Grut. Graev. 3. Ern. 1. W. Sch. 2. — *ea habet* Cdd. aliq. Man. B. sed propter sequens *ea* toletari nequit. — *ea facit* Cdd. pleriq. Iu. (16) ∞ *ea turbat* Ed. Wald. Iu. Graev. 3. (17) Sic L. e Cld. Oliv. Male ordinem immutarunt Ern. 1. W. B. Sch. 2. *ut se modo vendat his, modo illis.* — *ut modo vendat illis* Grut. — *ut sese vendat illis* Iu. — *ut modo se venditet illis* Graev. 3. (om. *his.*) (18) ∞ *viros* e Cld. Sch. 2. (19) Sic e Cdd. Ern. 1. W. B. Sch. 2. — *saepe meritum.* Iu. L. (— *quemquam* et *saepe* del. Graev. 3. cum Cdd. aliq.)

minime conducit ipsis, cuiusquam gloriam dignitatemque violari: postremo, quod[1] non sentiunt id, quod tamen mihi iam suspicari videntur, illius furentes ac volaticos impetus[2] in se ipsos posse converti. 47. Atque ex hac nimia nonnullorum alienatione a quibusdam haerent ea tela[3] in re publica, quae quamdiu haerebant in uno me[4], graviter equidem, sed aliquanto levius ferebam. An iste, nisi primo se dedisset[5] iis, quorum animos a vestra auctoritate seiunctos esse arbitrabatur[6]: nisi eos in caelum suis laudibus praeclarus auctor extolleret: nisi exercitum C. Caesaris, (in quo fallebat[7], sed eum nemo redarguebat,) nisi eum, inquam, exercitum signis infestis in curiam se immissurum minitaretur: nisi Cn. Pompeio adiutore, M. Crasso auctore, quae faciebat, facere clamaret: nisi consules causam coniunxisse secum, in quo uno non mentiebatur, confirmaret, tam crudelis mei, tam sceleratus rei publicae vexator esse potuisset? XXIII. 48. Idem, postea quam respirare vos a metu caedis, emergere auctoritatem vestram e fluctibus illius[8] servitutis, reviviscere memoriam ac desiderium mei vidit, vobis se coepit subito fallacissime venditare. Tum leges Iulias contra auspicia latas, et hic, et in concionibus dicere; in quibus legibus inerat curiata illa lex[9], quae totum eius tribunatum continebat; quam caecus amentia non videbat: produceb fortissimum virum, M. Bibulum: quaerebat ex eo, C. Caesare leges ferente, de caelo semperne servasset? semper se ille servasse dicebat. Augures interrogabat, quae ita lata essent, rectene lata essent? illi vitio lata esse dicebant. Ferebant in oculis hominem quidam boni viri, et de me optime meriti: sed illius, ut ego arbitror, furoris ignari. Longius processit: in ipsum Cn. Pompeium, auctorem, ut praedicare est[10] solitus, consiliorum suorum, invehi coepit. Inibat gratiam a nonnullis. 49. Tum vero elatus spe, posse se, quo modo[11] togatum domestici belli exstinctorem nefario scelere foedasset, illum etiam, illum externorum bellorum hostiumque victorem, affligere: tum est illa in templo Castoris scelerata et paene deletrix huius imperii sica deprehensa; tum ille, cui nulla hostium diutius urbs unquam fuit clausa[12], qui omnes angustias, omnes altitudines, omnium obiecta tela, semper[13] vi et virtute perfregit, obsessus est ipse[14] domi, meque nonnulla imperitorum vituperatione timiditatis meae, consilio et facto suo liberavit. Nam, si Cn. Pompeio,

---

([1]) Hoc *quod* excidit ex Ern. 1. ([2]) Sic cum Cdd. Hervag. Graev. 3. W. B. Sch. 2. — *illius furentes ac violentos* L. — *illius furentis ac volatici impetus* Ern. 1. e vestigiis Cdd. ([3]) Sic de Man. C. (*a quibusdam* e Cdd. aliq. et recepit iam W.) prob. Gar. Beck. Sch. 2. — *alienatione, et quibusdam haerentia tela* Grut. Graev. 3. Ern. 1. — *ex hac a me nimia alien. et quorundam occultis odiis haerent etiam tela in rep.* L. ([4]) — *me* excidit ex Ern. 1. ([5]) ∞ *dedidisset* Man. L. W. ([6]) Sic de Man. C. Steph. L. Grut. Ern. 1. Edd. seqq. — *arbitrabamur* Cdd. Iu. Graev. 3. ([7]) Sic Cdd. Iu. Grut. Edd. seqq. — *fallebat multos* Naug. L. ([8]) Sic Cdd. aliq. Iu. Graev. 3. Ern. 1. W. B. — *illis* L. Grut. ([9]) — *lex* Ern. 1. []. ([10]) — *erat* Ern. suspic. ([11]) Sic ex Erfurt. Graev. 3. B. Sch. 2. (nisi quod hic negligenter retinuit *quoniam*) — *Tum vero est ratus, se posse, quoniam* Cdd. pleriq. Iu. L. Grut. Ern. 1. W. ([12]) = *cui nulla urbs hostium diutius unquam clausa fuit* L. ([13]) — *omnes altitudines montium obiectas, semper* L. ([14]) = *ipse est* L.

viro uni omnium fortissimo, quicunque nati sunt, miserum[1] magis fuit, quam turpe, quamdiu ille tribunus plebis fuit, lucem non adspicere, carere publico, minas eius perferre; quum in concionibus diceret, velle se in Carinis aedificare alteram porticum, quae Palatio responderet: certe mihi exire domo mea, ad privatum dolorem fuit luctuosum, ad rationem rei publicae gloriosum. XXIV. 50. Videtis igitur, hominem per se ipsum iampridem afflictum ac iacentem, perniciosis optimatium discordiis excitari: cuius initia furoris, dissensionibus eorum, qui tum a vobis seiuncti videbantur, sustentata sunt. Reliqua iam praecipitantis tribunatus, etiam post tribunatum, obtrectatores eorum atque adversarii defenderunt: ne a re publica rei publicae pestis removeretur, restiterunt: etiam, ne causam diceret: etiam, ne privatus esset. Etiamne in sinu atque in deliciis quidam optimi viri viperam illam venenatam ac pestiferam habere potuerunt? quo tandem decepti munere? Volo, inquiunt[2], esse, qui in concione detrahat de Pompeio. Detrahat ille vituperando? Velim sic hoc vir summus atque optime de mea salute meritus accipiat, ut a me dicitur: dicam quidem certe, quod sentio. Mihi, medius fidius, tum de illius amplissima dignitate detrahere, quum illum maximis[3] laudibus efferebat, videbatur. 51. Utrum tandem C. Marius splendidior, quum eum C. Glaucia laudabat, an quum eundem iratus postea vituperabat? an ille demens, et iampridem ad poenam exitiumque praeceps, foedior atque inquinatior in Cn. Pompeio accusando, quam in universo senatu vituperando fuit? Quod quidem miror, quum alterum gratum sit iratis, alterum esse tam bonis civibus non acerbum. Sed, ne id viros optimos diutius delectet, legant hanc eius concionem, de qua loquor; in qua Pompeium ornat, an potius deformat? Certe laudat, et unum esse in hac civitate dignum huius imperii gloria[4] dicit: et significat, se illi amicissimum esse[5], et reconciliationem esse gratiae factam. 52. Quod ego quamquam, quid sit, nescio: tamen hoc statuo, hunc, si[6] amicus esset Pompeio, laudaturum illum non fuisse. Quid enim, si illi inimicissimus esset, amplius ad eius laudem minuendam facere potuisset? Videant ii, qui illum Cn. Pompeio inimicum esse gaudebant, ob eamque causam in tot tantisque sceleribus connivebant, et nonnunquam eius indomitos atque effrenatos furores plausu etiam suo prosequebantur, quam se cito inverterit. Nunc enim iam laudat illum: in eos invehitur, quibus se antea venditabat. Quid existimatis, cum, si reditus ei gratiae[7] patuerit, esse facturum, qui tam libenter in opinionem gratiae irrepat? XXV. 53. Quas ego alias optimatium discordias a diis immortalibus definiri putem? nam hoc quidem verbo neque P. Clodius, neque quisquam de gregalibus eius, aut de consiliariis designatur. Habent Etrusci libri certa nomina, quae in id genus civium cadere possunt. DETERIORES, REPVLSOS, quod iam

(1) Sic de Man. €. L. Edd. seqq. — *miserrimum* Cdd. Iu. (2) ∞ *inquit* L. (3) Sic e Cdd. W. B. Sch. 2. — om. *illum* Ceteri. — *efferre videbatur* e Cdd. Graev. 3. — *detraheret, ornatior quam quum illum max. laud. efferret, videbatur* Iu. (4) *gloria* habet Erfurt. Omitt. Cdd. multi. Edd. vett. ante Naug. v. c. Iu. (5) = *esse amic.* L. (6) — *hunc sic, si* Graevii suspic. prob. Ern. (7) — *ei in gratiam* L. e €.

audietis [1], hos appellant, quorum et mentes et res sunt perditae, longeque a communi salute disiunctae. Quare, quum dii immortales monent de optimatium discordiis [2], de clarissimorum et optime meritorum civium dissensione praedicunt: quum principibus periculum caedemque portendunt, in tuto collocant Clodium, qui tantum abest a principibus, quantum a puris, quantum a religiosis. 54. Vobis, o clarissimi atque optimi cives, et vestrae saluti consulendum et prospiciendum vident. Caedes principum ostenditur: id, quod interitum optimatium sequi necesse est, adiungitur: ne [3] in unius imperium res recidat [4], admonemur [5]. Ad quem metum si deorum monitis non duceremur, tamen ipsi nostro sensu coniecturaque raperemur. Neque enim ullus alius discordiarum solet esse exitus inter claros et potentes viros, nisi aut universus interitus, aut victoris dominatus, aut regnum. Dissensit cum Mario, clarissimo cive, consul nobilissimus et fortissimus, L. Sulla. Horum uterque ita cecidit victus, ut victor idem regnaverit. Cum Octavio collega Cinna dissedit [6]: utrique horum secunda fortuna regnum est largita, adversa mortem. Idem iterum Sulla superavit: tum sine dubio habuit regalem potestatem, quamquam rem publicam recuperavit [7]. 55. Inest hoc tempore haud obscurum odium, atque id insitum penitus, et inustum animis hominum amplissimorum: dissident principes: captatur occasio. Qui non tantum opibus valent, nescio quam fortunam tamen ac tempus exspectant: qui sine controversia plus possunt, hi [8] fortasse nonnunquam consilia ac sententias inimicorum suorum extimescunt. Tollatur haec e civitate discordia: iam omnes isti, qui portendantur metus, exstinguentur: iam ista serpens, quae tum hic delitescit, tum se emergit et fertur illuc [9], compressa atque illisa [10] morietur. XXVI. Monent enim [11] iidem, NE OCCVLTIS CONSILIIS RES PVBLICA LAEDATVR. Quae sunt occultiora, quam eius, qui in concione ausus est dicere, iustitium edici oportere, iurisdictionem intermitti, claudi aerarium, iudicia tolli? nisi forte existimatis, hanc tantam colluvionem illi [12], tantamque eversionem civitatis, in mentem subito in Rostris nec cogitanti venire potuisse. Est quidem ille [13] plenus vini, stupri, somni, plenusque inconsideratissimae ac dementissimae temeritatis; verumtamen nocturnis vigiliis, etiam [14] coitione hominum, iustitium illud concoctum [15] ac meditatum est. Mementote, Patres conscripti, verbo illo nefario tentatas aures vestras [16], et perniciosam viam, audiendi consuetudine, esse munitam.

---

(1) Sic Cdd. Graev. 3. Ern. 1. Edd. seqq. — *quos* Car. Steph. L. Grut. (— *quod iam aud.* Ern. [].) (2) ∞ *discordia* Cdd. aliq. Naug. (3) Sic e Cdd. Ern. 1. Edd. seqq. — *adiungitur; etiam ne* Iu. L. Grut. — *adiungitur etiam; ne* Graev. 3. (4) — *decidat* Cdd. aliq. Iu. (5) — *monemur* L. (6) Sic e Cdd. Car. Steph. L. Ern. 1. W. B. Sch. 2. — *dissensit* Cdd. aliq. Iu. Grut. Graev. 3. Mox *utrisque* Iu. Grut. (7) — *recuperarit* L. (8) ∞ *et* L. — *ii* Cld. (9) — *huc et illuc* L. (— *et effert illico* Graevii suspic. cfr. Oudendorp. *ad Appul.* T. 1. p. 12.) (10) ∞ *elisa* de Graevii sententia Ern. 1. (11) ∞ *etiam* Gar. suspic. *eidem* scripsit L. cum Cdd. aliq. (12) = *illi coll.* L. (13) = *ille quidem* L. (14) — *et* Cdd. aliq. (15) Sic e Cdd. Graev. 3. Edd. seqq. — *conceptum* Cdd. aliq. Iu. L. Grut. (16) Sic etiam L. 1566. In m. 158.. ei tribuitur = *vestras aures tent.*

56. Sequitur illud, NE DETERIORIBVS REPVLSISQVE HONOS AVGEATVR. Repulsos videamus: nam deteriores qui sint, post docebo. Sed tamen in eum cadere hoc verbum maxime, qui sit unus omnium mortalium sine ulla dubitatione deterrimus, concedendum est. Qui sunt igitur repulsi? non, ut opinor, ii, qui aliquando honorem, vitio civitatis, non suo, non sunt assecuti. Nam id quidem multis saepe optimis civibus atque honestissimis viris accidit. Repulsi sunt ii, quos ad omnia progredientes, quos munera contra leges gladiatoria parantes, quos apertissime largientes, non solum alieni, sed etiam sui, vicini, tribules, urbani, rustici repulerunt. Hi ne honore augeantur, monemur. Debet esse gratum, quod praedicunt: sed tamen huic malo populus Romanus ipse, nullo haruspicum admonitu[1], sua sponte prospexit. 57. Deteriores cavete: quorum quidem magna est natio: sed tamen eorum omnium hic dux est atque princeps. Etenim, si unum hominem deterrimum poëta praestanti aliquis ingenio fictis conquisitisque vitiis deformatum vellet inducere: nullum profecto dedecus reperire posset, quod in hoc non inesset; multaque in eo penitus defixa atque haerentia praeteriret. XXVII. Parentibus, et diis immortalibus, et patriae nos primum natura conciliat; eodem enim tempore et suscipimur in lucem[2], et hoc caelesti spiritu augemur, et certam in sedem civitatis ac libertatis adscribimur. Iste parentum nomen, sacra, memoriam, gentem, Fonteiano nomine obruit: deorum ignes, solia, mensas[3], abditos ac penetrales focos, occulta, et maribus non invisa solum, sed etiam inaudita sacra, inexpiabili scelere pervertit: idemque earum templum inflammavit dearum, quarum ope etiam aliis incendiis subvenitur. 58. Quid de patria loquar? qui primum eum civem vi, ferro, periculis[4], urbe, omnibus patriae praesidiis depulit, quem vos patriae conservatorem esse saepissime iudicaveratis[5], deinde everso senatus, ut ego semper dixi, comite, duce, ut ille dicebat[6], senatum ipsum, principem salutis mentisque publicae, vi, caede, incendiisque pervertit: sustulit duas leges, Aeliam, et Fufiam[7], maxime rei publicae salutares: censuram exstinxit: intercessionem removit[8]: auspicia delevit: consules, sceleris sui socios, aerario, provinciis, exercitu armavit: reges, qui erant, vendidit; qui non erant, appellavit: Cn. Pompeium vi, ferro, domum compulit: imperatorum monumenta evertit: inimicorum domos disturbavit: vestris monumentis nomen suum inscripsit. Infinita sunt scelera, quae ab illo in patriam sunt edita. Quid? quae in singulos cives, quos necavit? socios, quos diripuit? imperatores, quos prodidit? exercitus, quos tentavit? 59. Quid vero? ea, quanta sunt, quae in se ipsum[9] scelera, quae in suos edidit? quis minus unquam pepercit hostium castris, quam ille[10] omnibus corporis sui partibus? quae navis unquam

---

(1) — *monitu* L. (2) Sic etiam L. 1566. In m. 1584. ei tribuitur = *in lucem suscip.* (3) Sic e Cdd. Graev. 3. Ern. 1. W. B. Sch. 2. — *sollemnes mensas* Cdd. aliq. Iu. L. Grut. (4) — *terriculis* Gulielmii susp. (5) — *indicaveritis* Cdd. aliq. Iu. non improb. Gar. (6) Sic etiam L. 1566. = *ut ille dicebat*, *duce* Lambino tribuitur in m. 1584. (7) *Fusiam* Iu. (8) — *emovit* L. (9) Sic Iu L. W. B. = *in ipsum se* Grut. Graev. 3. Ern. 1. Sch. 2. (10) — *iste* Lamb. suspic. non recepta, prob. Gar.

in flumine publico tam vulgata omnibus, quam istius aetas fuit? quis unquam nepos tam libere est cum scortis, quam hic cum sororibus volutatus? quam denique tam immanem Charybdim poëtae fingendo exprimere potuerunt, quae tantos exhaurire gurgites posset, quantas iste Byzantiorum Brogitarorumque praedas exsorbuit? aut tam eminentibus [1] canibus Scyllam, tamque ieiunis, quam, quibus istum videtis, Gelliis, Clodiis, Titiis, Rostra ipsa mandentem [2]?

60. Quare, id quod extremum est in haruspicum responsis, providete, NE REI PVBLICAE STATVS COMMVTETVR. Etenim vix haec, si undique fulciamus, iam labefacta [3], vix, inquam, innixa [4] in omnium nostrum humeris cohaerebunt. XXVIII. Fuit quondam ita firma haec civitas, et valens, ut negligentiam senatus, vel etiam iniurias civium ferre posset. Iam non potest. Aerarium nullum est: vectigalibus non fruuntur, qui redemerunt: auctoritas principum cecidit: consensus ordinum est divulsus: iudicia perierunt: suffragia descripta [5] tenentur a paucis: bonorum animus, ad nutum nostri ordinis expeditus iam non erit: civem, qui se pro patriae salute opponat invidiae, frustra posthac requiretis. 61. Quare hunc statum, qui nunc est, qualiscunque est, nulla alia re, nisi concordia, retinere possumus: nam, ut meliore simus loco, ne optandum quidem est, illo impunito: deteriore autem statu ut simus, unus est inferior gradus, aut interitus, aut servitutis. Quo ne trudamur, dii immortales nos admonent, quoniam iampridem humana consilia ceciderunt. Atque ego hanc orationem [6], Patres conscripti, tam tristem, tam gravem non suscepissem, non, quin hanc personam [7], et has partes honoribus [8] populi Romani, vestris plurimis ornamentis mihi tributis deberem, et possem sustinere: sed tamen [9] facile, tacentibus ceteris, reticuissem: sed haec oratio omnis fuit non auctoritatis meae, sed publicae religionis. Mea [10] fuerunt verba fortasse plura: sententiae quidem omnes haruspicum; ad quos aut referri nuntiata ostenta non convenit, aut eorum responsis commoveri necesse est. 62. Quod si cetera magis pervulgata nos saepe et leviora moverunt, vox ipsa deorum immortalium non mentes omnium permovebit? Nolite enim id putare accidere posse, quod in fabulis saepe videtis fieri, ut deus aliquis delapsus caelo [11], coetus hominum adeat, versetur in terris, cum hominibus colloquatur. Cogitate genus sonitus eius, quem Latinienses [12] nuntiarunt: recordamini illud etiam, quod nondum est relatum, quod eodem fere tempore factus in agro Piceno Potentiae nuntiatur terrae motus horribilis, cum

---

([1]) — *imminentibus* Marclandi suspic. ([2]) — *lambentem* Graevii suspic. ([3]) ∞ *labefactata* O1x. cfr. §. 6. ([4]) — *nixa* O7x. ([5]) Sic e Cdd. Grut. Edd. seqq. — *discripta* Cdd. aliq. — *districta* Cdd. aliq. Iu. L. ([6]) — *actionem* Ursini Cd. suspectissimus. ([7]) Sic e Cdd. (etiam Erfurt.) L. B. Sch. 2. — *non, inquam, nisi hanc personam* Ceteri. ([8]) — om. *honoribus* Cdd. aliq. prob. Ern. — *honoribus po. Ro.* Graevio gloss. videbantur v. *vestris ornamentis*. ([9]) — *sed quia facile t. c. reticuissem*, volebat, non tamen edidit L. ([10]) — om. *mea* Cdd. aliq. prob. Graev. ([11]) Sic ex Erfurt. B. Sch. 2. = *delapsus de caelo* L. — *delapsus e caelo* Grut. Graev. 3. W. — *lapsus de caelo* Ern. 1. — *elapsus e caelo* Cdd. aliq. Iu. ([12]) ∞ *Lavinienses* Iu. cfr. §. 20.

quibusdam multis metuendisque rebus: haec eadem profecto, quae futura [1] prospicimus, impendentia pertimescetis. 63. Etenim haec deorum immortalium vox, haec paene oratio iudicanda est, quum ipse mundus, quum aër atque terra [2], motu quodam novo contremiscunt, et inusitato aliquid sono, incredibilique praedicunt. In quo constituendae nobis quidem sunt procurationes, et obsecratio [3], quemadmodum monemur. Sed faciles sunt preces apud eos, qui ultro nobis viam salutis ostendunt: nostrae nobis sunt inter nos irae discordiaeque placandae.

([1]) — om. *futura* Cdd. haud pauci. Beck. [ ]. Del. Sch. 2. ([2]) Sic de Carot. €. W. B. Sch. 2. — *aër atque terrae* e Cld. Grut. Graev. 5. Ern. 1. — *agri terrae motu q. n.* Iu. L. ([3]) ∞ *obsecrationes* O2x. L. — *observationes* Schotti €.

M. TULLII CICERONIS

QUAE

VULGO FERTUR ORATIO

PRO

M. MARCELLO.

(Ex recensione potissimum Wolfiana, cum integra varietate Lambiniana (L.), Graeviana (Graev. 3.), Ernestiana (Ern. 1.), Wolfiana (W.), et Schuetziana (Sch. 2.) habita praeterea ratione varietatis Graevianae, Codicum Oxoniensium, Iuntae, Cratandri, Weiskii, Moebii, aliorum. — Schuetzius Wolfianam recensionem ne inspexisse quidem videtur.)

I. 1. Diuturni silentii, Patres conscripti, quo eram his temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia[1], finem hodiernus dies attulit: idemque initium, quae vellem, quaeque sentirem, meo pristino more dicendi. Tantam[2] enim mansuetudinem, tam inusitatam, inauditamque clementiam, tantum, in summa potestate, rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam ac paene divinam, tacitus nullo modo praeterire[3] possum. 2. M. enim Marcello vobis[4], Patres conscripti, reique publicae reddito, non solum illius[5], sed meam etiam vocem et auctoritatem, et vobis, et rei publicae

(1) Haec *non timore - - verecundia*, sine ulla causa Weiskius, acerrimus huius orationis adversus Wolfium, Spaldingium, Beckium, Schuetzium, facundos sane et callidos accusatores, immo vero sat idoneos iudices, defensor, suspecta habuit, et []. Certissimum mihi Marcellianae (non Marcellinae, ut volebat Weiskius; vide Spalding.) *ποιήσεως* argumentum id semper visum est, quod quae *κατὰ τὸν λογικὸν τόπον* spectata in ea maxime nugatoria, insulsa, absurda, ridicula ac perversa essent censenda, ea ipsa eiusdem declamatiunculae, Caesaris Augusti, ut opinor, primis temporibus, in umbra obscurae alicuius scholae non sine laudabili studio elaboratae, admiratores ac vindices mirifici ultro damnarent, uncinisque includerent; cuiusmodi iudicia animi causa passim notavi. Quibus ubi accesserint admirabiles illae, nec tamen hominum sensui communi repugnantes Patricii hariolationes, (v. Wolf. p. 19.) minus etiam dubitationis remanebit, Tullione, an declamatori tribuenda sit. Illud quoque memoria dignum, quod Hispanus Andresius in *Storia d'ogni letteratura* Tom. VII. p. 330. diu ante Wolfium pronuntiavit: *Io osservo, che nell' orazione per Marcello - - può forse incolparsi talvolta l'eloquente Tullio di propendere alquanto a sottili concetti* ecc. (2) — *Tandem* Grut. errore typogr. ut *etiam* pro *eram* versu primo Graev. 3. (3) = *praeterire nullo modo* L. (4) ∞ *nobis* Cdd. aliq. (5) ∞ *illum solum* Olx. = *solum illum* Seebode. Rectius quidem ad sententiam; sed est tamen e correctione.

conservatam ac restitutam puto. Dolebam enim, Patres conscripti, et [1] vehementer angebar, quum viderem [2], virum talem, quum in eadem causa, in qua ego, fuisset [3], non in eadem esse fortuna: nec mihi persuadere poteram [4], nec fas esse ducebam, versari me in nostro [5] veteri curriculo, illo aemulo atque imitatore studiorum ac laborum meorum, quasi quodam socio a me et comite distracto. Ergo et mihi meae [6] pristinae vitae consuetudinem, C. Caesar, interclusam [7] aperuisti, et his omnibus ad bene de omni re publica sperandum, quasi signum aliquod sustulisti. 3. Intellectum est enim, mihi quidem in multis, et maxime in me ipso, sed paullo ante omnibus [8], quum M. Marcellum senatui reique publicae [9] concessisti, commemoratis praesertim offensionibus [10], te auctoritatem huius ordinis, dignitatemque rei publicae tuis vel doloribus vel suspicionibus anteferre. Ille quidem fructum omnis ante actae aetatis [11] hodierno die maximum cepit, quum summo consensu senatus, tum praeterea [12] iudicio tuo gravissimo et maximo. Ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio sit laus, quum in accepto tanta sit gloria. Est vero [13] fortunatus ille, cuius ex salute non minor paene ad omnes, quam ad illum [14] ventura sit, laetitia pervenerit: 4. quod ei quidem [15] merito, atque optimo iure contigit. Quis enim est illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut ullo genere laudis praestantior?

II. Nullius tantum est flumen ingenii, nulla [16] dicendi aut scribendi tanta vis, tanta [17] copia, quae non dicam exornare, sed enarrare, C. Caesar, res tuas gestas possit. Tamen affirmo [18]: et hoc

---

([1]) ∞ *ac* Crat. L. ([2]) ∞ om. *quum viderem* O2x. ut volebat Faërnus et Graev. ([3]) e tot h. l. lectionibus haec Oxon. T. et alior. ap. Graev. optima tandem mihi visa est. ∞ *qui in eadem causa, in qua ego, fuisset* Crat. L. Weisk. — *qui in eadem causa esset, in qua ego fuissem* Iu. Graev. 3. W. Sed nulla etiamtunc erat Pompeii causa. — *talem, in eadem causa, in qua ego fuissem* Ern. 1. Sch. 2. Pessime. — *talem, tum in eadem causa, in qua ego fuissem* Grut. — *qui in eadem causa, in qua ego fuissem* Moeb. (— *qui quum in* O2x. cet.) ([4]) ∞ Haec *nec m. p. poteram* displicuerunt Faërno. v. Wolf. ([5]) Sic pauci Cdd. Priscian. p. 715. *Putsch.* p. 275. *Krehl.* (qui insuper cum Franc. Mss. habet ∞ *vetere.*) Scholiastes Ambros. Graev. 3. Ern. 1. 2. W. — *vestro* Cdd. pleriq. Iu. Crat. L. ([6]) Sic Crat. L. W. Weiske. — *et meae* Cdd. multi. Iu. Graev. 3. Ern. 1. 2. ([7]) — *consuetum, C. Caesar, iter interclusum* Seebode C. Moeb. Acheron scil. ubique movendus erat, ut e rhetore Tullius fieret; neque tamen duplex istud participium sine iunctura Ciceronianum puto. ([8]) ∞ *sed maxime in me ipso, et paullo* cet. Moeb. Fortasse e Seebodii, cuius editionem non vidi, C. ([9]) Sic Oxonn. pleriq. Iu. Crat. W. ac praetuli propter ipsum sequens *dignitatemque rei publicae:* ∞ *senatui populoque Romano* O1x. Graev. 3. Ern. 1. 2. Weiske. ∞ Utrumque coniungit Lamb. *senatui populoque Ro. et rei publicae*, ut est C. XI. ([10]) — *praesertim etiam off.* Cdd. aliq. Iu. Crat. L. ([11]) Sic Erfurt. a m. sec. Franc. prim. Graev. 3. W. ∞ *ante actae vitae* Iu. Crat. L. Moeb. — *vitae ante actae* e Cdd. Grut. Ern. 1. 2. *vitae* sane gloss. videtur. ([12]) — *praecipue* Weiskii suspic. ([13]) — *vere* O3x. Iu. Crat. — *enim* O1x. — *ideo* O1x. — *ille* om. Cdd. aliq. non vero Lamb. (1566.) ut aiunt Grut. Graev. ([14]) Sic Cdd. Iu. Cr. L. Graev. 3. — *ipsum* Ern. C. 1. W. Sch. 2. „nimis polite" Wolf. Recte. ([15]) ∞ *quod quidem ei* Erfurt. Iu. prob. Faërno. ([16]) Sic Cdd. aliq. Cr. L. W. ∞ *nullius* Iu. Ern. 1. 2. Weiske. ∞ *nulli* Cdd. multi. Graev. 3. ([17]) Sic e Cdd. Grut. Graev. 3. 1. 2. W. ∞ *tantaque* Cdd. aliq. Iu. Crat. L. Seebode. ([18]) ∞ *tamen hoc aff.* Cdd. multi. Iu. Cr. L. Mox Pith. ∞ *ut pace dicam tua.*

pace dicam tua: nullam in his esse laudem ampliorem, quam eam, quam hodierno die [1] consecutus es. 5. Soleo saepe ante oculos ponere, idque [2] libenter crebris usurpare sermonibus: omnes nostrorum imperatorum, omnes exterarum gentium, potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum regum [3] res gestas cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero proeliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri; nec vero disiunctissimas terras citius cuiusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus, sed victoriis, lustratae sunt [4]. 6. Quae quidem ego nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cuiusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim: sed tamen sunt alia maiora. Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum multis [5], ne propriae sint imperatorum. Et certe in armis, militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus, multum iuvant: maximam vero partem, quasi suo iure fortuna sibi vindicat, et, quidquid est prospere gestum, id paene omne ducit suum. 7. At vero huius gloriae, C. Caesar, quam es paullo ante adeptus, socium habes neminem: totum hoc, quantumcunque est, quod certe maximum est, totum est, inquam [6], tuum. Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil praefectus, nihil cohors, nihil turma decerpit; quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina, Fortuna, in istius se societatem gloriae non offert [7]: tibi concedit [8], tuam esse [9] totam et propriam fatetur. Nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur. III. 8. Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: sed tamen ea vicisti, quae naturam [10] et conditionem, ut vinci possent [11], habebant. Nulla est enim tanta vis [12], quae non ferro ac viribus debilitari frangique possit [13]. Animum [14] vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute praestantem, non modo extollere [15] iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem: haec qui faciat [16], non ego cum [17] cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico. 9. Itaque, C. Caesar, bellicae tuae laudes celebrabuntur illae quidem non solum nostris, sed paene omnium gentium literis atque linguis, neque ulla unquam aetas de tuis laudibus conticesset: sed tamen eiusmodi res, nescio quomodo, etiam quum

---

([1]) — *ampl. ea, quam h. d.* Ern. suspic. prob. Weiske. ([2]) — *atque* Patricii susp. — *idemque* Weiskii susp. Mox *ceterarum* W. err. typ. ([3]) Sic Cr. Graev. 3. 1. 2. W. = *reg. clariss.* Iu. L. ([4]) Sic Cdd. aliq. Graev. 3. 1. 2. W. — *illustratae* Iu. Cr. L. (— *sint* Ern. E. 1.) ([5]) ∞ *militibus* Iu. L. sicque iterum coniecit Nodell. qui h. l. e Nepotis *Thrasybul.* C. 1. expressum opinabatur. ([6]) = *inquam, est* Iu. L. ([7]) — *affert* O1x. — *infert* Patricii susp. prob. Weiske. ∞ *gloriae se non offert* L. ([8]) Sic O3x. Faërnus, elegantius quam — *cedit* in Edd. omnibus. ([9]) — *tuam se esse* e Cdd. aliq. Graev. 3. W. Male, v. Ern. ([10]) Sic cum Cdd. aliq. Ern. 1. 2. W. ∞ *et nat.* Iu. Cr. L. Graev. 3. ([11]) Sic Cr. L. Graev. 3. W. — *ut vinci vi possent* Ed. Waldarf. Iu. Ern. 1. 2. v. Spalding. Fuitne: *vinci ut possent?* ([12]) — *tanta vis, tanta copia* Cdd. aliq. Iu. Cr. L. ([13]) = *quae f. ac v. d. f. non possit* L. ([14]) Sic Erfurt. Graev. 3. 1. 2. W. ∞ *Verum animum* O1x. Iu. Cr. L. — *Sed an.* O2x. — *At an.* Lactant. 1. 9. Weiske. Seebode. improbante Gocrenzio *Acadd.* p. 154. ([15]) — *attollere* Patricii susp. ([16]) — *facit* O3x. Graev. 3. ([17]) ∞ *non modo ego eum* Lactant.

leguntur[1], obstrepi[2] clamore militum videntur, et tubarum sono: at vero quum aliquid clementer, mansuete, iuste, moderate, sapienter factum, in iracundia praesertim, quae est inimica consilio, et in victoria, quae natura insolens et superba est, [aut[3]] audimus, aut legimus: quo[4] studio incendimur, non modo in gestis[5] rebus, sed etiam in fictis, ut eos saepe, quos nunquam vidimus, diligamus[6]! 10. Te vero, quem praesentem intuemur, cuius mentem sensusque et os[7] cernimus, ut, quidquid belli fortuna reliquum rei publicae fecerit, id esse salvum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua benevolentia complectemur? Parictes, medius fidius[8], ut mihi videtur[9], huius curiae tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his maiorum suorum et suis sedibus. IV. Equidem quum C. Marcelli, viri optimi, et commemorabili pietate[10] praediti lacrymas modo vobiscum viderem[11], omnium Marcellorum meum pectus memoria offudit[12]: quibus tu etiam mortuis, M. Marcello conservato, dignitatem suam reddidisti, nobilissimamque familiam, iam ad paucos redactam, paene ab interitu vindicasti. 11. Hunc tu igitur diem tuis maximis et innumerabilibus gratulationibus iure antepones. Haec enim res unius est propria C. Caesaris[13]: ceterae duce te gestae, magnae illae quidem, sed tamen multo magnoque[14] comitatu. Huius autem rei tu idem et dux es, et comes[15]: quae quidem tanta est, ut tropaeis monumentisque tuis allatura finem sit aetas[16]: (nihil enim est opere[17] aut manu factum, quod aliquando non conficiat et consumat vetustas:) 12. at haec[18] tua iustitia et lenitas animi florescet quotidie magis, ita ut, quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus[19]. Et ceteros quidem omnes victores bellorum civilium iam ante aequitate et misericordia viceras: hodierno vero die te ipsum vicisti.

---

(1) Sic e Cdd. Grut. Graev. 3. 1. 2. W. — *etiam dum leg.* Cr. — *etiam dum audiuntur, aut dum leg.* Iu. L. (2) — *obstrepere* O1x. Iu. — *obstrepit clamor et tub. soni* O1x. — *obrui* Nescio quis ap. Wolf. (3) Hoc *aut* del. O3x. W. Weiske. Nos [ ]. (4) — *eo* L. (5) — *certis* O2x. — *veris* O2x. e gloss. (6) ∞ *quodammodo dilig.* O3x. (7) ∞ *sensusque eos* de Faërni €. Weiske. sed vide Ern. Wolf. et Spalding. (8) Sic cum Cdd. (O7x.) Graev. 3. Ern. 1. 2. W. ∞ *C. Caesar, mediusf.* Iu. = *mediusf. C. Caesar* Cr. L. Moeb. (9) ∞ *videntur* e C2d. Ern. 1. 2. Sequentia cum Manutio manca censet Weiske. Nempe defensionem non recipiebant. Sic mox in *vobiscum* idem vindex offendit. (10) ∞ *pietate ac virtute* O1x. Iu. Cr. L. (11) — *videbam* Ern. suspic. (12) Sic e bonis Cdd. Grut. Graev. 3. 1. 2. W. — *effodit* Pleriq. Iu. Cr. — *perfodit* L. — *obtudit* Seebode €. (13) Male Grut. Ern 1. 2. omittunt praenomen. — v. *magnae illae* siae causa suspecta erant Ern. (14) ∞ *maximoque* Dresd. Francii prim. O3x. W. Moeb. Mihi tamen videtur correctio. (15) — *es et dux et comes* Crat. Grut. — pro *idem* Crat. *ipse.*) (16) Sic Graev. 3. 1. 2. W. — *ut ei nulla sicut tropaeis m. t. finem all. sit aetas* Iu. — *ut nulla sicut tr. m. t. allatura sit finem aetas* Crat. — *ut tr. m. t. non nulla unquam allatura sit finem aetas* L. (17) — *opera* L. (18) Sic Cdd. boni. L. Graev. 3. W. ∞ *at vero haec* Iu. Cr. Ern. 1. 2. (19) ∞ *ita quantum - - afferet* Oxonn. aliq. Vitiosa haec omnia esse fatetur etiam Weiske. Hugius quidem, illustris huius declamatiunculae defensor, stribliginem istam sic extricare tentabat, non tamen emendavit: *quae quidem tanta est, quum tropaeis monumentisque tuis allatura finem sit aetas - - - - at haec tua iustitia et lenitas animi florescat quotidie* (∞ *indies* Iu.) *magis, atque ut q. o. t. d. d., tantum afferat laudibus.*

Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu possit[1], atque ego ipse[2] cogitans sentio: ipsam victoriam vicisse videris, quum ea[3], quae illa erat adepta, victis remisisti. Nam quum ipsius victoriae conditione iure[4] omnes victi occidissemus, clementiae tuae iudicio conservati sumus. Recte igitur unus invictus es, a quo etiam ipsius victoriae conditio visque devicta est.

V. 13. Atque hoc C. Caesaris iudicium, Patres conscripti, quam late pateat, attendite: omnes enim, qui ad illa arma fato sumus nescio quo rei publicae, misero funestoque compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere certe liberati sumus. Nam quum M. Marcellum, deprecantibus vobis[5], rei publicae conservavit: memet mihi, et item[6] rei publicae, nullo deprecante, reliquos amplissimos viros et sibi ipsis et patriae reddidit: quorum et frequentiam et dignitatem hoc ipso in consessu videtis. Non ille hostes induxit[7] in curiam, sed iudicavit, a plerisque ignoratione potius, et falso atque inani metu, quam cupiditate aut crudelitate bellum[8] esse susceptum. 14. Quo quidem in bello semper de pace audiendum[9] putavi, semperque dolui, non modo pacem, sed orationem etiam civium, pacem flagitantium[10], repudiari. Neque enim ego illa, nec ulla unquam secutus sum arma civilia, semperque mea consilia, pacis et togae socia, non belli atque armorum fuerunt. Hominem sum secutus privato officio, non publico: tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla[11] non modo cupiditate, sed ne spe quidem, prudens et sciens, tamquam ad interitum ruerem voluntarium. 15. Quod quidem meum consilium minime obscurum fuit. Nam et in hoc ordine, integra re, multa de pace dixi, et in ipso bello eadem etiam cum capitis mei periculo sensi. Ex quo iam[12] nemo erit tam iniustus rerum existimator[13], qui dubitet, quae Caesaris[14] voluntas de bello[15] fuerit, quum pacis auctores conservandos statim censuerit, ceteris fuerit iratior. Atque id minus mirum fortasse tum[16], quum esset incertus exitus, et anceps fortuna belli: qui vero victor pacis auctores diligit, is profecto declarat, se maluisse non dimicare, quam vincere. VI. 16. Atque huius quidem rei M. Marcello sum testis. Nostri enim sensus, ut in pace semper[17], sic tum etiam in bello congruebant. Quoties ego cum, et quanto cum

---

(1) Sic Cdd. aliq. Asconius in *Divinat. Caecil. C.* 6. L. Graev. 3. W. (— *non perinde* ex ignoratione verae constructionis v. *vereor*, *ut*, Iu. Crat.) Hinc: — — *vereor*, *ne h. q. d. non perinde* Cdd. pauci. Edd. vett. Ern. 1. Sch. 2. ∞ *auditum* Patricii C. prob. Weiske et Spalding. (2) Sic Cdd. pleriq. Ascon. Crat. L. W. — omitt. *ego* Graev. 3. 1. 2. (— *ego ipsa* Iu.) (3) Sic Cdd. Crat. Graev. 3. 1. 2. W. — *ea ipsa* L. Grut. (— *quum ea illa quae ipsa adepta* Iu.) (4) ∞ *conditione et iure* Patricii C. prob. Weiske. Recepit Moeb. — *iure* om. Cdd. aliq. (5) — *nobis* Olx. L. (6) — *iterum* ex Erfurt. Graev. 3. 1. 2. (7) = *induxit hostes* L. (8) Sic Cdd. pleriq. Graev. 3. 1. 2. W. — *cr. civile bellum* Iu. Cr. L. Grut. (9) Sic Cdd. aliq. Graev. 3. 1. 2. W. — *agendum* Olx. prob. Weiske. ∞ *agendum audiendumque* Iu. Crat. L. Moeb. (10) Sic Cdd. multi. — *effiag.* Iu. Crat. L. Paullo ante: = *etiam orat.* Erfurt. L. Mox idem: *sum secutus.* ∞ *socia* del. censebant Faërn. Patric. (11) — *ulla* prava Ern. susp. (12) — om. *iam* Iu. Cr. L. (13) Sic Cdd. aliq. L. 3. 1. 2. W. — *aestimator* Iu. Crat. Grut. (14) — *Caesari* Olx. Iu. (15) Sic Crat. 3. 1. 2. W. = *de bello voluntas* Iu. L. (16) Sic e Cdd. Grut. Graev. 3. 1. 2. W. — *id minus mirum videretur* (habent hoc verb. Oxonn. aliq.) *fortasse tum* Iu. Cr. L. (17) = *semper ut in p.* L.

dolore vidi, quum insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsius victoriae ferocitatem extimescentem! Quo gratior tua liberalitas, C. Caesar, nobis, qui illa vidimus, debet esse. Non enim iam causae sunt inter se, sed victoriae comparandae. 17. Vidimus tuam victoriam procliorum exitu terminatam: gladium vagina vacuum in urbe non vidimus. Quos amisimus cives, eos Martis vis[1] perculit, non ira victoriae; ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Caesar ab inferis excitaret; quoniam[2] ex eadem acie conservat, quos potest. Alterius vero partis, nihil amplius dicam, quam, id quod omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam. 18. Quidam enim non modo armatis, sed interdum etiam otiosis minabantur: nec, quid quisque sensisset, sed ubi fuisset, cogitandum esse dicebant: ut mihi quidem videantur dii immortales, etiam si poenas a populo Romano ob aliquod delictum expetiverunt[3], qui civile bellum tantum et tam luctuosum excitaverunt[4], vel placati iam, vel satiati[5] aliquando, omnem spem salutis ad clementiam victoris et sapientiam contulisse.

19. Quare gaude tuo isto[6] tam excellenti bono: et fruere quum fortuna et gloria, tum etiam natura et moribus tuis; ex quo quidem maximus est fructus iucunditasque sapienti. Cetera quum tua recordabere, etsi persaepe virtuti, tamen plerumque felicitati tuae gratulabere[7]: de nobis, quos in re publica tecum simul salvos esse voluisti[8], quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de singulari sapientia tua cogitabis: quae non modo summa bona, sed nimirum audebo vel sola dicere. Tantus est enim splendor in laude vera[9], tanta in magnitudine animi et consilii dignitas, ut haec a virtute donata, cetera a fortuna commodata esse videantur. 20. Noli igitur in conservandis bonis viris defatigari, non cupiditate praesertim aut pravitate aliqua[10] lapsis, sed opinione officii, stulta fortasse, certe non improba, et specie quadam rei publicae. Non enim[11] tua ulla culpa est, si te aliqui timuerunt: contraque summa laus, quod plerique minime timendum fuisse senserunt.

VII. 21. Nunc vero venio[12] ad gravissimam querelam et atrocissimam suspicionem tuam: quae non tibi ipsi magis, quam quum omnibus civibus, tum maxime nobis, qui a te conservati sumus, providenda est: quam etsi spero esse falsam, nunquam tamen verbis extenuabo[13]. Tua enim cautio, nostra cautio est: ut, si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis timidus, quam parum prudens. Sed quisnam est iste tam demens? De tuisne? tametsi, qui magis sunt tui,

(1) = *vis Martis* Dresd. L. (2) ∞ *quando* L. Mox *dico* C2d. (3) ∞ *expetiverint* Iu. Ern. 1. 2. (4) ∞ *excitaverint* Cd. Faerni. Ern. 1. 2. (*expetiverunt - - excitaverint* praeferebat Weiske.) (5) Sic cum Cdd. Graev. 3. 1. 2. W. — *vel etiam sat.* Iu. Cr. L. Grut. Moeb. (6) = *isto tuo* L. (7) Sic cum multis Cdd. Iu. Cr. Lamb. Graev. 3. W. Garaton. ad *Plancian.* p. 155. Ed. nostrae. — *congratulabere* Grut. Ern. 1. 2. (8) „Haec fortasse aliquid vitii contraxerunt." Weiske. ∞ *tecum simul* om. Oxonn. aliq. (9) = *Tantus enim est in l. v. splendor* L. (10) — *aliqua* L. posuit post v. *cupiditate* Erf. et Dresd. post v. *praesertim.* (11) „Ego ante haec opinor quaedam excidisse; non enim cum antecedd. cohaerent." Weiske, ut saepe, sua ipse vineta caedens. — *plerique* om. Erf. alii Cdd. (12) ∞ *Nunc venio* Iu. Crat. = *Nunc iam venio* L. Sic hianti orationi varie succurrebant. (13) = *ext. verbis.* L.

quam quibus tu salutem insperantibus reddidisti? an ex eo[1] numero, qui una tecum fuerunt? Non est credibilis tantus in ullo furor, ut, quo duce omnia summa sit adeptus, huius vitam non anteponat suae. An[2], si tui nihil cogitant sceleris, cavendum est, ne quid inimici? Qui? omnes enim, qui fuerunt, aut sua pertinacia vitam amiserunt, aut tua misericordia retinuerunt: ut aut nulli supersint de inimicis, aut, qui superfuerunt[3], sint amicissimi[4]. 22. Sed tamen, quum in animis hominum tantae latebrae sint et tanti recessus, augeamus sane suspicionem tuam: simul enim augebimus diligentiam[5]. Nam quis est omnium tam ignarus rerum, tam rudis in re publica, tam nihil unquam nec de sua, nec de communi salute cogitans, qui non intelligat, tua salute contineri suam? et ex unius tua, vitam[6] pendere omnium? Equidem de te dies noctesque, ut debeo, cogitans, casus dumtaxat humanos, et incertos eventus valetudinis[7], et naturae communis fragilitatem extimesco: doleoque, quum res publica immortalis esse debeat, eam in unius mortalis anima consistere. 23. Si vero ad humanos casus, incertosque eventus valetudinis, sceleris etiam accedat insidiarumque consensio: quem deum, si[8] cupiat, opitulari posse rei publicae credamus? VIII. Omnia sunt excitanda tibi, C. Caesar, uni, quae iacere sentis, belli ipsius impetu, quod necesse fuit[9], perculsa atque prostrata: constituenda iudicia, revocanda fides, comprimendae libidines, propaganda suboles: omnia, quae dilapsa iam fluxerunt[10], severis legibus vincienda sunt. 24. Non fuit recusandum in tanto civili bello, tantoque animorum ardore et armorum, quin quassata[11] res publica, quicunque belli eventus[12] fuisset, multa perderet et ornamenta dignitatis, et praesidia stabilitatis suae: multaque uterque dux faceret armatus, quae idem togatus fieri prohibuisset. Quae quidem nunc[13] tibi omnia belli vulnera curanda[14] sunt: quibus, praeter te, mederi nemo[15] potest. 25. Itaque illam tuam praeclarissimam et sapientissimam vocem invitus audivi: satis te diu vel naturae vixisse[16], vel gloriae. Satis, si ita vis, naturae fortasse[17]; addo[18] etiam, si placet, gloriae: at, quod maximum est, patriae certe parum. Quare omitte, quaeso, istam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam: noli nostro periculo sapiens esse. Saepe enim venit ad aures meas, te idem[19] istud nimis crebro dicere, satis te tibi vixisse. Credo: sed tum id audirem, si tibi soli viveres, aut si

(1) — *ex eone* Weiskii suspic. (2) Sic e Cdd. Grut. seqq. ∞ *At* Iu. Cr. L. (3) — *supersunt* de Lambini et Ern. susp. non recepta, Sch. 2. ∞ *fuerunt* Cdd. aliq. (4) = *amic. sint.* Iu. Cr. L. (5) — *et dil.* Iu. Cr. Grut. (Non habet *et* L.) (6) Sic Lamb. in Ed. altera constitui iusserat locum. W. — *ex unius tui vita vitam* O1x. Iu. — *ex unius tui vitam* Crat. L. 1566. — *ex unius tua vita* Graev. 3. 1. 2. (7) ∞ Haec *et - valetudinis* del. censent Heumann. Weiske. (8) Sic Erf. ∞ *etiam si* Iu. Cr. L. (9) — *quod nec. fuit.* Suspecta haec Weiskio. (10) — *difluxerunt* O1x. L. — *defluxerunt* e Cdd. Graev. 3. Mox *civili* [ ]. Moeb. sed vide §. 29. (11) — *conquassata* O1x. (12) = *eventus belli* L. (13) Sic pleriq. Iu. Cr. L. — *tibi nunc* ex Erfurt. Graev. 3. W. Sch. 2. ∞ del. *nunc* de Lamb. sententia Ern. 1. (14) Sic Cdd. pauci. Manut. L. 1566. Grut. Ern. 1. 2. ∞ *sananda* Cdd. pleriq. Iu. Cr. (prob. Lamb.) Graev. 3. W. Hoc tamen potius videtur gloss. quam illud. (15) = *nemo med.* L. (16) Sic Pleriq. Iu. Crat. L. Grut. W. ∞ *satis diu vel naturae vixi* ex Erf. Graev. 3. Ern. 1. Sch. 2. qui tamen *diu* delevit de Ern. €. (17) = *fortasse naturae* Iu. L. (18) — *addam* O3x. (19) ∞ *item* Weiske €.

tibi etiam soli[1] natus esses; nunc, quum omnium salutem civium cunctamque rem publicam res tuae gestae complexae sint: tantum abes a perfectione maximorum[2] operum, ut fundamenta, quae cogitas, nondum ieceris. Hic tu modum tuae vitae[3] non salute rei publicae, sed aequitate animi definies? Quid? si istud ne gloriae quidem tuae satis est? cuius te esse avidissimum, quamvis sis sapiens, non negabis. 26. Parumne igitur, inquies, gloriam magnam[4] relinquemus? Immo vero aliis, quam vis multis, satis: tibi uni parum. Quidquid enim est, quamvis amplum sit, id certe parum est tum, quum est aliquid amplius. Quod si rerum tuarum immortalium, C. Caesar, hic exitus futurus fuit, ut, devictis adversariis, rem publicam in eo statu relinqueres, in quo nunc est: vide, quaeso, ne tua divina virtus admirationis plus sit habitura, quam gloriae: siquidem gloria est illustris ac pervagata multorum et magnorum, vel in suos cives[5], vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum. IX. 27. Haec igitur tibi reliqua pars est: hic restat actus, in hoc elaborandum est, ut rem publicam constituas, eaque tu in primis composita cum summa[6] tranquillitate et otio perfruare: tum te, si voles, quum et patriae, quod debes, solveris, et naturam ipsam expleveris satietate vivendi, satis diu vixisse dicito. Quid est enim omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum? quod quum venit[7], omnis voluptas praeterita pro nihilo est, quia postea nulla futura est[8]. Quamquam iste tuus animus nunquam his angustiis, quas natura nobis ad vivendum dedit, contentus fuit, semperque immortalitatis amore flagravit. 28. Nec vero haec tua vita dicenda[9] est, quae corpore et spiritu continetur. Illa, inquam, illa[10] vita est tua[11], quae vigebit memoria seculorum omnium[12], quam posteritas alet, quam ipsa aeternitas semper tuebitur[13]. Huic tu inservias, huic te ostentes, oportet: quae quidem, quae miretur, iam pridem multa habet: nunc etiam, quae laudet, exspectat. Obstupescent posteri certe imperia, provincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera[14], triumphos.

([1]) = *etiam tibi s.* L. = *tibi soli etiam* Iu. ([2]) — *tuorum* Margo Crat. ut volebat Ern. — *maximorum opp. quae cogitas, fund.* Patricii suspic. — *maximorum, quae cogitas, opp.* cet. Weiskii suspic. Paullo ante Faërn. Ern. deleri volebant v. *gestae.* Perperam. v. Weiske. ([3]) ∞ *vitae tuae* Iu. Cr. L. ([4]) — *magnam gloriam* Weiske €. Mox Otx. Iu. *relinquimus.* Erf. ∞ *quidquid est enim.* Tum L. = *est parum.* ([5]) Sic Cdd. pleriq. Iu. Cr. L. W. Weiske. Sermo est v. c. de uno pluribusve civibus servatis. — om. *cives* Cdd. pauci. Grut. Graev. 3. 1. 2. (*vel in suos cives* e gloss. videbatur Weiskio.) ([6]) Sic Iu. Ern. 1. 2. W. — om. *composita* Cdd. multi. L. Graev. 3. — om. *cum* Crat. Grut. — *composita cum* om. Erfurt. ([7]) Sic ex Erfurt. Graev. 3. 1. 2. W. ∞ *venerit* Cdd pleriq. Iu. Cr. L. Grut. Eadem plane varietas est in *Catonis mai.* C. 19. quem locum noster declamator imitatus est. ([8]) — *sit* Ald. Crat. L. Grut. ([9]) Sic Cdd. pleriq. Iu. Cr. L. W. Sch. 2. ∞ *ducenda* e Cdd. Grut. Graev. 3. Ern. 1. ([10]) ∞ *Illa, illa, inquam* Manut. €. Patric. Ern. 1. 2. (*Illa, inquam illa, vita* distinxit W.) ([11]) ∞ *tua, Caesar* Iu. Cr. L. ([12]) = *omn. secul.* L. ([13]) Sic Erfurt. alii boni Cdd. Grut. Graev. 3. 1. 2. W. ∞ *intuebitur* Cdd. pleriq. Iu. Cr. L. prob. Spalding. ([14]) Sic Cdd. aliq. Crat. L. Grut. Sch. 2. nihilque omnino habet absurdi haec lectio. ∞ *monumenta innumera* Cdd. aliq. Iu. Graev. 3. Ern. 1. W. Sed *innumerus* quum vocabulum Tullianum non sit, consentaneum est, Tullii imitatorem quoque ab eo sibi cavisse.

audientes et legentes tuos. 29. Sed, nisi haec urbs stabilita tuis consiliis et institutis erit, vagabitur modo nomen tuum longe atque late: sedem quidem[1] stabilem et domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui nascentur, sicut inter nos fuit, magna dissensio, quum alii laudibus ad caelum res tuas gestas efferent, alii fortasse aliquid requirent, idque vel maximum, nisi belli civilis incendium salute patriae restinxeris; ut illud fati fuisse videatur, hoc consilii. Servi igitur iis etiam iudicibus, qui multis post seculis de te iudicabunt, et quidem haud scio, an incorruptius, quam nos: nam et sine amore et sine cupiditate, et rursus sine odio et sine invidia iudicabunt. 30. Id autem etiamsi tunc ad te, ut quidam falso[2] putant, non pertinebit: nunc certe pertinet, esse te talem, ut tuas laudes obscuratura nulla unquam sit oblivio[3]. X. Diversae voluntates civium fuerunt, distractaeque sententiae. Non enim consiliis solum, et studiis, sed armis etiam, et castris dissidebamus. Erat autem obscuritas quaedam[4]: erat certamen inter clarissimos duces: multi dubitabant, quid optimum esset; multi, quid sibi expediret; multi, quid deceret; nonnulli etiam, quid liceret. 31. Perfuncta res publica est hoc misero fatalique bello: vicit is, qui non fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate leniret: nec qui[5] omnes, quibus iratus esset, eosdem etiam exsilio aut morte dignos iudicaret. Arma ab aliis posita, ab aliis[6] erepta sunt. Ingratus est iniustusque civis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum: ut etiam[7] ille sit melior, qui in acie cecidit, qui in causa animam profudit[8]. Quae enim pertinacia quibusdam, eadem aliis constantia videri potest. 32. Sed iam[9] omnis fracta dissensio est armis, et exstincta aequitate victoris: restat, ut omnes unum velint, qui modo habent aliquid non solum sapientiae, sed etiam sanitatis. Nisi te[10], C. Caesar, salvo, et in ista sententia, qua quum antea, tum hodie vel maxime usus es, manente, salvi esse non possumus. Quare omnes te, qui haec salva esse volumus, et hortamur, et obsecramus, ut vitae, ut saluti tuae consulas: omnesque tibi, (ut pro aliis etiam loquar, quod de me ipse sentio,) quoniam subesse aliquid putas, quod cavendum sit, non modo excubias et custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus et corporum pollicemur.

XI. 33. Sed, unde est orsa, in eodem terminetur oratio. Maximas[11] tibi omnes gratias agimus, C. Caesar, maiores[12] etiam habemus. Nam omnes idem sentiunt; quod ex omnium precibus et

---

(1) ∞ om. *quidem* Cdd. aliq. Graev. 3. Mox Egmont. ∞ *equidem haud scio*. (2) — *falso* Weiske [ ]. (3) = *te esse talem* (sic etiam Iu. Cr. sed *esse te talem* Erf. Dresd. 3. 1. 2. W.) *ut laudes tuas nulla unquam oblivio sit obscuratura* L. (4) Excidisse h. l. quaedam opinabatur Weiske v. c. *in causis*. Pro *autem* ∞ *enim* Erf. (5) Sic ex Erfurt. al. Grut. Graev. 3. Ern. 1. ∞ *neque* Cdd. pleriq. Iu. Cr. L. W. Sch. 2. (6) Sic Cdd. omnes, etiam Ambrosiani, Scholiastesque Ambros. — *ab* del. censuerunt Patric. Grut. Graev. (7) Sic Crat. Grut. Graev. 3. 1. 2. W. ∞ *ut iam ille* C2d. Graevii. O4x. Iu. L. = *ille iam ut* O1x. (8) Sic e Cdd. aliq. Grut. Graev. 3. 1. 2. W. — *cecidit, quam qui* Cdd. pleriq. Iu. Cr. L. — *cec. quam qui in c. a. non profudit* Victorii C. (9) — *Sed quia iam* O1x. Iu. Cr. L. (10) — *Quia, nisi te* Iu. Cr. L. (11) ∞ *Sed ut unde - - - terminetur oratio mea: maximas* Cdd. aliq. Iu. (nisi quod haec *oratio mea term.*) Cr. L. (12) ∞ *maiorem* L.

lacrymis sentire potuisti: sed, quia non est stantibus[1] omnibus necesse dicere, a me certe dici[2] volunt, cui necesse est quodam modo, quod volunt; et quod fieri decet, et quod, M. Marcello a te huic ordini, populoque Romano et rei publicae reddito, fieri id intelligo[3]. Nam laetari omnes, non ut de unius solum[4], sed ut de communi omnium salute, sentio: 34. quod autem summae benevolentiae est, quae mea erga illum omnibus semper nota fuit, ut[5] vix C. Marcello, optimo et amantissimo fratri, praeter eum quidem, cederem nemini, quum id sollicitudine, cura, labore tamdiu praestiterim, quamdiu est de illius salute dubitatum, certe hoc[6] tempore, magnis curis, molestiis, doloribus liberatus, praestare debeo. Itaque, C. Caesar, sic tibi gratias ago, ut omnibus me[7] rebus a te non conservato solum, sed etiam ornato, tamen ad tua in me unum innumerabilia[8] merita, quod fieri iam posse non[9] arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit[10].

---

(1) — *astantibus* Iu. — *adstantibus* Crat. (2) = *dici certe* L. (3) Sic difficillimum h. l. e Cdd. fide constitui. Scil. *et* ante v. *quod volunt* om. O2x. *et quod fieri decet* habent optimi Erfurt. Dresd. Pith. O7x. *fieri id intelligo* Dresd. O5x. Sensus est: „cui necesse est quodam modo id quod volunt; tum quod id omnino fieri decet, ut gratiae tibi nunc agantur, tum praecipue, quod M. Marcellus, meus amicus, a te reip. redditus, is est, propter cuius restitutionem tibi gratias ago." — Agnosces in his, spero, nostri declamatoris ingenium et solitum scribendi genus. — Proxime ad Cdd. fidem accedit: *cui nec. est quodam modo, et quod volunt, et quod decet, et quod M. Marc. — reddito, fieri intelligo* Grut. Graev. 3. Weiske. Moeb. Sic etiam Ern. 1. Sch. 2. nisi quod pro v. *fieri* habent *deberi*, e Lambini Mss. ut perhibent. Sed is clare dicit, nullum Cd. habere *deberi*. — *cui n. est qu. et quod volunt, et quod fieri decet, et quod M. M. - - - reddito praecipue a me fieri debere intelligo.* Iu. ex interpolatione Itali alicuius. nam verb. *praecipue a me* et *debere* nullum in Cdd. exstat vestigium. — *cui n. est qu. et quod volunt, et quod M. M. - - - reddito praecipue id a me fieri debere intelligo.* Crat. L. (omissis vv. *et quod fieri decet.*) — *cui n. est qu., et quod volunt, et quod decet, et quod M. M. - - reddito praecipue id a me fieri intelligo* Wolf. sine ulla auctoritate. (4) ∞ om. *solum* Dresd. O3x. ut volebant Pareus *Mant. Lex. crit.* p. 22. Heumann. et Weiske. (5) — *ita ut* Patricii et Ern. susp. (6) — *certe et hoc* Weiske €. (7) = *me omn.* Cdd. boni. Iu. L. — *ut me a te non conservato solum, sed etiam omnibus rebus ornato* Ern. suspic. (8) = *inn. in me unum* L. (9) — *non posse* Weiskii suspic. (10) — *accessit* Weiskii suspicio. Pro *maximus* Dresd. O3x. *magnus.*

M. TULLII CICERONIS
EPISTOLARUM
AD
BRUTUM
LIBER PRIMUS.

(Ex recensione potissimum Ernestiana, passim correcta, cum integra varietate Lambiniana (L.), Middletoniana (Middl.), Ernestiana (Ern. 1.) et Schuetziana (Sch. 2.) habita quoque ratione Iuntinae (Iu.), Cratandrinae (Crat.), Manutii, Tunstalli, varietatis Oxoniensis cet.)

Si quem porro delectat ordo harum epistolarum cum temporibus, quibus singulae scriptae esse Middletonio visae sunt, congruens, is nimirum hic est:

ORDO MIDDLETONII.	ORDO VULGATUS.	ORDO MIDDLETONII.	ORDO VULGATUS.
Epistola 1.	Lib. I. Ep. 1.	Epistola 13.	Lib. I. Ep. 6.
2.	II. 5 et 3.	14.	I. 2.
3.	II. 2.	15.	I. 17.
4.	II. 4.	16.	I. 9.
5.	II. 7.	17.	I. 12.
6.	I. 11.	18.	I. 13.
7.	I. 8.	19.	I. 10.
8.	II. 1.	20.	I. 14.
9.	I. 3.	21.	I. 15.
10.	I. 5.	22.	I. 16.
11.	I. 4.	23.	I. 18.
12.	I. 7.	24.	II. 8.

I. CICERO BRUTO S. D.

L.[1] Clodius, tribunus plebis designatus, valde me diligit, vel, ut ἐμφατικώτερον dicam[2], valde me amat. Quod quum mihi ita persuasum sit, non dubito (bene enim me nosti) quin illum quoque iudices a me amari. Nihil enim mihi minus hominis videtur, quam non respondere in amore iis, a quibus provocere. Is mihi visus est suspicari, nec sine magno quidem dolore, aliquid a suis, vel per suos potius iniquos[3] ad te esse delatum,

(1) — om. praenomen Iu. L. Habet Crat. (2) — om. *dicam* Cdd. aliq. (3) Sic Middl. Ern. 1. 2. e Cdd. — *inimicos* e gloss. Cdd. aliq. Iu. — L. Grut.

quo tuus animus a se esset alienior. Non soleo, mi Brute, (quod tibi notum esse arbitror,) temere affirmare de altero. Est enim periculosum, propter occultas hominum voluntates, multiplicesque naturas. Clodii animum perspectum habeo, cognitum, iudicatum. Multa eius indicia: sed ad scribendum non necessaria. Volo enim hoc testimonium tibi videri potius, quam epistolam. Auctus Antonii beneficio est. Eius ipsius beneficii magna pars a te est. Itaque cum salvis nobis vellet salvum. In eum autem locum rem adductam intelligit, (est enim, ut scis, minime stultus,) ut utrique salvi esse non possint[1]. Itaque nos mavult. De te vero amicissime et loquitur, et sentit. Quare si quis secus ad te de eo scripsit, aut si coram locutus est, peto a te etiam atque etiam, mihi ut potius credas, qui et facilius iudicare possum, quam ille nescio quis, et te plus diligo. Clodium tibi amicissimum existima, civemque talem, qualis et prudentissimus, et fortuna optima esse debet.

II. CICERO BRUTO S.[2]

Scripta et obsignata iam epistola, literae mihi redditae sunt a te, plenae rerum novarum, maximeque mirabilium[3]. Dolabellam quinque cohortes misisse in Cherronesum[4]? Adeone copiis abundat, ut is, qui ex Asia fugere dicebatur, Europam appetere conetur? Quinque autem cohortibus quid se nam[5] facturum arbitratus est, quum tu eo quinque legiones, optimum equitatum, maxima auxilia haberes? quas quidem cohortes spero iam tuas esse, quoniam latro ille tam fuit demens. Tuum[6] consilium vehementer laudo, quod non prius exercitum[7] Apollonia, Dyrrhachioque movisti, quam de Antonii fuga audisti, Bruti eruptione, populi Romani victoria. Itaque, quod scribis, postea statuisse te ducere exercitum in Cherronesum, nec pati, sceleratissimo hosti ludibrio esse imperium populi Romani, facis ex tua dignitate, et e re publica. Quod scribis de seditione, quae facta est in legione quarta, de Antoniis[8], ([quod dicam[9],] in bonam partem accipies,) magis mihi probatur militum severitas, quam tua[10]. Te benevolentiam exercitus equitumque expertum[11], vehementer gaudeo. De Dolabella, ut scribis, si quid habes novi, facies me certiorem: in quo valde delector, me ante providisse, ut tuum iudicium liberum esset cum Dolabella belli gerendi: et id valde pertinuit, ut ego tum intelligebam, ad rem publicam, ut nunc iudico, ad dignitatem tuam. Quod scribis, me maximo otio[12] egisse, ut insectarer Antonios, idque laudas; credo ita videri tibi: sed illam distinctionem tuam nullo pacto probo. Scribis enim, *acrius prohibenda bella civilia esse, quam in superatos iracundiam exercendam.* Vehementer a te, Brute, dissentio: neque[13]

([1]) — *possimus* Ern. susp. ([2]) Hanc epistolam cum praecedente coniunxit L. ([3]) Sic ex Ed. Rom. prob. Man. Ern. 1. 2. ∞ *mirabiles* Iu. L. Tunstall *Observ.* p. 251. — *mirabile:* L. Middl. ([4]) = *Chersonesum* bis Ox. L. ([5]) Sic Iu. 1. 2. idque defendit Tunstall *Observ.* p. 381. = *quidnam se* Crat. L. Middl. ([6]) — *et tuum* Iu. Grut. ([7]) Sic Crat. Middl. 1. 2. ∞ *tuum exerc.* Iu. L. ([8]) Sic Iu. Crat. 1. 2. — *de Catoniis* Margo Crat. ∞ *de C. Antonio* L. Middl. ∞ *deque Antoniis* Tunstall p. 216. ([9]) Habent haec [*quod dicam*] Iu. Crat. L. etiam 1584. — itaque cum [ ] recepi. ∞ om. Margo Crat. Grut. Middl. 1. 2. — *accipias* Iu. ([10]) — *lenitas* excidisse ratus est Ern. ([11]) = *exp. esse* Iu. L. ([12]) Sic Tunstallo *Obs.* p. 31. iam legisse videtur Petrarcha. — *odio* L. — *animo* Man. suspic. prob. Ern. ∞ *meo magno otio* O1x. ([13]) Sic Iu. Cr. L. = *nec* Middl. Ern. 1. 2.

clementiae tuae concedo; sed salutaris severitas vincit inanem speciem clementiae. Quod si clementes esse volumus, nunquam deerunt bella civilia. Sed de hoc tu videris. De me possum idem, quod Plautinus pater in Trinummo:

Mihi quidem aetas acta ferme est: tua istuc refert maxime.

Opprimemini, (mihi crede,) Brute, nisi provideritis[1]. Neque enim populum semper eundem habebitis, neque senatum, neque senati[2] ducem. Haec ex oraculo Apollinis Pythii edita[3] tibi puta. Nihil potest esse verius. XIV[4] Kalend. Maias.

III. M. T. CICERO M. BRUTO S.

Nostrae res meliore loco videbantur. Scripta enim ad te certo scio, quae gesta sunt. Quales tibi saepe scripsi consules, tales exstiterunt. Caesaris vero pueri mirifica indoles virtutis. Utinam tam facile eum florentem et honoribus, et gratia, regere ac tenere possimus, quam facile adhuc tenuimus! Est omnino illud difficilius: sed tamen non diffidimus. Persuasum est enim adolescenti, et maxime per me, eius opera nos esse salvos. Et certe, nisi is Antonium ab urbe avertisset, periissent omnia. Triduo vero, aut quatriduo ante hanc rem pulcherrimam, timore quodam perculsa civitas tota ad te se cum coniugibus et liberis effundebat. Eadem, recreata a. d. XII Kalend. Maias[5], te huc venire, quam se ad te ire malebat. Quo quidem die magnorum meorum laborum multarumque vigiliarum fructum cepi maximum, si modo est aliquis fructus ex solida veraque gloria. Nam tantae multitudinis, quantam capit urbs nostra, concursus est ad me factus. Ea cum usque[6] in Capitolium deductus, maximo[7] clamore atque plausu in rostris collocatus sum. Nihil est in me inane: neque enim debet: sed tamen omnium ordinum consensus, gratiarum actio, gratulatioque, me commovet; propterea quod popularem me[8] esse in populi salute, praeclarum est. Sed haec te malo ab aliis[9]. Me velim de tuis rebus, consiliisque facias diligentissime certiorem: illudque consideres, ne tua liberalitas dissolutior videatur. Sic sentit senatus, sic populus Romanus, nullos unquam hostes digniores omni supplicio fuisse, quam eos cives, qui hoc bello contra patriam arma ceperunt: quos quidem ego omnibus sententiis ulciscor, et persequor, omnibus bonis approbantibus. Tu quid de hac re sentias, tui iudicii est. Ego sic sentio, trium fratrum unam et eandem esse causam. Consules duos, bonos quidem, sed dumtaxat bonos, amisimus. Hirtius quidem in ipsa victoria occidit[10], quum paucis diebus magno proelio ante vicisset. Nam Pansa fugerat, vulneribus acceptis, quae ferre non potuit. Reliquias hostium Brutus persequitur, et Caesar. Hostes autem omnes iudicati, qui M. Antonii sectam secuti sunt. Itaque id senatus consultum

---

(1) — *provideris* L. (2) = *senatus* Iu. Crat. (3) — *Hoc - - dictum* Olx. (4) Sic Iu. Ern. 1. 2. = XII. Olx. alii Cdd. Crat. L. v. Tunstall. p. 217. (5) — *Maii* Iu. Crat. L. (6) Sic Iu. Ern. 1. defenditque Tunstall. *Obs.* p. 381. ita ut *eacum* dictum sit, ut *quacum*, pro *cum ea.* — *ea quum* Crat. Sch. 2. — *ab ea quum usque* L. ut postmodo volebat Ern. addens post *deductus* (— *ductus* Olx.): €. *essem.* (7) — *tum max.* L. €., ut videtur. Middl. (8) ∞ *me* (non *non*, ut ait Sch.) de Gruteri €. del. Sch. 2. (9) Sic e Cdd. Edd. vett. Ern. 1. 2. — add. *audire* Olx. Iu. Crat. L. Grut. (10) — *cecidit* Olx.

plerique interpretantur, etiam ad tuos, sive captivos, sive deditícios pertinere. Equidem nihil disserui durius, quum nominatim de C. Antonio decernerem, quod ita statueram, a te cognoscere causam eius senatum oportere. x Kalend. Maias[1].

IV. BRUTUS CICERONI S.

Quanta sim laetitia affectus, cognitis rebus Bruti nostri, et consulum, facilius est tibi existimare, quam mihi scribere. Quum alia laudo, et gaudeo accidisse, tum quod Bruti eruptio non solum ipsi salutaris fuit, sed etiam maximo ad victoriam adiumento. Quod scribis[2], trium Antoniorum unam atque eandem causam esse, quid[3] ego sentiam, mei iudicii esse; statuo nihil, nisi hoc: Senatus aut populi Romani iudicium esse de iis civibus, qui pugnantes non interierint. At hoc ipsum, inquies, inique facis, qui hostilis animi in rem publicam homines, cives appelles. Immo iustissime. Quod enim nondum senatus censuit, nec populus Romanus inssit, id arroganter non praeiudico, neque revoco ad arbitrium meum. Illud quidem non muto, quod ei, quem me occidere res non coëgit, neque crudeliter quidquam eripui, neque dissolute quidquam remisi: habuique in mea potestate, quoad bellum fuit. Multo quidem[4] honestius iudico, magisque quod concedere possit res publica, miserorum fortunam non insectari, quam infinite[5] tribuere potentibus, quae cupiditatem et arrogantiam incendere possint. Qua in re, Cicero, vir optime ac fortissime, mihique merito, et meo nomine, et rei publicae, carissime, nimis credere videris spei tuae: statimque, ut quisque aliquid recte fecerit, omnia dare ac permittere: quasi non liceat traduci ad mala consilia corruptum largitionibus animum. Quae tua est humanitas, aequo animo te moneri patieris, praesertim de communi salute: facies tamen, quod tibi visum fuerit: etiam ego, quum me docueris. Nunc, Cicero, nunc[6] agendum est, ne frustra, oppressum esse Antonium, gavisi simus, neu semper primi cuiusque mali excidendi causa sit[7], ut aliud renascatur illo peius. Nihil iam neque opinantibus aut patientibus nobis, adversi evenire potest, in quo non quum omnium culpa, tum praecipue tua futura sit: cuius tantam auctoritatem senatus ac populus Romanus non solum esse patitur, sed etiam cupit, quanta maxima in libera civitate unius esse potest: quam tu non solum bene sentiendo, sed etiam prudenter tueri debes. Prudentia porro, quae tibi superest, nulla abs te desideratur, nisi modus in tribuendis honoribus. Alia omnia sic abunde[8] adsunt, ut cum quolibet antiquorum comparari possint tuae virtutes[9]. Unum hoc, grato[10]

([1]) — *Mail* Iu. Crat. et sic infra aliquoties. ([2]) Sic Iu. Middl. 1. 2. — *scribis mihi* O1x. Crat. L. ([3]) — *et quid* Middl. ([4]) ∞ *equidem* Margo Crat. ([5]) ∞ *infinita* O1x. Iu. Crat. L. (— *petentibus* Bessarionis liber ap. Manut.) O1x. ([6]) ∞ pro *nunc*: *id* O1x. — *nunc hoc* de Lamb. E. Middlet. ([7]) — *mali causa excidendi*, *causa sit*, *cur* L. — *mali excidendi* [*ratio*] *causa sit*, *ut* Middl. Marklandus, si quid exciderit, potius supplendum censet *omissio*. ([8]) — om. *abunde* O2x. Middl. ([9]) ∞ om. *tuae virtutis* de Manutii E. L. Middl. ∞ *possint*. *Tuae virtutis unum* Bessarionis liber. ([10]) — *a grato* L.

animo liberalique profectum, cautiorem ac moderatiorem liberalitatem[1] desiderat. Nihil enim senatus cuiquam dare debet, quod male cogitantibus exemplo aut praesidio sit. Itaque timeo de consulatu, ne Caesar tuus altius se adscendisse putet decretis tuis, quam inde, si consul factus sit, descensurum[2]. Quod si Antonius, ab alio relictum regni instrumentum, occasionem regnandi habuit: quonam animo fore putas, si quis, auctore, non tyranno interfecto, sed ipso senatu, putet se imperia quaelibet concupiscere posse? Quare tum et facilitatem[3] et providentiam laudabo tuam, quum exploratum habere coepero, Caesarem honoribus, quos acceperit, extraordinariis fore contentum. Alienae igitur, inquies, culpae me reum subiicies[4]? Prorsus alienae, si provideri potuit, ne exsisteret. Quod utinam inspectare possis timorem de illo meum! His literis scriptis, te consulem factum audivimus. Tum vero incipiam proponere mihi rem publicam iustam, et iam suis nitentem viribus, si istuc videro. Filius valet, et in Macedoniam cum equitatu praemissus est. Idibus Maiis, ex castris.

V. CICERO BRUTO S.

A. d. v. Kalendas Maias, quum de iis, qui hostes iudicati sunt, bello persequendis, sententiae dicerentur, dixit Servilius etiam de Ventidio, et ut Cassius persequeretur Dolabellam. Cui quum essem assensus, decrevi hoc amplius, ut tu, si arbitrarere utile[5], eque re publica esse, persequerere bello Dolabellam: si[6] minus id commodo rei publicae facere posses, sive non existimares e re publica esse, ut in isdem locis exercitum contineres. Nihil honorificentius potuit facere senatus, quam ut tuum esset iudicium, quid maxime conducere rei publicae tibi videretur. Equidem sic sentio, si manum habet, si castra, si ubi consistat uspiam Dolabella: ad fidem, et ad dignitatem tuam pertinere, eum persequi. De Cassii nostri copiis nihil sciebamus. Neque enim ab ipso ullae literae, neque nuntiabatur quidquam, quod pro certo haberemus. Quanto opere autem intersit, opprimi Dolabellam, profecto intelligis; quum[7] ut sceleris poenas persolvat, tum ne sit, quo se latronum duces ex Mutinensi fuga conferant. Atque hoc mihi iam ante placuisse, potes ex superioribus meis literis recordari: quamquam tum et fugae portus erat in tuis castris, et subsidium salutis in tuo exercitu. Quo magis nunc liberati (ut spero) periculis, in Dolabella opprimendo occupati esse debemus. Sed haec cogitabis diligentius, statues sapienter: facies nos, quid[8] constitueris, et quid agas, (si tibi videbitur,) certiores. Ciceronem nostrum in vestrum collegium cooptari volo. Existimo omnino, absentium rationem, sacerdotum comitiis posse haberi; nam etiam factum est antea. C. enim Marius, quum in Cappadocia esset, lege Domitia factus est augur: nec, quo minus id

---

(1) — Excidisse videbatur Sch. *populus*, vel *res publica*. Sed *unum hoc* propositionis est subiectum. (2) — *ascensurum* de Man. €. Middl. sed vide Tunstall *Obs.* p. 393. (3) Sic Otx. Iu. Crat. L. — *felicitatem* Grut. Middl. Ern. 1. 2. (4) Sic O2x. Cdd. Reg. Lallem. Ern. 1. 2. — *facies* Iu. Crat. L. Middl. (5) ∞ *utile fore* Iu. Crat. L. (6) ∞ *sin* L. (7) = *tum* L. (8) — *et quid* Middl.

postea liceret, ulla lex sanxit. Est etiam in lege Iulia, quae lex est de sacerdotiis proxima, his verbis, QVI PETIT, CVIVSVE RATIO HABEBITVR. Aperte indicat, posse rationem haberi etiam non praesentis. Hac de re scripsi ad eum, ut tuo iudicio uteretur, sicut in rebus omnibus. Tibi autem statuendum est de Domitio, et de Catone nostro. Sed quamvis liceat absentis rationem haberi, tamen omnia sunt praesentibus faciliora. Quod si statueris in Asiam tibi eundum, nulla erit ad comitia nostros arcessendi facultas. Omnino, Pansa vivo, celeriora omnia putabamus. Statim enim collegam sibi subrogasset[1]: deinde ante praetoria, sacerdotum comitia fuissent. Nunc per auspicia longam moram video. Dum enim unus erit patricius magistratus, auspicia ad patres redire non possunt. Magna sane perturbatio. Tu tota de re quid sentias, velim me facias certiorem. III Nonas Maias. [Vale[2].]

VI. BRUTUS CICERONI S.

Noli exspectare, dum tibi gratias agam. Iampridem hoc ex nostra necessitudine, quae ad summam benevolentiam pervenit, sublatum esse debet. Filius tuus a me abest. In Macedonia congrediemur. Iussus est enim Ambracia[3] ducere equites per Thessaliam, et scripsi ad eum, ut mihi Heracleam occurreret. Quum eum videro, quoniam nobis permittis, communiter constituemus de reditu eius ad petitionem, aut ad commendationem honoris. Tibi Glycona[4], medicum Pansae, qui sororem Achilleos nostri in matrimonio habet, diligentissime commendo. Audimus, eum[5] venisse in suspicionem Torquato de morte Pansae, custodirique, ut parricidam. Nihil minus credendum est. Quis enim maiorem calamitatem morte Pansae accepit? Praeterea est modestus homo, et frugi: quem ne utilitas quidem videatur impulsura fuisse ad facinus. Rogo te, et quidem valde rogo, (nam Achilleus noster non minus, quam aequum est, laborat,) eripias eum ex custodia, conservesque. Hoc ego ad meum officium privatarum rerum aeque, atque ullam aliam rem pertinere arbitror. Quum has ad te scriberem literas, ab Satrio, legato C. Trebonii, reddita est mihi epistola, a Tillio[6] et Deiotaro Dolabellam caesum fugatumque esse. Graecam epistolam tibi misi Cycherei cuiusdam, ad Satrium missam. Flavius noster de controversia, quam habet cum Dyrrhachinis hereditariam, sumpsit te iudicem. Rogo te, Cicero, et Flavius rogat, rem conficias. Quin ei, qui Flavium fecit heredem, pecuniam debuerit civitas, non est dubium: neque Dyrrhachini infitiantur; sed sibi donatum aes alienum a Caesare dicunt. Noli pati, a necessariis tuis necessario meo iniuriam fieri. XVII[7] Kalend. Iun. ex castris, ad imam Candaviam.

---

(1) Sic Iu. 1. 2. = *subrogavisset* Crat. L. (2) ∞ om. *Vale* O1x. Iu. Crat. L. Nos [ ]. (3) Sic O1x. L. Middl. 1. 2. ∞ *Ambraciam* Iu. Crat. (4) Sic Iu. Crat. L. Middl. — *Glaucona* Grut. Ern. 1. 2. Sed v. Sueton. *Aug.* C. 11. (5) — pro *eum* habet *enim* L. (6) Sic Ern. E. 1. 2. — *Tillo* O1x. — *Tullio* Ceteri. (7) = *XIIII.* O2x.

VII. BRUTUS CICERONI S.

L. Bibulus[1] quam carus mihi esse debeat, nemo melius iudicare potest, quam tu: cuius tantae pro re publica contentiones, sollicitudinesque fuerunt. Itaque vel ipsius virtus, vel nostra necessitudo debet conciliare te illi: quo minus multa mihi scribenda esse arbitror. Voluntas enim te movere debet nostra, si modo iusta est, aut pro officio necessario suscipitur. In Pansae locum petere constituit. Eam nominationem a te petimus. Neque coniunctiori dare beneficium, quam nos tibi sumus, neque digniorem nominare potes, quam Bibulum. De Domitio et Appuleio quid attinet me scribere, quum ipsi per se tibi commendatissimi sint? Appuleium vero tu tua auctoritate sustinere debes. Sed Appuleius[2] in sua epistola celebrabitur. Bibulum noli dimittere ex sinu tuo, tantum iam virum, ex quanto, crede mihi, potest evadere, qui vestris paucorum respondeat laudibus.

VIII. CICERO BRUTO S.

Multos tibi commendavi[3], et commendem, necesse est. Optimus enim quisque vir, et civis, maxime[4] sequitur iudicium tuum, tibique omnes fortes viri navare operam et studium volunt: nec quisquam est, quin ita existimet, meam apud te et gratiam et auctoritatem valere plurimum. Sed C. Nasennium, municipem Suessanum, tibi ita commendo, ut neminem diligentius. Cretensi bello, Metello imperatore, octavum principem duxit: postea in re familiari occupatus fuit. Hoc tempore quum rei publicae partibus, tum tua excellenti dignitate commotus, vellet[5] per te aliquid auctoritatis assumere. Fortem virum, Brute, tibi commendo, frugi hominem, et, si quid ad rem pertinet, etiam locupletem. Pergratum mihi erit, si eum ita tractaris, ut merito tuo mihi gratias agere possit.

IX. CICERO BRUTO S.

Fungerer officio, quo tu functus es in meo luctu, teque per literas consolarer, nisi scirem, iis[6] remediis, quibus meum dolorem tu levasses, te in tuo non egere: ac velim facilius, quam tunc mihi[7], nunc tibi tute medeare. Est enim alienum tanto viro, ut es tu[8], quod alteri praeceperit, id ipsum facere non posse. Me quidem quum rationes, quas collegeras, tum auctoritas tua, a nimio maerore deterruit. Quum enim mollius tibi ferre viderer, quam deceret virum, praesertim cum, qui alios consolari soleret; accusasti me per literas gravioribus verbis, quam tua consuetudo ferebat. Itaque iudicium tuum magni aestimans[9], idque veritus, me ipse collegi: et ea, quae didiceram, legeram, acceperam,

---

(1) — om. praenomen *L.* L. (2) ∞ *Sed Domitius* Cdd. aliq. apud Grut. Recepit Middl. (3) ∞ *commendo* Iu. Crat. L. (4) — om. *maxime* Iu. L. Habet Crat. (5) — *valeat* Olx. — *voluit* Margo Crat. (6) Sic L. — *his* Ceteri. (7) — *tunc ego mihi* L. Middl. (8) ∞ *quantus es tu* Olx. Margo Crat. L. (9) ∞ *existimans* Olx.

graviora duxi, tua auctoritate addita. Ac mihi tum, Brute, officio solum erat, et naturae; tibi nunc populo et scenae (ut dicitur) serviendum est. Nam quum in te non solum exercitus tui, sed omnium civium, ac paene gentium conjecti oculi sint, minime decet, propter quem fortiores ceteri sumus, eum ipsum animo debilitatum videri. Quam ob rem accepisti tu quidem dolorem, (id enim amisisti, cui simile in terris nihil fuit,) et est dolendum[1] in tam gravi vulnere, (ne id ipsum, carere omni sensu doloris, sit miserius, quam dolere,) sed, ut modice, ceteris utile est, tibi necesse est. Scriberem plura, nisi ad te haec ipsa nimis multa essent. Nos te, tuumque exercitum exspectamus: sine quo, ut reliqua ex sententia succedant, vix satis liberi videmur fore. De tota re publica plura scribam, et fortasse iam certiora his[2] literis, quas Veteri nostro cogitabam dare.

X. CICERO BRUTO S.

Nullas adhuc a te literas habebamus[3]: ne famam quidem, quae declararet, te, cognita senatus auctoritate, in Italiam adducere exercitum: quod ut faceres, idque maturares, magno opere desiderabat res publica. Ingravescit enim in dies intestinum malum, nec externis hostibus magis quam domesticis laboramus: qui erant omnino ab initio belli, sed facilius frangebantur. Erectior senatus erat, non sententiis solum nostris, sed etiam cohortationibus excitatus. Erat[4] in senatu satis vehemens et acer Pansa, quum in ceteros huius generis, tum maxime in socerum: cui consuli non animus ab initio, non fides ad extremum defuit. Bellum ad Mutinam gerebatur, nihil ut in Caesare reprehenderes; nonnulla in Hirtio. Huius belli fortuna, ut in secundis, fluxa: ut in adversis, bona. Erat victrix res publica, caesis Antonii copiis, ipso expulso a Bruto. Deinde[5] ita multa peccata, ut quodammodo victoria excideret e manibus, perterritos, inermes[6], saucios non sunt nostri duces persecuti: datumque Lepido tempus est, in quo levitatem eius, saepe perspectam, maioribus in malis experiremur. Sunt exercitus boni, sed rudes, Bruti et Planci. Sunt fidelissima et maxima auxilia Gallorum. Sed Caesarem meis consiliis adhuc gubernatum, praeclara ipsum indole, admirabilique constantia, improbissimis literis quidam, fallacibusque interpretibus ac nuntiis impulerunt in spem certissimam consulatus. Quod simul atque sensi; neque[7] ego illum absentem literis monere destiti, nec accusare praesentes eius necessarios, qui eius cupiditati suffragari videbantur: nec in senatu sceleratissimorum consiliorum fontes aperire dubitavi: nec vero ulla in re memini, aut senatum meliorem, aut magistratus. Nunquam enim in honore extraordinario potentis hominis, vel potentissimi potius, (quandoquidem potentia iam in vi posita est, et armis,) accidit, ut nemo tribunus plebis, nemo alio magistratu, nemo privatus, auctor exsisteret. Sed in hac constantia atque virtute, erat tamen sollicita civitas. Illudimur enim, Brute, quum militum deliciis, tum imperatoris insolentia. Tantum quisque se

(1) — *docendum* Iu. — *verendum* L. An *nae*, pro *ne?* (2) ∞ *iis* L. (3) ∞ *habemus* Otx. (4) — *Erat praeterea* Cdd. aliq. (5) ∞ *expulso. Bruti deinde* Otx. al. Defendit Tunstall *Obs.* p. 232. (6) = *inermos* L. (7) = *nec* L.

in re publica posse postulat, quantum habet virium; non ratio, non modus, non lex, non mos, non officium valet: non iudicium, non existimatio civium, non posteritatis verecundia. Haec ego multo ante prospiciens, fugiebam ex Italia, tum, quum me vestrorum edictorum fama revocavit. Incitasti[1] vero tu me, Brute, Veliae. Quamquam enim dolebam, in eam me urbem ire, quam tu fugeres, qui eam liberavisses, quod mihi quoque quondam acciderat, periculo simili, casu tristiore: perrexi tamen, Romamque perveni, nulloque praesidio quatefeci Antonium: contraque eius arma nefanda, praesidia, quae oblata sunt, Caesaris, consilio et auctoritate firmavi. Qui si steterit idem, mihique paruerit: satis videmur habituri praesidii. Sin autem impiorum consilia plus valuerint, quam nostra; aut imbecillitas aetatis non potuerit gravitatem rerum sustinere: spes omnis est in te. Quamobrem advola, obsecro, atque eam rem publicam, quam virtute, atque animi magnitudine magis, quam eventis rerum liberasti, exitu libera. Omnis omnium concursus ad te futurus est. Hortare idem per literas Cassium. Spes libertatis nusquam, nisi in vestrorum castrorum principiis[2] est. Firmos omnino et duces habemus ab occidente, et exercitus. Hoc adolescentis praesidium equidem adhuc firmum esse confido. Sed ita multi labefactant, ut, ne moveatur, interdum extimescam. Habes totum rei publicae statum: qui quidem tum erat, quum has literas dabam. Velim deinceps meliora sint: sin aliter fuerit (quod dii omen avertant!) rei publicae vicem dolebo; quae immortalis esse debebat. Mihi quidem quantulum reliqui est[3]?

XI. BRUTUS CICERONI S.

Veteris Antistii talis animus est in rem publicam[4], ut non dubitem[5], quin et[5] in Caesare et Antonio se praestaturus[6] fuerit acerrimum propugnatorem communis libertatis, si occasioni potuisset occurrere. Nam, qui in Achaia congressus, P. Dolabella milites atque equites habente, quodvis adire periculum, ex insidiis paratissimi ad omnia latronis, maluerit, quam videri aut coactus esse pecuniam dare, aut libenter dedisse homini nequissimo atque improbissimo: is nobis ultro et[7] pollicitus est, et dedit HS xx ex sua pecunia: et, quod multo carius est, se ipsum obtulit et coniunxit. Huic persuadere coepimus[8], ut imperator in castris remaneret, remque publicam defenderet. Statuit eundum sibi[9], quoniam exercitum dimisisset. Statim vero rediturum[10] ad nos confirmavit, legatione suscepta, nisi praetorum comitia habituri essent consules. Nam illi ita sentienti de re publica magno opere auctor fui, ne differret tempus petitionis suae. Cuius factum omnibus gratum esse debet, qui modo iudicant, hunc exercitum esse rei publicae. Tibi tanto

---

(1) Sic Iu. Crat. L. = *incitavisti* Ern. 1. 2. (2) Sic O1x. Margo Crat. Middl. Ern. 1. 2. ∞ *praesidiis* Iu. Crat. L. prob. Manut. (3) ∞ *est. Vale* O1x. — *aliquantulum rel. est* Iu. Crat. — *mihi quidem vitae quantulum reliquae est.* L. (4) — *in re p.* Iac. Gronovii susp. (5) — om. *et* Iu. Crat. L. (6) = *praestiturus* L. qui tamen Ep. 13. retinuit *praestaturus.* (7) — om. *et* Iu. L. Habet Crat. (8) — *cupimus* Margo Crat. (9) Sic O1x. Ed. Rom. L. Middl. Ern. 1. 2. — *st. id sibi* O1x. Iu. Crat. Grut. (10) — *se red.* L.

gratius, quanto et maiore animo gloriaque libertatem nostram defendis, et dignitatem; si contigerit nostris consiliis exitus, quem optamus, perfuncturus[1] es. Ego etiam, mi Cicero, proprie familiariterque te rogo, ut Veterem ames, velisque esse quam amplissimum: qui etsi nulla re deterreri a proposito potest, tamen excitari tuis laudibus, indulgentiaque poterit, quo magis amplexetur ac tueatur iudicium suum. Et[2] mihi gratissimum erit.

XII. CICERO BRUTO S.

Etsi daturus eram Messalae Corvino continuo literas, tamen Veterem nostrum ad te sine literis meis venire nolui. Maximo in discrimine res publica, Brute, versatur, victoresque rursus decertare cogimur. Id accidit M. Lepidi scelere et amentia. Quo tempore quum multa propter eam curam, quam pro re publica suscepi, graviter ferrem, tum nihil tuli gravius, quam me non posse matris tuae precibus cedere, non sororis. Nam tibi, quod mihi plurimi est, facile me satisfacturum arbitrabar. Nullo enim modo poterat causa Lepidi distingui ab Antonio[3]: omniumque iudicio etiam durior erat, quod, quum honoribus amplissimis a senatu esset Lepidus ornatus, tum etiam paucis ante diebus praeclaras literas ad senatum misisset: repente non solum recepit reliquias hostium, sed bellum acerrimum terra marique gerit: cuius exitus qui futurus sit, incertum est. Itaque quum rogamur, ut misericordiam liberis eius impertiamus[4], nihil affertur, quo minus summa supplicia, si (quod Iupiter omen avertat!) pater puerorum vicerit, subeunda nobis sint. Nec vero me fugit, quam sit acerbum, parentum[5] scelera filiorum poenis lui. Sed hoc praeclare legibus comparatum est, ut caritas liberorum amiciores parentes rei publicae redderet. Itaque Lepidus crudelis in liberos, non is, qui Lepidum hostem iudicat. Atque ille si, armis positis, de vi damnatus esset, quo in iudicio certe defensionem non haberet: eandem calamitatem subirent liberi, bonis publicatis. Quamquam, quod tua mater et soror deprecatur pro pueris, id ipsum et multa alia crudeliora nobis omnibus Lepidus, Antonius, et reliqui hostes denuntiant. Itaque maximam spem hoc tempore habemus in te, atque exercitu tuo. Quum ad rei publicae summam[6], tum ad gloriam et dignitatem tuam vehementer pertinet, te in Italiam, ut ante scripsi, venire quamprimum. Eget enim vehementer quum[7] viribus tuis, tum etiam consilio res publica. Veterem, pro eius erga te benevolentia singularique officio, libenter ex tuis literis complexus sum: eumque quum tui, tum rei publicae studiosissimum amantissimumque cognovi. Ciceronem meum propediem, ut spero, videbo. Tecum enim illum, et te[8] in Italiam celeriter esse venturum confido.

---

(1) Sic Iu. Crat. Ern. 1. 2. ∞ *perfunctus* Otx. Alii ap. Grut. prob. Ern. — *perfracturus* L. Middl. (∞ *et dignitate* Otx.) (2) ∞ *Id* L. Sch. 2. — *et id* Middl. (3) ∞ *ab Antonii* L. Middl. sed cfr. *pro Sex. Amer.* C. 48. *desinant suam causam cum Chrysogono communicare.* (4) ∞ *impertiamur* Otx. Iu. (5) Sic Iu. Crat. L. — *parentium* Ern. 1. 2. (6) H. l. corrigi nequit *ad rem publicam summam*, quum constans sit formula: *ad summam rem p.* (7) = *tum* L. (8) — om. *et te* de Manut. €. L. Praestat tamen altera Man. suspicio: *Tecum enim illum esse in It. cel. vent. confido.*

XIII. BRUTUS CICERONI S.

De M. Lepido vereri me cogit reliquorum timor: qui si ceciderit se nobis, (quod velim temere atque iniuriose de illo suspicati sint homines,) oro atque obsecro te, Cicero, necessitudinem nostram, tuamque in me benevolentiam obtestans, sororis meae liberos obliviscaris esse Lepidi filios, neque his in patris locum successisse existimes. Hoc si a te impetro, nihil profecto dubitabis pro his[1] suscipere. Aliter alii cum suis vivunt: nihil ego possum[2] in sororis meae liberis[3] facere, quo possit expleri voluntas mea aut officium. Quid vero aut mihi tribuere boni possunt, si modo digni sumus, quibus aliquid tribuatur: aut ego matri, ac sorori, puerisque illis praestaturus sum, si nihil valuerit apud te, reliquumque senatum, contra patrem Lepidum, Brutus avunculus? Scribere multa ad te neque possum prae sollicitudine ac stomacho, neque debeo. Nam si in tanta re, tamque necessaria, verbis mihi opus est ad te excitandum et confirmandum: nulla spes est, facturum te quod volo, et quod oportet. Quare noli exspectare longas preces. Intuere me ipsum, qui hoc vel[4] a Cicerone, coniunctissimo homine, privatim, vel a consulari, tali viro, remota necessitudine privata, impetrare debeo. Quid sis facturus, velim mihi quamprimum rescribas. Kalend. Quint. ex castris.

XIV. CICERO BRUTO S.

Breves tuae literae: breves dico? immo nullae. Tribusne versiculis his temporibus Brutus ad me? Nihil scripsissem[5] potius. Et requiris meas. Quis unquam ad te tuorum sine meis venit? Quae autem epistola non pondus habuit? Quae si ad te perlatae non sunt, ne domesticas quidem tuas perlatas arbitror. Ciceroni scribis te longiorem daturum epistolam. Recte id quidem: sed haec quoque debuit esse plenior. Ego autem, quum ad me de Ciceronis abs te discessu scripsisses, statim extrusi tabellarios, literasque ad Ciceronem; ut, etiam si in Italiam venisset, ad te rediret. Nihil enim mihi iucundius, nihil illi honestius. Quamquam aliquoties ei scripseram, sacerdotum comitia, mea summa contentione in alterum annum esse reiecta: quod ego quum Ciceronis causa elaboravi, tum Domitii, Catonis, Lentuli, Bibulorum: quod ad te etiam scripseram. Sed videlicet quum illam pusillam epistolam tuam ad me dabas, nondum erat tibi id notum. Quare omni studio a te, mi Brute, contendo, ut Ciceronem meum ne dimittas, tecumque deducas[6]: quod ipsum, si rem publicam, cui susceptus es, respicis, tibi iam iamque faciendum est. Renatum enim bellum est: idque non parvo scelere Lepidi. Exercitus autem Caesaris, qui erat optimus, non modo nihil

---

(1) Fortasse h. l. et antea praestet *iis*. (2) — *nihil ego non p.* L. (3) — *liberos* Iu. Crat. L. (4) Sic e Cdd. Middl. Ern. 1. 2. — *hoc a te vel* Iu. Crat. L. Grut. (5) ∞ *scripsisses* Middl. Recte. Faërno Sch. tribuit C. *scripsisse*. (6) Sic e Cdd. Ed. Rom. Ern. 1. 2. ∞ *ducas* Olx. al. ∞ *adducas* Iu. (Male Ern. Sch. ei tribuunt *deducas*) Crat. L. Grut. Middl. — *tecumque et te ducas* Tunstall. *Obs.* p. 382.

prodest, sed etiam cogit exercitum tuum flagitari: qui si Italiam attigerit, erit civis nemo (quem quidem civem appellari fas sit) qui se non in tua castra conferat. Etsi Brutum praeclare cum Planco coniunctum habemus. Sed non ignoras, quam sint incerti animi hominum, et infecti partibus[1]; et exitus proeliorum. Quin etiam, si, ut spero, vicerimus, tamen magnam gubernationem tui consilii, tuaeque auctoritatis res desiderabit. Subveni igitur, per deos, idque quamprimum, tibique[2] persuade, non te Idibus Martiis, quibus servitutem a tuis civibus depulisti[3], plus profuisse patriae, quam, si mature veneris, profuturum. II[4] Idus Quint.

XV. CICERO BRUTO S.

Messalam habes. Quibus igitur literis tam accurate scriptis assequi possum; subtilius ut explicem, quae gerantur, quaeque sint in re publica, quam tibi is exponet, qui et optime omnia novit, et elegantissime expedire et deferre ad te potest? Cave enim existimes, Brute, (quamquam non est necesse, ea me ad te, quae tibi nota sunt, scribere: sed tamen tantam omnium laudum excellentiam non queo silentio praeterire,) cave putes, probitate, constantia, cura, studio rei publicae quidquam illi esse simile: ut eloquentia, qua mirabiliter excellit, vix in eo locum ad laudandum habere videatur. Quamquam in hac ipsa, sapientia[5] plus apparet. Ita gravi iudicio, multaque arte se exercuit in verissimo genere dicendi. Tanta autem industria est, tantumque evigilat[6] in studio, ut non maxima ingenio (quod in eo summum est) gratia habenda videatur. Sed provehor amore. Non enim id propositum est huic epistolae, Messalam ut laudem, praesertim ad Brutum, cui et virtus illius non minus, quam mihi, nota est, et haec ipsa studia, quae laudo, notiora. Quem quum a me dimittens, graviter ferrem; hoc levabar uno, quod ad te, tamquam ad alterum me, proficiscens, et officio fungebatur, et laudem maximam sequebatur. Sed haec hactenus. Venio nunc longo sane intervallo ad quandam epistolam, qua mihi[7] multa tribuens, unum reprehendebas, quod in honoribus decernendis essem nimius, et tamquam prodigus. Tu hoc: alius fortasse, quod in animadversione poenaque durior; nisi fortasse[8] utrumque tu. Quod si ita est, utriusque rei meum iudicium tibi cupio esse notissimum: neque solum, ut Solonis dictum usurpem, qui et sapientissimus[9] fuit ex septem, et legum scriptor solus ex septem. Is rem publicam duabus rebus contineri dixit, praemio et poena. Est scilicet utriusque rei modus, sicut reliquarum, et quaedam in utroque genere mediocritas: sed non tanta de re propositum est hoc loco disputare. Quid ego autem secutus hoc bello sim in sententiis dicendis, alienum non puto aperire[10]. Post interitum Caesaris, et vestras memorabiles Idus Martias, Brute, quid ego praetermissum a vobis, quantamque

---

([1]) ∞ *incerti et animi hominum*, *infecti p.* L. Middl. Sed vide Tunstall. l. l. ([2]) — *tibi* Iu. Crat. L. ([3]) Sic Ern. €. 1. 2. Middl. — *repulisti* Ceteri. ([4]) = *V.* O1x. ([5]) ∞ *sapientiae* Faërni. €. prob. Ern. ([6]) — *vigilat* Gulielmii susp. ([7]) — *qua tu mihi* L. ([8]) — *nisi forte* L. Middl. ([9]) Sic e C1d. Victor. L. Middl. Ern. 1. 2. — *sapiens unus* O2x. Iu. Crat. ([10]) Sic Iu. Crat. L. = *aperire non alienum puto* e correctione nescio cuius Ern. 1. 2.

impendere rei publicae tempestatem dixerim, non es oblitus. Magna pestis erat depulsa per vos, magna populi Romani macula deleta: vobis vero parta divina gloria: sed instrumentum regni delatum ad Lepidum et Antonium: quorum alter inconstantior, alter impurior, uterque pacem metuens, inimicus otio. His ardentibus perturbandae rei publicae cupiditate, quod opponi posset praesidium, non habebamus. Erexerat enim se civitas, in retinenda libertate consentiens. Nos tum nimis acres: vos fortasse sapientius excessistis urbe ea, quam liberaratis[1]: Italiae sua vobis studia profitenti remisistis. Itaque quum teneri urbem a parricidis viderem, nec te in ea, nec Cassium tuto esse posse, eamque armis oppressam ab Antonio: mihi quoque ipsi esse excedendum putavi. Tetrum enim spectaculum, oppressa ab impiis civitas, opitulandi potestate praecisa. Sed animus idem, qui semper infixus est in patriae caritate, discessum ab eius periculis ferre non potuit. Itaque in medio Achaico cursu, quum Etesiarum diebus Auster me in Italiam, quasi dissuasor mei consilii, retulisset, te vidi Veliae, doluique vehementer. Cedebas enim, Brute, cedebas; quoniam Stoici vestri[2] negant, fugere sapientis. Romam ut veni, statim me obtuli Antonii sceleri atque dementiae: quem quum in me incitavissem, consilia inire coepi Brutina plane (vestri enim haec sunt propria sanguinis) rei publicae liberandae. Longa sunt, quae restant, praetereunda: sunt enim de me: tantum dico, Caesarem hunc adolescentem, per quem adhuc sumus, si verum fateri volumus, fluxisse ex fonte consiliorum meorum. Huic habiti a me honores nulli quidem, Brute, nisi debiti: nulli, nisi necessarii. Ut enim primum libertatem revocare coepimus, quum se nondum ne Decimi quidem Bruti divina virtus ita commovisset, ut iam id scire possemus; atque omne praesidium esset in puero, qui a cervicibus nostris avertisset Antonium: quis honos ei non fuit decernendus? Quamquam ego illi tum verborum laudem tribui, eamque modicam. Decrevi etiam imperium: quod quamquam videbatur illi aetati honorificum[3], tamen erat exercitum habenti necessarium. Quid enim est sine imperio exercitus? Statuam Philippus decrevit, celeritatem petitionis primo Servius, post maiorem etiam Servilius. Nihil tum nimium videbatur. Sed nescio quomodo facilius in timore benigni, quam in victoria grati reperiuntur[4]. Ego enim, D. Bruto liberato, quum laetissimus ille civitati dies illuxisset, idemque casu Bruti natalis esset, decrevi, ut in fastis ad eum diem Bruti nomen adscriberetur: in eoque sum maiorum exemplum secutus, qui hunc honorem mulieri Larentiae tribuerunt, cui vos pontifices ad aram in Velabro facere[5] soletis. Quod ego quum dabam Bruto, notam esse in fastis gratissimae victoriae sempiternam[6] volebam. Atque[7] illo die cognovi,

---

([1]) Sic Crat. L. Middl. 1. 2. — *liberastis* O2x. Iu. ([2]) Sic Iu. Crat. L. Tunstall. p. 209. ∞ *nostri* O2x. Ern. 1. 2. Middl. Sed illud acumen, eamque doctrinam huic etiam Rhetori tribuere aequo animo possumus. F. *sapientes*. ([3]) — *nimis honorif.* Man. suspic. ([4]) Sic e Cdd. (O2x.) Man. Ern. 1. 2. Middl. ∞ *reperimur* Iu. Crat. L. Grut. ([5]) Sic O1x. L. tum rursus Ern. 1. 2. Middl. — *sacrificium facere* O1x. Iu. Crat. (— *ad aram* suspectum Ern.) ([6]) Sic Cd. Bessarionis. L. Middl. Ern. 1. 2. ∞ *sempiternam memoriam* Cdd. pleriq. Iu. Crat. Haud inscite in hoc scriptore defendit Tunstall *Obs.* p. 386. ([7]) — *Atqui* Middl.

paullo[1] plures in senatu malevolos esse, quam gratos. Eos per ipsos dies, effudi (si ita vis) honores in mortuos, Hirtium et Pansam, Aquilam etiam. Quod quis reprehendit, nisi qui, deposito metu, praeteriti periculi fuerit oblitus? Accedebat ad beneficii memoriam gratam ratio illa, quae etiam posteris esset[2] salutaris. Exstare enim volebam in crudelissimos hostes monumenta odii publici sempiterna. Suspicor illud minus tibi probari, quod ab tuis familiaribus, optimis illis quidem viris, sed in re publica rudibus, non probabatur[3], quod, ut ovanti introire Caesari liceret, decreverim. Ego autem (sed erro fortasse: nec tamen is sum[4], ut mea me maxime delectent) nihil mihi videor hoc bello sensisse prudentius. Cur autem ita sit, aperiendum non est, ne magis videar providus fuisse, quam gratus. Hoc ipsum, nimium. Quare alia videamus. D. Bruto decrevi honores, decrevi L. Planco. Praeclara illa quidem ingenia, quae gloria invitantur: sed senatus etiam sapiens, qui, qua quemque re putat, modo honesta, ad rem publicam iuvandam posse adduci, hac utitur. At in Lepido reprehendimur: cui quum statuam in rostris statuissemus, iidem illam evertimus. Nos illum honore studuimus a furore revocare. Vicit amentia levissimi hominis nostram prudentiam. Nec tamen tantum in statuenda Lepidi statua factum est mali, quantum in evertenda boni. Satis multa de honoribus. Nunc de poena pauca sunt dicenda. Intellexi enim ex tuis saepe literis, te in iis, quos bello devicisti, clementiam tuam velle laudari. Existimo equidem nihil a te, nisi sapienter. Sed sceleris poenam praetermittere (id enim est, quod vocatur ignoscere) etiam si in ceteris rebus tolerabile est, in hoc bello perniciosum puto. Nullum enim bellum civile fuit in nostra re publica omnium, quae memoria mea fuerunt, in quo bello non, utracunque pars vicisset, tamen aliqua forma esset futura rei publicae. Hoc bello victores quam rem publicam simus habituri, non facile affirmarim; victis certe nulla unquam erit. Dixi igitur sententias in Antonium, dixi in Lepidum severas: neque tam ulciscendi causa, quam ut et in praesens sceleratos cives timore ab impugnanda patria deterrerem: et in posterum, documentum[5] statuerem, ne quis talem amentiam vellet imitari. Quamquam haec quidem sententia non magis mea fuit, quam omnium. In qua videtur illud esse crudele, quod ad liberos, qui nihil meruerunt, poena pervenit. Sed id et antiquum est, et omnium civitatum: siquidem etiam Themistocli liberi egerunt. Et, si iudicio damnatos eadem poena sequitur cives, qui potuimus leniores esse in hostes? Quid autem queri potest quisquam de me, qui, si vicisset, acerbiorem se in me futurum fuisse confiteatur necesse est? Habes rationem mearum sententiarum, de hoc genere dumtaxat honoris et poenae. Nam de ceteris rebus quid senserim, quidque censuerim, audisse te arbitror. Sed haec quidem non ita necessaria. Illud valde necessarium, Brute, te in Italiam cum exercitu venire quam primum. Summa est exspectatio tui: qui

(1) — *multo* Ern. suspic. Mox f. *reprehendet*. (2) Sic Olx. Margo Crat. Ern. 1. 2. Middl. — *posset esse* Olx. Iu. Crat. L. (3) Sic e Cdd. et Rom. Crat. Lallem. 1. 2. — *probatur* Iu. L. Grut. Middl. (4) — *nec enim is sum* L. (5) „*documentum* suspectum Grut. defendit Gronov. *Observv.* IV. 11." Sch.

si[1] Italiam attigeris, ad te concursus fiet omnium. Sive enim viceri-mus, (qui quidem pulcherrime viceramus, nisi Lepidus perdere omnia, et perire ipse cum suis concupivisset,) tua nobis auctoritate opus est ad collocandum aliquem civitatis statum: sive etiam nunc certamen reli-quum est, maxima spes est quum in auctoritate tua, tum in exercitus tui viribus. Sed propera, per deos. Scis enim, quantum sit in tem-poribus, quantum in celeritate. Sororis tuae filiis quam diligenter con-sulam, spero te ex matris, et ex sororis literis cogniturum. Qua in causa maiorem habeo rationem tuae voluntatis, quae mihi carissima est, quam, ut quibusdam videor, constantiae meae. Sed ego nulla in re malo, quam te amando constans et esse et videri.

XVI. BRUTUS CICERONI S.

Particulam literarum tuarum, quas misisti Octavio, legi, missam ab Attico mihi. Studium tuum, curaque de salute mea, nulla me nova voluptate affecit. Non solum enim usitatum, sed etiam quotidianum est, aliquid audire de te, quod pro nostra dignitate fideliter atque ho-norifice dixeris, aut fece.is. At dolore, quantum animo maximum ca-pere possum, eadem illa pars epistolae, scripta[2] ad Octavium de nobis, affecit. Sic enim illi gratias agis de re publica, tam supplici-ter, ac demisse, (quid scribam? pudet conditionis ac fortunae: sed tamen scribendum est:) commendas nostram salutem illi: quae morte qua[3] non perniciosior? ut prorsus prae te feras, non sublatam domi-nationem, sed dominum commutatum esse. Verba tua recognosce, et aude negare, servientis adversus regem istas esse preces. Unum ais esse, quod ab eo postuletur et exspectetur: ut eos cives, de quibus viri boni, populusque Romanus bene existimet, salvos velit. Quid? si nolit, non erimus? Atqui[4], non esse, quam esse per illum, prae-stat. Ego, medius fidius, non existimo, tam omnes deos aversos esse a salute populi Romani, ut Octavius orandus sit pro salute cuiusquam civis, non dicam pro liberatoribus orbis terrarum. Iuvat enim magni-fice loqui: et certe decet, adversus ignorantes, quid pro quoque timen-dum, aut a quoque petendum sit. Hoc tu, Cicero, posse fateris Octa-vium, et illi amicus es? aut, si me carum habes, vis Romae videri[5]; quum, ut ibi esse possem, commendandus puero illi fuerim? Cui quid agis gratias, si, ut nos salvos esse velit et patiatur, rogandum putas? An hoc[6] pro beneficio est habendum, quod se, quam Antonium, esse maluerit, a quo ista petenda essent? Vindici quidem alienae domina-tionis, non[7] vicario, ecquis supplicat, ut optime meritis de re publica liceat esse salvis? Ista vero imbecillitas et desperatio, cuius culpa non

---

(1) ∞ *quod si* Cdd. aliq. (Olx.) Iac. Gronov. 1692. Middl. Sch. 2. (2) Sic recte Olx. — *scriptae* Ceteri. (3) — *quae qua morte* L. (4) — *At* Olx. (5) — *Romae tempus fuisse videri* L. non intelligens personatum hunc Brutum dicere: *vis me Romae ab hominibus conspici.* Minus male Barth. *Advers.* p. 1805. — *videre.* (6) — *Sic hoc* Barthii C. l. l. (7) — *nedum* Barthii C. Idem verbum requirebat etiam Markland, vel etiam *ne vicario*, pro *ne vic. quidem.* Male. v. Huldrici *Programma Turicense* 1797. — *essent? supplicato vindici illi quidem alienae dominationi, non vicario. Sed quis supplicat* lu. Crat. e perversa correctione.

magis in te residet, quam in omnibus aliis, et Caesarem in cupiditatem regni impulit: et Antonio post interitum illius persuasit, ut interfecti locum occupare conaretur: et nunc puerum istum extulit[1], ut tu iudicares, precibus esse impetrandam salutem talibus viris, misericordiaque unius, vix etiam nunc viri, tutos fore nos, haud ulla alia re. Quod si Romanos nos esse meminissemus: non audacius dominari cuperent postremi homines, quam id nos prohiberemus; neque magis irritatus esset Antonius regno Caesaris, quam ob eiusdem mortem deterritus. Tu quidem consularis, et tantorum scelerum vindex (quibus oppressis, vereor, ne in breve tempus dilata sit abs te pernicies,) qui potes intueri quae gesseris, simul et ista vel probare, vel ita demisse ac facile pati, ut probantis speciem habeas? Quod autem tibi cum Antonio privatum odium? nempe quia postulabat haec: salutem ab se peti, precariam nos incolumitatem habere, a quibus ipse libertatem accepisset, esse arbitrium suum de re publica; quaerenda esse arma putasti, quibus dominari prohiberetur. Scilicet, ut illo prohibito, rogaremus alterum, qui se in eius locum reponi pateretur, an ut esset sui iuris ac mancipii res publica[2]? Nisi forte non de servitute, sed de conditione serviendi recusatum est a nobis. Atqui non solum bono domino potuimus Antonio tolerare nostram fortunam, sed etiam beneficiis atque honoribus, ut participes, frui[3], quantis vellemus. Quid enim negaret[4] iis, quorum patientiam videret maximum suae dominationis praesidium esse? Sed nihil tanti fuit, quo venderemus fidem nostram, et libertatem. Hic ipse puer, quem Caesaris nomen incitare videtur in Caesaris interfectores, quanti aestimet (si sit commercio locus) posse, nobis auctoribus, tantum, quantum profecto poterit, quoniam vivere, et pecunias habere, et dici consulares volumus[5]? Ceterum nequicquam perierit ille: cuius interitu quid gavisi sumus, si mortuo nihilo minus serviturі eramus? Nulla cura ab aliis adhibeatur[6]: sed mihi prius omnia dii, deaeque eripuerint, quam illud iudicium, quo non modo heredi eius, quem occidi, non concesserim, quod in illo non tuli, sed ne patri quidem meo, si reviviscat, ut, patiente me, plus legibus ac senatu possit. An hoc tibi persuasum est, fore ceteros ab eo liberos, quo invito nobis in ista civitate locus non sit? Qui porro id, quod petis, fieri potest, ut impetres? Rogas enim, velit nos salvos esse. Videmur ergo tibi salutem accepturi, quum vitam acceperimus? quam, si prius dimittimus dignitatem et libertatem, qui possumus accipere? An tu Romae habitare, id putas incolumem esse? Res, non locus oportet praestet istuc mihi. Neque incolumis fui Caesare vivo, nisi postquam illud conscivi facinus: neque usquam exsul esse possum, dum servire, et pati contumelias, peius odero malis omnibus aliis. Nonne hoc est in easdem tenebras recidisse, quum

---

(1) — *istum ita ext.* L. (2) Totum h. l. distinxi cum Iuntina de Maerklini (Hauff *Philologie* 2, p. 147) et Huldrici sententia in *Programm.* 1804. Vulgo: *de republica. Quaerenda* cet. (3) — *ut part. uti, frui* L. (4) Sic Crat. Man. L. Middl. De Ern. rursus €. Sch. 2. — *neget* Iu. Grut. Ern. 1. (5) — *volumus* O1x. (6) — *ab aliis* om. L. Middl. Habent Iu. Crat. Ern. 1. 2. tum ∞ *adhibetur* O2x. alii Cdd. ap. Grut. Iu. Crat. L. prob. Maerklino, idque ex huiusce scriptoris captu acerbiorem refert ironiam in Ciceronem. — *Nunc illa cura adhibeatur* Barthii €. perversa.

ab eo, qui tyranni nomen ascivit sibi, (quum in Graecis civitatibus liberi tyrannorum, oppressis illis, eodem supplicio afficiantur,) petitur, ut vindices atque oppressores dominationis salvi sint? Hanc ego civitatem videre velim, aut putem ullam, quae ne traditam quidem atque inculcatam libertatem recipere possit? plusque timeat in puero nomen sublati regis, quam confidat sibi, quum illum ipsum, qui maximas opes habuerit, paucorum virtute sublatum videat? Me vero posthac ne commendaveris Caesari tuo: ne te quidem ipsum, si me audies. Valde care aestimas tot annos, quot ista actas recipit[1], si propter eam causam puero isti supplicaturus es. Deinde quod pulcherrime fecisti, ac facis in Antonio[2], vide ne convertatur a laude maximi animi ad opinionem formidinis. Nam si Octavius tibi placet, a quo de nostra salute petendum sit: non dominum fugisse, sed amiciorem dominum quaesisse videberis. Quem quod laudas ob ea, quae adhuc fecit, plane probo. Sunt enim laudanda, si modo contra alienam potentiam, non pro sua suscepit eas actiones. Quum vero iudicas, tantum illi non modo licere, sed etiam a te ipso tribuendum esse, ut rogandus sit, ne nolit esse nos[3] salvos; nimium magnam mercedem statuis[4]. Id enim ipsum illi largiris, quod per illum habere videbatur res publica. Neque hoc tibi in mentem venit, si Octavius ullis dignus sit honoribus, quia cum Antonio bellum gerat: iis, qui illud malum exciderint, cuius istae reliquiae sunt, nihil, quo expleri possit eorum meritum, tributurum unquam populum Romanum, si omnia simul congesserit. At vide, quanto diligentius homines metuant, quam meminerint; quia Antonius vivat, atque in armis sit; de Caesare vero, quod fieri potuit ac debuit, transactum est, neque iam revocari in integrum potest[5]. Octavius is est, qui quid de nobis iudicaturus sit, exspectet populus Romanus? Nos ii[6] sumus, de quorum salute unus homo rogandus videatur? Ego vero, ut istuc revertar, is sum, qui non modo non[7] supplicem, sed etiam coërcerem postulantes, ut sibi supplicetur. Aut longe a servientibus abero, mihique esse iudicabo Romam, ubicunque liberum esse licebit: ac vestri miserebor, quibus nec[8] aetas, neque honores, neque virtus aliena dulcedinem vivendi minuere potuerit. Mihi quidem ita beatus esse videbor, si modo constanter ac perpetuo placebit hoc consilium, ut relatam putem gratiam pietati meae. Quid enim est melius, quam memoria recte factorum, et libertate contentum negligere humana? Sed certe non succumbam succumbentibus, nec vincar ab iis, qui se vinci volunt: experiarque, et tentabo omnia: neque desistam abstrahere a servitio civitatem nostram. Si secuta fuerit, quae debet, fortuna; gaudebimus omnes: sin minus, ego tamen gaudebo. Quibus enim potius haec vita factis aut cogitationibus traducatur, quam iis,

---

(1) — *aestimas annos, quos ista* Ern. suspic. (2) ∞ *in Antonium* Iu. Crat. L. (3) = *nos esse* L. (4) — *merc. ei stat.* L. (5) Sic distinxi cum Viro docto in meo Lambinianae exemplari. Vulgo sine sensu: *in armis sit. De Caesare vero.* Huldricus vero totum locum sic constituit: *At - - memineriut. Quia Ant. vivat; atque in a. sit, de Caes. vero - - transactum est, neque potest: Octavius is est - - Romanus; nos - - videatur.* sine interrogandi signis. Sed manifestae hae sunt interrogationes. (6) Sic L. — *hi* Ceteri. (7) — om. *non* Bessarionis liber. (8) = *neque* L.

quae pertinuerint ad liberandos cives meos? Te, Cicero, rogo atque hortor, ne defatigere, neu diffidas: semper in praesentibus malis prohibendis, futura quoque, nisi ante sit occursum, explores, ne se insinuent: fortem et liberum animum, quo et consul[1], et nunc consularis rem publicam vindicasti, sine constantia et aequabilitate nullum esse putaris. Fateor enim, duriorem esse conditionem spectatae virtutis, quam incognitae. Benefacta pro debitis exigimus: quae aliter[2] eveniunt, ut decepti ab his, infesto animo reprehendimus. Itaque resistere Antonio Ciceronem, etsi magna[3] laude dignum est; tamen, quia ille consul, hunc consularem merito praestare videtur, nemo admiratur. Idem Cicero si flexerit adversus alios iudicium suum, quod tanta firmitate ac magnitudine direxit in exturbando Antonio: non modo reliqui temporis gloriam eripuerit sibi, sed etiam praeterita evanescere coget. Nihil enim per se amplum est, nisi in quo iudicii ratio exstat[4]. Quia neminem magis decet, quam te, rem publicam amare, libertatisque defensorem esse, vel ingenio, vel[5] rebus gestis, vel studio, atque efflagitatione omnium; quare non Octavius est rogandus, ut velit nos salvos esse: magis tu te[6] excuscita, ut eam civitatem, in qua maxima gessisti, liberam atque honestam fore putes, si modo sint populo duces ad resistendum improborum consiliis.

XVII. BRUTUS ATTICO S.

Scribis mihi, mirari Ciceronem, quod nihil significem unquam de suis actis. Quoniam efflagitas[7], coactu tuo scribam, quae sentio. Omnia fecisse Ciceronem optimo animo, scio. Quid enim mihi exploratius esse potest, quam illius animus in rem publicam[8]? Sed quaedam mihi videtur, quid dicam? imperite, vir omnium prudentissimus, an ambitiose fecisse; qui[9] valentissimum Antonium suscipere pro re publica non dubitarit inimicum. Nescio, quid scribam tibi, nisi unum; pueri et cupiditatem et licentiam potius esse irritatam, quam repressam a Cicerone: tantumque eum tribuere huic indulgentiae, ut se maledictis non abstineat: iis quidem, quae in ipsum dupliciter recidunt, quod et plures occidit uno, seque prius oportet fateatur sicarium, quam obiiciat Cascae, quod obiicit: et imitatur[10] in Casca Bestiam. An quia non omnibus horis iactamus Idus Martias, similiter atque ille Nonas Decembres suas in ore habet, eo meliore conditione Cicero pulcherrimum factum vituperabit, quam Bestia et Clodius reprehendere illius consulatum soliti sunt? Sustinuisse mihi[11] gloriatur bellum Antonii togatus Cicero noster. Quid hoc mihi prodest, si merces Antonii oppressi poscitur, in Antonii locum successio: et si vindex illius mali, auctor exstitit[12] alterius, fundamentum et radices habituri altiores, si patiamur? ut iam

---

([1]) — *et olim consul* L. ([2]) Sic Cdd. complures L. Ern. 1. 2. Maerklin. — *quae si aliter* Iu. Crat. Grut. — *exigimus. Si quae aliter* Middl. ([3]) — *maxima* O1x. Margo Crat. ([4]) — *exstet* Ern. suspic. ([5]) — *et* Middl. ([6]) ∞ *tute te* O1x. Rursus h. l. misere hiat oratio. Iu. quidem *Quia neminem* iungit cum praecedd. Plerique interpungunt: *omnium. Quare.* ([7]) ∞ *me flagitas* O2x. ([8]) — *re publica* O1x. ([9]) — *is, qui* L. ([10]) — *imitetur* Middl. ([11]) — *sustinuisse se mihi* L. ([12]) — *existit* Ern. 1. errore typogr.

ista, quae facit, non dominationem, non dominum, sed Antonium [1] timentis sint. Ego autem gratiam non habeo, si quis, dum, ne irato serviat, rem ipsam non deprecatur: immo triumphus et stipendium decernitur, et omnibus decretis ornatur [2]. Pudeat concupiscere fortunam, cuius nomen susceperit consularis, ut Ciceronis est [3]. Quoniam mihi [4] tacere non licuit, leges quae tibi necesse est molesta esse. Etenim ipse sentio, quanto cum dolore haec ad te perscripserim: nec ignoro, quid sentias in re publica, et quam desperatam quoque sanari putes posse. Nec mehercule te, Attice, reprehendo. Aetas enim, mores, liberi, segnem efficiunt: quod quidem etiam ex [5] Flavio nostro perspexi. Sed redeo ad Ciceronem. Quid inter Salvidenum [6] et eum interest? Quid autem amplius ille decerneret? Timet, inquies, etiam nunc reliquias belli civilis. Quisquam ergo ita timet profligatum, ut neque potentiam eius, qui exercitum victorem habeat, neque temeritatem pueri putet extimescendam esse? An hoc ipsum ea re facit, quod illi propter amplitudinem omnia iam, ultroque deferenda putat? O magnam stultitiam timoris, id ipsum, quod vereris, ita cavere, ut, quum vitare fortasse potueris, ultro arcessas et [7] attrahas! Nimium timemus mortem, et exsilium, et paupertatem. Haec videntur Ciceroni ultima esse in malis: et, dum habeat a quibus impetret quae velit, et a quibus colatur ac laudetur, servitutem, honorificam modo, non aspernatur: si quidquam in extrema ac miserrima contumelia potest honorificum esse. Licet ergo patrem appellet Octavius Ciceronem, referat omnia [8], laudet, gratias agat: tamen illud apparebit, verba rebus esse contraria. Quid enim tam alienum ab humanis sensibus est, quam cum patris habere loco, qui ne liberi quidem hominis numero sit? Atqui eo tendit, id agit, ad eum exitum properat vir optimus, ut sit illi Octavius propitius. Ego vero iam iis artibus nihil tribuo, quibus scio Ciceronem instructissimum esse. Quid enim illi prosunt, quae pro libertate patriae, de dignitate [9], quae de morte, exsilio, paupertate scripsit copiosissime? Quanto autem magis illa callere videtur Philippus, qui privigno minus tribuerit, quam Cicero alieno tribuat? Desinat igitur gloriando etiam insectari dolores nostros. Quid enim nostra, victum esse Antonium, si victus est, ut alii vacaret, quod ille obtinuit? tametsi tuae literae dubia etiam nunc significant. Vivat hercule Cicero, qui potest, supplex et obnoxius, si neque aetatis, neque honorum, neque rerum gestarum pudet. Ego certe, quin cum ipsa re bellum geram, hoc est, cum regno, et imperiis extraordinariis, et dominatione, et potentia, quae supra leges se [10]

([1]) Sic optime Iu. Crat. (non Oliveti igitur est haec coniectura) — *non dominationem, non, sed dominum Ant.* L. Grut. Middl. — *non dominationem, sed dominum Ant.* Ern. C. 1. 2. ([2]) — *immo triumphum et st. alteri decernit, et omnibus eum decretis ornat.* L. Antea *ne* excidit ap. Ern. ([3]) Haec misere sunt corrupta. ∞ *Pudeat conspicere fortunam, cuius nomen susceperit consularis. Hoc an Ciceronis est?* Iu. Crat. — *Pudeat me concupiscere fortunam, cuius nomen susceperit an consularis, an Cicero? Quoniam* L. — *Pudeat me concup. f. c. n. susceperit. An consularis hoc: an Ciceronis est?* de Man. C. Middl. cfr. Tunstall *Obs.* p. 393. — *audeat concupiscere fortunam* (eius), *cuius nomen suscepit. Consularis hoc, an Ciceronis est?* Maerklini C. ([4]) — om. *mihi* L. ([5]) — *in* L. ([6]) Exspectabas *Salvidienum.* ([7]) = *atque* L. ([8]) — *referat ei accepta omnia* L. ([9]) ∞ *quae de d.* L. ([10]) — *se* del. censebat Ern. Mox *deterreat* Orx.

esse velit: nulla erit tam bona conditio serviendi, qua deterream, quamvis sit vir bonus, ut scribis, Antonius[1]: quod ego nunquam existimavi. Sed dominum, ne parentem quidem, maiores nostri voluerunt esse. Te nisi tantum amarem, quantum Ciceroni persuasum est diligi se[2] ab Octavio: haec ad te non scripsissem. Dolet mihi, quod tu nunc[3] stomacharis, amantissimus tum tuorum omnium, tum Ciceronis. Sed persuade tibi, de voluntate propria mea nihil esse remissum, de iudicio largiter. Neque enim impetrari potest, quin, quale quidque videatur ei, talem quisque de illo opinionem habeat. Vellem mihi scripsisses, quae conditiones essent Atticae nostrae. Potuissem aliquid tibi[4] de meo sensu perscribere. Valetudinem Porciae meae tibi curae esse non miror. Denique quod petis, faciam libenter. Nam etiam sorores me[5] rogant. Et hominem noro, et quid sibi voluerit.

XVIII. CICERO BRUTO S.

Quum saepe te literis hortatus essem, ut quam primum rei publicae subvenires, in Italiamque exercitum adduceres, neque id arbitrarer dubitare tuos necessarios: rogatus sum a prudentissima et diligentissima femina, matre tua, cuius omnes curae ad te referuntur, et in te consumuntur, ut venirem ad se a. d. IIX Kal. Sext. quod ego, ut debui, sine mora feci. Quum autem venissem, Casca aderat, et Labeo, et Scaptius. At illa retulit, quaesivitque, quidnam mihi videretur: arcesseremusne[6] te, atque id tibi conducere putaremus, an tardare et commorari te melius esset. Respondi id, quod sentiebam et dignitati et existimationi tuae maxime conducere, te primo quoque tempore ferre praesidium labenti et inclinatae paene rei publicae[7]. Quid enim abesse censes mali in eo bello, in quo victores exercitus fugientem hostem persequi noluerunt? et in quo incolumis imperator, honoribus amplissimis, fortunisque maximis, coniuge, liberis, vobis affinibus ornatus, bellum rei publicae indixerit? Quid dicam, in tanto senatus populique consensu, quum tantum resideat intra muros mali? Maximo autem, quum haec scribebam, afficiebar dolore: quod, quum me pro adolescentulo ac paene puero res publica accepisset vadem, vix videbar, quod promiseram, praestare posse. Est autem gravior et difficilior animi et sententiae, maximis praesertim in rebus, pro altero, quam pecuniae obligatio. Haec enim solvi potest, et est rei familiaris iactura tolerabilis: rei publicae quod spoponderis, quemadmodum solvas, nisi is dependi facile patitur, pro quo spoponderis? Quamquam et hunc (ut spero) tenebo multis repugnantibus. Videtur enim in eo esse indoles, sed flexibilis aetas, multique ad depravandum parati, qui, splendore falsi honoris obiecto, aciem boni ingenii praestringi[8] posse confidunt. Itaque ad reliquos hic quoque labor mihi accessit, ut omnes adhibeam

(1) ∞ *Octavius* Tunstalli €. p. 194. (2) Sic L. Middl. Tum rursus e Cdd. 1. 2. — om. *se* Iu. Crat. Grut. (3) ∞ *non* Iu. Crat. L. Mox L. *tum etiam Cic.* Dein *propria* del. censebat Ern. vel *proprie* leg. (4) = *tibi aliquid* Iu. Crat. L. (5) ∞ *meae* OIx. (6) — *arcesseremus* Sch. 2. errore typogr. (7) Sic OIx. Crat. Middl. — om. *paene* Iu. L. Ern. 1. 2. (8) Sic recte Margo Crat. Grut. Ern. 1. 2. — *perstringi* OIx. Iu. Crat. — *praestingui* L. ut volebat etiam Ern. qui praeterea leg. suadebat *confidant.*

machinas ad tenendum adolescentem, ne famam subeam temeritatis. Quamquam quae temeritas est? Magis enim illum, pro quo spopondi, quam me[1] obligavi. Nec vero poenitere potest rem publicam, me pro eo spopondisse, qui fuit in rebus gerendis quum[2] suo ingenio, tum mea promissione constantior. Maximus autem (nisi me forte fallit) in re publica nodus est inopia rei pecuniariae. Obdurescunt[3] enim magis quotidie boni viri ad vocem tributi: quod ex centesima collatum impudenti censu locupletum[4] in duarum legionum praemiis omne consumitur. Impendent autem infiniti sumptus quum[5] in hos exercitus, quibus nunc defendimur, tum vero in tuum. Nam Cassius noster videtur posse satis ornatus venire. Sed et haec, et multa alia coram cupio, idque quam primum. De sororis tuae filiis non exspectavi, Brute, dum scriberes. Omnino iam[6] tempora (bellum enim ducetur) integram tibi causam reservant. Sed ego a principio, quum divinare de belli diuturnitate non possem, ita causam egi puerorum in senatu, ut te arbitror e matris literis potuisse cognoscere. Nec vero ulla res erit unquam, in qua ego non vel vitae periculo ea dicam, eaque faciam, quae te velle, quaeque ad te pertinere arbitrer[7]. Vale. VI Kalend. Sext.

---

(1) ∞ *me ipsum* Crat. L. (2) = *tum* L. Sch. 2. (3) ∞ *Obsurdescunt* de Man. E. L. (4) = *locupletium* O1x. L. (5) = *tum* L. Sch. 2. (6) ∞ *omn. ipsa t.* O2x. Crat. (7) Sic ex Ed. Rom. Ern. 1. 2. — *arbitror* Iu. Grut. Middl. ∞ *arbitrabor* Crat. L.

M. TULLII CICERONIS
EPISTOLAE
AD
BRUTUM
A CRATANDRO PRIMUM EDITAE
SIVE (APUD SCHUETZIUM) LIBER SECUNDUS.

(Ex fide potissimum Editionis principis Cratandrinae, cum integra varietate Cratandrina, Lambiniana (L.), Middletoniana (Middl.), Ernestiana (Ern. 1.), et Schuetziana (Sch. 2.) Novavit in his epistolis quaedam, non in verbis quidem, sed in ordine, pro suo iure Sigonius Opp. T. VI. p. 807. ubi vide.)

I. CICERO BRUTO S.

Quum haec scribebam, res existimabatur in extremum adducta discrimen: tristes enim de Bruto nostro literae nuntiique afferebantur. Me quidem non maxime conturbabant. His enim exercitibus ducibusque, quos habemus, nullo modo poteram diffidere. Neque assentiebar maiori parti hominum. Fidem enim consulum non condemnabam[1], quae suspecta vehementer erat. Desiderabam nonnullis in rebus prudentiam et celeritatem; qua si essent usi, iampridem rem publicam[2] recuperassemus. Non enim ignoras, quanta momenta sint in re publica temporum: et quid intersit, idem illud utrum ante, an post decernatur, suscipiatur, agatur. Omnia, quae severe decreta sunt hoc tumultu, si aut, quo die dixi sententiam, perfecta essent, et non in diem ex die dilata, aut quo ex tempore suscepta sunt, ut agerentur, non tardata et procrastinata, bellum iam nullum haberemus. Omnia, Brute, praestiti rei publicae, quae praestare debuit is, qui esset in eo[3], in quo ego sum, gradu senatus populique iudicio collocatus: nec illa modo, quae nimirum sola ab homine sunt postulanda, fidem, vigilantiam, patriae caritatem: ea sunt enim, quae nemo est, qui non praestare debeat: ego autem ei, qui sententiam dicat in principibus de re publica, puto etiam prudentiam esse praestandam: nec me, quum mihi tantum sumpserim, ut gubernacula rei publicae

(1) — *contemnebam* Ern. susp. (2) Sic L. 1, 2. — *rem* Crat. Sigon. (3) — om. *in* Crat. Sigon.

prenderem, minus putarim reprehendendum, si inutiliter aliquid senatui suaserim, quam si infideliter. Acta quae sint, quaeque agantur, scio perscribi ad te diligenter. Ex me autem illud est, quod te velim habere cognitum, meum quidem animum in aciem[1] esse; neque respectum ullum quaerere, nisi me utilitas civitatis forte converterit. Maiores autem partes animi te Cassiumque respiciunt. Quamobrem ita te para, Brute, ut intelligas, aut, si hoc tempore bene res gesta sit, tibi meliorem rem publicam esse faciendam: aut, si quid offensum sit, per te esse eandem recuperandam.

II. CICERO BRUTO S.

Planci animum in rem publicam egregium, legiones, auxilia, copias ex literis eius, quarum exemplum tibi missum arbitror, perspicere potuisti. Lepidi, tui necessarii, qui secundum fratrem affines habet quos oderit proximos, levitatem et inconstantiam animumque semper inimicum rei publicae iam credo tibi ex tuorum literis esse perspectum. Nos exspectatio sollicitat, quae est omnis iam in extremum adducta discrimen. Est enim spes omnis in Bruto expediendo[2], de quo vehementer timebamus. Ego hic cum homine furioso satis habeo negotii, Servilio, quem tuli diutius, quam dignitas mea patiebatur: sed tuli rei publicae causa, ne darem perditis civibus hominem, parum sanum illum quidem, sed tamen nobilem, quo concurrerent: quod faciunt nihilo minus; sed eum alienandum a re publica non putabam. Finem feci eius ferendi. Coeperat enim esse tanta insolentia, ut neminem liberum duceret. In Planci vero causa exarsit incredibili dolore, mecumque per biduum[3] ita contendit, et a me ita fractus est, ut eum in perpetuum modestiorem sperem fore. Atque in hac contentione ipsa, quum maxime res ageretur a. d. v Idus Apriles literae mihi in senatu redditae sunt a Lentulo nostro, de Cassio, de legionibus, de Syria: quas statim quum recitavissem, cecidit Servilius, complures praeterea. Sunt enim insignes aliquot, qui improbissime sentiunt: sed acerbissime tulit Servilius, assensum esse mihi de Planco. Magnum illud monstrum in re publica est[4] * * * *Deest huius epistolae pars extrema.*

III. BRUTUS CICERONI S.

Deest principium epistolae[5].

* * sed quo nos amisisse: quem sic vexari a Dolabella audio, ut iam non videatur crudelissimum eius facinus interfectio Trebonii. Vetus Antistius me tamen pecunia sublevavit. Cicero, filius tuus, sic mihi se probat industria, patientia, labore, animi magnitudine, omni denique officio, ut prorsus nunquam dimittere videatur cogitationem, cuius sit filius. Quare quoniam efficere non possum, ut pluris facias eum, qui

---

(1) ∞ *in acie* L. (2) — *expedienda* Crat. (3) Sic Crat. L. M. — om. *per* Ern. 1. 2. (4) (— *nostrum* Ern. 1. err. typ.) Addit hic Middl. C. *ex quo* * * ex sequentis Epistolae initio. (5) Hoc fragmentum epistolae quintae agglutinavit Middl. C., hunc in modum: *hoc magis doleo, Asiam* * * *nos amisisse; quam sic vexari* — omissis ceteris: *at in Asiam - - acturus.*

tibi est carissimus; illud tribue iudicio meo, ut tibi persuadeas, non fore illi abutendum gloria tua, ut adipiscatur honores paternos. Kalend. April. Charachio[1].

IV. CICERO BRUTO S.

Datis mane a. d. vi[2] Id. April. Scaptio literis, eodem die tuas accepi Kal. April. Dyrrhachio datas vesperi. Itaque mane prid. Id. Apr. quum a Scaptio certior factus essem, non esse eos profectos, quibus pridie dederam[3], et statim ire, hoc paullulum exaravi ipsa in turba matutinae salutationis. De Cassio laetor, et rei publicae gratulor: mihi etiam, qui, repugnante et irascente Pansa, sententiam dixerim, ut Dolabellam bello Cassius persequeretur. Et quidem audacter dicebam, sine nostro senatusconsulto[4] iam illud cum bellum gerere. De te etiam dixi tum, quae dicenda putavi. Haec ad te oratio perferetur, quoniam te video delectari Philippicis nostris. Quod me de Antonio consulis; quoad Bruti exitum cognorimus, custodiendum puto. Ex his[5] literis, quas mihi misisti, Dolabella Asiam vexare videtur, et in ea se gerere teterrime. Compluribus autem scripsisti, Dolabellam a Rhodiis esse exclusum: qui si ad Rhodum accessit, videtur mihi Asiam reliquisse. Id si ita est, istic tibi censeo commorandum: sin eam semel cepit, mihi crede, ** non erit. Id. April[6].

V. BRUTUS CICERONI S.

Literas tuas valde exspecto, quas scripsisti post nuntios nostrarum rerum, et de morte Trebonii: non enim dubito, quin mihi consilium tuum explices. Indigno scelere et civem optimum amisimus, et provinciae possessione pulsi[7] sumus, quam recuperari facile est. Neque minus turpe aut flagitiosum erit, si potest, non recuperari[8]. Antonius adhuc est nobiscum: sed medius fidius et moveor hominis precibus, et timeo, ne illum aliquorum furor excipiat: plane aestuo. Quod si scirem, quid tibi placeret, sine sollicitudine essem. Id enim optimum esse, persuasum esset mihi. Quare quam primum fac me certiorem, quid tibi placeat. Cassius noster Syriam, legiones[9] Syriacas habet, ultro quidem a Murco et a Marcio, et ab exercitu ipso arcessitus. Ego scripsi ad Tertiam sororem, et matrem, ne prius ederent hoc, quod optime ac felicissime gessit Cassius, quam tuum consilium cognovissent, tibique visum esset. Legi orationes duas tuas, quarum altera Kal. Ian. usus es: altera de literis meis, quae habita est abs te contra Calenum. Nunc scilicet hoc exspectas, dum eas laudem. Nescio animi, an ingenii tui maior in his libellis laus contineatur. Iam concedo, ut vel Philip-

---

(1) Sic Crat, Ern. 1. — *Carachio* L. ∞ *Dyrrhachio* Recte, ut opinor, Middl. Sch. 2. Vide Epist. seq. (2) — *a. d. III.* Middl. (3) — *dederat* Middl. (4) — *nostro* displicebat Ernestio. Sed quid in his non displiceat? Tum Ernestius affirmat in Ed. Cratandr. exstare *senaticonsulto* ut habet L. Ern. 1. Sch. 2. sed ea omnibus literis dat *senatusconsulto*, quod restitui. (5) Lege *iis*. (6) — *mihi crede, non erit; at in Asiam censeo persequendum. Nihil - - - acturus* (ex fine seq. epistolae.) ** *Quod egere* cet. Ep. VI. Middl. (7) Sic Crat. — *depulsi* L. Middl. 1. 2. (8) Sic e nescio cuius emendatione L. Middl. Ern. 1. 2. — *flag. erit, potest recuperari* Crat. (9) — *et leg.* Middl.

pici vocentur, quod tu quadam epistola iocans scripsisti. Duabus rebus egemus, Cicero, pecunia et supplemento: quarum altera potest abs te expediri, ut aliqua pars militum istinc mittatur nobis, vel secreto consilio adversus Pansam, vel actione in senatu: altera, quae[1] magis est necessaria, neque meo exercitui magis, quam reliquorum. Hoc magis doleo Asiam ** at in Asiam censeo persequendum. Nihil mihi videris hoc tempore melius acturus.

VI. CICERO BRUTO S.

Quod egere te duabus necessariis rebus scribis, supplemento et pecunia, difficile consilium est. Non enim mihi occurrunt facultates, quibus uti te posse videam, praeter illas, quas senatus decrevit, ut pecunias a civitatibus mutuas sumeres. De supplemento autem non video quid fieri possit. Tantum enim abest, ut Pansa de exercitu suo, aut[2] delectu tibi aliquid tribuat, ut etiam[3] moleste ferat, tam multos ad te ire voluntarios: quomodo equidem[4] credo, quod his rebus, quae in Italia decernuntur, nullas copias nimis magnas esse arbitretur: quomodo autem multi suspicantur, quod[5] ne te quidem nimis firmum esse velit: quod ego non suspicor. Quod scribis, te ad Tertiam sororem scripsisse, ut ne prius ederent ea, quae gesta a Cassio essent, quam mihi visum esset, video te veritum esse id, quod verendum fuit, ne animi partium Caesaris, quomodo etiam nunc partes appellantur, vehementer commoverentur. Sed antequam tuas literas accepimus, audita res erat, et pervulgata: tui etiam tabellarii ad multos familiares tuos literas attulerant. Quare neque supprimenda res erat, praesertim quum id fieri non posset, neque si posset, non divulgandam potius, quam occultandam putaremus. De Cicerone meo, et si tantum est in eo, quantum scribis, tantum scilicet, quantum debeo[6], gaudeo: et si, quod amas eum, eo maiora facis: id ipsum incredibiliter gaudeo, a te eum diligi[7].

VII. CICERO BRUTO S.

Quae literae tuo nomine recitatae sint[8] Id. April. in senatu, eodemque tempore Antonii, credo ad te scripsisse tuos: quorum ego nemini concedo. Sed nihil necesse erat eadem omnes: illud necesse me ad te scribere, quid sentirem tota de[9] constitutione huius belli, et quo iudicio essem, quaque sententia. Voluntas mea, Brute, de summa re publica semper eadem fuit, quae tua: ratio quibusdam in rebus (non enim omnibus) paullo fortasse vehementior. Scis mihi semper placuisse, non rege solum, sed regno liberari rem publicam. Tu lenius, immortali omnino cum tua laude: sed quid melius fuerit, magno dolore sensimus, magno periculo sentimus. Recenti illo tempore, tu omnia ad pacem, quae oratione confici non poterat[10]: ego omnia ad libertatem, quae sine pace nulla est: pacem ipsam bello atque armis effici posse arbitrabar. Studia non decrant[11] arma

---

([1]) — *quae* del. censebat Ern. ([2]) — *ut* Sch. 2. errore typogr.? ([3]) — *et iam* Crat. ([4]) Sic Crat. L. Middl. — *quidem* Ern. 1. 2. ([5]) — om. *quod* Crat. ([6]) — *debeo* Ern. susp. ([7]) — addit *Prid. Id. April.* Middl. ([8]) — *sunt* Crat. ([9]) Sic Crat. = *de tota* L. Middl. 1. 2. ([10]) — *poterant* Crat. ([11]) Sic Crat, L. — *deerunt* Middl. Ern. 1. 2.

poscentium, quorum repressimus impetum, ardoremque restinximus. Itaque res in eum locum venerat, ut, nisi Caesari Octaviano deus quidam illam mentem dedisset, in potestatem perditissimi hominis et turpissimi M. Antonii veniendum fuerit[1]: quocum vides hoc tempore ipso, quod sit, quantumque certamen. Id profecto nullum esset, nisi tum conservatus esset Antonius. Sed haec omitto. Res enim a te gesta memorabilis et paene caelestis repellit omnes reprehensiones: quippe quae ne laude quidem satis idonea affici possit. Exstitisti nuper vultu severo: exercitum, copias, legiones idoneas per te brevi tempore comparasti. Dii immortales! qui ille nuntius, quae illae literae, quae laetitia senatus, quae alacritas civitatis erat! Nihil unquam vidi tam omnium consensione laudatum. Erat exspectatio reliquiarum Antonii: quem equitatu, legionibusque magna ex parte spoliaveras. Ea quoque habuit exitum optabilem. Nam tuae literae, quae recitatae in senatu sunt, et imperatoris consilium, et militum virtutem, et industriam tuorum, in quibus Ciceronis mei, declarant. Quod si tuis placuisset, de his literis referri, et nisi in tempus turbulentissimum, post discessum Pansae consulis, incidissent, honos quoque iustus et debitus diis immortalibus decretus esset. Ecce tibi Idib. April. advolat mane celer Pilus, qui vir! dii boni, quam gravis! quam constans! quam bonarum in re publica partium! Hic epistolas affert duas, unam tuo nomine, alteram Antonii; dat Servilio tribuno plebis; ille Cornuto: recitantur in senatu. ANTONIVS PROCOS. Magna admiratio, ut si esset recitatum, DOLABELLA IMPERATOR, a quo quidem venerant tabellarii: sed nemo Pili similis, qui proferre literas auderet, aut magistratibus reddere. Tuae recitantur, breves illae quidem, sed in Antonium admodum lenes. Vehementer admiratus senatus. Mihi autem non erat explicatum, quid agerem. Falsas dicerem? quid? si tu eas approbasses? Confirmarem? non erat dignitatis tuae. Itaque ille dies silentio. Postridie autem quum sermo increbuisset[2], Pilusque oculos vehementius hominum offendisset, natum omnino est principium a me. De proconsule Antonio multa: Sextius causae non defuit. Post mecum: quanto suum filium, quanto meum in periculo futurum duceret[3], si contra proconsulem arma tulissent. Nosti hominem: causae non defuit. Dixerunt etiam alii. Labeo vero noster nec signum tuum in epistola, nec diem appositum, nec te scripsisse ad tuos, ut soleres. Hoc cogere volebat, falsas literas esse, et, si quaeris, probabat. Nunc tuum est consilium, Brute, de toto genere belli. Video te lenitate delectari, et eum putare fructum esse maximum: praeclare quidem, sed aliis rebus, aliis temporibus, locus esse solet debetque clementiae. Nunc quid agitur[4], Brute? Templis deorum immortalium imminet hominum egentium et perditorum spes, nec quidquam aliud decernitur hoc bello, nisi utrum simus, necne. Cui parcimus, aut quid agimus? His ergo consulimus, quibus victoribus vestigium nostrûm nullum relinquetur? Nam quid interest inter Dolabellam, et quemvis Antoniorum trium? quorum si cui parcimus, duri fuimus in Dolabella. Haec ut ita sentiret senatus populusque Romanus, etsi res ipsa cogebat, tamen maxima ex parte nostro consilio atque

(1) — *fuit* Crat. (2) Sic Crat. = *increbruisset* L. Middl. 1. 2. (3) — *diceret* Crat. L. (4) — *agatur* Crat.

auctoritate perfectum est. Tu si hanc rationem non probas, tuam sententiam defendam, non relinquam meam. Neque dissolutum a te quidquam homines exspectant, nec[1] crudele. Huius rei moderatio facilis est, ut in duces vehemens sis, in milites liberalis. Ciceronem meum, mi Brute, velim quam plurimum tecum habeas. Virtutis disciplinam meliorem reperiet nullam, quam contemplationem atque imitationem tui. XIII[2] Kalend. Maias[3].

VIII. CICERO OCTAVIO S.[4]

Si per tuas legiones mihi licitum fuisset, quae nomini meo, populoque Romano sunt inimicissimae, venire in senatum, coramque de re publica disputare, fecissem: neque tam libenter, quam necessario. Nulla enim remedia, quae vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quam quae sunt salutaria. Sed quoniam cohortibus armatis circumsaeptus senatus, nihil aliud vere potest decernere, nisi timere[5]: (in Capitolio signa sunt, in urbe milites vagantur, in Campo castra ponuntur, [et[6]] Italia tota, legionibus ad libertatem nostram conscriptis, ad servitutem adductis, equitatuque exterarum nationum, distinetur[7]:) cedam tibi in praesentia foro, curia, et sanctissimis deorum immortalium templis: in quibus, reviviscente iam libertate, deinde rursus oppressa, senatus nihil consulitur[8], timet multa, assentitur omnia. Post etiam paullo, temporibus ita postulantibus, cedam urbe: quam per me conservatam, ut esset libera, in servitute videre non potero. Cedam vita, quae quamquam sollicita est, tamen, si profutura[9] est rei publicae, bona[10] spe posteritatis me consolatur: qua sublata, non dubitanter occidam, atque ita cedam, ut fortuna iudicio meo, non animus mihi defuisse videatur. Illud vero, quod et praesentis doloris est indicium, et praeteritae iniuriae testimonium, et absentium sensus significatio, non praetermittam, quin, quoniam coram id facere prohibeor, absens prosim: siquidem mea salus aut utilis rei publicae est, aut coniuncta certe publicae saluti. Nam, per deûm immortalium fidem, (nisi forte frustra eos appello, quorum aures atque animus a nobis abhorrent[11],) perque fortunam populi Romani, (quae, quamquam nobis infesta est[12], fuit aliquando[13] propitia, et ut spero, futura est,) quis tam expers humanitatis, quis huius urbis nomini ac sedibus usque adeo est inimicus, ut ista aut dissimulare possit, aut non dolere? aut, si nulla ratione publicis incommodis mederi queat, non morte proprium periculum vitet? Nam, ut ordiar ab initio, et perducam ad extremum, et novissima conferam primis, quae[14] non posterior dies acerbior priore? et quae non insequens hora antecedente calamitosior populo Romano illuxit? M. Antonius, vir animi maximi,

---

(1) Sic Crat. — *neque* L. Middl. 1. 2. (2) — *XVI.* Middl. (3) Sic Crat. — *Mai.* L. — *Maii.* Midd. 1. 2. (4) Haec epistola etsi ab Erasmo in Ep. ad Io. Ulattenum p. XVII. ante *Tusculanas* Wolfii magnificis laudibus celebrata, manifesto tamen supposititia reperitur iam in Edd. vett. ante Crat. ∞ *Octaviano* Crat. (5) ∞ *se timere* Crat. satis argute. (6) ∞ om. *et* Crat. L. Habet Iu. Nos [ ]. (7) — *detinetur* Iu. Crat. (8) — *consulit* Iu. Crat. (9) — *profectura* L. (10) — om. *bona* Crat. (11) = *abhorret* L. ∞ *quorum auris atque animus a nobis abhorret* Iu. ∞ *qu. et animus et auris abhorret a nobis* Crat. (12) Sic Iu. L. 1. 2. ∞ *etsi nunc infesta est nobis* Crat. (13) ∞ *f. tamen al.* L. (14) — *qui* L.

(utinam etiam sapientis[1] consilii fuisset!) C. Caesare, fortissime, sed parum feliciter, a rei publicae dominatione summoto, concupierat magis regium[3], quam libera civitas pati poterat[4], principatum. Publicam dilapidabat pecuniam, aerarium exhauriebat, minuebat vectigalia, donabat civitates[5]: ex commentario dictaturam gerebat; leges imponebat; prohibebat dictatorem creari plebiscito; ipse regnabat in consulatu[6]: provincias unus omnes concupiebat. Cui sordebat Macedonia provincia, quam victor sibi sumpserat Caesar, quid de hoc sperare aut exspectare nos oportebat? Exstitisti tu vindex nostrae libertatis, ut tunc[7] quidem, optimus, (quod utinam neque nostra nos opinio, neque tua fides fefellisset!) et veteranis in unum conductis, et duabus legionibus a pernicie patriae ad salutem avocatis, subito prope iam affectam ac prostratam rem publicam tuis opibus extulisti. Quae tibi non ante, quam postulares; maiora, quam velles: plura, quam sperares, detulit senatus? Dedit fasces, ut cum auctoritate defensorem haberet, non ut imperio se adversum[8] armaret. Appellavit imperatorem, hostium exercitu pulso, tribuens honorem, non ut sua caede caesus ille fugiens exercitus te nominaret imperatorem. Decrevit in foro statuam, locum in senatu, summum honorem ante tempus. Si quid aliud est, quod dari possit, addat[9]. Quid aliud est maius, quod velis sumere? Sin autem supra aetatem, supra consuetudinem, supra etiam mortalitatem tuam tibi sunt omnia tributa: cur aut ingratus crudeliter, aut immemor beneficii sui[10] scelerate circumscribis senatum? Quo te misimus? a quibus reverteris? contra quos armavimus? quibus arma cogitas inferre? a quibus exercitum abducis? et quos adversus aciem struis[11]? Cur hostis relinquitur? civis hostis loco ponitur? cur castra medio[12] itinere longius adversariorum castris, et propius urbem moventur? O me nunquam sapientem, et aliquando id[13], quod non eram, frustra existimatum! quantum te, populе Romane, de me fefellit opinio? O meam calamitosam ac praecipitem senectutem! O turpem exacta dementique aetate canitiem! Ego patres conscriptos ad parricidium induxi: ego rem publicam fefelli: ego ipse[14] senatum sibi manus afferre coëgi, quum te, Iunonium puerum, et matris tuae partum aureum esse dixi. At te fata patriae Paridem futurum praedicabant[15], qui vastares urbem incendio, Italiam bello, qui castra in templis deorum immortalium, senatum in castris habiturus esses. O miseram, et in brevi tam celerem et tam variam rei publicae commutationem! Quisnam tali futurus ingenio est, qui possit haec ita mandare literis, ut facta, non ficta videantur esse? Quis erit tanta animi facilitate, qui, quae verissime memoria[16] propagata fuerint, non fabulae similia sit existimaturus? Cogita enim Antonium hostem iudicatum, ab eo circumsessum consulem designatum, eundemque rei publicae parentem: te profectum ad consulem

---

([1]) = *sap. etiam* Crat. ([2]) — *semoto* Iu. Crat. L. ([3]) = *regium magis* Crat. ([4]) ∞ *quam quem l. c. pati posset* L. ([5]) Sic Iu. Cr. 1. 2. ∞ *civitate* L. ∞ *civitates, immunitate nationes* Crat. ([6]) ∞ *creari legibus; senatus consulto ipse repugnabat in* senatu Iu. Crat. L. Middl. ([7]) — *nunc* Sch. 2. errore typogr.? ([8]) = *adversus* Crat. ([9]) ∞ *addet* Crat. ([10]) Sic Iu. Crat. L. — om. *sui* Ern. 1. 2. ([11]) = *et adv. quos* Iu. = *abducis? adversus quos* L. Middl. ∞ *instruis* Crat. ([12]) — *ex medio* Crat. ([13]) — om. *id* L. — *aliq. tamen id* Crat. ([14]) ∞ *ipsum* Crat. ([15]) ∞ *praedicebant* L. solus. ([16]) Sic Iu. 1. 2. ∞ *memoriae* Crat. L.

liberandum et hostem opprimendum, hostemque a te fugatum, et consulem obsidione liberatum: deinde paullo post fugatum illum hostem arcessitum, tamquam coheredem mortua re publica ad bona populi Romani capienda[1]: consulem designatum rursum[2] inclusum eo, ubi se non moenibus, sed fluminibus et montibus tueretur. Haec quis conabitur exponere? quis credere audebit? liceat semel impune peccasse[3]: sit erranti medicina confessio. Verum enim dicam. Utinam te potius, Antoni, dominum non expulissemus, quam hunc reciperemus! non quod[4] ulla sit optanda servitus, sed quia dignitate domini minus turpis est fortuna servi. In duobus autem malis quum fugiendum maius sit, levius est eligendum. Ille tamen ea[5] exorabat, quae volebat auferre: tu extorques. Ille consul provinciam petebat: tu privatus concupisti. Ille ad malorum salutem iudicia constituebat, et leges ferebat: tu ad perniciem optimorum. Ille a sanguine et incendio servorum Capitolium tuebatur: tu cruore et flamma cuncta delere vis. Si, qui dabat provincias Cassio, et Brutis, et illis custodibus nominis nostri, regnabat, quid faciet, qui vitam adimit? si, qui urbe[6] eiiciebat, tyrannus erat: quem hunc vocemus, qui ne locum quidem reliquit exsilio? Itaque si quid illae maiorum nostrorum sepultae reliquiae sapiunt, si non una cum corpore sensus omnis, uno atque eodem consumptus est igni; quid illis interrogantibus, quid agat nunc populus Romanus, respondebit aliquis nostrûm, qui proximus in illam aeternam domum discesserit[7]? aut quem accipient de suis posteris nuntium illi veteres Africani, Maximi, Paulli, Scipiones? quid de sua patria audient, quam spoliis triumphisque decorarunt? an esse quendam annos XVII[8] natum, cuius avus fuerit argentarius, adstipulator pater; uterque vero precarium quaestum fecerit, sed alter usque ad senectutem, ut non negaret: alter a pueritia, ut non posset non confiteri: eum agere, rapere rem publicam, cui nulla virtus, nullae bello subactae et ad imperium adiunctae provinciae, nulla dignitas maiorum conciliasset eam potentiam[9], sed forma per dedecus, pecuniam et[10] nomen nobile conscelerato impudicitia[11] dedisset: veteres vulneribus et aetate confectos Iulianos gladiatores, egentes reliquias Caesaris ludi[12], ad rudem compulisset? quibus ille saeptus omnia misceret, nulli parceret, sibi viveret. Qui tamquam in dotali matrimonio rem publicam testamento legatam sibi[13] obtineret. Audient duo Decii servire eos cives, qui ut hostibus imperarent, victoriae se devoverunt. Audiet C. Marius impudico domino parere nos, qui ne militem quidem habere voluit nisi pudicum. Audiet Brutus eum populum, quem ipse primo, post progenies eius a regibus liberavit, pro turpi stupro datum in servitutem. Quae quidem si nullo alio, me tamen internuntio ad illos celeriter[14] deferentur. Nam si vivus ista subterfugere non potero, una cum istis vitam simul fugere decrevi.

([1]) Sic Iu. Crat. L. et est legitimum verbum de herede. — *rapienda* Middl. Ern. 1. 2. ([2]) = *rursus* Middl. ([3]) — *peccare* Iu. Crat. L. ([4]) = *non quo* Iac. Gronov. e Cld. ([5]) — *ea tamen* Iu. Crat. ([6]) = *ex urbe* Iu. Crat. ([7]) Sic Iu. Crat. L. Middl. — *decesserit* Ern. 1. 2. ([8]) Sic Ern. 1. 2. — *XIII.* Middl. — *XIIII.* Iu. — *XVI.* Crat. — *XXIII.* L. ([9]) ∞ *conciliasset opem potentium* Iu. Crat. L. Middl. Fortasse: *opes et potentiam*, vel *opes*, omisso gloss. *potentiam*. ([10]) ∞ om. *et* L. ([11]) Sic. Middl. Ern. 1. 2. — *impudicitiae* Iu. Crat. — *conscelerata impudicitia* L. ([12]) = *ludi Caesaris* L. ([13]) = *test. r. p. sibi leg.* Crat. ([14]) = *celeriter ad illos* L.

C. SALLUSTII CRISPI
IN
M. T. CICERONEM
ORATIO.

NISI
POTIUS INCERTI SCRIPTORIS DECLAMATIO EST.

(Ex recensione potissimum Ernestiana, passim correcta, cum integra varietate Lambiniana (L.), Cortiana (C.), et Ernestiana (Ern. 1.); Schuetzius non habet.)

I. 1. Graviter et iniquo animo maledicta tua paterer, M. Tulli, si te scirem iudicio magis, quam morbo animi petulantia ista uti. Sed quum in te neque modum, neque modestiam ullam animadverto, respondebo tibi: ut[1], si quam male dicendo voluptatem[2] cepisti, eam male audiendo amittas. Ubi querar? quos implorem, Patres conscripti? diripi rem publicam atque audacissimo cuique esse perfidiae[3]? Apud populum Romanum, qui ita largitionibus corruptus est, uti sese[4], ac fortunas suas venales habeat? an apud vos, Patres conscripti? quorum auctoritas turpissimo cuique et sceleratissimo ludibrio est, ubi M. Tullius leges, iudicia populi Romani defendit, atque in hoc ordine ita moderatur, quasi unus reliquus ex familia viri clarissimi, Scipionis Africani, ac non reperticius, adscitus[5], ac[6] paullo ante insitus huic urbi civis. 2. An vero, M. Tulli, facta ac dicta tua obscura sunt? an non ita a pueritia vixisti, ut nihil flagitiosum corpori tuo putares, quod alteri collibuisset? [An[7]] scilicet istam immoderatam eloquentiam apud M. Pisonem, non pudicitiae iactura perdidicisti[8]? Itaque minime mirandum est, si[9] eam flagitiose venditas, quam turpissime parasti. II. Verum, ut opinor, splendor domesticus tibi animos attollit[10]: uxor sacrilega, ac periuriis debilitata[11]: filia matris pellex tibi iucundior, atque obsequentior, quam parenti par est. Domum ipsam tuam vi, et rapinis, funestam tibi, ac tuis, comparasti: videlicet, ut nos commone-

---

(1) Sic L. Ern. 1. = *uti* Cortius semper. (2) Sic C. = *volupt. male dic.* L. Ern. 1. (3) ∞ *perfidiae locum* Cdd. aliq. L. (4) Sic L. C. ∞ *ut se ipse* Ern. 1. (5) Sic Cdd. aliq. Ern. 1. ∞ *repticius*, *accitus* L. C. Nec *reperticius*, quod h. l. verum puto, nec *repticius* habet Forcellinus. (6) = *et* L. Ern. 1. (7) ∞ *An* om. C. Nos [ ]. (8) Sic L. C. — *perdidisti* Ern. 1. (9) Sic L. Ern. 1. ∞ *quod* C. (10) Sic C. ∞ *tollit* Cdd. aliq. L. Ern. 1. (11) Sic Cdd. aliq. Ern. 1. ∞ *delibata* L. C.

facias, quam conversa res sit publica[1], quum in ea domo habitares, homo flagitiosissime, quae P. Crassi, viri clarissimi[2], fuit. 3. Atque haec quum[3] ita sint, tamen se Cicero[4] dicit in concilio deorum immortalium fuisse, inde missum huic urbi, civibusque custodem, absque carnificis nomine, qui civitatis incommodum in gloriam suam ponit. Quasi vero non illius coniurationis causa fuerit consulatus tuus, et idcirco res publica disiecta eo tempore, quod[5] te custodem habebat. Sed, ut opinor, illa te magis extollunt, quae post consulatum cum Terentia uxore de re publica consuluisti, quum legis Plautiae[6] iudicia domi faciebatis: ex coniuratis alios morte, alios pecunia condemnabas[7]; quum tibi alius Tusculanam, alius Pompeianam villam exaedificabat[8], alius domum emebat: qui vero nihil poterat, is erat calumniae proximus: is aut domum tuam oppugnatum venerat, aut insidias senatui fecerat: denique de eo tibi compertum erat. 4. Quae si tibi falsa obiicio, redde rationem, quantum patrimonii[9] acceperis, quid tibi litibus accreverit, qua ex pecunia domum paraveris, Tusculanum et Pompeianum infinito sumptu aedificaveris: aut, si retices, cui potest esse dubium[10], quin opulentiam istam ex sanguine et miseriis civium paraveris? III. Verum, ut opinor, homo novus Arpinas, ex C. Marii[11] familia, eius virtutem imitatur, contemnit simultatem hominum nobilium, rem publicam caram habet, neque terrore, neque gratia commovetur. 5. † Aliud vero amicitia tantum, ac virtus est amici[12]. Immo vero homo levissimus, supplex inimicis, amicis[13] contumeliosus, modo harum, modo illarum partium, fidus nemini[14], levissimus senator, mercenarius patronus, cuius nulla pars corporis a turpitudine vacat, lingua vana, manus rapacissimae, gula immensa, pedes fugaces: quae honeste nominari non possunt, inhonestissima. Atque is quum eiusmodi sit, tamen audet dicere: „*O fortunatam natam me consule Romam!*" Te consule fortunatam, Cicero? immo vero infelicem, et miseram, quae crudelissimam proscriptionem civium[15] perpessa est, quum tu, perturbata[16] re publica, metu perculsos omnes bonos parere crudelitati tuae cogebas: quum omnia iudicia, omnes leges in tua libidine erant: quum tu, sublata lege Porcia, erepta libertate, nostrûm omnium vitae necisque potestatem ad te unum revocaveras. 6. Atque parum est, quod impune fecisti, verum etiam commemorando exprobras, neque licet oblivisci his servitutis tuae[17]. Egeris, oro te, Cicero; perfeceris quod libet: satis est perpessos esse: etiamne aures nostras onerabis tuo odio[18]? etiamne molestissimis verbis insectabere? „*Cedant arma togae, concedat laurea linguae.*" Quasi

---

(1) — *quam conversa esset res p.* L. (2) ∞ *v. consularis* L. C. (3) Sic L. C. = *quum haec* Ern. 1. (4) = *Cic. se* C. (5) — *quo* C. (6) — *Planciae* L. (7) ∞ *ex coniuratis alios condemnabas, alios pecuniae absolvebas* L. (8) Sic Cdd. aliq. Ern. 1. — *aedificabat* L. C. (9) — *patrimonium* L. (10) = *cui dubium potest esse* C. (11) Sic C. — *M. Crassi* Cdd. pleriq. L. Ern. 1. (12) Sic corrupte sane, Grut. Ern. 1. ∞ *Illud verae amicitiae, hoc virtutis est animi* L. — *Illud vero amicitiae tantum, ac virtutis est animi* Cortius, quem vide. (13) — *in amicos* L. (14) = *nemini fidus* L. (15) — om. *civium* Cdd. aliq. L. (16) — *turbata* L. (17) Sic Cdd. aliq. Ern. 1. ∞ *neque licet oblivisci servitutis suae* L. C. (18) = *odio tuo on.* C.

vero togatus, et non armatus, ea, quae gloriaris, confeceris: atque inter te, Sullamque dictatorem, praeter nomen imperii, quidquam interfuerit. IV. 7. Sed quid ego plura de tua insolentia commemorem? quem Minerva omnes artes edocuit, Iupiter optimus maximus in concilium[1] deorum admisit, Italia exsulem humeris suis reportavit. Oro te, Romule Arpinas, qui egregia tua virtute omnes Paullos, Scipiones, Fabios superasti, quem tandem locum in hac civitate obtines? quae tibi partes rei publicae placent? quem amicum, quem inimicum habes? cui insidias in civitate fecisti, ancillaris? quo iure[2], quum de exsilio tuo Dyrrhachio rediisti, eum sequeris[3]? quos tyrannos appellabas, eorum nunc[4] potentiae faves? qui tibi ante optimates videbantur, eosdem nunc dementes ac furiosos vocas? Vatinii causam agis? de Sextio male existimas? Bibulum petulantissimis verbis laedis? laudas Caesarem? quem maxime odisti, ei maxime obsequeris? Aliud stans, aliud sedens de re publica sentis; his male dicis, illos odisti, levissime transfuga, neque in hac, neque in illa parte fidem habes[5].

M. TULLII CICERONIS
UT
FALSO INSCRIBITUR,
IN
C. SALLUSTIUM CRISPUM RESPONSIO.

I. 1. Ea demum magna voluptas est, Crispe Sallusti[6], aequalem[7] ac parem verbis vitam agere: neque quidquam tam obscenum dicere, cui non ab initio pueritiae omni genere facinoris aetas tua respondeat: ut omnis oratio moribus consonet. Neque enim qui ita vivit, ut tu, aliter, ac tu, loqui potest: neque qui tam illoto sermone utitur, vita honestior est. Quo me vertam, Patres conscripti? unde initium sumam? maius enim mihi dicendi onus imponitur, quo notior est uterque nostrûm. Quod aut, si de mea vita atque actibus[8] huic conviciatori respondero, invidia gloriam[9] consequetur: aut, si huius facta, mores, omnem aetatem nudavero, in idem vitium incidam procacitatis, quod huic obiicio. Id vos, si forte offendimini, iustius huic, quam mihi, succensere debetis, qui initium introduxit[10]. 2. Ego dabo operam, ut et pro me minimo cum fastidio respondeam, et in hunc minime mentitus esse videar. Scio me, Patres conscripti, in respondendo non habere magnam exspectationem, quod nullum vos sciatis novum crimen

(1) Sic Cdd. aliq. Ern. 1. ∞ *concilio* Alii Cdd. L. C. (2) Verba *quo iure* Lamb. transponit ante v. *cui insidias.* (3) ∞ *sequebaris* Edd. vett. C. (4) ∞ om. *nunc* bis cum Cdd. C. Idem non habet interrogandi signa. (5) ∞ *habens* L. (6) Sic L. C. — *C. Sallusti* Ern. 1. (7) — *te aeq.* L. (8) — *actis* L. (9) Sic Cdd. L. Cortius, quem vide — *invidiam gloria* Ern. 1. (10) Verba *qui in intr.* Lamb. collocat post v. *iustius huic.*

in Sallustium audituros: sed omnia vetera recognituros, queis et meae, et vestrae iam, et ipsius aures calent[1]. Verum eo magis odisse debetis hominem, qui ne incipiens quidem peccare, minimis rebus posuit rudimentum: sed ita ingressus est, ut neque ab alio vinci possit, neque ipse se omnino reliqua aetate praeterire. 3. Itaque nihil aliud studet, nisi, ut lutulentus sus, cum quovis volutari. Longe vero fallitur opinione. Non enim procacitate linguae vitae sordes eluuntur: sed est quaedam calumnia, quam unusquisque nostrûm testante animo suo fert, de eo, qui falsum crimen bonis obiectat. Quod si vita istius memoriam vicerit: illam, Patres conscripti, non ex oratione, sed ex moribus suis[2] spectare debetis. Iam dabo operam, quam maxime potero, ut breve[3] id faciam. Neque haec altercatio nostra vobis inutilis erit, Patres conscripti. Plerumque enim res publica privatis crescit inimicitiis: ubi nemo civis, qualis sit vir, potest latere.

II. 4. Primum igitur, quoniam omnium maiores Crispus Sallustius[4] ad unum exemplum et regulam quaerit, velim mihi respondeat, numquid hi, quos protulit, Scipiones, et Metellos, vel Fabios, ante fuerint aut opinionis[5], aut gloriae, quam eos res gestae suae, et vita innocentissime acta commendavit. Quod si hoc fuit illis initium nominis et dignitatis: cur non aeque de nobis[6] existimetur, cuius et res gestae illustres, et vita integerrime acta? Quasi vero tu sis ab illis viris, Sallusti, ortus! Quod si esses, nonnullos iam tuae turpitudinis pigeret. 5. Ego meis maioribus virtute mea praeluxi, ut, si prius noti non fuerint, a me accipiant initium memoriae suae: tu tuis vita[7], quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras: ut, etiamsi fuerint egregii cives, certe venerint in oblivionem. Quare noli mihi antiquos viros obiectare. Satius est enim me meis rebus gestis florere, quam maiorum opinione niti: et ita vivere, ut ego sim posteris meis nobilitatis initium, et virtutis exemplum. Neque me cum iis conferri decet, Patres conscripti, qui iam decesserunt, omnique odio carent, et invidia: sed cum eis, qui mecum una in re publica versati sunt. 6. Sed si fuerim[8] aut in honoribus petendis nimis ambitiosus, (non hanc dico popularem ambitionem, cuius me principem confiteor, sed illam perniciosam contra leges, cuius primos ordines Sallustius duxit,) aut in gerendis magistratibus, aut in vindicandis maleficiis tam severus, aut in tuenda re publica tam vigilans, quam tu proscriptionem vocas: credo quod non omnes tui similes incolumes in hac urbe vixissent: at quanto meliore loco res publica staret, si tu par, ac similis scelestorum civium, una cum illis adnumeratus esses? 7. An ego tunc falso scripsi, *Cedant arma togae*, qui togatus armatos, et pace bellum oppressi? An illud mentitus sum, *Fortunatam natam me consule Romam*, qui tantum intestinum bellum, ac domesticum urbis incendium exstinxi? III. Neque te tui piget, homo levissime, quum ea culpas, quae in historiis gloriae mihi[9] ducis? An turpius est, Patres conscripti, scribentem mentiri, quam illum palam

(1) Sic Cdd. L. C. Agnoscit Forcellinus. ∞ *callent* Ern. 1. (2) Sic Cdd. C. = *suis ex mor.* Ern. 1. — *ex ipsius mor.* L. (3) ∞ *brevi* C. (4) Sic L. C. — *C. Sall.* Ern. 1. (5) — *et Metelli, ante fuerint ullius opinionis* L. (6) — *de me* L. (7) — *vitae* Cdd. aliq. L. (8) ∞ *Sed fuerim* Cortii suspic. (9) = *mihi gl.* C.

hoc ordine[1] dicentem? Nam quod aetatem increpuisti: tantum me abesse puto ab impudicitia, quantum tu a pudicitia[2]. 8. Sed quid ego de te plura querar? Quid enim mentiri turpe dueces, qui mihi ausus sis eloquentiam, ut vitium, obiicere? cuius semper nocens[3] eguisti patrocinio. An ullum existimas posse fieri civem egregium, qui non his artibus et disciplinis sit eruditus? an ulla alia putas esse rudimenta et incunabula virtutis, quibus animi ad gloriae cupiditatem aluntur? Sed minime mirum est, Patres conscripti, si homo, qui desidiae ac luxuriae plenus sit, haec, ut nova atque inusitata, miratur. 9. Nam quod ista inusitata rabie petulanter in uxorem et in filiam meam invasisti, quae facilius se mulieres[4] a viris abstinuerunt, quam tu vir a viris: satis docte ac perite fecisti. Non enim me sperasti mutuam tibi gratiam relaturum, ut vicissim tuos compellarem. Unus enim satis es materiae habens: neque quidquam domi tuae turpius est[5], quam tu. Multum vero te[6] opinio fallit, qui mihi parare putasti[7] invidiam ex mea re familiari, quae mihi multo[8] minor est, quam habere dignus sum[9]. Atque utinam ne tanta quidem esset, quanta est! ut potius amici mei viverent, quam ego testamentis eorum locupletior essem. 10. Ego fugax, Crispe Sallusti? furori tribuni plebis cessi: utilius duxi, quamvis fortunam unus experiri, quam universo populo Romano civilis esse[10] dissensionis causa. Qui posteaquam ille suum annum in re publica perbacchatus est[11], omniaque, quae commoverat, pace et otio residerunt[12]: hoc ordine revocante, atque ipsa re publica manu retrahente[13] me, reverti. Qui mihi dies, si cum omni reliqua vita conferatur, animo quidem meo superet: quum universi vos, populusque Romanus frequens adventu[14] meo gratulatus est. Tanti me fugacem, mercenarium patronum, hi aestimaverunt. IV. 11. Neque hercule mirum est, si ego semper iustas omnium amicitias existimavi. Non enim uni privatim ancillatus sum, neque me addixi: sed, quantum quisque rei publicae studuit, mihi tantum[15] fuit aut amicus, aut inimicus. Ego nihil plus volui valere, quam pacem: multi privatorum audacias nutriverunt[16]. Ego nihil timui, nisi leges: multi arma sua timeri voluerunt. Ego nunquam volui quidquam posse, nisi pro vobis: multi ex vobis potentia freti, in vos suis viribus abusi sunt. Itaque non est mirum, si nullius amicitia usus sum, qui non perpetuo rei publicae amicus fuit. 12. Neque [enim[17]] me poenitet, si aut petenti Vatinio reo patrocinium pollicitus sum, aut Sextii insolentiam repressi, aut Bibuli patientiam culpavi, aut virtutibus Caesaris favi. Hae laudes[18] egregii civis, et unicae sunt. Quae si tu mihi ut vitia obiicis, temeritas tua reprehendetur[19], non mea vitia culpabuntur. Plura dicerem, si apud alios mihi esset dicendum[20], Patres con-

---

([1]) ∞ *quam illa palam in hoc ordine* L. ([2]) Sic Cdd. L. C. — *tu abes a pud.* Ern. 1. ([3]) ∞ om. *nocens* C1d. prob. Cortio. ([4]) = *mul. se* Cdd. aliq. L. ([5]) = *turpius est domi tuae* C. ([6]) = *te vero* C. ([7]) = *putasti parare* C. ([8]) = *multo mihi* C. ([9]) Sic Cdd. C. — *sim* L. Ern. 1. ([10]) — *essem* C. ([11]) Sic L. C. — om. *est* Ern. 1. ([12]) Sic Cdd. L. — *resederunt* C. Ern. 1. ([13]) — *trahente* L. ([14]) — *adventui* L. ([15]) = *tantum mihi* C. ([16]) Sic Cdd. L. C. — *metuerunt* Edd. Venetae. Grut. Ern. v. Cortium. ([17]) ∞ om. *enim* L. C. Nos [ ]. ([18]) ∞ *Hae enim laudes* e Cdd. C. ([19]) — *reprehenditur* C. ([20]) ∞ *disserendum* C. C. e vestigiis Cdd.

scripti, non apud vos, quos ego habui omnium mearum actionum[1] monitores. Sed ubi rerum testimonia adsunt, quid opus est verbis?

V. 13. Nunc, ut ad te[2] revertar, Sallusti; patremque tuum praeteream: qui si nunquam in vita sua peccavit, tamen maiorem iniuriam rei publicae facere non potuit, quam quod te talem filium genuit: neque tu si qua in pueritia peccasti, exsequar, ne parentem tuum accusare videar[3], qui eo tempore summam tui potestatem habuit: sed qualem adolescentiam egeris. Hac enim demonstrata, facile intelligetur, quam petulanti pueritia, tam impudicus[4] et procax adoleveris. Posteaquam immensae gulae impudicissimi corporis quaestus sufficere non potuit, et aetas tua iam ad ea patienda, quae alteri facere collibuisset, exoleverat, cupiditatibus infinitis efferebaris: ut, quae ipse corpori tuo turpia non duxisses, in aliis experireris. 14. Ita non est facile exputare[5], Patres conscripti, utrum inhonestioribus[6] corporis partibus rem quaesierit, an amiserit. Domum paternam vivo patre turpissime venalem habuit, vendidit. Et cuiquam[7] dubium potest esse, quin mori coëgerit eum, quo hic nondum mortuo, pro herede gesserit omnia? Neque pudet eum a me[8] quaerere, quis in P. Crassi domo habitet, quum ipse respondere non queat, quis in ipsius habitet paterna domo. At hercule lapsus aetatis tirocinio, postea se[9] correxit. Non ita est, sed abiit in sodalicium sacrilegii Nigidiani[10]: bis ad iudicis[11] subsellia attractus, extrema fortuna stetit: et ita discessit, ut non hic innocens esse, sed iudices peierasse existimarentur. 15. Primum honorem in quaestura adeptus, hunc locum et hunc ordinem despexit[12], cuius aditus sibi quoque, sordidissimo homini, patuisset. Itaque timens, ne facinora sua[13] clam vos essent, quum omnibus matrum familiarum viris opprobrio[14] esset, confessus est, vobis audientibus, adulterium, neque erubuit ora vestra. VI. Vixeris, ut libet, Sallusti: egeris, quae volueris: satis sit, unum te tuorum[15] scelerum consciun esse; noli nobis languorem et soporem nimium exprobrare. Sumus diligentes in tuenda pudicitia uxorum nostrarum[16], sed ita experrecti non sumus, ut a te cavere possimus. 16. Audacia tua vincit studia nostra. Ecquod[17] hunc movere possit, Patres conscripti, factum, aut[18] dictum turpe, quem non puduit[19] palam, vobis audientibus, adulterium confiteri? Quod si tibi nihil per me[20] respondere voluissem, sed illud censorium elogium[21] Appii Claudii et L. Pisonis, integerrimorum virorum, quo usus est quisque eorum, pro lege palam universis recitarem: nonne tibi viderer aeternas inurere maculas, quas reliqua vita tua eluere non possit? Neque post

---

(1) = *actionum mearum* C. (2) = *ad te uti* C. (3) = *videar accus.* C. (4) — *quam impud.* ex Edd. Ven. C. male. (5) — *reputare* L. (6) — *in honestioribus* Ern. 1. errore typogr. (7) — *cui* C. (8) = *a me eum* C. (9) — *sese* C. (10) Sic Cdd. L. — *sacrilegi Nigidiani* C. Ern. 1. (— *sacrilegii Clodiani* C. suspic.) (11) Sic L. = *bis iudicis ad s.* C. — *bis ad iudicum* Ern. 1. (12) Sic C. et Lamb. nisi quod hic v. *hunc* ante *ordinem* om. — *adeptus, secutus est hunc locum, et hunc ordinem despectus* (nom. singul. substantivi) id quod tamen non coit cum clausulae initio, e Cdd. Grut. Ern. 1. (13) ∞ *eius* L. C. (14) — *omn. matribus fam. c.* L. (15) ∞ *tibi tuorum* L. (16) = *nostr. ux.* L. (17) Sic L. C. — *Et quod* Ern. 1. (18) ∞ *ac* L. C. (19) ∞ *puduerit* Cdd. aliq. (20) — *nihil pro me tibi* C. (21) — *eclogium* L.

illum delectum senatus unquam te[1] vidimus: nisi forte in ea te castra coniecisti, quo omnis sentina rei publicae confluxerat. 17. At idem Sallustius, qui in pace ne senator quidem manserat: posteaquam res publica armis oppressa est, et idem victores[2], qui exules reduxit, in senatum post quaesturam est reductus[3]. Quem honorem ita gessit, ut nihil in eo non venale habuerit, cuius aliquis emptor fuerit. Ita igitur egit, ut nihil non aequum ac verum duxerit, quod ipsi facere collibuisset: neque aliter vexavit, ac debuit, si quis praedae loco magistratum accepisset[4]. 18. Peracta quaestura, posteaquam magna pignora eis dederat, cum quibus similitudine vitae se coniunxerat, unus iam ex illo grege videbatur. Eius enim partis erat exemplar[5] Sallustius, quo, tamquam in imam[6] voraginem, coetus omnium vitiorum excesserat. Quidquid impudicorum, cillonum[7], parricidarum, sacrilegorum, debitorum fuit in urbe, municipiis, coloniis, Italia tota, sicut in fretis subsederant, nominis[8] perditi ac notissimi, nulla in parte castris apti, nisi licentia vitiorum, et cupiditate rerum novarum. VII. 19. At posteaquam praetor est factus, modeste se gessit, et abstinenter. Nonne ita provinciam vastavit, ut nihil neque passi sint, neque exspectarint gravius in bello socii nostri, quam experti sunt in pace, hoc Africam interiorem obtinente? unde tantum hic exhausit, quantum potuit aut fide nominum traiici[9], aut in naves contrudi. Tantum, inquam, Patres conscripti, exhausit, quantum voluit. Ne causam diceret, sestertio duodecies cum Caesare paciscitur. Quod si quidpiam eorum falsum est, his[10] palam refelle, unde tu, qui modo ne paternam quidem domum redimere potueris, repente tamquam somnio beatus, hortos pretiosissimos, villam Tiburti[11] C. Caesaris, reliquas possessiones paraveris. 20. Neque piguit[12] quaerere, cur ego P. Crassi domum emissem, quum tu veteris villae dominus sis, cuius paullo ante fuerat Caesar. Modo, inquam, patrimonio non comeso, sed devorato, quibus rationibus repente factus es tam affluens, et tam beatus? Nam quis te faceret heredem, quem ne amicum quidem suum satis honestum quisquam sibi ducit, nisi similis ac par tui? VIII. At hercule egregia facta maiorum tuorum te extollunt. Quorum sive tu similis es[13], sive illi tui, nihil ad omnium[14] scelus ac nequitiam addi potest. 21. Verum, ut opinor, honores tui te faciunt insolentem. Tu, Crispe Sallusti[15], tantidem putas esse, bis senatorem et bis quaestorem fieri, quanti bis consularem et bis triumphalem? Carere debet omni vitio, qui in alterum paratus est dicere. Is demum maledicit, qui non potest verum ab altero audire. Sed tu omnium mensarum assecla, omnium cubiculorum in aetate[16] pellex, et idem postea adulter, omnis ordinis turpitudo es, et civilis belli memoria. Quid enim gravius[17] pati potuimus, quam quod te incolumem in hoc ordine videmus[18]? 22. Desine

---

([1]) = *te unquam* C. ([2]) ∞ *victor* ex Edd. Ven. C. ([3]) = *reductus est* C. ([4]) = *accep. mag.* C. ([5]) = *ex. erat* C. ([6]) — *unam* Cdd. aliq. L. ([7]) Sic Edd. vett. C. — *cyllonum* L. Ern. 1. — *cilonum* voluerunt alii. v. Forcellinum. ([8]) — *homines* Gulielmii susp. ([9]) = *transiici* C. ([10]) ∞ *hic* C. ([11]) ∞ *Tiburtinam* L. ∞ *Tiburte* vel *Tiburtem* C. suspic. ([12]) — *te piguit* L. ([13]) = *es sim.* C. ([14]) ∞ *ad tuum* Edd. Ven. prob. Cortio. ([15]) Sic C. — *C. Sall.* L. Ern. 1. ([16]) Sic Cdd. L. C. — *in prima aetate* Ern. 1. ([17]) ∞ *hoc grav.* Edd. Ven. C. ([18]) ∞ *videamus* L. C.

bonos petulantissima consectari lingua: desine morbo procacitatis isto uti: desine unumquemque moribus tuis aestimare. His[1] moribus amicum tibi facere non potes: videris velle inimicum habere. Finem dicendi, Patres conscripti, faciam[2]. Saepe enim gravius vidi[3] offendere animos auditorum, eos, qui aliena flagitia aperte dixerunt, quam eos, qui commiserunt. Mihi quidem ratio habenda est, non quid Sallustius merito debeat audire, sed ut ea dicam, si qua ego honeste effari possum.

AD POPULUM ET EQUITES ROM.

ANTEQUAM IRET IN EXILIUM.

(Ex recensione Ernestiana, passim emendata ex editione Iuntina (Iu.), et Othonis Werdmuelleri, Tiguri 1551. 8. (W.), cum selectis variis lectionibus Car. Stephani, qui tamen pessimi scripti pessimum codicem consuluit. Lambinus et Schuetzius hanc declamatiunculam non habent.)

I. 1. Si quando inimicorum impetum propulsare ac propellere cupistis, defendite nunc universi unum, qui, ne omnes conciderctis, ardoreque flammae conflagraretis, mei capitis periculo non dubitavi providere. Nam, quem virtutis gloria cum summa laude ad caelum extulit[4], eundem inimicorum invidia indignissime oppressum deprimit ad supplicium. Si liberûm conceptam dulcedinem animo inclusam continetis[5], nolite eo velle carere, qui carissimam vestram procreationem sibi esse duxit. 2. Est enim liberale officium, serere beneficium, ut metere possis fructum. Fidei conducit, in loco debitum retribuere. Illic enim animi voluntas propensa comprobatur: hic memoria collaudatur. Itaque, si omnibus grave servitutis iugum[6] esse debet in libertate educatis: sit is vestris animis acceptissimus, qui a vestro corpore iugum acerbissimum repulit servitutis. 3. Et, si maiores vestri eos imperatores, qui militum virtute hostium fregerunt furorem, iucundissimo fructu libertatis reconciliato, non solum statuis[7] dignos putarunt, sed etiam aeterna triumphi laude decorarunt: tum vos eum consulem, qui non militum praesenti fortitudine, sed sua eximia animi virtute hostilem civium mentem senatus auctoritate vindicavit, existimate vobis retinendum esse in civitate[8]. II. 4. Si, quae beneficia singulis civibus, privatimque dantur, ea solent iis esse fructuosa, a quibus sunt

---

(1) — *Istis* L. (2) = *faciam*, *P. C.*, C. (3) = *vidi gravius* C. (4) = *extulit ad caelum* Iu. (5) ∞ *retinetis* Iu. (6) = *iug. serv.* Iu. Mox om. *is* Iu. (7) — *statu* Steph. (8) Sic Iu. = *in civ. esse* W. Ern. 1.

profecta: iure et merito possum ego vos ad defensionem meae salutis adhortari, quos conservavi universos. Nam neque maius est defendere unum, quam populum: neque verius a singulis, quam ab omnibus repetere officii praemium et fructum: propterea quod in unius periculo saepe contentio parva est, ut levis sit labor defensori sustinendus: in rei publicae insidiis, quo firmius est quod oppugnatur, eo paratiores sunt inimici, ut iis sine[1] magna sollicitudine, industria, virtute non queat resisti[2]. 5. Et singulorum opes saepe sunt tenues, et infirmae ad gratiam referendam, ut opitulari bene merentibus non queant, si maxime cupiant: universorum auxilium eo plurimum prodest, quod[3] firmioribus opibus est nixum. Iure igitur, quoniam et maior impensa in patriam officii est[4], quam in privata sit[5] defensione, et plus a vobis praesidii, quam a ceteris opis ad salutem potest afferri: vos obtestor, quos mihi et debere et posse intelligo opitulari. 6. Non convenit enim, quum ego ad promerendum officium tam fuerim expeditus, vos ad referendam gratiam[6] esse tardiores: ne, cuius amplitudinem ac gloriam laude atque honoribus amplificare debeatis, eius incolumitatem et salutem deserendam existimetis. III. Etenim errat[7], si quis arbitratur, M. Tullium: ideirco in capitis periculum vocari, quod deliquerit aliquid, quod patriam laeserit, quod improbe vixerit. Non citatur reus audaciae: virtutis reus citatur; non accusatur, quod rem publicam vi[8] oppugnarit, sed quod homo novus perniciosum nobilium restinxerit furorem. Non obest mihi turpis et nocens, sed honestissime laudatissimeque acta vita. Non odio bonorum, sed invidia premor malorum. 7. Intelligunt homines, tot et tam[9] praeclaris testimoniis monumentisque virtutis comparatis, M. Tullio, dum sit incolumis, fore voluptati. Ideirco vitam eripere cupiunt, ut[10] cum spiritu sensum quoque adimant iucunditatis. Nonne igitur indignum est, eos praemiis meis invidere, qui virtute certare noluerunt? eos in contentionem venire honoris[11], qui officiis se superari aequissimo animo tulerunt? Si dulcis est gloria, consequere virtutem: noli abiicere labores, perdere[12] honorem: honorem dico? immo vero famam, fortunas, familiam, liberos, caput, corpus, ipsum denique sanguinem, atque animam[13]. Cedo invitus de re publica: cedo oppressus de fortuna, de dignitate: discedo a re publica victus audacia malorum. 8. Liceat manere, si non illum M. Tullium, custodem urbis, defensorem omnium, patrem patriae, at certe reliquias Tullii: liceat in conspectu civium, in hac urbe, quam ex parricidarum faucibus eripuit, remanere, tecta omnium, fana deorum, universam videre periculo liberatam suo civitatem: liceat ex hac flamma evolare, praesertim qui illud impium incendium perditorum hominum lacrymis potius meis, quam sanguine vestro restingui[14] malui. Neque enim ego peto[15], ut mihi detis vitam; sed datam repeto, ut reddatis. Si meministis quod dedi, vos non debetis oblivisci: sed

---

([1]) ∞ *nisi* Iu. ([2]) ∞ *resisti non queat* Iu. ([3]) — *quo* Iu. ([4]) ∞ *officii facta est* Iu. W. ([5]) — *fuit* Steph. ([6]) = *grat. ref.* Iu. ([7]) = *Errat enim* Iu. ([8]) — om. *vi* Steph. ([9]) — *tot etiam et tam* Iu. ([10]) = *uti* Iu. W. ([11]) Sic Iu. = *hon. venire* Ern. 1. ([12]) Sic Iu. — *petere* Steph. Ern. 1. ([13]) Sic Iu. = *et animam* W. St. — *et animum* Ern. 1. ([14]) — *exstingui* Iu. ([15]) Sic Iu. St. — om. *ego* Ern. 1.

retribuere, quod debetis. IV. 9. Vos, vos obtestor[1], dii immortales, qui meae menti lumina praetulistis, quum consensum exstinxi coniurationis, arcemque urbis ab incendio ac flamma liberavi, liberosque vestros e gremio[2] et complexu matrum ad caedem et cruorem non sum passus abstrahi. Num igitur potest fieri a clientibus ut recipiar, quum, a quibus debeam retineri, reiicere instituant? Socii quo fugient[3], quum aditus custodi patriae praeclusus sit? Quomodo spes salutis reliquis residebit, quum civibus praeclusa sit exspectatio incolumitatis? pax et concordia extraneis gignetur, quum iam domesticis non insideat, sed publice providenti eripiatur? 10. Nam quid ego improborum facta renovem oratione, ut redintegratione illius coniurationis animos, vulnerem vestros? Auxilium ab alienis efflagitabo, quum cives vestros deseratis[4]? Sociorum invocem subsidium, quum a civibus interclusum sit praesidium? Quam colere gentem nunc instituam? utrum ut custos accipiar, an ut proditor excludar? si ut conservator: vestra erit ignominia; sin[5] ut oppugnator: praecisa erunt omnia. Itaque quod putavi fore gaudium, id exstitit exitium. 11. Si, Quirites, eundem in ceterorum periculis haberemus animum, quem in nostris difficultatibus, et pro innocentissimo quoque propugnare, et nocentissimum quemque oppugnare nobis utilissimum esse arbitraremur, et si cum optimi cuiusque rebus adversis nostram salutem, cum deterrimorum hominum secundis, nostra pericula putaremus coniuncta: frequentes profecto talibus conatibus obviam ire niteremur: neque partim innocentia freti, partim nobilitate nixi, partim potentia ac multitudine amicorum fulti, quum perfacile existimaremus adversariorum vim ac factionem a nobis repelli posse, subito ipsi simili periculo circumventi, in nostro eventu aliorum reminiscentes casus, iure id nobis accidere nequidquam quereremur. V. 12. Quis enim est, Quirites, qui nunc, quum inimicorum nostrorum vim atque violentiam perspiciat[6], quique nostrûm ipsum periculosissimum casum recognoscat, qui non sibi ac suis diffidat fortunis? Quo enim se satis tutum arbitrabitur praesidio? Virtutis et gloriae? At ea nos ipsa hoc tempore oppugnant. Multitudine amicorum? Aperuerunt non fortes esse se amicos[7], si in eorum potestate nostra sita salus non est. Paucitate inimicorum? At id non in ipsius, sed in aliorum voluntate positum est. Nam non satis est, ne cui iniuriam facias, providere, si tamen sunt voluntarii inimici, qui tuis te praemiis[8] oppugnent. 13. Atque adeo quum[9] haec omnia omnibus sint gravia atque acerba, tum vero nobis misera atque intoleranda, quorum et officia in rem publicam recentissima, et incommoda ob rem publicam frequentissima in familia versantur. Nunc si eadem conditio disceptationis proponetur[10], aequi auditores adhibebuntur, aures non obtusae criminatione, sed vacuae praebebuntur: qui[11] sunt assecuti summum gradum honoris, non dispoliabuntur honore: qui sperant, facilius et proclivius ad laudem nobilitatis pervenient. Quamobrem nolo me duce supplicii

(1) — *vos omnes obtestor* Steph. (2) — *a gremio* Iu. W. (3) Sic Iu. — *fuciant* St. Ern. 1. (4) — *efflagitabilis, quum cives des.* Steph. (5) — *si* Iu. W. St. (6) ∞ *prospiciat* Iu. Eadem om. *ipsum.* (7) — *apparuere fortasse amicos* Steph. (8) Sic Iu. — *tuis pr. te* St. Ern. 1. (9) Sic Iu. W. Steph. — *Atque quum* Ern. 1. (10) ∞ *proponeretur* W. ∞ *proponatur* St. (11) ∞ *et qui* bis Iu.

vos ad fraudem deduci, ut ego ad pristinum statum recidam casus. Nunc igitur, si lingua est concertandum, innocentiae virtute fretus supero[1]. Si facta compensanda sunt, conferamus aequitatem; si violentiae impetu opprimimur, decedam pro omnibus unus tribunicio furori[2], quoniam laborem pro cunctis perferre[3] consuevi. VI. 14. Si igitur aliquo tempore iis hominibus consuluistis, quorum animus est religionis pietate[4] defunctus: debetis mihi quoque prospicere, qui numen[5] deorum conseceratum sartum tectum ab omni piaculo conservavi, et vos ut tutam tranquillamque fortunam traheretis, mea perfeci vigilantia. Nam me, quem paullo ante fortuna erexerat ad gloriam, virtus extulit ad laudem, populus tribuit honorem: eundem tribuni furor exagitatus depulit ad calamitatem. Et quoniam animadvertistis illam conspirationem conflatam, ita esse restinctam, ut nulla scintilla compareat incendii, vos quoque tribuniciam sedate temeritatem, (qui nunc se mihi inimicum ostendit, se vestrum prius esse[6] professus est inimicum,) ne rei crudelitas experta in me, in vos convalescat, et calamitas remorata longius serpat atque progrediatur, praecavete. 15. Nunc vel solus delectus ad calamitatem, vel primus ad tale vocatus[7] periculum, omnium animos iure debeo commovere. Omnia sunt immutata. Manus ad demonstrandam religantur iniuriam: lingua inciditur ad deplorandam calamitatem: anima praecluditur ad exponendam rei indignitatem. Humilitatem generis obiiciunt nobis, qui novam rationem suscitant, veteres maiorum obterunt laudes. Sed quid ego plura de illorum aut in me maledictis, aut in vos scelerate loquar factis? Quorum cognita improbitas, me tacente, coarguitur turpitudine[8] vitae, ut de iis non sit necesse inimicos praedicare, de quorum scelere ne[9] amici quidem, aut ipsi possunt negare. 16. Vos ego appello, quorum de me maxima est potestas: apud vos loquor de mea calamitate, quos habui semper innocentiae et virtutis meae testes. VII. Igitur ex civitate bene meritus de re publica civis exturbatur? innocens expellitur? consularis homo, non facultatibus usus quondam minimis, amicorum multorum praesidio munitus, nunc partim ab invidis, partim ab inimicis circumventus eget indigne? Huic si opem non tuleritis in periculo capitis, vos, credo, retinebitis vestram libertatem? qui neque tanta valetis auctoritate, neque tantorum officiorum impensam egistis in patriam. Mihi credite, hoc in uno incommodum confirmatum, multorum infirmabit incolumitatem: et si initio non erit refutatum, impune ad omnium perniciem convalescet. Proinde aut in meo periculo salutem integram praestate communem, aut in vestris hoc idem incommodum exspectate fortunis. 17. Nemo tam[10] perdita auctoritate, tam facinorosa inventus est vita, qui, quum de scelere fateretur, non tamen sententiis prius iudicum convinceretur, quam supplicio addiceretur. Ego repente vi tribunicia

(1) — *superero* Iu. (2) Sic W. (*unus* habent etiam Iu. Steph. sed iidem *cedam* ut Ern. 1. qui om. *unus*.) (3) Sic Iu. — *ferre* W. St. Ern. 1. (4) ∞ *religione pietatis est* Iu. (*religioni p.* Steph.) (5) Sic W. — *numini* Ern. 1. (*numini d. c. ac sartum t.* Iu. — *numini d. c. sartum ac tectum* Steph. Mox Iu. *tutam et tranq.*) (6) Sic Iu. — *se prius esse vestrum* St. Ern. 1. Mox Iu. ∞ *in me experto.* (7) Sic Iu. — *vocatus ad tale* Steph. Ern. 1. (8) — *turpitudo* Steph. (9) Sic Iu. W. St. — *non* Ern. 1. (10) ∞ *Nemo enim tam* Iu.

correptus, non modo loquendi libere in iudicio, sed ne consistendi quidem in civitate habeo potestatem. Eiicior non solum sine teste, sine indice[1], sine crimine, sed sine accusatore, sine etiam scelere. 18. Hostibus in bello, qui dissident voluntate, dimicant armis, vitam quotidie oppugnant, in ipsa acie quum proeliantur, licet loqui, licet disputare: mihi in pace, civi, qui perditorum hominum fregi furorem, pro fortunis meis apud vos loqui non licebit? Servi, qui ad supplicium caesi verberibus[2] trahuntur, apud eos saepe disputant, quos necare voluerunt: ego consularis apud vos[3] non loquar, quos conservavi? Tacebo, si necesse est: tacebo, inquam, aequo animo[4], quoniam virtus mea, me tacente, agit causam meam. VIII. 19. Itaque ut ego in concione mea nihil ponam de rebus meis gestis, tamen in animis et memoria vestra largiter relinquam[5]. Isti modo videant, qua ratione hanc inultam meam fugam ferre possint. Etenim si a me, ut isti existimant, Lentuli mortui sordes, si Catilinae notissimus furor, si amentia Cethegi, si luxuries ac stupra Cassii poenas repetunt: profecto istis hora nulla, cicero M. Tullio[6], vacua periculo, aut periculi exspectatione relinquetur. Itaque illi in dies[7] non meis insidiis, quae nullae a me parantur, sed suorum scelerum conscientia cruciati, mihi absenti, et populo Romano poenas dabunt. 20. Quas ob res ego inimicorum amentiae, cupiditatique paucorum, omnium salutis causa, decedam: neque eo deducam[8], aut progredi patiar, ut opera mea manus inter vos conseratis, caedesque civium inter se fiat[9]: multoque potius ipse patria liberisque meis carebo, quam, propter unum me, vos de fortunis vestris reique publicae dimicetis. Sic enim ab initio fui animatus, ut non magis me mea causa putarem esse natum, quam rei publicae procreatum. 21. Sed illud queror, (quod non iam ad unius perniciem, sed ad universorum instruitur calamitatem,) conqueri, commiserari, dicere, expurgare, suspicionem dimovere, crimen diluere non licere: ore oppresso cervices esse praebendas: quae tamen omnia iam[10] non sunt tam calamitosa, quod mihi sunt subeunda, quam perniciosa, quod in rem publicam sunt introducta. IX. Quamobrem statutum est, atque decretum, in his temporibus civitatis omnia perpeti, quae volet furor libidinosus. Vim volunt afferre? praesto sum. Eiicere volunt? exeo indicta causa. Nolunt audire? causam non dico. Aliud quidpiam conantur? agant. Nihil duri, nihil acerbi mihi erit, quod rem publicam tutabitur. Non enim victus illis[11] cedo, sed incolumibus vobis me condono. 22. Neque enim mors miseranda est, quae ob rem publicam capitur: neque exilium turpe, quod virtute suscipitur: quum praesertim nonnullam hac poenae habeant in se consolationem. Nam vitam si eripiunt, non adimunt gloriam immortalem. Si exilio multabunt corpus[12], non animum

---

([1]) — *iudice* Iu. Steph. ([2]) = *verb. caesi* Iu. ([3]) ∞ *eos* Iu. Steph. ([4]) Sic Iu. = *animo aequo* Steph. Ern. 1. ([5]) — *in animi vestri memoria largitum rel.* Steph. ([6]) Sic Iu. W. — om. praenomen Steph. Ern. 1. Mox Iu. *vacua a per. aut exsp. per.* ([7]) — *ita in dies* Steph. ([8]) ∞ *deducar* Iu. W. ([9]) ∞ *fiant* Iu. Mox eadem *ipsa patria* ([10]) — om. *iam* Steph. ([11]) Sic Iu. — *illis victus* Steph. Ern. 1. ([12]) — *gloriam, mortale si ex. m. corpus* Iu.

a re publica removebunt. Nam, ubicunque ero, hoc[1] cogitabo, haec semper cura mea erit: meque vobis creptum, non a vobis repudiatum existimabo. 23. Illud ab universis postulo petoque[2], si, dum in civitate manere licitum est, nemini iniuste periculum creavi, nemini innocenti fui calamitati, si omnibus auxilio praesidioque esse consuevi, plurimosque in hac civitate sum tutatus: uti vos liberos meos in vestram fidem recipiatis, eosque defendatis, neve inimicos meos in familiam nostram longius progredi patiamini: utique, sive hinc abiero, sive ero hic[3] oppressus, ea maneat opinio, et existimatio, quae virtute parta, non quae infelicitate illata est. X. 24. Nunc ego te, Iupiter Optime Maxime[4], cuius nutu ac ditione sola terarum gubernantur, teque particeps connubii, socia regni, regina Iuno, teque Tritonia, armipotens Gorgophora[5] Pallas Minerva, ceterique dii, deaeque immortales, qui excellenti tumulo civitatis sedem Capitolii in saxo incolitis constitutam, ut non solum cunctam intueri, sed etiam tueri possitis civitatem: a quorum ego quondam altaribus impiam manum civium removi, a quorum templis meo periculo, funestam facem repuli, ne illustrissimum orbis terrarum monumentum cum principe omnium terrarum occideret civitate: teque, Iupiter Stator, quem vere huius imperii statorem maiores nostri nominaverunt: cuius in templo hostilem impetum Catilinae repuli a muris[6], cuius templum a Romulo victis Sabinis in Palatii radice cum Victoria est collocatum: oro atque obsecro, ferte opem pariter rei publicae, cunctaeque civitati, meisque fortunis: resistite tribunicio furori: favete innocentiae, subvenite solitudini, miseremini senectutis: nolite cum supplicem a vobis absterrere et excludere, qui in suo magistratu funestam facem a vestris repulit templis. 25. Si C. Mario auxilio fuistis, quod in clivo Capitolino improborum civium fecerat caedem[7]; si P. Scipioni, quod Hannibalis furibundam mentem a vestris repulit templis; si denique Cn. Pompeio, quod terra marique hostes reddidit pacatos: sic nunc in meis calamitatibus aliquam ferte opem divinam! Ut saepe multorum in periculis fecistis; sic nunc in meis miseriis divinum aliquod auxilium et numen ostendite. XI. 26. Deinde vos, quorum potestas proxime ad deorum immortalium numen accedit, oro atque obsecro, quibus singillatim saepe supplex ad pedes iacui, ut eum, quem singuli stratum atque abiectum sublevastis, nunc universi conservatum velitis. Si neminem unquam vestrûm laesi, si nemini innocenti obfui, si[8] etiam e contrario, ut quisque auxilium meum desideravit, opem ferre non dubitavi: si denique, quaecunque administravi, ex vestra auctoritate, et patrum conscriptorum voluntate feci: si malui inimicorum cupiditati, quam rei publicae, et legitimae auctoritati poenas sufferre: ut existimetis ex illo crudelissimo inimicorum impetu creptum, in antiquum statum dignitatis restitui convenire. 27. Sed quoniam neque mihi libere loquendi, neque vobis clementer audiendi, neque omnino iudicandi, paucorum furore et audacia, facta est pote-

---

(1) — *haec* Iu. (2) = *peto postuloque* Iu. (3) ∞ *hic ero* Iu. (4) — *maxime O Mars cuius* Iu. ex notis *Iupiter O. M.* (5) ∞ *Gorgona* Iu. Steph. ∞ *Gorgonia* W. Mox Iu. ∞ *civium manum* et *repuli facem.* (6) — *a templo - - - ac muris* Iu. (7) Sic Iu. — *caedem fec.* St. Ern. 1. (8) — *sed* Steph.

stas: sed oppressa est res publica armis, metu debilitata servili, uti liberum spiritum ducendi nullam habeat potestatem: cedam inermis armatis, innocens nocentibus, privatus furibundo magistratui. Neque enim Q. Metellus quidquam de virtute sua detraxit, quod cessit L. Saturnino furenti: neque C. Cotta, quod Q. Vario[1] tribuno plebis, inferiore genere orto, cedendum putavit: neque C. Marius: qui, quantas res gesserit, vestra vobis libertas indicio[2] esse poterit: neque vero M. Tullius suum animum a vestra[3] abalienavit potestate, quum praecipuum vobis obsidem sui animi vestram reliquerit libertatem. 28. Quamobrem testor deos, deasque omnes[4] immortales, vestrasque maxime mentes, me non vitae turpitudine, non pro magnitudine scelerum, non propter reliquae aetatis infamiam, poenas iure et lege persolvere: sed propter virtutis invidiam, propter iucundissimam ingenii laudem, propter magnitudinem rerum gestarum, crudelissime civitate privari. Quod si idem accidit Q. Caepioni, si Mancino, si Rutilio[5]; mihi quoque hoc accidisse non magno opere erit mirandum, quum praesertim non generis antiquitate, sed virtutis ornamentis summam laudem sim consecutus. XII. 29. Nunc ego vos, Equites Romani, obtestor, quorum virtute nomen Romanum victoriam cum laude possidet coniunctam, quorum factis gloriantur cives, laetantur socii, gemunt hostes: ut, si erga vos omni tempore optime fui animatus, si mea pericula neglexi, dum timorem a patria propulsarem: si aeque liberis vestris prospexi, ac vos parentibus consuestis: ut nunc me velitis vestris opibus defensum, incolumem in hac civitate retinere: quae quum[6] a scelerata coniuratione esset incensa, meo ductu ac labore restincta est: nec patiamini me a liberis meis abstractum, a coniuge abreptum, ab aris focisque innocentem proiectum vitam degere in exilio, miserrimi mortalis casum subire. 30. Proiicitur Tullius in exilium. At a quo? Nimirum[7] innocens ab inimico, religiosus a scelerato, benevolus huic civitati ab hoste. O misera vitae ratio, quae tamdiu resides in voluptate, quamdiu fortunae poscit libido! Egone inimicus huic civitati? quamobrem? quia inimicos necavi. Egone hostis? quid ita? quia hostes interfeci. En[8] conditionem huius temporis! Antea gloria et laude dignissimi ducebantur, qui haec perfecerunt: nunc scelerati et parricidae esse dicuntur, qui haec administrarunt. Sint sane scelerati: superet istorum victoria, si modo victoria appellanda est, in qua civitatis inest luctus: habeant hanc palmam ex innocentis cruore. Tantum illud a vobis[9], Equites Romani, peto et rogo, ut, quem saepenumero vestra laude cohonestastis, eundem in dubiis vitae periculis vestra virtute conservetis.

---

(1) — *Q. Varroni* Iu. W. Steph. Mox Iu. quae saepius, quam notavi, verba huius scriptiunculae transponit, ∞ *orto genere.* (2) Sic Iu. W. St. — *indicio* Ern. 1. (3) Sic Iu. W. St. — om. *a* Ern. 1. (4) — om. *omnes* Cd. Steph. (5) — *Statilio* Iu. W. *Rutilio* iam Steph. (6) ∞ *quae civitas quum* Iu. (7) — *exilium. Ita nimirum* Iu. — *exilium. Itaque nimirum* W. Steph. (8) — *Heu* Iu. (9) Sic Iu. Steph. — *a vobis illud* Ern. 1.

(Neqtiaquam a me impetrare potui, ut his subiungerem cetera longe peiora scripta Ciceroni supposita, veluti Orationem de pace; Orationem in Valerium (cuius habeo editionem Lugdunensem a. MDXV. in volumine Orationum Tullianarum;) Librum de re militari a Iunta et Cratandro cum Ciceronis operibus editum; Synonyma ad L. Veturium et Librum de proprietate sermonis, quorum in Bibliotheca nostra Carolina exstat Codex seculi XV. descriptus ex Bernensi, e quo et Editione Romana a. MCCCCXCI. denuo editurus erat Ianus Ruardius (v. Peerlkamp in Xenoph. Ephes. Praef. p. LIX.) Cum Schuetzio omisi Consolationem Sigonianam, ab Ernestio servatam; eodem enim iure libellum longe maioris pretii, etsi minus eleganter conscriptum illi comitem dare potuissem: quartum dico de Natura Deorum librum Bononiae, id est Berolini MDCCCXI. typis excusum, quem alii, ut Ebertus in Lexico bibliographico, de-Wettio et Marheineckio, alii Cludio Hildeshemiensi, alii denique Aretino, nobili Bavaro, tribuunt.)

ERRORES				CORRIGE.
Pag.	10	vers. 29	constat causa	causa constat
—	39	— 1	incommodis	in incommodis
—	185	— 27	absurdum	absurdum sit
—	214	— 7	Scevola	Scaevola
—	237	— 24	qnod	quod
—	257	— 19	dispuat -	disputa -
—	259	— 12	e Graecis	et Graecis
—	378	— 16	inminens	imminens
—	415	— 1	Antonino	Antonio
—	430	— 38	hercule	hercle
—	523	— 2	quaeritnr	quaeritur
—	523	— 32	quaestionibuss	quaestionibus
—	536	— 5	fidem	fidem

In reliquis nihil animadverti. Syllabae male divisae sunt bis terve in voc. *omnis.* tum p. 85. v. 2. *Transalpinus.* p. 234. v. 24. *suscipiendum.* p. 416. v. 19. *praeteririque* p. 418. v. 5. *perorandi* p. 424. v. 18. *redeamus.* Ceterum ab huiusmodi vitio quam maxime potui, mihi cavi. p. 475. v. 15. dele virgulam post v. *appellati.* Numeri paullulum turbati sunt p. 27. 219. 269. 495.

In Adnotatt. haec maxime addenda et corrigenda:

p. 12. v. 5. *testamentum* — p. 18. v. 7. *et cuiusmodi.* p. 21. v. 11. transponendae sunt adnott. (17) et (18). — p. 22. v. 9. *iuridiciali* — p. 25. v. 4. *ab accusatore.* — p. 42. v. 2. (4) — om. *id* L. p. 43. v. 5. L. 3. — p. 46. v. 5. *e contrario* — p. 48. v. 6. *non causa.* p. 54. v. 1. *et alia his* — p. 56. v. 5. dele: Pith. — p. 58. v. 5. dele: L. — p. 62. v. 5. *autem.* p. 79. v. 10. An *cognostis?* — p. 80. v. 11. *aut planum, aut non* L. — p. 92. v. 1. = *ita loquitur* L. — *secum loquitur* Cdd. omnes. 3. — p. 95. v. 1. *in cert. curr. ita* — p. 114. v. 11. retraxit. — p. 129. v. 11. dele: 14. — p. 135. v. 3. *quid dubitatis* Cdd. aliq. — p. 137. v. 7. *expol.* — p. 139. v. 17. *non improb.* — p. 145. v. 10. *u. m.* — p. 150. v. 9. *offendo.* — p. 162. v. 6. cum Schol. — p. 163. v. 2. hoc *et* om. — p. 191. v. 8. *percontatione* omisso *cum.* — p. 198. v. 20. *honestatem* cet. — p. 211. v. 10. *de hominum.* — p. 220. v. 5. del. *ea.* — p. 231. v. 6. *fratri esset* Ed. s. l. et a. — p. 241. v. 4. L. 1. 3. — p. 245. v. 9. *vidébam* Edd. — p. 253. v. 14. accederemus. — p. 278. v. 6. del. censebat *ad iudic.* L. — p. 286. v. 4. ante *omne.* — p. 314. v. 3. ∞ *Novius.* — p. 324. v. 13. *soleremus* cum — p. 341. v. 11. *audiamus* post v. *inviti* del. Iac. Gronov. — p. 350. v. 6. Grut. Ern. 1. — p. 353. v. 7. Pearc. Ern. 1. Sch. 2. 3. — p. 376. v. 11. Guelf. A. — p. 377. v. 11. *omnium* — p. 388. v. 6. Nor. — *et in quo* — p. 397. v. 6. *evanuerunt* — p. 412. v. 3. prob. Rivio. L. — p. 417. v. 5. dele: Omnib. hic, et ubicunque legitur extra libros de Oratore. — p. 442. v. 3. *annis X.* — p. 446. v. 11. alius addiderit. — p. 468. v. 12. est. (Vet. Steph. *si patriam arceret d.* Mox versu seq lege: *si patriam ardere d.*) — p. 480. v. 17. Sch. €. — p. 494. v. 4. L. 1566. Ern. 1. — p. 533. v. 1. *vel facta.* — p. 539. v. 4. M. Grut. — *in brev. non latebit* L. — p. 545. v. 11. Sic Ern. €. 1. — p. 557. v. 9. = *erit perliss. or.* N. — p. 569. v. 6. *metum a bonis* — p. 594. v. 4. *vestram.* Reliqua non potui iterum perlegere. Non tamen hi omnes errores sunt typographici, sed insunt in iis etiam emendationes ac supplementa.

ERSTES
SUBSCRIBENTEN-VERZEICHNISS
AUF
M. TULLII CICERONIS OPERA OMNIA
EDIDIT
IO. CASP. ORELLIUS.

☞ Die Exemplare auf Postpapier sind mit Sternchen bezeichnet.

	EXEMPL.
Aachen.	
Herr Mayer, Buchhandlung . . .	3
« La Ruelle, Sohn, Buchhandl. .	2
Aarau.	
Herr Sauerländer, Buchhandlung . .	6
Amsterdam.	
Herren Müller u. Comp. Buchh.	36 *6
Aschaffenburg.	
Herr Knodé, Buchhandlung	1
Augsburg.	
Herren Veith u. Rieger, Buchhandl.	1
Herr Wolff, Buchhandlung	1
und für:	
« Andeltshauser, Studienlehrer. .	1
« Hastreiter, Conrector . , . .	1
« Baron von Langenthal . . .	1
« Lippert, Professor	1
« Mezger, Lehrer am Gymnasium	1
« Reuter, Studienlehrer	1
« Schmid, Studienlehrer . . .	1
Bamberg.	
Herr Dederich, Buchhandlung . .	1
Basel.	
Herr Neukirch, Buchhandlung . .	6
Herr Schweighauser, Buchhandlung .	4
und für:	
« Gerlach, Professor	1
« Grauff, Doctor	1
« Wegelin, Stud. Theol. . . .	1
Berlin.	
Herr Amelang, Buchhandlung . . .	1
« Burchardt, « . . .	2
« Enslin, « . . .	3
« Laue, « . . .	4
« Logier, « . . .	3
« Mittler « . . .	1
« Nauck, « . . .	5
« Nicolai, « . . .	6
« Plahn, « . . .	1
« Trautwein « . . .	2
Bern.	
Herr Jenni, Buchhandlung . . 12	*2
Lobl. Typogr. Gesellschaft . . 2	*1

	EXEMPL.
Bonn.	
Herr Habicht, Buchhandlung . . .	1
und für:	
« Bronweiler in Bonn	1
« Deyk, Studiosus	1
« Hauptmann in Bonn	1
« Hecker in Bonn	1
« Krantwig, Stud. in Bonn . .	1
« Noisten, Stud.	1
Herr Marcus, Buchhandlung . . .	2
und für:	
« Darrigade, Stud. in Lüttich .	1
« von Münchow, Professor . .	1
« Pauli, Rector zu Siegburg . .	*1
« Rehfues, Geh. Regierungsrath .	*1
« Warnkönig, Prof. in Lüttich .	1
« Wolff, Stud. in Bonn	1
Herr Weber, Buchhandlung . . .	6
Braunschweig.	
Herr Lucius, Buchhandlung	2
« Pluchart, « . . .	1
Bremen.	
Herr Kaiser, Buchhandlung . . .	2
Breslau.	
Herr Korn älter, Buchhandlung . .	1
Carlsruhe.	
Herr Marx, Buchhandlung	1
Chemnitz.	
Herr Starke, Buchhandlung . . .	1
Chur.	
Herr Bonomo, Buchhandlung . . .	1
« Otto, « . . .	2
Coblenz.	
Herr Hölscher, Buchhandlung . 7	*1
und für:	
« Kruft, Stud.	1
« Püllicher, Stud.	1
« Wencelius, Stud.	1
Coburg.	
Herren Meusel und Sohn, Buchh. .	1
Constanz.	
Herr Seemüller, Buchhandlung . .	1
« Wallis, « . .	1

EXEMPL.

Copenhagen.
Herr Gyldendal, Buchhandlung . . 3
« Reitzel, Buchhandlung . . . 1

Danzig.
Herr Gerhard, Buchhandlung . . . 1

Darmstadt.
Herr Leske, Buchhandlung 2

Dortmund.
Herr Köppen, Buchhandlung . . . 2
und für:
« Steuber, Doct. Phil. 1

Dresden.
Herr Arnold, Buchhandlung . . . 6
« Hilscher, « . . . 1

Düsseldorf.
Herr Schreiner, Buchhandlung . . 9

Elberfeld.
Herr Schaub, Buchhandlung . . 3 *1
und für:
« Brüggemann, Director des Gymnasiums in Düsseldorf . . . 1

Erlangen.
Herr Heyder, Buchhandlung . . . 1

Frankfurt a. M.
Herr Andrä, Buchhandlung . . . 1
« Herrmann, « . . . 5
« Jäger, Buchhandlung 1
und für:
Löbl. Gymnasiums-Bibliothek in Hanau 1
Herr Weitzel in Büdingen 1
Herr Sauerländer, Buchhandlung, für:
« Hefs, Professor 1
« Richter, Candidat 1
Löbl. Stadtbibliothek 1
Herr Steingafs, Professor 1
Ein Ungenannter 1
Herr Friedr. Willmanns, Buchhandl. 1

Frankfurt a. d. Oder.
Herr Hoffmann, Buchhandlung . . 1

Freyburg i. d. Schweiz.
Herr Labastron, Buchhandlung . . 3

Gera.
Herr Heinsius, Buchhandlung, für:
« Behr, Professor 1
« Böhme, Subconrector 1

Giefsen.
Herr Heyer, Buchhandlung . . . 12
« Ferber, « 12

Gotha.
Herr Gläser, Buchhandlung . . . 7
und für:
« Bach, Pastor und erster Prediger a. d. Trinitatiskirche in Ohrdruff 2

EXEMPL.

Göttingen.
Herr Deuerlich, Buchhandlung . . 3
« Dietrich « . . . 2
« Vandenhoeck u. Rupprecht, Buchh. 2

Grätz.
Herr Ferstl, Buchhandlung 2

Greifswald.
Herr Koch, Buchhandlung 8
« Mauritius, « 2

Gröningen.
Herr van Bockeren, Buchhandl. 10 *1

Halberstadt.
Herr Brüggemann, Buchhandlung . 4
« Helm, Buchhandlung 4
und für:
« Dr. Maafs, Direct. in Halberstadt 1
« Müller, Rector in Blankenburg . 1

Halle.
Herr Anton, Buchhandlung . . . 3
Herren Hemmerde u. Schwetschke, Bchh. 1
und für:
Herr Dunnill, Stud. 1
« Dzondi, Professor 1
« Kirchner, Stud. 1
« Krause, Stud. 1
« Krüger, Dr. u. Conr. in Bernburg 10
« Schinke, Dr. u. Pred. in Wedlitz 1
« Schmieder, Professor in Brieg . 1
« Solbrig, Dr. in Salzwedel . . 1
Herr Hendel, Buchhandlung . . . 1
« Kümmel, Buchhandlung . . . 2
« Ruff, Buchhandlung 4
Löbl. Waisenhaus-Buchhandlung . . 1

Hamburg.
Herr Erié, Buchhandlung 1
Herr Nestler, Buchhandlung . . . 2
und für:
« Fränkel, Doctor 1
« Jasper, Dr. u. Justitzr. in Schleswig 1
Herren Perthes u. Besser, Buchhandl. 2

Hannover.
Herr Hahn, Hofbuchhandlung . . 9

Heidelberg.
Herr Winter, Buchhandlung . . . 4
Herr Oswald, Buchhandlung, für:
« Mitzka, Director des Gymnas. 1

Heilbronn.
Herr Clafs, Buchhandlung 1
Herr Drechsler, « 1
und für:
« Herrmann, Stadtpfarrer daselbst 1
« Kleinmann, Advocat daselbst . 1

Helmstädt.
Herr Fleckeisen, Buchhandlung . . 1

Hildesheim.
Herr Gerstenberg, Buchhandlung . . 2

EXEMPL.

Hof.
Herr Grau, Buchhandlung . . 10 *2
Jena.
Herr Croecker, Buchhandlung . . . 1
Kiel.
Löbl. Universitäts-Buchhandlung . . 4
Königsberg.
Herren Gebr. Borntträger, Buchhandl. 5
Herr Unzer, Buchhandlung . . . 3
Landshut.
Herr Krüll, Buchhandlung 1
Leipzig.
Herr Cnobloch, Buchhandlung . . 4
« G. Fleischer, Buchhandlung. . 1
« Hartmann, Buchhandlung . . 6
Herr Hinrichs, Buchhandlung, für:
« v. Zobel, Dr. u. Superint. in Borna 1
Herr Klein, litt. Comptoir 1
Herr Köhler, Buchhandlung, für:
« Herzog, Conrector in Gera . . 1
Herr Leich, Buchhandlung 1
« Reclam « 8
« Rein « 1
« W. Vogel « 2
« Wergand « 1
« Wienbrack « 1
Lemgo.
Herr Meyer, Hofbuchhandlung . . 1
Liegnitz.
Herr Kuhlmey, Buchhandlung . . 3
« Leonhardt, « . . 1
Lingen.
Herr Jülicher, Buchhandlung . . . 3
Linz.
Herr Haslinger, Buchhandlung . 3 *1
London.
Herr Black, Young et Young, Buchh. 2 *1
Lüneburg.
Herr Herold u. Wahlstab, Buchhandl. 16
Luzern.
Herr Anich, Buchhandlung 1
Magdeburg.
Herr Creutz, Buchhandlung . . . 1
« Heinrichshofen, Buchhandlung . 3
« Rubach, « . 1
Mainz.
Herr Kupferberg, Buchhandlung . . 1
Marburg.
Herr Krieger und Comp. Buchhandl. . 6
Mühlhausen in Thür.
Herr Heinrichshofen 1
München.
Herr Finsterlin, Buchhandlung . . 1
« Lindauer, Buchhandlung . . . 1
Münster.
Herr Theising, Buchhandlung . . . 2

EXEMPL.

Naumburg.
Herr Bürger, Buchhandlung 1
Neu-Brandenburg.
Herr Dümmler, Buchhandlung . . . 2
Nürnberg.
Herren Bauer u. Raspe, Buchhandlung 3
Herr Eichhorn, Buchhandlung, für:
« Endler, Gymnasiast 1
Herren Riegel u. Wiesner, Buchhandl. 1
Osterode.
Herr Hirsch, Buchhandlung, für:
« Hülsemann, Dr. und Director des Gymnasiums daselbst 1
Pesth.
Herr Hartleben, Buchhandlung . . 2
Quedlinburg.
Herr Basse, Buchhandlung 1
Rostok.
Herr Stiller, Buchhandlung 4
Sanct Gallen.
Herren Huber u. Comp., Buchhandlung 6
Schaffhausen.
Herr Hurter, Buchhandlung . . . 1
und für:
« Maron, Pfarrer in Basendingen 1
« von Wedderkopp, Landrath . 1
Stendal.
Herren Franzen u. Grofse, Buchhandl. 10
Stralsund.
Herr Löffler, Buchhandlung . . . 3
Strafsburg.
Herren Treuttel u. Würz, Buchhandl. 1
Stuttgart.
Herr Löfflund u. Sohn, Buchhandlung 5
und für:
« Bardili, Diaconus in Urach . . 2
« Koestlin, Professor in Urach . 1
« Walz, Repetent in Tübingen . 1
Herr Metzler, Buchhandlung . . . 8
Trier.
Herr Lintz, Buchhandlung 2
Tübingen.
Herr Laupp, Buchhandlung 2
und für:
« Fischer, Repetent in Urach . . 1
« Gundert, Decan in Balingen . . 1
« Kapf, Repetent in Urach . . 1
« Schnekenburger, im evang. Sem. 1
Herr Osiander, Buchhandlung . . . 2
und für:
« Bechstein, bon. art. Stud. in C. M. 1
« Dorner, bon. art. Stud. in C. Mul. 1
« Elvert, β. Sem. i. K. Seminar. Tüb. 1
« Goetz, bon. art. Stud. in C. M. 1
« Harttmann, Prof. Coenob. Mulif. 1
« Maentler, bon. art. Stud. in C. M. 1

	EXEMPL.
Herr Mezger, bon. art. Stud. in C. Mulif.	1
« Mutschler, bon. art. Stud. in C. M.	1
« Osiander, Prof. Coenob. Mulifont.	1
« Pfleiderer, bon. art. Stud. in C. M.	1
Ulm.	
Löbl. Stettinische Buchhandlung . .	1
Vevey.	
Herr Michot, librairie	1
und für:	
« Emile Ausset	1
« Genand, instituteur	1
Wien.	
Herr Mayer, Buchhandlung . . .	1
« Schalbacher, Buchhandlung . .	4
Wiesbaden.	
Herr Ritter, Buchhandlung	1
Winterthur.	
Herr Steiner, Buchhandlung . . .	1
Zittau.	
Herr Schöps, Buchhandlung . . .	2
Zürich.	
Herr Gefsner, Buchhandlung . . .	2
und für:	
« Franke, Doctor, aus Meklenburg	1
Herr Trachsler, Buchhandlung . .	6
Herren Ziegler und Söhne Buchh. .	12
Bey der Verlagshandlung unterzeichneten:	
Herr Albrecht, Stud.	1
« Ammann, Stud.	1
« Beckh, Pfarrer in Reichenbach .	1
« Blunschli, Stud.	1
« Bremi, Chorherr und Professor .	1
« Bridler, Stud.	1
« Brosi, Professor in Baden . .	1
« Bullinger, Pfarrer in Küsnacht .	1
« Dänniker, Pfarrer in Bischoffzell	1
« Fäsi, Professor L. H.	1
« Finsler, Doctor Juris	1
« Frey, Pfarrer in Trogen . . .	1
« Glutz-Blotzheim, Chorherr in Solothurn	*1
« von Gonzenbach, Stud. . . .	1
« Häfeli, Stud.	1
« Hanhart, Stadtpfarrer in Winterthur	1
« Heer, Pfarrer in Matt	1

	EXEMPL.
Herr Herder, Pfarrer in Neftenbach .	1
« Hirzel, Chorherr und Professor	1
« Hirzel, Stud. Juris	1
« Hirzel, Stud.	1
« Hottinger, Professor	1
« Hüni, Erzieher in Horgen . .	1
« Kappeler, Praecept. in Frauenfeld	1
« Keller, Doctor Juris	*1
« Koller, Procurator	1
« Krauer, Procurator	1
« Küchli, Stud.	1
« Kündig, in Schwyz	*1
« Landolt, Finanz-Secretär . . .	1
« Lippe, Professor in Lenzburg .	1
« Meyer, V. D. M.	1
« Mohrikofer, Prov. in Frauenfeld	1
« Morell, Stud.	1
« Müller, Stud.	2
« Nabholz, Pfarrer in Oberutzwyl	1
« Nägeli, V. D. M.	1
« Nüscheler, V. D. M.	1
« Ochsner, M. Doct. in Luckhausen	1
« Ochsner, Professor.	*1
« von Orell, Pfarrer u. Cammerer in Egg	1
« Pestalutz, Stud.	1
« Pfenninger, Erzieher in Stäfa .	1
« von Planta, Vice-Kanzleydirector in Chur	1
« Rahn, Med. Doct. und Archiater	1
« Scheufs, Pfarrer in Langenrickenbach	1
« Schnell, in Burgdorf	*1
« Schweizer, Pfarrer in Wyla . .	1
« Spöndli, Staats-Cassier . . .	1
« Steiner, Stud.	1
« Stocker, Professor am k. k. Gymnasium zu Feldkirch	1
« Ulrich, Chorherr und Professor	1
« Vögelin, Pfarrer	1
« Vogel, Stud.	1
« Vogler, Pfarrer in Güttingen . .	1
« Weifs, Pfarrer	1
« Weifs, Stud.	1
« Wirz, Pfarrer a. d. franz. Kirche	1
« Wurstemberger, in Bern . .	*1
« Wyfs jgr., Professor in Bern .	*1
« Zeller, Stud.	1
« Ziegler, Stud.	1

NACHTRAG.

	EXEMPL.
Berlin.	
Herr Ludw. Oehmigke, Buchhandl.	1
Cölln.	
Herr Bachem, Buchhandlung . . .	2
Leipzig.	
Herr Sübring, Buchhandlung . . .	1
« L. Vofs « . . .	1
Nordhausen.	
Herr Landgraf, Buchhandlung . . .	1

9756

1–12

UNO

Pomorska Biblioteka Pedagogiczna
w Gdańsku
219612
020000219612
NIE WYPOŻYCZA SIĘ
Czytelnia

M. TULLII
CICERONIS
OPERA
VOL. I.